Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
G
6
NAPOLI

II

IDEA
POLITICA
VERI CHRISTIANI.

IDEA
POLITICA
VERI CHRISTIANI,
S I V E
ARS OBLIVIONIS,
ISAGOGICA
AD ARTEM MEMORIÆ.

A U T H O R E

R. Patre Alexandro Luzon de Millares, Canonico Regulari Viridis Vallis.



BRUXELLIS,
Typis Francisci Foppens, ſub ſigno S. Spiritus.
M. DC. LXV.

NAPOLI

EXCELLENTISSIMO

DOMINO
D. FRANCISCO DE MOURA,
CORTE-REAL,
MARCHIONI
DE
CASTEL-RODRIGO,
COMITI DE LUMIARES,

ORDINIS DOMINI N. JESU CHRISTI

COMMENDATORI MAJORI,

Domino Terræ novæ, aliiſque in locis Dynaſtæ, Inſulæ Terceræ inter Azores ſive Flandricas primariæ, S. Georgii, Fayal & Pico

Gubernatori & Capitaneo Generali Hereditario, Catholicæ ſuæ Majeſtatis Clavigero inaurato, ejusque

IN CONSILIO ET STATU LUSITANICO PRÆSIDI;

BELGII ET BURGUNDIÆ GUBERNATORI,

NEC NON

SUPREMO ARCHISTRATEGO, &c.

EXCELLENTISSIME DOMINE,

Ideam Politicam veri Chriſtiani poſteritatis negotium acturus orbi propono, qui archetypum in Excellentiſſima tua Dominatione agnoſcit & ſuſpicit. In ipſa ſiquidem progenitorum virtutes, pretioſa familiæ decora, in gradu planè Heroïco relucent. Nullatenus extin-

ĉta eſt fidelitas Illuſtriſſimi Domini LUDOVICI DE MOURA poſt adventum ſuum è Luſitania cum Imperatrice Iſabella Cæſari ejuſque Filio conſtanter adhærentis: neque magni illius CHRISTOPHORI DE MOURA generoſa indoles & in rebus gerendis eximia ſolertia defecit, ob quam à Philippo II. Rege Catholico titulo ſupremi Cubicularii, ſanĉtioris conclavis Conſiliarii, & Comitis de Lumiares meruit decorari: Excellentiſsimi parentis Belgii noſtri quondam Gubernatoris Pietas & Religio non intercidit: ſingula ſpirant adhuc, ſingula in digno nominis juxta ac dignitatis herede perſeverant. Ex fideli diĉtamine magnæ Synteresis, (quæ eſt thronus rationis, baſis prudentiæ) veræ eminentiæ germana exemplaria, & celebris exiſtimationis textus animati procedunt. Omnes vitæ aĉtiones ab ejus influentia dependent. Plus eſt quàm Socratis genius, qui nutantem & dubium per Sanĉti alicujus auſpicii vocem à noxiis ſolitus erat avertere, ne quid ageret quod Socrati exprobrare vel inimiciſsimus poſſet. Per illam quidam vitâ docent, qui cùm dixerint quid faciendum ſit, probant faciendo: qui docent quid vitandum ſit, nec umquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur: qui eo propoſito in medium prodeunt ut meliores fiant faciantque meliores. Ex his regnorum tutelares & Principum Achatæ formantur. Primæ ſortis ingenia, quæ occaſionem rei benè gerendæ (cùm anima aĉtionum ſit) ſtudiosè captant; quæ noverunt ex ſolidis civilis ac politicæ ſcientiæ principiis, ex diuturna præparatione diſciplinæ, & rerum uſu quid in quolibet negotio occurrenti expediat. Gubernatorem in tempeſtate, militem in acie intelligimus. Imperitorum Politicorum eſt, quando conantur orbis Phaëtontes agere,

Ælian. Var. Hiſt. Lib. 8. c. 1.

tam

tam inæqualiter diſpenſare calorem & lumen, ut pars una terræ conflagrandi, altera congelandi diſcrimen incurrat. Dicat Germania quanta in te fuerit hujus Syntereſis energia, dum in ea per novennium Regia legatione honorificentiſſimè fungebaris, omnibus amabilis, nemini gravis. Meritiſsimum quondam Proregem ſuum dignis Sardinia extollat laudibus. Fateatur Catalonia miram tuam in regimine Proregis dexteritatem, quâ incolarum ſuorum ingenia feliciter tractaſti.!O raram bonæ indolis prærogativam dulci quadam violentiâ naturale in animos exercere imperium, illos inflectere, eſſe Regem merito, Leonem privilegio innato, occulto vigore connaturalis authoritatis hominum ſibi mentes ſubjicere! ingenioſus Proteus qui cum ſancto ſanctè, cum ſapiente gerere ſe novit ſapienter: Chriſtianus Politicus, Philoſophus civilis, ut inter tot ſeria non ſemper adeò methodicè, adeò regulariter procedat, quin ad inferiora familiariter quandoque deſcendat. Amor ad reciprocationem invitat, neque aliud efficacius philtrum politicum magnatum reperitur, quàm in omnes benevolentia, comitas, humanitas. Me quidem ad ſui amorem tot animi dotes alliciunt, nonnihil tamen à cœpto revocat, quòd uti juſto lex non eſt poſita, ſic neque ſapienti conſilium dandum; verùm quis ſibi omnimodè ſufficiens? *Nemo per ſe ſatis valet ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat.* Sen. Ep. 52. Neque omnium eſt ut unuſquiſque ſibi ſit lex. Quidni multa habeamus quæ debeant corrigi, quæ extenuari, quæ attolli? hoc ipſum ſanè argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia, quæ adhuc ignorabat, videt. Militia eſt vita hominis adverſus hominis malitiam. Quid vitia ſuis quiſque objicit temporibus? hominum ſunt iſta, non temporum:

Sen. Ep. rum: nulla ætas vacavit à culpa. *Omne tempus Clodios, non*
97. *omne Catones feret.* Semper fictas deprehendemus virtutes, adulterinam charitatem, ſuperficialem mortificationem, ſpuriam humilitatem. Qui plauſum ex plurium aſſentione venientem captant, aut voluptates laudabunt, aut dolorem maximum malum dicent; erunt qui nec malum quidem appellabunt: divitias aliquis ad ſummum bonum admittet, alius illas humanæ malo vitæ repertas dicet: ipſe rectum iter, quod ſerò eheu! cognovi, & laſſus errando, quoad poſſum aliis monſtrare ſatago. Salutares admonitiones ex præcipuis Eccleſiæ Doctoribus petitas litteris mando, eſſe illas efficaces in meis ulceribus expertus, quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere quodammodo deſierunt. Vitium facilè tranſit ad plures. *Vnum exemplum aut luxuriæ aut avaritiæ multum ma-*
Sen. Ep. 7. *li facit. Convictor delicatus paullatim enervat & emollit: vicinus dives cupiditatem irritat: malignus Comes quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit.* Ideò verſandum cum his qui nos meliores facturi ſunt: illos admittamus, quos poſſimus facere meliores. Mutuò iſta fiunt, & homines dum docent, diſcunt. Unde ex conſilio
Iſai c. 32. v. 8. vatis Evangelici *Princeps ea, quæ digna ſunt Principe, cogitabit.* Palam eſt Heroës ad ſeria naſci, illiſque cunas Herculeas contingere; ſed quis repentè fit ſummus? non naſcitur homo in omnibus conſummatus; quotidie tàm in perſona quàm in negotiis capit incrementum donec ad ſummam perfectionis accedat. Totius naturæ quoddam veluti compendium Deus illum effecit, qui exercitatione, ingenii culturâ, judicii maturitate univerſale virtutum complementum fieri poteſt: pretioſus enim mentis eſt uterus, in quo fœcunda ſeges conſiliorum verbi ſemine pullulare conſuevit, & vitæ totius ac diſciplinarum quæ-

dam

dam membra formari. Quantum profuit multis ex D. Ambroſio cognoſcere in Abrahamo erga Deum impigram devotionem, fidei firmitatem, juſtitiæ excellentiam, ſtrenuitatem in prælio, in victoria liberalitatem, domi hoſpitalitatem, in conjugem ſedulitatem: quod Patriarcha Jacob exul domo, profugus à parentibus, ubique tamen convenientem menſuram negotiis tenuerit, & temporibus opportunitatem reſervaverit; paſtor Domino gregis fidus, ſocero gener ſedulus, impiger in labore, in convivio parcus, in ſatisfactione prævius, in remuneratione largus: quàm ſubditus fuerit in ſervitute Joſeph, quàm in virtute conſtans, quàm benignus in carcere, ſapiens in interpretatione, in poteſtate moderatus, in ubertate providus, in fame juſtus, ordinem laudis rebus adjungens & opportunitatem temporibus, æquitatem populis officii ſui moderatione diſpenſans: David etiam quàm fortis in bello, patiens in adverſis, in Hieruſalem pacificus, in victoria manſuetus, in peccato dolens, in ſenectute providus; rerum modos, vices temporum per ſingularum ſonos ſervavit ætatum, ut videatur non minùs vivendi genere, quàm canendi ſuavitate prædulcis moralem Deo ſui fudiſſe meriti cantilenam. Uti operæ pretium eſt in his viris principalium virtutum officium diſcere, ita minimè oberit ex hoc tractatu latentes inſidias hoſtis inviſibilis cognoſcere; qui tunc maximè inſidiatur quando videt in nobis paſſiones aliquas generari, tunc fomites movet, laqueos parat; explorat arma noſtra, & concutit ſua tela. Hinc pertinaciter incumbendum eſt cuilibet Chriſtiano, ut ſe quotidie meliorem faciat; quem decet in actu mori, in quo & diligentiæ palma, & ingenii ſanctificabitur ubertas. Idcircò non me gloria publicandi in-

D. Ambr. lib. 1. offic. c. 24.

genii produxit in medium, ſed ut prodeſſe pluribus poſſim, quod me aſſecuturum ſpero, ſi conatibus meis gratiæ tuæ favor benignè aſpiraverit. Andromache apud Senecam Tragicum Hectoris ſui umbram ad perterrendum Ulyſſem ſufficere credidit: pari ratione contra Momos & Criticos qui omnia conſueverunt improbare, nihil præſtare (non ut irrationabiliter dictis acquieſcant, ſed ne agnitæ veritati ſuperciliosè repugnent) patrocinetur mihi tamquam caſtrum validiſſimum magni nominis tui authoritas, cui tenuis hunc Minervæ partum, quæ liberos non enititur, ſed libros, volens ac lubens dico conſecroque

Excellentiſſimæ tuæ Dominationis

Obſequentiſſimus Cliens,

Fr. Alexander Luzon de Millares Canonicus Regularis D. Auguſtini in Viridi Valle.

APOSTROPHE

AD SANCTUM SPIRITUM.

SYMBOLUM.



DOcuit me filius tuus S. Epiphanius Epiſcopus Con-
ſtantiæ Cypri, ô alme & Sancte Spiritus! catulum à *In lib. ad*
Leæna edi cæcum, & (ut ita dicam) mortuum, in *Phyſiolog.*
quem illa triduo defixos habet oculos, quibus tranſ- *c. 2.*
actis leo accedens in illum ſpirat, qui recepto hâc viâ
lumine ad vitam revocatur. Te ſponſa tua pia mater
noſtra Eccleſia Catholica unanimi ſenſu & conſenſu *In Concil.*
Spiritum vivificantem appellat, non alia ratione *Conſtanti.*
quàm quia ſpiritualem vitam infundis, quia animæ *1.*
cum Deo conjunctionem tribuis, quia ſine ſanctiſ-
ſimi numinis tui afflatu nihil æternâ vitâ dignum efficere poſſumus, quia do- *S. Bernar.*
ces hominem ſcientiam: *Verbum namque es non ſonans ſed penetrans, non lo-* *ſer. 31 ſu-*
quax ſed efficax, non obſtruens auribus, ſed affectibus blandiens. Quomodo ſine *per Cantic.*

ruo lumine Theologia veritatem, Philoſophia differendi methodum, Mathematica demonſtrationis evidentiam, Arithmetica rectam numerandi, Geometria menſurandi rationem, Aſtrologia infallibilem pronoſticandi vim, Muſica ſuavem Harmoniam docebunt? per hoc Juſtitia rectè judicat, Prudentia ſolerter diſcernit, Fortitudo agit & patitur generosè, Temperantia auream illam ubique obſervat regulam: NE QVID NIMIS, NE QVID MINUS. O Spiritus benigne, Spiritus dulcis, Spiritus fortis infirma roborans, aſpera planans, & corda purificans, qui cathedram in Cælo habes; ad te ò Fons ſupernæ largitatis, qui linguas infantium facis diſertas; ad te, qui requieſcis ſuper humilem, & trementem ſermones tuos, qui intellectum das parvulis recurro, ut divinam illam, quæ diſponit omnia ſuaviter, ſapientiam; ſapidam illam & ſanctam ſcientiam in re tam ardua mihi reddam propitiam. Si titulus attendatur (ut ex ungue leonem colligimus) quod in lucem edere meditor magnum quid & ſingulare apparebit; verum niſi fœtum illum ingenii inſpirando vivifices nihil erit quàm

—— *Rudis, indigeſtaque moles.*

Attamen ut mulier gaudet, dum maſculum parit, ſecus ſi fæminam: maſculum producere ſatago, imo (favente tuâ gratiâ) generoſum leunculum, talem tantumque ex inſtinctu tuo. Largire igitur humiliter ſupplicanti, ut alios informando meipſum efformem, ut valeam fieri medicus qui non habeat neceſſe audire, cura te ipſum, ſim monitor qui non debeat primo ejicere trabem ex oculo proprio ut feſtucam ejiciat ex alieno, ſim judex qui in eo in quo judicat alterum, ſeipſum non condemnat, ne illâ juſtè perſtringar invectivâ: *Qui alium doces te ipſum non doces.* Demùm ſi quocumque modo periculum ſit ut me inficiat infelix philautia, tenax illud & pertinax amoris proprii malum, ut per pannoſum hunc centonem ex aliorum verbis & ſententiis contextum plauſum aliquem excitet; unde neſcio quid mihi arrogem ad omnia natum, ad quidlibet idoneum reputando, in quoſlibet cenſoriam virgam extendendo, nihil eruditum, nihil laudabile, nihil admiratione dignum, niſi noſtrum judicando, propriæ excellentiæ verus factus Narciſſus, aliorum ornamentis tamquam naturæ donis utendo ad oſtentationem, qui vix primis labiis ſcientias attigerim, ipſis cathedraticis regulas præſcribere ex jactantiâ non timendo: oro obteſtorque te dulcis illuminator mentium ne hic fœtus unquam lucem aſpiciat, ſed in tenebris ſuis conticeſcat; nec calamus vel guttulam atramenti reddat; uti contigit Valenti Imperatori quando decretum ſcribere intendebat, quo D. Baſilium è civitate pelleret. Quin potius concede, ut purâ, ſyncerâ, & defæcatâ intentione, omnia & ſingula ad majorem tuam gloriam referam, meamque & proximi utilitatem. Hinc laudabilem te & benedictum in omnibus operibus tuis prædicando ad immortalitatis tuæ præſidium reſpicio, & tuo numine invocato te auctorem (ut par eſt) & hujus qualiſcumque operis præſulem fieri exopto.

Rom. 2.

In vit. D. Baſil. 14. Iulii ut in Brev.

VENI SANCTE SPIRITUS.

A D

AD LECTOREM.
SYMBOLUM.



CAndide & benevole Lector, utrumque ſiquidem in te requiro, candorem, ut verum & ſyncerum formes judicium; benevolentiam, ne pravâ aliquâ affectione præoccupatus ſiniſtrè quid aut ſuſpiceris, aut interpreteris (prout enim quiſque affectus eſt ſic judicat) optarem non Authorum centurias aggregare, neque doceri per indices librorum, ſed proprio victitare ſucco oſtreorum inſtar, ut uniones parerem, nec in circumſepto aquario captivas lymphas, ſed puriores ad ipſas ſcaturigines haurire: Sed

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Vires, ingenium, vegeta, rara, & alta indoles ad hoc mihi deficiunt, & conſilium ſapientis eſt *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Res hujuſmodi Auguſtinos, Chryſoſtomos, Hieronymos, Gregorios, Hilarios deſiderat, magnos illos & ſublimes pugiles, qui propriis armis vi- *Horat. Epiſt. 7. ad Mecænat.*

 tiis

tiis bellum indicere noverunt. Accedit quod Illuſtriſſimus Dominus Didacus de Saavedra Faxardo, qui in hoc ſcribendi genere eſt author penè omnibus omni exceptione major, tantum

Hor. Epiſt. 2. ad Lol. *Nos numerus ſumus.*

non dubitaverit dictis & factis aliorum ſuum inſtituere Principem.

Excerpant alii non modò ſententias, ſed & ſubſtantiam aliorum, & tanquam benè de republicâ litterariâ meruerint, mutato dumtaxat ordine vel titulo ſeſe librorum authores inſcribant; ingenuè fateor quòd à viro hoc plurimis titulis commendato normam & formam ſcribendi ſumpſerim, ejuſque lubens inhæream veſtigiis.

Non me latet quòd tractare materiam præconceptam hoc ævo periculoſiſſimum ſit, in quo omnes criticam exercere conantur,

Martialis l. 2. Epigr. 3. *Et pueri naſum Rhinocerotis habent;*

In quo nemo non politicam ſtudet profiteri, ut olim quiſque Poëticam.

Hor. l. 2. Epiſt. ad Auguſtum. *Scribimus indocti, doctique Poëmata paſſim:*

Sed ſi tot pſeudopolitica in lucem prodeant quibus incauti decipiuntur, & quibus multi ſæculares applaudunt, qui ſemper juxta D. Paulum: *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur,* (2. ad Thimot. c. 4.) non audebimus etiam ex umbra prodire ad ſolem? D. Gregorius nos ad hoc invitat, *Habens, inquit, intellectum curet omninò ne taceat, habens rerum affluentiam à miſericordiæ largitate non tepeſcat, habens artem quâ regitur uſum illius cum proximo partiatur, habens loquendi uſum apud divitem pro paupere intercedat: talentum quippe ab unoquoque noſtrum venturus judex exiget quantum dedit.* (Homil. 9. in Evang.)

Ad ſeriem igitur operis noſtri procedamus, ſed in primo fortaſſis lumine pedem offendes, & primâ facie titulus diſplicebit, ARS OBLIVIONIS. Audio te dicentem:

Hor. de arte Poëtica. *Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus.*

Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat, & tu Artem Oblivionis tradis? quàm hoc eſt paradoxum! imo verò multum Themati conſonum, quia obliviſci debemus nociva, ut profutura fideliter valeant memoriæ inhærere, nuntium remittere perituris, ut æterna conſequamur, & hoc ſtratagemate hoſtem vincere, quem aperto marte aggredi timeremus.

Neque mihi vitio verti debet quòd profana ſacris (qualis eſt tractatus noſter) immiſceam: illud cum debito temperamento non improbatur à Clemente Papa: *Cùm ex divinis ſcripturis integram quis, & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè etiam in pueritiâ attigit, ad aſſertionem dogmatis conferat, ita tamen ut ubi vera didicit, falſa & ſimulata declinet.* (Diſt. 37. can. Relat.)

A generalioribus igitur exordior, quo pacto nimirum eradenda ſint elementa, & imagines ſæcularis vitæ, ut animus verè eruditis & æternis valeat intereſſe cogitationibus, ut in eo tanquam in tabula raſa commodè poſſint decreta divinæ voluntatis imprimi. Exin ad ſpecialia deſcendo, quàm vana, quàm fucata ſint omnia, honores, opes, nobilitas oſtendendo.

Ab iſtis lectorem revocare nitor, quia peregrino & hoſpiti talibus immorari non convenit.

Tandem ut ad cæleſtia ſuperatâ remorâ tanquam aquila ſeſe erigat. Hic eſt textus, & contextus.

Et

Et quia radices artium amaræ ,fructus verò dulcis : hunc Symbolis illuſtravi , ut non aures modò , ſed etiam oculi paſcerentur , ut hoc artificioſo condimento, & oblectationis genere labor mitigaretur. In plurimorum commodum me publici juris facio, in nullius diſpendium aut injuriam. *Sacerdotis quippe eſt nulli nocere , prodeſſe velle omnibus.* Si quando acri nimis exaggeratione, exclamatione, invectivâ videar uti, erit, ad melius detegendum putidum vitiorum ulcus, ut medicamentum validè queat parti læſæ applicari.

S. Amb. de officiis.

Si nihilominus idcirco ad inimicitias, odium, indignationem quidam incitentur; nihil miri eveniet, quia juxta Sanctiſſimum Patrem noſtrum Auguſtinum, *Multi oderunt veritatem arguentem , amaverunt lucentem.* Et rurſus: *Palato non ſano pœna eſt panis , qui ſano eſt ſuavis: & oculis ægris odioſa eſt lux quæ puris eſt amabilis.* Ob puritatem victimæ factus eſt innocens Abel victima impio Caïno. Propter relatum ſomnium (quod cauſa & fomes jurgiorum fuit) Joſeph magnus ille Patriarcha fuit venditus à fratribus. Quòd D. Joannes Baptiſta imperterritè Herodi veritatem elocutus ſit capite plexus eſt.

Gen. c. 4.
Gene. 37.
Math. 14.

Succenſeant mihi, acuant in me linguas, ſtringant ſtilum, libenter patiar quæ innocenter, vel certe *Mihi vitandum eorum ſupercilium, qui judicare tantum de aliis, & ipſi facere nihil noverunt.* Illæ punctiones, ut præſens declarat Symbolum, quò melius penetrant, magis decorant: talia vulnera ſunt ornamenta, cicatrices merita, & poſteritatis monumenta. Novi quoſdam Satyris & mordaci cenſura adeò delectari, ut malint ſæpiùs amicum perdere, quàm unum aliquod acutè à ſe dictum: novi alios tam ingenuè indolis & timoratæ conſcientiæ, ut cum Divo Gregorio dicere non erubeſcant: *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus ſum, & ſolum mihi amicum æſtimo, per cujus linguam ante apparitionem diſtricti judicis meæ maculas mentis tergo.* Vel uni ex his probari vellem: non appeto plauſum vulgi. *Vnus mihi pro populo eſt, & populus pro uno*; hæc Democritus apud Senecam: & apud eundem Epicurus cum uni ex conſortibus ſtudiorum ſuorum ſcriberet; *Hæc ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

B.Hier. ad Dom. & Rogat. in præfat. ad Eſdram.
D.Greg. in regiſt.
Ep. 7.

Faceſcant igitur hæ voces, quæ ſibi complacentes blandâ & mortiferâ adulatione deliniunt. *Non à ſummis labris iſta venerunt, habent hæ voces fundamentum. Iſte homo non eſt unus è populo, ad ſalutem ſpectat.* Syncerum quid & ſolidum deſidero, & quid de me ipſe ſentiam ex mente Poëtæ Martialis liberè pronuntiabo:

Sen. Ep. 10.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis hìc : aliter non fit, Avite, liber.

Martia. l. 1. ad Avitum. Ep. 17.

Unum libenter addidero, & non amplius te morabor, candide & benevole Lector, ut omnis erroris, & tumoris occaſio præſcindatur, quòd omnia ad jota unum & apicem uſque judicio & cenſuræ Primæ Sedis ſubjicio.

APPRO-

APPROBATIO.

EX Commiſſione Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini D. Petri à Sancto Trudone S. T. L. nec non Canonicorum Regularium S. Auguſtini Capituli Windeſemenſis per utramque Germaniam Generalis, &c.

Librum, cui Titulus, *Idea Politica veri Chriſtiani, &c.* varia Symbola moralia complectentem, operâ & induſtriâ Reverendi Patris ac Domini, *D. Alexandri Luzon de Millares*, Canonici Regularis Eccleſiæ B. Mariæ in Viridi Valle concinnatum, inoffenſo pede perlegi. Nihil enim in eo reperi Fidei Catholicæ, bonis moribus, Doctorum placitis contrarium: quinimò Doctrinam ſpirat omnibus perfectionem vitæ meditantibus verè proficuam: Nam Sanctorum Patrum documenta, ac moralium Philoſophorum placita ita dilucidè pandit, ut Author non tam ſua, quàm veterum ſenſa depromat. Quare digniſſimum judico, quod in lucem prodeat. Actum in Viridi Valle die xv. Octobris 1663.

Thomas Symons S. T. L. Protonotarius Apoſtolicus, & in Viridi Valle Lector.

Fray JUAN LUZON DE MILLARES Canonigo Reglar de ſiete Fuentes, à ſu Hermano ſobre ſu Libro.

Mueſtra bien la verdad
De ſu nombre Luzon,
Quando la claridad,
Deſte divin Luzero
Como eſpejo d'azero
Dà luz al Horizon
De nueſtro entendimiento:
Y limpia el coraçon,
De impuro haliento,
Y reſpiracion.

Nos vienes enſeñar
Con tanto placer,
El Arte d'olvidar,
Que un qualquier quiſiere,
Que olvidar pudiere:
Por poder aprender:
Pero en tu Libro todo,
Buſca qualquier hombre
No hallarà el modo,
De olvidar tu nombre.

Es de ver ratonar,
Zoylo ſu Pluma,
Y el perro ladrar
Quien, la Luna que ſube
Detras d'una nube,
Eſtorvar preſuma:
Soſſegad invidioſo,
A peſar del rancor,
Serà ſiempre famoſo
El nombre del Autor.

SYMBOLUM I.



FLUVIO Lethes, qui de infernalibus unus perhibetur, talem vim & efficaciam Poëtæ affingunt, quòd ejus epoti latices omnium rerum præteritarum oblivionem inducunt; idque quia morientibus omnium rerum oblivionem irrumpere, arbitrantur. Fabula hæc, uti pleraque Poëtarum involucra, non parvum ad Moralia habet momentum, & appoſitè titulo & ſubjectæ materiæ videtur quadrare.

1. §. O ſi talem aquam ubivis gentium reperiremus quâ hauſtâ quæ retrò ſunt obliviſcentes ad anteriora nos extende-

remus! certè genus Luporum invenire eſt labiliſſimæ memoriæ,
Lib.8.cap.22. vel ſi mavis, debiliſſimæ phantaſiæ; iſti Cervarij vocantur, qualem è Galliâ in Pompæi Magni arenâ ſpectatum ſcribit Plinius: Huic quamvis in fame mandenti, ſi reſpexit, oblivionem cibi ſurrepere aiunt, digreſſumque quærere aliud.

§. 2. Mira & ſtupenda oblivio! non talem ac tantam requiro, multò minùs bellum aliquod bonis artibus indîco, neque Thracis illius Apoſtatæ crudele & impium adverſus litteras ac litteratos edictum ullatenus placet, quin ab illo omni voluntatis & intellectus reniſu abhorreo. Quid melius ſcientia? quid jucundius? quid ipſa ad utramque fortunam ſalubrius? aſſeruit potiùs Solem & Lunam tolli de mundo, quàm amicitiam in ſuo Lælio Tullius: idem formo de ſcientia judicium.

Vitruvius. §. 3. Prudentiam verò *quæ præſentia ordinat, futura providet, præterita recordatur*, ne in minimo lædi volo; illam non modò intactam & illibatam tueri, ſed hac arte firmare & ſtabilire decretum eſt: ipſa enim cum ſit menſura regulâque virtutum, & mediante ſynteresi (quem habitum tanquam ſuum fundamentum & radicem includit) finem virtutibus moralibus præſtituit; potiſſimùm erit in hoc opere attendenda: Maximè cum illam æterna veritas, quæ nec falli poteſt nec fallere,
Marci 9. Sali comparatam nobis commendet, *Habete in vobis Sal*, & Apoſtolus ipſius velit, ut omnis noſter ſermo ſit ſale condîtus: ſit hoc condimento prudens, ſit diſcretus. Hic tamen illi Panegyricum ſcribere non conſtitui, quod alteri claſſi erit deputandum.

§. 4. Neque ullo pacto experientiæ, quam prudentiæ matrem appellant, quâ fulcitur Sapientia, injurius ſum (licet illa ex pluribus notitiis ſit comparata, partim ſcilicet rerum bonarum malarumque cognitione, partim exercitatione & uſu) quòd ſine ea neque notitia ſui haberi poſſit (quæ baſis eſt & fundamentum vitæ perfectivæ) neque hominum ſingulorum naturas, quòd ad virtutem diſcretionis pertinet, condiſcere poſſimus, quas ex amictu, ex aſpectu, ex actionum oculorumque
Eccli. 19. motu, ex verbis denique licebit perſpicere: *Amictus enim corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo:*
Eccli. 39. quodque *Sapiens occulta Proverbiorum exquiret, in terram alienigenarum gentium pertranſiet, bona enim & mala in hominibus*
Ad Nepotianum Ep. 2. tom. 1. *tentabit.* Hoc experientiæ proprium, & teſte Divo Hieronymo; *Senectus eorum qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt,*

ætate

ætate fit doctior, uſu tritior, & proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit. Multumque juvat non alieno tantùm, ſed ſuo periculo ſapere; ut ad modum illius quem ſemel ex naufragio evadere contigerit, in memoriam rei ſempiternam clavum in experientiæ templo valeamus ſuſpendere. Quàm rarum porrò, quàm eximium eſt illud è malis bona poſſe colligere, è veneno antidotum! nemo id novit niſi qui hâc prærogativâ fulget decoratus, adeò ut non antonomaſticè ſolùm, ſed veriſſimè ſit pronuntiatum:

——— *Aut virtus nomen inane eſt,* *Horat. Ep. 17. ad Scævam.*
Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.

§. 5. Verùm Seneca nos palinodiam canere jubebit, qui tanti præteritum facit (præſens breve, futurum dubium aſſerendo) ut hanc eſſe partem temporis noſtri ſacram ac dedicatam, *Lib. de brevit. vit. cap. 10.* omnes humanos caſus ſupergreſſum, extra regnum fortunæ ſubductam affirmet. Quomodò igitur hujus per oblivionem erit facienda jactura & impœnitenda? *Securæ ſiquidem & quietæ* *Ibidem.* *mentis eſt, in omnes vitæ ſuæ partes diſcurrere.* Cum Seneca facimus, licet ſuperficialiter ab ipſo videamur diſſidere: aliquorum licet non omnium oblivionem ſuademus utinam perſuadeamus! quod & ipſe, nam *ille qui multa ambitiosè concupiit, ſuperbè contempſit, impotenter vicit, inſidiosè decepit, prodigè effudit, neceſſe eſt* *Ibidem.* *memoriam ſuam timeat. Nemo niſi à quo omnia acta ſunt ſub cenſurâ ſuâ, quæ nunquam fallitur, libenter ſe in præteritum retorquet.* Deindè ſapientis eſt quædam neſcire velle, ſic etiam quædam ſaluberrimè ignorantur, quorum ſcilicet ſcientia oppoſita *Julius Scaliger.* nobis eſſet pernicioſa, quædam ſimiliter oblivioni fructuosè mandantur, quorum reminiſcentia in nobis virtutis opus deſtrueret, & vitiorum incentiva accenderet. Illam luctam inter carnem & ſpiritum per ingeſtas glomeratim demundanis phantaſias expertus eſt etiam in vaſtiſſima eremo D. Hieronymus, *Epiſt. ad Euſtochium.* *Quoties*, inquit, *ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illâ vaſtâ ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis.* Et poſt pauca: *Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſuâ jam carne*

præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant. Uti in his, ita & in aliis tanta eſt imaginativæ energia ut nos

——— Inducat in omnem
Fortunarum habitum,

Modò pallorem, modò ruborem, modò formidinem, modò triſtitiam, modò lætitiam, nunc odium, nunc amorem excitando. Antiochus ob profundè nimis animo impreſſam pulchritudinem Stratonices in vehementem amoris febrim incidit. Gallus Vibius mente planè fuit deſtitutus, quia nimis illam intenderat indagando eſſentiam & motus ſtultitiæ. Spectaverat Cyppus Rex Italiæ interdiu magnâ cum voluptate & cordis affectu pugnam Taurorum, exindè vividè ſomniaverat de cornibus in capite natis, cùm poſtridiè ea fronti impreſſa ex vi imaginationis produxit in lucem. Hoc & brutis animantibus commune eſt, canes in ſomnis tremere & latrare videmus, equos hinnire & furere quaſi hyppomane laborantes.

Montaigne dans ſes Eſſais liv. 1. cha. 20.

§. 6. Vehementiùs recogitata quæ oculos maximè affecerunt, objecta mundana ut præſentia memoriæ propoſita hominem afficiunt, verſant, gyrant, præcipitant, abripiunt, ſemperque inquietum reddunt, ita ut nec poſſit conſiſtere, nec ſecum morari, & nuſquam ſit, qui ubique eſt; ipſique eveniat quod in peregrinatione vitam agentibus, ut multa hoſpitia habeat, nullas amicitias. Illa quâdam ſympathiâ ad ſimiles actus animum ſollicitare, & miris artibus irretire ſciunt, quæ ſi pedem ſemel fixerint, ſi altiùs radices egerint, in bellum, confuſionem, & pœnam tranſeunt.

§. 7. Ne tantum incrementum capiant ſummoperè advertendum: *Velis nolis intra fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, ſed non exterminari.* Hoc de animi paſſionibus intellexit mellifluus Doctor, quæ per cogitationes ſuggeſtioneſque acuuntur. His gradibus peccatum animum ſubintrat: præcedit cogitatio aut ſuggeſtio, deſiderium ſubſequitur, ex hoc oritur delectatio, ex qua tanquam matre procedit conſenſus, hinc conſummatio. Principiis igitur obſtandum, & cogitationibus præcludendus aditus, removenda ſunt objecta, quæ concupiſcentiam nutriunt. Uti ambitio in ſolitudine non vexat, ita triſtitiam ſolitudo auget, à noxiis circumcidendus eſt animus:

D. Bernard. ſerm. 38. in cant.

Nam

——— Nam cur,
Quæ lædunt oculos feſtinas demere, ſi quod
Eſt animum, differs, curandi tempus in annum? Horat. l. 1. Ep. 2. ad Lollium.

Bonus medicus ad morbi venam & radicem ſpectat, quam poſtquam amputaverit cætera ad ſanandum faciliùs ducit. Euſebius Emiſſenus dom. 19. poſt Pentec. Sed quomodò commodiùs viam peccatis obſtrues, niſi per artem oblivionis? non fit ſenſatio niſi per converſionem ad phantaſmata: quæ ſi non fiat, fomes deerit & occaſio peccandi. *Quocirca nobis faciendum eſt, ut malorum radicem evellamus: hâc enim manente rami quoque pullulabunt.* S. Nilus lib. de octo vitioſis cogit:

§. 8. Ægri animi, & ſemper pendentis continua jactatio eſt, agitatio non intermiſſa; & tamen quod curandum eſt quieſcere debet. Hinc ſcitè quærit Alexander Aphrodiſæus cur ulcera pulmonis non queant curari, Lib. 2. Prob. 72. cur ſoli inter humani corporis partes pulmoni nemo mederi poſſit? Reſpondet ex mente Hypocratis, *Quia quod curandum iterum eſt, quieſcere debet*: Nam pedis remedium quies eſt: Pulmo autem ob reſpirandi neceſſitatem in motu aſſiduo eſt. Quid cauſæ eſt quod plurimorum animi morbus eſt incurabilis, ita ut neque convaleſcere, neque ad virtutem Pſalm. 11. emergere, in eâque gradum figere valeant? tùm quia, *in circuitu impii ambulant*, ſemper ut in circulo gyrant ſeſe, pergentes de uno peccato in aliud; & tamen quod curandum eſt quieſcere debet: tùm quia ab ipſa radice curandum malum, illi autem hanc ſuccidere nolunt. Thom. à Kempis de imitat. Chr. l. 1. c. 21. *Felix qui abjicere poteſt omne impedimentum diſtractionis, & ad unionem ſe recolligere ſanctæ compunctionis.* Quomodò illud poterit niſi ſecurim ad radicem ponat, niſi cogitationibus ut vitiorum illecebris, & cauſis reſiſtat, ut in cæleſtis Sapientiæ adita queat penetrare, ſicque oblivione (quæ fuga quædam eſt ab objectis) victor exiſtat? benè monet Horatius amicum ſuum:

——— Quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quò te cæleſtis Sapientia duceret, ires. L. 1. Ep. 3. ad Julium Florum.
Hoc opus, hoc ſtudium, parvi properemus & ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere chari.

§. 9. Obtrectantes audio, dedignantes, & detrectantes onus ſubire, quia quod ſcribo laborioſum judicant, arduum,

heroïcum: ſed natura provida mater, ſapiens mediatrix voluit ſociare gloriam difficultati, res glorioſas labore & ſudore obtineri, ne aliàs ob nimis facilem conſecutionem vileſcerent. Adjice, quod ſi cupidè & ultrò nos ad id applicemus, ſi prudenter humeros ſubjiciamus nihil aut parum moleſtiæ ſimus experturi. *Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium, ſed etiam ipſi delectant* D. Auguſtinus. *ut venantium aut piſcantium: intereſt ergo quid ametur; nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur.*

§. 10. Imitandi nobis in hoc non ſunt parùm providi & gnari rectores, qui dum incuriâ ſuâ, negligentiâ, vel conniventiâ omnia peſſum ire permiſerunt, ſimul & ſemel manum medicam admovere ſatagunt, & mala jam deſperatæ curationis effecta funditùs extirpare: ſed Sertorius ſuo exemplo & ſapientiſſimo conſilio mentem noſtram hâc in re informare & confirmare poterit. Is proſcriptione Sullanâ Dux Luſitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non poſſet, ne cum Romanorum univerſa acie confligere vellent, vafro conſilio ad ſuam ſententiam perduxit. Duos enim in conſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſſimum, alterum infirmiſſimum: ac deindè validi caudam ab infirmo ſene paulatim carpi; infirmi à juvene eximiarum virium univerſam convelli juſſit. Obtemperatum imperio eſt. Sed cum adoleſcentis dextera irrito ſe labore fatigat, ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Tum pro concione ſubjecit. *Equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere poſſit: univerſum conatus proſternere, celeriùs tradiderit victoriam quam occupaverit.* Aurea planè ſententia, & quæ ex Apollinis tripode videtur deſcendere! Haud abſimili modo omne feret punctum in curatione ſpirituali, qui non omnibus vitiis copulatim violenter, ſed ſingulis in particulari prudenter conabitur reſiſtere, & principia incidere. Jebuſæus enim qui in finibus noſtris habitat ſic ſubjugari poteſt, ſic infeſta & infauſta cogitationum turba evitari. Nimiùm diu fortaſsè aliquos cohortor quibus propter ingenii & animi præſtantiam admonitione magis quàm exhortatione opus erit.

Valer. Max. lib. 7. cap. 3. Frontin. lib. 3. Strat. cap. 10. Plut. in vita.

SYM-

SYMBOLUM. II



IN Proverbio eſt, Frons hominem ſignat, veluti quidam animi index, & ſecretorum proditor. *Ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, crebra & vehementiùs acta ſuſpiria: ita & iraſcentium eadem ſunt ſigna.* *Sen. lib. 1. cap. 1. de ira.* Sed pace veſtrâ Seneca dixerim, illud non eſt perpetuò verum. Inſcrutabile eſt cor hominis, latebroſum, profundum, pelagus eſt pugnantibus inter ſe affectuum fluctibus, inquietum, ſinuoſum, & occultis plenum ſyrtibus, adeòque benè abyſſis aſſimilatur: quia ſicuti illæ ſunt theſaurorum cuſtodia,

ſtodia, ita omnia hominis bona in corde ipſius ſunt recondita: uti profundæ ſunt abyſſi, ita vaſtum in deſideriis cor: uti obſcuræ ſunt adeò ut illas radii ſolares penetrare nequeant; ſic iſtud tenebris eſt circumſeptum, totum abſconditum & abditum, ut illius ſenſa & decreta non continuò per ſigna externa tanquam characteres, neque per verba veluti fidas imagines manifeſtentur: quia ejus arcana conſilia ſcitiſſimè tegere & diſſimulare novit lingua, dexterrimè pernegant oculi, aliique corporis motus. Solus Deus eſt ſcrutator cordium, *& ſpirituum ponderator eſt Dominus.*

Prover. 16.

§. 1. Ad ſimilitudinem dumtaxat reſpexi, quod ſicuti in rugosâ fronte una ruga ex aliâ videatur manare, ita una ex aliâ cogitatio ortum habet. Sic lapis in lacum conjectus tot circum fluctus continuâ ſerie excitat, ut cum ad extremam uſque ripam pervenerint, infiniti propemodum ſint; unuſque ex alio circulus naſci videatur. Sic in Ephod lineo plicis repleto una ex aliis prodire judicatur. Eodem planè modo animum contagio invadit. Ubi ſemel in peccatum incidit, ex uno illo quaſi ex traduce multa alia proveniunt, confuſo jam excæcatoque judicio, irretitâ voluntate, ſuo pondere unum ad aliud vergit, ut eò numerus creſcat & gravitas, quò longiùs reliqua ab origine diſtant. Hoc Philoſophorum innuit axioma, *uno abſurdo dato cætera accidunt*; & Sapientis confirmatur oraculo, *Qui in uno peccaverit multa bona perdet.* Perdet gratiæ nitorem, ſummum animæ bonum, conſtantiam & robur ejus, ideòque facilè omni vento cogitationum tanquam arundo fragilis & levis in alia peccata poterit impelli. *Peccatum peccavit Jeruſalem, ideò inſtabilis facta eſt.* Davidis caſum recenſe; finis pendet ab origine, & primus reatus fecit contextum ſequentium. Vidit mulierem ſe lavantem, tulit illam de domo viri, ſecutum eſt adulterium, & Uriæ homicidium. Quàm noxius & lethalis fuit primus ille aſpectus tot malorum ſeminarium! Herodes Antipas poſtquàm peccatis inceſtus, adulterii, & raptus ſeſe inquinaverat, impio jurejurando ſe polluit, & homicidio: *Inter epulas atque convivia conſummandæ crudelitatis profertur edictum, & à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumfertur obſequium. Quanta in uno facinore ſunt crimina!* Henricus Octavus Rex Angliæ his gradibus ad ſummum malorum devenit. Repudiatâ legitimâ uxore Catharinâ materterâ Caroli Quinti, Annam Bolenam duxit reluctante nequidquam Romano

Eccl. 9.

Jerem. in Thren. cap. 1. v. 8.

D. Ambro. lib. 3. de Virg.

mano Pontifice & tam nefarium facinus deteſtante. Illi obedientiam denegavit; ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit; hinc omnibus juris tàm divini quàm humani repagulis ſolutis nihil niſi cædes & ſanguinem ſitivit.

Florimondus Remond. lib. 2. cap. 3.

§. 2. Periculoſum omninò eſt bellum cogitationum, quia inteſtinum. In Paradiſo olim licet ſubdolè, attamen apertè quaſi & viſibiliter, ſub ſpecie ſerpentis, virulentus inimicus illecebrâ pomi (*quia viderat mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*) primam matrem ſeduxit. Nos quaſi ſerpentem in ſinu foventes, occultum habemus hoſtem, internum & maximè domeſticum: *Inimici enim hominis domeſtici ejus*; & tales ut conentur hominem per ſe ipſum deſtruere. Per multiplices ſemitas, amfractus, bivia, trivia formatur cogitationum labyrinthus. Occurrit ſimplex de ipſo objecto cogitatio, accedit alia de complacentiâ in objecto, dein moroſa de utroque ſubrepit, tertia circa medii electionem; ſequuntur aliæ de circumſtantiis & occurrentiis; venit in mentem executio, moduſque exequendi: & quod mirum, de omnibus antecedentibus per actum reflexum intellectûs naſcitur cogitatio: ſic una aliam excipit. Continuus eſt inter illas occurſus & recurſus,

Gen. 3. Latus à domeſticis hoſtibus muni, hos ſi ſubmoveas, nihil metuas ab externo. *Q. Curt. lib. 6.* *Matth. 10.*

———— *Velut unda ſupervenit undæ.*

§. 3. Quis nos expediet Dædalus? Quod filum Ariadnes? cogitationes ſiquidem morâ intercedente non ſolùm multiplicantur, ſed & ſtupendum ſenſim ſine ſenſu incrementum ſumunt, ſimiles famæ, quæ brevi temporis ſpatio è pumilione fit gigas:

Fama malum quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.

Virg. lib. 4. Æneid.

Quis evadendi modus? non eouſque illam telam Penelopes texere debemus. Primis reſiſtamus per artem oblivionis etiam tenuiſſimis cogitationibus, quia *qui ſpernit modica paulatim decidit*: neque intereſt, dum navis ſubmergitur, utrum occurſantibus fluctibus obruatur, an aquæ paulatim in ſentinam irrumpentes illam deprimant. Parva etenim ſcintilla contempta magnum ſæpè excitat incendium.

Eccli. 19. Τὸ βραχὺ, ἐάσαντι παρορώμενον μέγα ἀποτελεῖ οἴδημα. Exiguū malum neglectum ingens parit periculū. *Nic. Greg. lib. 8. Hiſt. Rom.*

SYMBOLUM. III.



Jul. Caſ. Scal. 3. Ep.

Plut. circa præcepta Matrimonii.

IMmodicus ſomnus præſertim animæ, cujus pondere & gravedine optima & nobiliſſima portio illius ſerenus mentis intuitus obruitur, *eſt adulator, atræ aſſecla mortis, oſor iners negotiorum, fur temporis*, vitiorum incentivum, occaſio ut in hominis agro lolium ac filix multiplicetur, habitus vitioſi pullulent, plurimorum malorum & damnorum incrementum latens: eòque magis cavendum, quòd *febres quæ naſcuntur ex cauſis occultis ſenſim ſine ſenſu coacervatæ periculoſiores ſint, quàm illæ quæ proveniunt ex cauſis apparentibus & manifeſtis.*

ſtis. Denique ſomnus hujuſmodi verus eſt fur noſtræ ſalutis. Non alius certè apparet Clementi Alexandrino quàm publicanus & dirus exactor. *Somnus*, inquiens, *non ſecùs ac publicanus dimidium vitæ tempus nobiſcum dividit*. *2. Pædag. c. 9.*

§. 1. Hunc ſomnum animæ infundit nimia & iners cogitationum turba; non aliter quàm torpedo piſcis ſtuporem immittit in manum piſcantis: innumera exindè mala, ut præſens emblema deſignat per aquam ſtagnantem: quæ idcircò muſcum, lentem paluſtrem, limum aliaſque ſordes congregat, & horrida ſcatet ranarum ingluvie, fœtida, inſalubris: qualis nequaquam eſſet fluida; ſed limpidiſſimum æquor, ac puriſſimum ſpeculum oculis objiceret.

§. 2. Propter varios effectus, multiplex & varius eſt hic ſomnus. Eſt, qui animum facit voluptati ſuæ nimium connivere, cum vitiis gratiam inire, illis theatraliter applaudere, motum & veſtigia cupiditatum ſequi ad modum bovis qui ducitur ad victimam. Monet tamen Seneca quòd *nihil magis nobis præſtandum ſit, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur*. Eſt igitur, qui famam dormiens captat, eſt, qui honores aucupatur, qui aurum, qui libidinem, & amoris damnoſam veſaniam. *Lib. de vitâ beatâ cap. 10.*

——— Velut ægri ſomnia, vanæ
Finguntur ſpecies.

Quas Chimæras non fabricat ambitioſus, quæ non monſtra fantaſtica ſtatûs & honoris, quas moles, quos Coloſſos propriæ excellentiæ; ad quas ſtatuas & pyramides tali ſtimulatore non aſpirat? Omnes illæ imagines tam confusè, ſine ordine, ſine contextu formantur, ut nihil exurgat in mente niſi putiſſimum chaos: aliis, quos avaritia torquet, magnum videtur eſſe in otio negotium, videntur continuò quæſtum facere, ratiocinium ponere, pecuniam numerare, aurum ciſtis modò includere, modò extrahere; ſicut in ſomnis, tam intentâ operatione nihil operantur. Amatoribus verò familiariores ſunt & frequentiores illuſiones.

Fallimur, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? *Virg. in Eccl.*

Illis continuò obverſatur ſcena univerſa, & pegmata amantium: hinc Pythagoricæ illæ animæ oppidò tranſeunt in Narciſſos,

Adonides, Phaëtontes; nec deſunt in hoc theatro Metamorphoſeos Theagenes, Caricleæ, Clitiphontes, Leucippæ, in mente recentiorum frequens eſt Celadon, Aſtrea, Silvia, Phyllis, Lygdamon, Sylvander, Phylander, Cyrus, Mandane, Clelia, & reliqua commenta, & mera deliramenta.

§. 3. Hormutius narrat Perſas in utribus ſomnum capere. Utres, quia inani vento intumeſcunt, ſuperbiæ ſymbolum eſſe nemo ignorat: quia eodem inflantur ambitioſi, non mirum ſi cuipiam in utribus dormire videantur, in iiſque ſomnia expetitæ celſitudinis fingere, ambientium ſalutationes, nomenclaturas, oſcula, geſtus, perſonas, & totam denique comœdiam. Explicatis retibus Scytæ ſeſe inſternunt, in iiſque altum obdormiſcunt: his ſimiles erunt, quos ſacra auri fames divitiis tanquam caſſibus tenet irretitos, & veluti aureo ſomno ſepultos. Non eſt hoc novum, non inauditum, cùm ſuâ Danaë (licet in ahænea turri incluſâ) Jupiter valeat potiri converſus in aureum rorem; auro ſiquidem omnia pervia. Sunt delicatuli qui in molli anſere integros dies ſtertunt, ii nimirùm quos fœda & impotens libido enervavit, blanditiis ſuis eviravit, qui mortifero hoc ſomno adeò cernuntur involuti ut vix ſerò evigilare poſſint, atque ad ſanam mentem redire: *Inſatiabilis eſt enim delectabilis appetitus.* Angelicus quoque Doctor dicit diabolum maximè gaudere de peccato luxuriæ, quia eſt maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo poteſt eripi. Tam incurii ſalutis ſuæ tales videntur, ut adinſtar pueri ad luculentum focum obdormiſcentis, flammâ veſtes comburente, antè ab hoc voraci igne conſumptos ſe videant, quàm id propter illam vitioſiſſimam ſomnolentiam advertant.

Ariſt. in 3. Eth.

In 1a. 2æ. quæſt. 73. art. 5. ad 2.

§. 4. Quando vaferrimus ille acheronticus Tenebrio videt hominem hoc cogitationum ſomno delectari, illam certiſſimè arripit anſam ut in damnationem impellat: *Ipſe enim non curat, utrum veris an falſis illudat & decipiat, utrum præſentium amore, aut futurorum formidine proſternat.* Generoſus Nazaræus robore virium omnibus ſuperior Sampſon, obdormiſcens in ſinu Dalilæ, cum crinibus omni fortitudine ſpoliatur. Siſara inclytus Dux magni exercitus, à Jahele potu lactis ſopitus, clavo trabali terræ affixus manu fœmineâ ſternitur. Ita dejecit ſomnus & interemit, quem nec arma nec hoſtes vicerant. Quàm benè par Dalilam caro, per Jahelem mundus adumbratur! illa primùm crines (hoc eſt bonas cogitationes ſanaque deſideria, introducendo pravas & planè contrarias) præſcindit; ac privat infelicem dromonem

Tho. à Kemp. de Imit. Chri. lib. 3. cap. 30.

Judic. cap. 16.

nem omnibus animæ bonis: Jahel, mundus ſcilicet, illi potum lactis, lęthale aliquod mulſum offert, quo hauſto profundè in ſomnum reſolvitur; mens terræ quanta quanta eſt ita affigitur, ut nec ad cœlum aſpicere valeat, nec ad beatam æternitatem aſpirare; ſed veluti clavo transfixa in terram, expirat in æternitatis ſuæ miſerrimam domum migrans.

§. 5. Periculoſus denique ac perniciosus ſomnus, judice & interprete D. Patre Auguſtino, eſt incuria quædam Præſulum & Paſtorum Eccleſiæ in cuſtodiendo commiſſo ſibi grege: hic veluti draco magnus & rufus (quem vidit beatus Joannes in ſua Apocalypſi, caudâ ſuâ trahentem tertiam partem ſtellarum cœli) immanem ſpiritualium bonorum trahit ruinam, in eoque cenſetur altiſſima divinæ Providentiæ ratio ſubditorum ſcelera punire, quod patiatur Epiſcopos, Paſtores, Principes, aliosque orbis Athlantes muneri ſuo & curis indormiſcere, otio torpere, obiter tantùm & perfunctoriè officii ſui obligationes attendere, levibusque paſſibus momenta ſuorum debitorum pertranſire; vel potiùs aliud omninò agere quàm id quod ab ipſis injuncti muneris ratio exigit. Indè Propheta Jeremias orbi fatalem ſtragem & calamitatem provenire affirmat: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Non ſine profundo myſterio Propheta terræ appellatione donat hominem, qui debitum Domino non reddit fructum. Præcipua cauſa quòd terra non ſatis fructificat, neque correſpondet expectationi ſeminantis, eſt, quòd neque aratro, quantùm par, ſubjicitur; neque vomere ſatis proſcinditur, ut grana in culmos exurgere atque in ſpicas explicare ſe poſſint. *Terra enim altè effoſſa generandis alendiſque ſeminibus fæcundior eſt: quæ verò leniter tantùm, & ſecundùm ſuperficiem dumtaxat tenuiter raditur veriùs quàm ſulcatur, ea ſeminis jacturam patitur, dominumque labore ſuo & ſpe defraudat.* Ad hunc modum vitio hominum fit quòd terra vaſtetur, quia nullus eſt qui recogitet corde, qui aratro meditationis terram pectoris penetret, qui ad ſtatum, cui eſt peculiariter deputatus, animum advertat; qui momenta obligationis ſuæ expendat; qui onus culminis ſui ponderet. Quid enim non perficeret Paſtor ſi iſto ſcrutinio uteretur? Vaſtata eſt, incenſa, diruta à Chaldæis Ninive civitas magna, tam populo quàm vitiis frequens, non aliam ob cauſam, dicit Propheta Nahum, quàm propter incuriam & negligentiam Paſtorum. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, dormitaverunt Paſtores, ſepelientur Principes tui.*

Apoc. cap. 11.

Cap. 12. v. 11.

Quintil. lib. 10. cap. 3.

Cap. 3. verſ. 17.

Comparatio iſta cuſtodum cum locuſtis ex ipſiſſimâ locuſtarum naturâ eſt deſumpta: Quàm congruè Deus bone! quàm exactè! Locuſtæ nocturno frigore redduntur trepidæ, ſegnes, dormitabundæ, ita illi cuſtodes deſidiâ ceu pigro frigore torpentes, & ſomno ſepulti fideles vineæ cuſtodes, prout debuerant, eſſe deſierunt.

§. 6. Somnus hic talibus immiſſus altiſſimus eſt, de quo *Iſa. cap. 29. v. 9.* Iſaias tantoperè miratur & conqueritur exclamans, *Obſtupeſcite, admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino, movemini & non ab ebrietate.* Quas extaſes, quos enthuſiaſmos requirit! ſubnectit cauſam, *quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* Per illum ſoporem quaſi veternum ſignificari vult Cornelius à Lapide in præfatum locum, qui homini oculorum & aurium uſum, omnemque ſenſum adimit. Qualis fuit ille im- *Gen. 2. cap. 1. v. 5.* miſſus Adæ, ita ut non ſenſerit ſibi coſtam detrahi ex quâ for- *Gen. 15. v. 12.* mata eſt Eva; ſopor etiam immiſſus Jonæ, & Abrahæ. Veternus pigros homines facit ad negotia inutiles, quemadmodum ſenectus, ideòque interdùm pro pigritiâ ponitur:

Virg. 1. Georg. *Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.*

Non aliâ ratione homo cogitationibus præteritorum immerſus & veluti immortuus ad quodlibet opus bonum perficiendum redditur non ſolùm ineptus, ſed & impotens. Obſtupeſcit mens, ſilveſcit ingenium, rigeſcit virtus executrix, & totus videtur in ſaxum verſus quaſi ex aſpectu capitis Meduſæ; quæ mythologia huic materiæ eſt appoſita. Veſtem ciſtâ incluſam corrodit tinea, gladius ſuſpenſus rubiginem contrahit, quam etiam ingenium in ſimili otio, & Spartam quam nactum eſt prorſus deſerit. Ubi in gremio *Dalilæ* ſtertit Sampſon, pax & quies eſt Phyliſtæis. Ceſſatur ab oppugnatione Bethuliæ, quando Judithæ blanditur Holophernès. Dum Thamaræ Amnon ſtruit inſidias, quaſi oſtium in cardine, ſic vertitur in lectulo. Caſtris excedit Tarquinius ut cupitis Lucretiæ fruatur amplexibus. Deſerit tribunal Antonius, Cleopatram ſalutandi ergo. Graphicè univerſa Virgilius in Didone expreſſit: ut incuria ſit, ut ſui oblita, ut immemor cœpti ædificii, ſtatûs & honoris:

Lib. 4. Ænei.
Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portusque aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes.

Inutilibus ſolummodò mens fatigatur votis ac deſideriis, undè benè Sapiens: *Deſideria occîdunt pigrum.* *Prov. 21.*

§. 7. Quem Latini veternum appellant, eſt apud Hæbræos *Tardemah*: idem ac altiſſimus ſopor. Hunc Hiſpani vocant, *La modorra.* De urſis illo ſomno correptis narrat Plinius, *Primis diebus bis ſeptenis tam gravi ſomno urſi premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant, tunc mirum in modum veterno pingueſcunt.* *Lib. 8. cap. 36.* Alio nomine lethargus dicitur, licet Plinius in Raphani medicinis veternum à lethargo diſtinguere videatur, & juxta Celſum, *Eſt ſopor & inexpugnabilis penè ſomni neceſſitas cum alienatione mentis.* *Lib. 3. cap. 20.* Concordat nominis ætymon, dictus eſt enim lethargus ex ſententiâ quorumdam ἀπὸ τῆς λήθης, hoc eſt ab oblivione: nam in eo morbo oblivio contingit omnium rerum: ſicuti in noſtro ſpirituali obrepit ſalubrium cogitationum & operationum, per quandam velut antiperiſtaſin vel circumſtantiam contrariarum quibus animus nimiùm inhæret.

§. 8. Optandum igitur foret ut eſſet ad bonas atque fructiferas ſuſcipiendas & retinendas cogitationes velut ſtagnum; pro perverſis velut flumen; benè & laudabiliter ſalutis propriæ negotium gereret. Hanc doctrinam hautio ex Seneca, ſic ait: *Lapillus in piſcinam aut lacum miſſus circulos facit innumerabiles, & hoc idem non facit in flumine;* *Lib. 1. Quæſt. Natur. cap. 2.* rationem ſubdit, *quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat.* Si animus flumini ſimilis eſſet, ſimilis aquæ præterfluenti, nihil ſordium ipſi adhæreſceret, non muſcus, non lenticula paluſtris, neque fœtidæ ranæ malarum cogitationum in eo coaxarent, nullæ rerum ſæcularium imagines illi imprimerentur, *quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat.* Contrà verò, ſi pro bonis inſpirationibus ſolummodò piſcina eſſet vel ſtagnum illas ferventer meditando, intra ſe cohibendo; unus ſolus lapillus ſufficeret, unum verbum dumtaxat avidè auditum & ruminatum innumeris circulis, infinitis orbiculis, cogitationibus nimirùm ſanctis & deſideriis in ipſo efformandis. Tantum utilitatis parit noxiorum oblivio, & attenta ſalubrium meditatio.

SYM-

SYMBOLUM IV.



Symbolum præſens quoad moralizationem multum affine eſt præcedenti; ut triticum repletur zizaniis, ita cor perverſis cogitationibus. Eligitur tempus nocturnum tanquam maximè opportunum ad illa ſeminandum. In ſomno quippè animæ, in vitioſo torpore, peccandi phantaſmata frequentiùs obrepunt; ſeruntur in medio tritici. Sic & ſæculi imagines, diabolicæ fraudes eos qui ad perfectionem anhelant potiſſimùm infeſtant: quos enim quieto jure dæmon poſſidet, illos minùs perturbat. Non modica tamen hîc ſuboritur difficultas, quo

pacto

pacto dicantur zizania ſeri : cùm malam herbam (ut ita dicam) ſponte provenire, & ſine culturâ aut labore creſcere, tritum imò triviale proverbium ſit ? certè filix quæ eſt herba ſine caule, ſine ſemine, ſine flore latiſſimè ſeſe per agros diffundit, agricolis imprimis inviſa, quod ęgerrimè extirpetur.

Non tamen iſta filix ullo manſueſcit aratro. Perſius ſatyr. 4.

Zizania, dixêre Gręci, quæ Latini, Lolium, morbus eſt & vitium frugum, ſegetis contagium ac lues, quâ etiam agricolæ inficiuntur; lolium enim oculis nocet, ipſorumque aciem hebetare ſolet propter vapores acres & graveolentes quos in cerebrum attollit : ideò lolio victitare dicuntur qui viſu ſunt imbecillo : Plin. lib. 18. cap. 17.

Et careant loliis oculos vitiantibus agri. Ovid. 1. Faſt.

Ab effectibus illis pernicioſis infelix vocatur à Virgilio :

Infelix lolium, & tenues dominantur avenæ. 1. Georg.

Propter luxuriantem abundantiam zizania ſponte ſuâ naſci videntur & ſeri : eò quòd undequaque intra bonum ſemen proveniant. Denique aliquid dicitur quiſpiam ſerere ſive ſit bonum ſive malum, quando cauſa illius eſt, quemadmodum diabolus zizaniorum; hinc rectè ab ipſo ſeminari dicuntur.

§. 1. Ut illa ſpargat opportunum tempus arripit ſtygius veterator, adultâ nimirùm nocte. Clanculùm irruit & quaſi furtivo pede, dum fraudes illius tegunt celantque nocturnæ tenebræ, dum profundus ſopor mortales incautos reddit. Eodem planè modo fures ne detegantur Lavernam tutelarem ſuam ſummis infimiſque precibus ſollicitant.

———— Pulchra Laverna !
Da mihi fallere, da juſtum, ſanctumque videri,
Noctem peccatis & fraudibus objice nubem. Horat.

Mirum ſanè hoc videbitur cum tempus ſerendi magis congruum ſit puro claroque ſole, ſerenâ aurâ : ſed quia zizania ſerenda ſunt, nox ad hoc non parum conducere videtur, & tenebricoſo ſuo velo ſerenti favere; *Malum ſiquidem ſemen in caligine ſeminatur,* Tertul. de anima. cap. 17.

bonum amat lucem. Hic operarius ſubdolus, operarius iniquitatis furtivè ſpargit ſemen ſuum, qui malè agit odit lucem; ideòque juſti & probi ab Apoſtolo filii lucis appellantur, opera eorum fructus lucis: mali verò filii tenebrarum, & opera eorum, opera tenebrarum: hi ad operandum noctem diligunt obtendentes paſſim varios prętextus & excuſationes in peccatis. Non auditur clangor buccinæ, neque ſonus tympani, aut pulſus campanæ, dum proditiones machinantur, conventicula cogunt, ſed aut exploſione ſclopeti, aut ſparſis ſcedulis, aut jactis in biviis aut triviis aleis, corvi illi & aves ex rapto vivere ſolitæ facillimè congregantur. In concilio juſtorum convocando, in indictione juſti belli, litui undique perſtrepunt, pulſantur campanæ. Bonum in propatulo fit in conſpectu ſolis: malum clanculùm & in tenebris. Improbi vix audent aperto marte adverſarium aggredi, *Inſidiator enim in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes: fortis conflictum petit, provocat palam ſpectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. Maximæ infirmitatis indicium eſt dormientibus irruiſſe.* *S. Chryſol. ſerm. 97.*

§. 2. His tegnis, his fraudibus nihil aliud molitur, niſi ut omne illud ſemen ſuffocetur & pereat, quod benigna Dei manus hominum animis veluti ſubacto ſolo immiſit ad colligendam uberrimam meſſem, fructum centeſimum. Hinc zizania ſeminavit in medio tritici, non avenæ aut hordei, quia illa ſunt abjectum terræ ſemen, pabulum vulgare, ignobile, & vile, per quæ peccatores deſignantur, & homines qui nihil altum ſapiunt, nihil divinum,

Abjectæ in terris animæ, & cæleſtium inanes,

Qui ſeſe inſtar jumentorum ad prǽſepe & pabulum abjiciunt, illis minùs invidet, minùs inſidiatur. At in medio tritici quod eſt ſemen & germen electum, nobile, pretioſum, in medio juſtorum, omni niſu zizania ſpargit, cogitationes peſſimas, illecebras, lenocinia peccatorum, diſcordias, rixas.

§. 3. Octo dumtaxat animas tanquam germen nobile, ex quo poſteritas quanta futura erat propagaretur, eduxit ex arcâ ſecundus orbis parens & humani generis reparator Noëmus; ſed inter illas fuit unus Cham tanquam zizania in medio tritici, maledictus videlicet & ſervus ſervorum fratribus ſuis. Magno illi Patriarchæ Abraham filius fuit Iſmaël, qui unà cum matre ſua Agar ejici *Gen. cap. 9.* *Gen. 21.*

ejici domo & veluti extirpari debuit ut zizania è medio tritici. Iſaac magni parentis ęmulus, bonorum juxtà ac virtutum hęres geminos procreavit, Jacob & Eſau; ille pro tritico habitus, hic pro zizaniis: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui; enuntiavit prima veritas. Numeroſa fuit Jacob progenies digna parente, digna avo, quæ utroſque non oculis tantùm & ore, ſed animo, indole, moribus ad vivum exprimeret: & inter duodecim natus *Gen. 45.* eſt ei filius, qui aſcendit cubile patris & maculavit ſtratum ejus. Davidi viro ſecundum cor Dei plurimi fuerant liberi; ſed & inter illos Amnon qui ſorori Thamar vim intulit; & Abſalon qui fœdâ & inauditâ rebellione in patrem arma vertit. Denique Dominus Dominantium, ſapientia Patris, dulcis & amabilis Redemptor noſter Chriſtus Jeſus inter duodecim, quos omni ſollicitudine ac dilectione tanquam ſolers agricola excoluit diſcipulos, ut germen virtutis producerent & fructus honeſtatis; perfido & impio non caruit proditore Judâ.

§. 4. Multò antè callida hęc ſtratagemata & invidiæ ſtimulos in dęmone agnovit D. Chryſologus: *Hoſtis*, inquit, *plus ducem, quàm militem petit, nec obſidet mortuos, ſed impugnat viventes. Sic* *Serm. 96.* *diabolus non peccatores quærit capere, quos poſſidet ſubjugatos, ſed ut juſtos capiat, ſic laborat; hinc in medio tritici ſuperſeminat zizania.* Procurat gnaviter ut in honeſtâ & pacificâ familiâ reperiatur unus inſigniter nequam, helluo, aleator, prodigus, qui malo ſuo exemplo, & morum contagione cęteros inficiat: ut ſuſurro quiſpiam, pacis & concordiæ exoſor, peſſimum ſemen diſcordiæ, contradictionis, oblocutionis, diffamationis, odii & invidiæ ſpargat in agro, qui lectiſſimum & puriſſimum triticum profert, id eſt in laudabili quavis communitate ſervorum Dei. O damnoſum ſemen! herba peſſima! ô filix! ô lolium in medio tritici tam copiosè exurgens, ut non modò difficillimè valeat extirpari; ſed & optimum triticum tentet penitùs ſuffocare! *Inter ſanctos peccatum, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſuevit*, (de diabolo loquitur S. Chryſologus) *non ut acquirat zizania, ſed ut triticum perdat, nec ut reos capiat, ſed* *Serm. 96.* *ut adimat innocentes, illudque potiſſimùm malignis ſuis ſuggeſtionibus perficit.* Qui illis aurem prębere detrectat, qui pręteritorum recordatione non delinitur, minimo negotio effugiet laqueos inimici: ſed qui illis januas auditûs recludit, qui ſyrenum hujuſmodi cantu gaudet, qui deſidiosè rememoratur pręterita, brevi videbit agrum animæ ſuæ lolio repletum. Tantum periculum eſt in

hâc morâ & incuriâ, omnia peſſum ibunt, ſuſdeque vertentur: quemadmodum ſub principe qui in omnibus connivet: *Malum ſiquidem eſt principem habere ſub quo nihil ulli liceat, pejus verò eum ſub quo omnia omnibus.* Salubre conſilium dat Poëta Horatius ita ſcribens:

Dio.in Nerva.

——— Te ipſum
Concute, num tibi quid vitiorum inſeverit olim,
Natura, aut etiam conſuetudo mala. Namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Lib. 1. ſerm. Satyr. 3.

§. 5. De cogitationibus pravis tanquam ſeminibus vitia pullulant, quæ ſub initium parva videntur & pauca, ſed proceſſu temporis niſi illis tempeſtivè ac ſeriò occurratur, tam immaniter excreſcunt & multiplicantur, ut laborem omnem excolentis & „ induſtriam ſuperent. Sic ſerpentes parvulæ fallunt, nec publicè „ conſequuntur: ubi aliqua ſolitam menſuram tranſit,& in mon„ ſtrum excrevit, ubi fontes potu infecit, & ſi afflavit, deürit, „ obteritque, quâcumque inceſſit balliſtis petitur. Igitur

Sen. lib. 1. de clemen. cap. 25.

——— Vitanda eſt improba ſyren
Deſidia.

Horat. lib. 2. ſerm. ſatyr. 3.

Vitandus eſt ille torpor animi & vitioſa objectorum preteritorum reminiſcentia; vel ob hoc precipuè quod zizania ubi ſemel excreverint, abſque labore ſoleant diuturniora eſſe quàm aliæ plantæ, quæ in hortis poſitæ ſtercorantur, rigantur, magnâque hortulani induſtriâ, & omni ſtudio coluntur, quod mirum pleriſque videbitur. Id tamen Theophraſtus affirmat his verbis: *Culta celeriùs quàm inculta ſeneſcunt, & ad ſummùm urbana quàm ſylveſtria.* Mox ſubjungit, *Quamquam abſurdum fortaſsè appareat ſi quæ magis coluntur, celeriùs occidunt.* Quia fraudibus inimici & machinationibus non opportunè reſiſtunt, quia zizania creſcere ſinunt quæ ex pravis cogitationibus provenêre; plerumque accidit ut majora ſcandala præbeant, qui cæteros ut dignitate ſtatus, ita ſanctitate vitæ præcellere, & excitare ad probitatem deberent.

Lib. 4. de cauſis plant. cap. 1.

SYMBOLUM V.



EXperientia negat unam aliquam regionem frugum omnium æqualiter eſſe feracem, ſed

Hîc ſegetes, illîc veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores, Virg. 1. Georg.
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum.

Hæc tellus vino abundabit, illa frumento, & Africa ſemper aliquid monſtri pariet, dum nihil portentoſum alia regio continebit.

Triticum Sicilia ſuppeditat, vinum Creta, purpuram Lydus, ſericum Calabria, aurum, argentumque Hiſpania, & Indiæ Occidentales, Orientales adamantes, uniones & varia aromata. Eadem reperitur in hominum ingeniis & moribus diſparitas ac criſis. *Non omnia eidem Dii dedere; vincere ſcis Hannibal, victoriâ uti neſcis*: neque omnibus omnia conveniunt; quidam omnes numeros abſolvunt in ſuſtinendâ perſonâ privatâ: in ſuſtinendâ publicâ, oleum & operam perdunt. In corporibus exiſtunt magnæ diſſimilitudines. Alios enim videmus ad curſum velocitate, viribus alios ad luctam valere. Itemque in formis aliis ineſſe dignitatem, aliis venuſtatem. Longè tamen majores in animis reperire eſt varietates. Hominem, ait Ariſtoteles, ad intelligendum & agendum eſſe natum quaſi mortalem Deum; hujusque varias ſicuti in corpore eſſe partes, ita & in vitâ differentias, quarum reſpectu unus idemque homo ſit prudens ac verus, tum heroïcus ac liber: ſed qui in omnibus excellat,

Tit. Liv. lib. 10.

ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει. Linguæ dote Deus pẽſat diſpendia formæ: Odyſſea 8.

Rara avis in terris nigroque ſimillima cygno.

οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ᾽ ὁ πλοῦς. Non eſt cujuſlibet corinthum appellere.

Non promiſcuè, ſi in mundo nunc degeret Horatius, inveniret Ariſtippum de quo caneret:

Ep. 16. ad Quintium.

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

Huic pręclarè aſtipulatur Divus Paulus his verbis: *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent.* Membra igitur ſunt diverſa, diverſæ actiones eorum, dona etiam diverſa. Conſultiſſimum eâ de causâ foret ut contra naturam univerſam nihil contendamus, ſed ſtudia naturæ noſtræ regulâ metiamur, neque attinet quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas; adeò nihil decet invitâ, ut aiunt, Minervâ, id eſt repugnante & adverſante naturâ: quippè ſine genio nec boni Juriſconſulti, nec Medici, nec Hiſtoriographi, nec Mathematici, nec Theologi eſſe videntur.

Rom. 12.

§. 1. Nonnihil per iſtas ambages diverti à ſcopo: conſtitueram ſiquidem oſtendere ex qua radice, quo fonte proveniat, non ſub eodem ſolùm climate, ſed & ſub eodem tecto alios ab aliis mirum diſtare. Differui quo pacto zizania in medio tritici exurgant, illudque conentur opprimere. Modò aperiendum eſt quâ ratione quidam in medio perverſorum ſarti & tecti, quin & inte-

intemerati perſeverent. Argumentum huic Symbolo dederunt inſulæ Pituiſæ, quæ valdè ſibi invicem contiguæ jacent in mari mediterraneo: quarum una Ophyuſa ceu Colubraria ob ſerpentum multitudinem indigetatur; altera Yvica, mirâ gaudens ubertate ſoli, quæ nullum animal venenatum tolerat, ne quidem noxium, pręter cuniculos qui nonnunquam ſpicas corrodunt. Tantæ diverſitatis in hominibus cauſam ex aureo illo flumine eloquentiæ petimus D. Joanne Chryſoſtomo, qui diſertis verbis & vehementi argumentorum acumine probat neminem lędi niſi à ſemetipſo: *Omne quod eſt in rebus*, inquit, *habet aliquid quo corrumpi poſſit ac lædi: verbi gratiâ, ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpunt; ærugo ſegetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta ac diverſa plantaria locuſtæ ac bruchi exercitus vaſtat.* Illis omnibus pernicies ac lues ab extrinſeco infertur. Solus homo ut lędatur ſecundum proprium bonum, veram nimirùm animi virtutem (quæ eſt, juxta eundem, rectè ſentire de Deo, & rectè inter homines agere) ſibi gravis, ſibi infeſtus fieri debet, in ſe bellum movere inteſtinum. Poſſunt alii illum lędere, ſed niſi ipſe aliquam vim conferat, lædi nequit: *Infeſtiſſimus Sathan omne corpus patientiſſimi Job afflixit tormentis multò gravioribus quàm ſi carnifices adhibuiſſet, non enim ita tortores ungulis latera ſulcarent ut ea vermibus fodit, non ut eum faceret ægrum in quo nihil lædebatur, ſed ut per ægritudinis cruciatum, ſi fortè conſtantia ejus fatigari potuiſſet, animi virtute nudaretur.* Neque Adamum diabolus, ſed ignavia ſua lęſit, dum erga obſervantiam mandati non vigilavit. Beatus Job tot fraudibus, tot machinis petitus nequaquam valuit ſuperari, turpiter & muliebriter decipienti ceſſit Adam non aliter quàm quòd ſemetipſum per ignaviam ſuam ſponte perdidit. Ægritudo, ulcera, & egeſtas ultima Lazaro non nocuêre, ſed mundi coronas in æternùm paraverunt. Joſeph læſerunt fratres, ſed ipſe læſus non eſt. Fratricidio manus ſuas commaculavit Cain, ſed Abel læſus non eſt: mors iſta tam amara, tam acerba immortalitatem ipſi peperit, & Caino, quo nihil infelicius, perpetuam fratricidii notam inuſſit. *Quid Herodiade miſerius? quæ caput Joannis exhiberi ſibi deſideravit in diſco, ut ſuum caput æternis gehennæ ignibus flammiſque demergeret? Quid etiam ipſo diabolo deterius? qui nequitiâ ſuâ ita clarum reddidit Job, ut quantò huic gloria, tantò illi creſceret pœna?* Reſtat igitur cùm neque damna facultatum, neque calumniæ, neque opprobria, neque exilia, neque ægri-

Tom. 2. Hom. 29.

Ibidem.

Ibidem.

ægritudines & cruciatus, neque ipſa mors quæ videtur omnium horum eſſe gravior lædat homines; & omne bonum ejus in animi virtute conſiſtat, ſi in hoc lædatur, illum non ab alio lædi ſed à ſemetipſo.

§. 2. Ex hac nota ſapientem ſuum exhibet Seneca, dum illum affici aut injuriâ aut contumeliâ ullâ poſſe negat; quòd ne quidem nomen illorum recipi poſſit virtute ſalvâ. Ex hâc maſculâ Stoïcorum doctrinâ nefas putat ſimilia in ſapientem, quâ talem, cadere. In ſcenam Catonem producit certius exemplar ſapientis viri à Diis acceptum quàm aut Ulyſſem aut Herculem: *Qui ſtetit ſolus*, inquit, *& cadentem Rempublicam, quantum modò unâ retrahi manu poterat, reſtituit, donec abreptus, vel abſtractus, comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimulque extinctæ ſunt, quæ nefas erat dividi. Neque enim Cato poſt libertatem vixit, nec libertas poſt Catonem.* Huic nullo pacto injuriam fieri potuiſſe autumat à populo quòd aut purpuram illi detraxit, aut togam, quòd ſacrum illud, uti dicit, caput purgamentis oris aſperſit. Rectè ſanè cum Divo Chryſoſtomo nemo læditur, niſi à ſemetipſo. Non refert quàm multa in hujuſmodi conjiciantur tela, ſi nulli ſit penetrabilis: adamas eſt qui nec ſecari, aut cædi, vel deteri poteſt, ſed incurrentia ultrò retundit. Et rectiſſimè omnium calculo ſentiret, ſi à ſapiente Stoïco quamdam veluti Apathiam tolleret; ſi virtutem Catonis hyperbolicè non extolleret quòd ſibi violentam mortem conſciverit. In quo manifeſtus eſt contra veritatis tramitem, doctrinamque Chriſtianorum exceſſus & error. Non minùs ſolidum facit Horatius ſapientis animum ita ſcribens:

Lib. de Conſt. Sap. cap. 2.

Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patíque
Indignum coges? adimam bona, nempè pecus, rem,
Lectos, argentum; tollas licet: in manicis, &
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo,
Ipſe Deus ſimul atque volam me ſolvet opinor.
Hoc ſentit, moriar: mors ultima linea rerum eſt.

Ep. 16. ad Quintium.

Viri qui ſibi optimè conſtat, & ſe in ſe recolligit graphica deſcriptio: ex qua confirmatur quod ille qui ſe ipſum non læſerit, ab alio non poſſit lædi: rurſus qui ſe ipſum corrigere ac emendare noluerit, & quod in ipſo eſt, atque in poteſtate ejus explere; nullus ei extrinſecus proderit.

§. 3.

§. 3. Videamus modò quâ ratione quis à ſeipſo lædatur. Ab intrinſeco hoc fieri neceſſe eſt: voluntas ſiquidem, quæ eſt potentia appetitiva ſpiritualis, regina & domina cæterarum, omnes alias animæ vires movet ad exercitium actus per naturalem connexionem & ſubordinationem; quatenus à Deo authore ita ſunt inſtitutæ, ut una alteri obediat. Volente enim voluntate intellectus attendit, memoria recordatur, ſenſus excitatur, & vis motiva accingit ſe ad executionem operis. Illas autem potentias dicitur movere per modum agentis, *Sicut alterans movet alteratum, & impellens movet impulſum.* Rationem ſubnectit ibidem Angelicus Doctor, idque locum habere dicit tàm in naturalibus quàm in politicis. Ulteriùs ad inchoandum aliquem actum voluntatis requiritur neceſſariò prævia intellectûs cognitio & conſideratio: hinc ex communi Philoſophorum & omnium penè ſenſu fluxerunt hæc trita axiomata: *Ignoti nulla cupido. Nihil eſt volitum niſi cognitum.* Sicut enim appetitus naturæ ſequitur ex forma naturali; ita appetitus animæ elicitus ſequitur ex forma apprehenſiva: & ſicuti prior appetitus non ſequitur niſi ex forma naturali actu exiſtente; ita neque appetitio animæ niſi ex forma actu apprehenſa objectúmque referente. Quod dupliciter fieri poterit, aut per cognitionem directam, aut per reflexam; quando ſcilicet intellectus reflectit ſe ad ſuum actum. Porrò non minùs ex reminiſcentia (quæ interna facultas materialis eſt, reſidens in ſuppoſito rationali dumtaxat, præteritorum repræſentativa) voluntas accenditur atque intenditur mediante actu intellectûs, adeò ut in conſenſum tranſeat & ſubditis executionem mandet. Non incongruè omnes animi perturbationes febri comparavit D. Ambroſius dum ait: *Febris noſtra avaritia eſt; febris noſtra libido eſt; febris noſtra luxuria eſt; febris noſtra ambitio eſt; febris noſtra iracundia eſt.* Non aliud formandum de cogitationibus judicium: ſicut enim qui magnâ urgetur febri ac ſiti, cogitat flumina ac fontes; ita iratus vindictas, cupidus pecunias, ſuperbus honores, inhoneſtus delicias. Hinc Pſaltes, *Cogitaverunt iniquitates in corde, totâ die conſtituebant prælia.* Affectus enim vehemens quaſi funis eſt hominem ligans ut illa cogitet quæ appetitui placent; qui cum extorſerit conſenſum, in actum exteriorem ſe prodit, & monſtrum parit, eò immanius, quò internus actus fuerit intenſior, qui externo formalem malitiam tribuit eum informando. Sic iracundi cogitatio ſerpens fit: ſic luxurioſi ſerpens fit: ſic deſidioſi ſerpens fit: ſic avari ſerpens fit: ſic ambitioſi ſerpens

D. Thom. 1. part. quæſt. 82. art. 4.

Lib. 4. in cap. 1. 4. Luc.

Pſal. 139.

pens fit; quia ſemina, quia genimina excipiuntur, quia homines illa ſponte in animis ſuis collocant, in pectoribus nutriunt; quia in ſinu fovent, quia viſceribus paſcunt, quia mille mortes ſibi ultrò accerſunt, cum tamen teſte Plinio, *Terra ſerpentem ho-*
Lib.2.cap.63. *mine percuſſo non recipiat.*

§. 4. Alii quemadmodum inſula Yvica à ſerpentibus liberi & immunes ſunt: quia pravis cogitationibus aditum præcludunt, quia veneno nutriri recuſant, quia præſtigiatoribus & faſcinatoribus ſeſe opponunt, quia vitiorum exordia quamprimùm devitant. A minimis enim virtutem incipiendam eſſe aſtruit D. Chryſoſtomus: *Nobis*, inquit, *quotidianas ponamus*
Tom. 4. Hom. 26. *leges, interim à facilioribus exordiamur.* Et paulò antè. *Si priora correxerimus, non illa tantùm erunt correcta, verùm & ſequentia propter præcedentia. Non eſt hîc impendium, non eſt hîc labor, non eſt hîc temporis exercitatio: ſufficit velle, & totum factum eſt, conſuetudinis enim opus eſt.* Probat axioma ſuum ab uno actu ad reliquos, *Qui non juraverit, ad reliquam omninò pietatem perveniet, & volens, & invitus, & erubeſcens, & timens.* Rectiſſimè, illudque ſic themati accommodo. Qui pravas cogitationes ex præteritorum recordatione ingeſtas, utpotè fundamenta & fomenta vitiorum, excluſerit; huic ad virtutem patebit introitus: hæc enim eſt quædam pietatis janua, via ad religionis ſtudium perducens, & quædam eſt palæſtra. Huic ſubſcribit D. Ambro-
D. Ambr. Relatus can. 32. q. 1. C. cum renuntiatur. ſius tali aſſertione: *Cum renuntiatur improbitati, ſtatim adſciſcitur virtus: egreſſus enim malitiæ, virtutis operatur ingreſſum: eodemque ſtudio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Reſipuiſſet dubio procul per ſalutaria monita divi Joannis, & in virum perfectum evaſiſſet Herodes, ſi extemplò Herodiadem domo ſuâ expuliſſet. Nihil proderunt tibi plurima opera pia, ſi Herodiadem domi contineas, ſi talem viperam, talem peſtem & contagionem, qualis complacentia in memoria præteritorum vitiorum, nutrias & quaſi in ſinu foveas. Præceperat Dominus Saüli ut univerſum Amalec vaſtaret: *Et pepercit Saül, & populus*
1. Reg. 15. *Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & veſtibus & arietibus, & univerſis quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea, & eam ob cauſam projecit eum Dominus.* Cave igitur ſedulò, quiſquis es, ſi te & ſalutem tuam amas, ne aliquid in domo tua relinquas ex Amalec, niſi perire mavis; ne apud te permaneat quidquam ex mundo, quod te vitiis implicare, & profectum in virtute poterit impedire: licet alia omnia

omnia deſeras peccata, ſi Herodias illa in domo tua maneat, credas actum te egiſſe.

§. 5. Omnia igitur peccata vitanda ſunt ut ſingula, ſingula ut omnia, nullum fomitem apud te patiaris reſidere ex quo illa naſcantur, aliter brevi jacturam totius boni, quo decoraris, facies. Peccatum quippè ſimile eſt negationi neganti, quæ tam malignantis naturæ eſt, ut, quidquid poſt ſe invenit, deſtruat. Sit quiſpiam prudens, ſapiens, temperans, pius, denique panaretus, id eſt omnibus virtutibus præditus; quo opus erit ut virtutes illæ univerſæ, hæc animæ ornamenta, & velut indumenta tollantur? præponatur his titulis & honoris prærogativis unica negatio negans, reſultabit indè quantocyùs, non prudens, non ſapiens, non temperans, non pius, non panaretus. Idem operatur in anima peccatum (de lethifero intelligo) tot & tanta vulnera infligit. Hinc pereleganter dictum à Cicerone in Paradoxis vitam juſti debere eſſe inſtar carminis, *cui ſi vel ſyllaba deſit aut exerret, exſibilaris.* Nihil accedere ſuperfluum debet verſui, nihil decedere neceſſarium: tantam requirit res iſta integritatem & æquitatem. Talis debet eſſe vita juſti. Sit quis continens, ſit benignus, ſit patiens, ſit frugi, uno peccato omnem illum poteſt evertere apparatum. Certè mirabile illud, & ſolidiſſimæ virtutis exemplar divus Athanaſius, alter Chriſtianus Achilles veritatis amantior quàm quietis, ne virtus ſua vel in minimo à ſtatu & dignitate perfectionis recederet; ſedem mutare quàm ſyllabam maluit. Quàm æqualis, Deus bone, vitæ tenor, & omnibus numeris abſolutus!



SYMBOLUM VI.



LÆtum & jucundum tragædia ſortitur exordium, luctuoſam atque funeſtam cataſtrophem. In cauda latet venenum; & poculum mellis, à mundo propinatum amatoribus ſuis, in fine convertitur in fel amariſſimum. Lachrymatur crocodilus ut accedentem devoret; arridet ac blanditur omnis voluptas, & in fine mordet ut coluber. Poſt luxum, ebrietates, & nefandiſſimos concubitus, impiis ſupervenit repentinus interitus: *Deſcendente igne in Pentapolim: quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat*
Sap. 10. v. 7. *deſerta terra, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.*

Specta-

Spectaculum facta eſt omnibus uxor Loth mirabiliter verſa in ſtatuam ſalis : ut liquidò conſtet quanti periculi ſit ad peritura oculos deflectere, præteritorum vitiorum reminiſcentiæ vel exiguo tempore immorari. Alieno nos diſcere & ſapere malo vult Dominus. Hinc aptiſſimè de ipſo regius Pſaltes : *Dediſti metuentibus te ſignificationem ut fugiant à facie arcûs.* Pſal. 59. Tonitru perterret antequam fulmine feriat, mittit prophetas ſuos venturi judicii prænuntios, ut mala ſequentia queant evitari. Neque Paſtorem optimum, benigniſſimum Jeſum ſubverſio Jeroſolymæ, Luca 19. quam mente præſagâ intuebatur, alia de cauſa commovit ad lachrymas, quàm quia poſt tot ſigna, prodigia, vivæ vocis oracula, non cognoviſſet tempus viſitationis ſuæ.

§. 1. Non otioſum videri debet uxorem Loth in ſtatuam ſalis eſſe mutatam, *ſal enim in omnem uſum generis humani effectus, incorruptionem corporibus, quibus aſperſus fuerit, impertit.* D. Hilarius Comment. in Matth. cap. 5. Hoc ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condire mentem noſtram debemus, oculos intellectûs ad hanc ſtatuam convertere, ſolerter expendere quanto diſcrimini ſeſe exponat qui ad præteritas carnis delicias reſpicit. Talis ſapor reddet nos in periculis ſapientes; quod D. Gregorius declarat : *Sæpè*, ait, *videmus quòd petra ſalis brutis animalibus anteponitur, ut ex eâdem ſalu petrâ lambere debeant, & meliorari.* Hom. 17. in cap. 10. Lucæ ante medium. Curioſum animal eſt homo, & maximè fœmina, ſed multa inutilia & vana ignorantur utiliter. Quid attinet ſcire cui mulæ inſidebat Clodius; undè fuerit equus Catilinæ; quâ ex purpurâ contexta erat toga Pompei? Græcorum iſte morbus fuit, quærere quem numerum remigum Ulyſſes habuerit? prior ſcripta eſſet Ilias an Odyſſea : prętereà an ejuſdem eſſet auctoris? majorne ætate fuerit Homerus an Heſiodus; non magis ad rem pertinet, quàm ſcire an minor Hecuba fuerit quàm Helena; & quarè tam malè tulerit ætatem. Quæris, Ulyſſes ubi erraverit, potiùs quàm efficias ne nos ſemper erremus? Quid inquiris an Penelope impudica fuerit, an verba ſæculo ſuo dederit; an Ulyſſem illum eſſe quem videbat antequam ſciret, ſuſpicata ſit? Non eſt profutura talis ſcientia : eſt tamen, quæ nos ſpecioſa rerum vanitate detineat. Doce me quid ſit pudicitia, & quantum in eo bonum : in corpore an in animo poſita ſit. Uxor Loth non tota videbatur egreſſa Sodomis, credibile eſt illîc reliquiſſe quemdam cordis affectum quò convertebat aſpectum : aut quòd vindicem Dei manum attentiùs voluerit intueri, & judicia Dei ſcrutari, quæ expaveſcenda ſunt, non indaganda. *In pluribus operibus*

Eccl. 3. v. 23. *ribus ejus ne fueris curioſus, non enim eſt tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis*: inobedientiæ temeritatiſque meritò pœnas illam dediſſe arbitrandum eſt. Sicuti in Niobe apud Ovidium paradigma habemus, quæ propter arrogantiam & contemptum Latonæ quatuordecim liberis partim maſculis, partim fœminis orbata per Apollinem & Dianam, noviſſimè flens vitâ exceſſit, ac ventorum turbine in patriam Sipylum delata in marmor eſt converſa; uti uxor Loth collo retorto, ita & illa flentis ſitum tenet:

Ovid. Met. lib. 6. fab. 3.

Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis
Linquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

Lib. 3. de Imit. Chriſti cap. 4. Rectè monet Thomas noſter à Kempis: *Time judicia Dei, expaveſce iram Omnipotentis, noli autem diſcutere opera Altiſſimi.*

§. 2. Non modò relinquenda ſunt Sodoma & Gommorra, ſed ne reſpicienda, denegandum eſt oculis id à quo cor eſt abſtrahendum: ex toto deferendus eſt tibi mundus, ſi Chriſto nomen dederis; ſi perfectioni ſtudere volueris, rejice vanitatum phantaſmata. Quid animam fornicari permittes & pollui, innumeras in eam inducens improbas cogitationes? *Nonne vides ſæculi vanitatem*, clamat D. Chryſoſtomus, *incertitudinem vitæ, circa* Tom. 4. Hom. 45. *præſentia laborem, & ſudorem? Tu verò nunquam oculorum quidem pupillam modicum aliquem ſinis pulverem ingredi, animam verò tot malorum ſarcinam attrahentem deſpicaris?* Eia noli reſpicere, ſalvum te fac cum Loth in monte: *Nemo mittens*, ait Chriſtus, *manum* Lucæ 9. *ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei*: debet enim rectè ante ſe, ut arando rectos ſulcos ducat non curvos, reſpicere: ſic oportet, eum qui ſequitur Chriſtum confeſtim omnia deſpicere, & ſequi; ne oculos quidem divertendo; ne fortè habitu & ſpecie eorum quæ à tergo ſunt, retineatur. Sic Jacobus & Matth. 4. Joannes vocati à Chriſto relictis retibus & patre, illicò ſecuti ſunt eum; aliàs periculum naſcitur, quia *crebri intuitus eorum quæ deſeruimus, propter conſuetudinem trahunt: violentum enim quiddam* Græcus Anonymus in Catenâ. *uſus eſt, ex quo habitus, ex habitu autem natura naſcitur, quam amovere, vel alterare difficile, redit enim ad ſe ipſam velociter.*

§. 3. Hujus rei ſpecimen & documentum præbuêre Iſraëlitæ in deſerto ex intimo præcordiorum deſiderio clamantes: *Recor-* Num. 11. v. 5. *damur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis*

veniunt

veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cæpe & allia. Diu neque arando, neque ſeminando vixerant, laborem meſſis & areæ neſcientes, onus molæ & coquendi panis eis neceſſitas non fuerat, macellum nemo pro comparandis carnibus requiſiverat, hæc omnia fuerat eis verbum Dei, qui paraverat eis menſam in deſerto laboris & ſudoris expertem. *Hæc enim fuit natura mannæ, cibus quotidiè novus, & ſaporem ſui pro deſiderio veſcentium ſubminiſtrans.* Cæleſtis illius panis delicias faſtidierunt ex vehementi recordatione ciborum quos comederant in Ægypto. Manna, columna ignis, & alia ſigna, liber quidam erat illis, & litteræ quæ deleri nunquam poſſent, nec de conſcientiæ eorum paginis aboleri: nihilominùs poſt tam evidentia divinæ virtutis inſignia, poſt univerſam gloriam quâ cæteros omnes longè antecellebant, infideles exſtiterunt atque ingrati; reſpexerunt retrò memores Ægypti, *& pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Ita ex deſiderio præteritorum accenſus appetitus hominem à virtutis tramite avocat, & ad ſæculi oblectamenta pertrahit, eò fortiùs, quò firmiùs illi objectorum ſimulacra inhçrent. Quotieſcumque etenim ſecum incipit revolvere quid in mundo egerit, quid in eo voluptatis perceperit, quid reliquerit; quotieſcumque mundanarum delectationum anacephalçoſim conficere parat, continuò ad vitia declinat; omne honeſtatis & pulchritudinis ſtudium deſerit, virtus ſede ſuâ depulſa locum ubi conſiſtat, reperire non poteſt; jam captus eſt in oculis ſuis ſtrenuus Holophernes, jam delinitus ultrò manum blandienti porrigit. Adeſt mox ſodalium chorus ſeſe invicem excitantium: „ Venite & „ fruamur bonis, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter, non prætereat nos flos temporis, nullum pratum ſit, „ quod non pertranſeat luxuria noſtra; ubique relinquamus ſigna „ lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Indè liquet quàm fœcunda parens malorum ſit nimiùm refricata memoria: quod in ſequenti Symbolo pleniùs explanabitur.

D. Chryſoſt. Tom. 2. Hom. 29.

Pſ. 105. v. 24.

Sap. 2. v. 6.

Eſta ſi que es vida buena.
De plazer y de amor llena.
Sin trabajos y ſin pena.
Sin ayuno y ſin rigor.
Eſta ſi que es vida de guſto
Eſta ſi que las otras no.
El D. Iuan Perez de Montal an en ſu Polyfemo.

SYM-

SYMBOLUM VII.



PLurima ab hominum oculis remota, & cimmeriis tenebris involuta remanſiſſent innoxia, quæ in lucem tranſlata non minima ex ſe proferunt detrimenta. Aurum, mundi amor, ſol abyſſorum, ubi effoſſum eſt, fit azylum plerumque vitiorum & pons inferni,

Ovid. lib. 1. Met. *Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

Utinam, exclamat Plinius, *poſſet è vitâ in totum abdicari au-*
Lib.33.cap.1. *rum, ſacra fames, proſciſſum convitiis ab optimis quibuſque, & ad perniciem vitæ repertum!* Quoties dolor rememoratione detegitur,

tegitur, toties geminatur & recrudeſcit: quod Æneas apud Virgilium teſtatur:

Infandum Regina jubes renovare dolorem. *Lib. 2. Æneid.*

Amor in pectore concluſus dum foras erumpit longè lateque vagatur, & ubique relinquit furoris ſui argumenta. Minùs vehementi indagatione perſcrutantur omnia Zelotypi: malum, quod hâc viâ detegunt, fit omnis curationis expers, illiſque perniciosiſſimum: quia propriam ſic divulgant infamiam; quod dubium, quòd abſconditum erat, in lucem proferunt, infortunium ſuum ad liberos uſque extendentes.

§. 1. Maris animalia majora, vegetioraque ſunt, quàm terræ, quia abſconditam vitam degunt: terreſtria animalia ut in aperto degunt, ſic aduruntur à ſole, infeſtantur ab aëre, multas à temporum mutationibus & cæli inclementiis accipiunt injurias. Salſi verò maris incolæ magis longævi fiunt, eò quòd in abditis aquarum vorticibus degentes non tot habent vitæ ſuæ infenſos hoſtes. Beatus Job ſupra incudem tolerantiæ collocatus ut repetitis malleorum ictibus divinus hic probaretur adamas, maledixit natali ſuo eligens in tenebris deliteſcere, quàm lucis uſurâ frui; non ignarus quot & quantis inimici telis ac fortunæ ludibriis ſint expoſiti, qui limen vitæ ingrediuntur. Quoties diris diem illam devovet: *Pereat dies in quâ natus ſum; dies ille* *Job c. 3.*
vertatur in tenebras; non requirat eam Deus deſuper, & non illuſtretur lumine; non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Cauſam addit, *quia non concluſit oſtia ventris qui portavit me, nec abſtulit mala ab oculis meis.* Nonnulli econtrà plorantes, è tenebroſo matris utero egreſſi, omni contentione ad ſepulchri latebras contendunt, tamquam ad fidam quietis ſtationem, tamquam ad laborum finem; conſiderantes vitæ parentheſim, quæ cunas inter & tumulum intercedit, gravibus obnoxiam eſſe periculis & incommodis, ideoque optandum, ut breviſſimâ temporis periodo claudatur: quoque termino fiunt propinquiores, rationis judicium ſequentes non vivendi appetitum, lætantur, *quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cum invenerint* *Job 3. v. 21.*
ſepulchrum.

§. 2. Id quoque in aliis locum habet. Licet enim Claudius Cæſar ante Imperium ſine famâ fuerit, quia latuit: in Imperio tamen fuit infamis, quia non latuit; clarior futurus ſi obſcurior

fuiſſet: cenſuram ſiquidem cenſore dignus, dominium ſub domino geſſit. Et Sergius Galba major privato viſus dum privatus fuit, omnium conſenſu capax Imperii, niſi imperaſſet. Multi dum prodeundo in publicum fortunam ſuam fabricare nituntur, illam funditùs evertunt, proindè ſæpenumerò

Tacit. l. 1. Hiſtor.

——————— *Benè qui latuit, benè vixit.* *Ovid.*

Divus certè Blaſius Sebaſtenſis in Armeniâ Epiſcopus, libens ex urbe digreſſus eſt in ſilvas, arctatus in ſpecu, ut animum illîc ampliaret, divinitate ſuâ feras efficiens humanas.

§. 3. Ne longiùs à propoſito digrediamur: cœpe, præſentis Symboli nota, quamdiu manet veſtitum, prorſus humanis ſenſibus innoxium eſt: ſi cortice ſuo nudetur, mox odore nares oculoſque offendit, ex iiſque violenter lachrymas exprimit, non minùs quàm fumus erumpens. Quamdiu ſilentio & temporis longinquitate, quaſi ſub quibuſdam tenebris, premuntur cogitationes, nullius mali aut diſpendii materiam ſubminiſtrant: confeſtim verò ut cortina removetur, ut velum tollitur, ut cortice oblivionis nudantur, plurimorum ſcelerum ſentinam advehunt; malum ſe prodit quod fuit abſconditum tanquam ignis ſub cinere, & tanquam alter phœnix naſcitur è buſto. Novit quod dico, qui aliquid afflictim deperiit, novit quot dolores, angores, tremores, terrores cauſet rei amatæ abſentia, vel carentia in pectore amantis; idque per conflictum cogitationum, quæ illud quaſi agmine facto pariter dilacerant. Quæ larvæ, quæ ſpectra illi non occurſant, & variis perturbationibus replent? hinc meritò Job cogitationes vocat cordis carnificinam & torturam, *Diſſipatæ ſunt cogitationes meæ torquentes cor meum.* Amiſit mulier quædam lumen oculorum ſuorum, charum pignus animæ, dimidium ſui virum amantiſſimum, & non ſolùm quaſi turtur viduata compare gemit; ſed per omnia loca, ubi eſſe conſueverat, diſcurrit ut inveniat dilectum, & quilibet locus, quilibet angulus dolorem renovat, redintegrat, geminat: ubique clamat quaſi ſigna & veſtigia amiſſi conjugis repertura: dum loco illius per intenſionem imaginativæ largam invenit & excitat materiam flendi. Non ſecùs Alcyones naufragi Cæicis primùm turbata in ſomnis ſpecie, dum manè locum repetit undè ſolverat, dum animo & oculis cuncta denuò notat, dum reminiſcitur ſingula verba abeuntis, tot doloris plagis cor ſauciat: ſicuti cada-

Job c. 17. v. 11.

Ovid. l. 11. Meth. Fab. 10.

cadaver recenter occiſi emittit ſanguinem ad præſentiam occiſoris & non alterius, ita ad ſingula loca & verba recordatio ipſi ſingulas mortes infert.

§. 4. Sed hæc cavere neſciunt, niſi hi qui virili cuſtodiâ munire mentem noverunt: qui, priuſquam cogitationes ad opus prodeant, internos ſuos motus ſollicitè circumſpicientes frænant. Undè inopinatâ morte extinctus Iſboſeth dicitur à filiis Remmon Berothitæ Rechab & Banaa, quia ad cuſtodiendam *2. Reg. 4.* domum non oſtiarium ſed oſtiariam habuiſſe teſtatur Scriptura ſacra. Fortis namque viriliſque ſenſus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ ſomnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde benè & Iſboſeth eſt appellatus, qui cuſtode fœminâ hoſtilibus gladiis nudatur: Iſboſeth quippè vir confuſionis dicitur. Totâ itaque virtute muniendus eſt aditus mentis, ne vel cogitationes eam ut hoſtes inſidiantes penetrent. Hinc Salomon ait, *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum*, cave ne in illud reperiant *Prov. 4.* introitum perverſæ cogitationes ut ex illo rursùs exeant: *De corde enim exeunt cogitationes malæ*. Sicut ex fonte ebulliunt aquæ, ſic *Matth. 7.* illæ ex corde, id eſt ex voluntate ſcaturiunt: utpotè cor eſt officina omnis mali & boni, omnis vitii & virtutis. Quòcirca ſenex ille *A Lapide in c. 15. Mat.* apud Moſchum in Prato ſpirituali c. 110. hoc ſingulare ſuis dabat monitum: *Eſto Janitor cordis tui, ut nihil niſi te conſcio, tuâque ratione probante in illud ingrediatur vel egrediatur.*



SYMBOLUM VIII.



QUid, amabo, ſuperfluis curis & inutilibus animus fatigatur; cum & ipſamet cogitationum objecta non ſolùm aſſiduitate vileſcant, ſed & ſatietate nauſeam pa-
Eccleſ. 1. v. 5. riant? *Oritur Sol & occidit & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem luſtrans univerſa, in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Similis viciſſitudo indies habetur. Terra hæc & Cœlum adhuc aliàs viſa ſunt, & poſt mille annos in
Ibidem v. 9. & 10. lucem edito apparebit eadem facies & ſtatus univerſi. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod*

quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerunt ante nos. Aſſeri poteſt ex mente D. Thomæ, omnia quæ nova dicuntur aut noviter inventa præceſſiſſe olim & facta in ſe vel in ſuis cauſis, vel in ſuis ſimilibus. Præceſſerunt, inquit, ſecundùm ſimilitudinem, ſicut animæ quæ nunc creantur: & ſimiliter incarnationis opus, quia ut dicitur, filius Dei eſt in ſimilitudinem hominum factus. Nihil novi etiam accidit in naturali rerum curſu, ſcilicet Cœlorum, elementorum, ſiderum, ventorum, maris, hominum, animalium. Undè D. P. N. Auguſtinus prodigia, inquit, & monſtra quæ jam fiunt olim facta eſſe, ſi non eadem, certè illis ſimilia vel affinia. Omnia ſuis ſpatiis decurrunt ſub Sole veluti in circulò. Hunc annus conficit. Ver ſequitur æſtas, illam terminat autumnus; hunc excipit hyems, hyemis finis dat exordium veri.

1. p. q. 73. art. 1. ad 3.

Lib. 12. de Civit. c. 13. citatus à Cornel. à Lapide in c. 1. Eccleſ.

§. 1. O ſi in illâ ſpeculâ eſſemus conſtituti, undè D. Cyprianus, chariſſimo diſcipulo ſuo Donato longè lateque patentem monſtrabat orbem! inde proculdubio mundum eſſe fluvium cognoſceremus, & rerum humanarum eundem & continuum fluxum dignoſceremus: hujus enim fluminis aquæ ſunt vanitates, voluptates, divitiæ, gloria, honor, potentia, dignitas, & ipſemet homo. *Omnes enim quaſi aquæ dilabimur.* Si quis propè ripam fluminis ſederet, adverteret illicò ne ad momentum illud conſiſtere, nunquam quieſcere, ſed quòd una aliam propellat unda, prior ſequentem veluti fugiat. Ad hunc quoque modum prætereunt dies vitæ noſtræ, proſperam fortunam ponè ſequitur adverſa, *riſus dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat.* Quot & quantas recipiunt voluptates noſtræ mutationes & viciſſitudines? infirmi ſumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec noſtræ, nec ullius rei diutiùs. *Hoc quoſdam egit ad mortem, quòd propoſita ſæpè mutando, in eadem revolvebantur, & non reliquerant novitati locum. Faſtidio illis eſſe cæpit vita, & ipſe mundus: & ſubit illud rabidarum deliciarum, quouſque eadem?* Putamuſne magnum ex cantu muſicis provenire oblectamentum? Minimè. Aſſiduitas & ſatietas illum jam in pœnam & nauſeam vertit. Epulæ tripudia, haſtiludia illos dumtaxat recreant, qui raro ſimilia ſpectant. Dramata Comicis, geſticulationes hiſtrionibus faſtidio ſunt. Nimium amoris uſum averſantur amantes:

2. Reg. 14.

Prov. 14. v. 13.

Sen. lib. de tranq. animi cap. 2.

Ovid. *Pinguis amor nimiumque potens, in tædia nobis*
Vertitur & ſtomacho dulcis ut eſca nocet.

Varietas delectat. Quàm levis eſt, quàm agilis, quàm volubilis ad omnia ſpiritus hominis! ſemper in curſu, uni curæ altera ſine intercapedine ſuccedit, una cogitatio alteram ſequitur, raro inquilini ſumus, ferè ſemper advenæ, nuſquam perſiſtimus. Ibidem c. 11. Confirmat hoc Seneca: *Naturâ*, inquit, *humanus animus agilis eſt & pronus ad motus.* Ut ulcera quædam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, ut fœdam corporis ſcabiem delectat quidquid exaſperat: non aliter dixerim, his mentibus in quas cupiditates velut mala ulcera eruperunt, voluptati eſſe laborem vexationemque.

§. 2. Benè cum his ageretur qui in motu continuo verſantur, ſi illis accideret quòd his quibus difficilis ſomnus eſt; verſant ſe & hoc atque illo modo componunt donec quietem laſſitudine inveniant: ſed omnem quietem & otium rejiciunt, ſimiles ægris quibus proprium eſt nihil diu pati, & mutationibus ut remediis uti. Applicat ſe quiſpiam ad mercaturam, diu noctuque cumulandis divitiis inſudat, ne minima quidem cogitationum in manu ſua eſt, ſed omnes vagè peregrinantur, alia Hiſpalim tendit ut inquirat num factor ceu negotiorum geſtor adhuc ſolvendo ſit? utrum merces viſis litteris quamprimùm ſit tranſmiſſurus? alia in mari navigat, adventum claſſis exſpectans: tertia expendit debitorum facultates: quarta ſervorum fidem & induſtriam explorat, an ſub auroram venditas merces in ſarcinas diligenter colligant, ſicque

——— *In curas animus dividitur omnes.*

Neque propterea in otium ſeſe recipit licet nullius crediti jacturam faciat, licet omnia illi ex voto fluant: ſed mutationibus ut remediis utitur; mercaturæ valedicit, fœnerari incipit, ut maſſam pecuniæ colligat qua aut toparchiam emat, aut equeſtrem dignitatem Sancti Jacobi, Calatravæ, vel Alcantaræ ſibi procuret; ceu aliqua millia Regi mutuando ut pro filio officium obtineat. Illa inquietudo, agitatio, vexatio ipſi durat ad mortem L. de brev. vitæ c. 20. in fine. uſque, quia mutationibus ut remediis utitur: Quin & aliqui, teſte Seneca, *diſponunt etiam illa quæ ultra vitam ſunt, moles magnas ſepul-*

ſepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera & ambitioſas exequias.

Ridiculum eſt quod ſcribit Michaël de Montagne ſibi narratum fuiſſe de quodam ex albo ſuorum amicorum, qui jam ſenex acheronticus calculo graviter laborans, in lecto morti proximus, quolibet momento funus ſuum & apparatum funeris diſponebat: orabat obteſtabaturque omnes, qui illum venerant inviſum, dextras darent quod pompam funeris eſſent deducturi. A quodam Principe inſtanter poſtulabat, juberet domeſticos omnes funebriis ſuis juſtis intereſſe, probans variis rationibus rem juſtam à ſe peti & dignitati ſuæ competentem; videbaturque lætus & alacer è vita diſcedere cùm alterius ſponſionem accepiſſet. Quàm pertinax vanitas, quàm continuus ſuperbiæ fluxus! *Luc. 1. cap. 3.*

§. 3. Quem non laborem inſumit ambitioſus, quas non moleſtias, non injurias devorat aperto ore hians & ventum hauriens qui eum inflat? nihil humiliùs illo, humi ſerpit ut honoribus perfruatur. Rectè dixit Eccleſiaſticus, *donec accipiant oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam.* Humiliat ſe nimium donec accipiat officium aliquod aut dignitatem. *Fingit ſe eſſe omnium ſervum ut dominetur aliis, priùs ſervit, curvatur obſequio ut honore donetur; & dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior.* Hinc non ineptè ambitio ſimia humilitatis dicitur, ſicut & congruè ſimia charitatis. Charitas enim patiens eſt pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis: Charitas benigna eſt egenis; ambitio divitibus: Charitas omnia ſuffert pro veritate; ambitio pro vanitate. Si quando non audet quantum concupiſcit, aut non conſequitur, in ſpem tota prominet, ſemper inſtabilis mobiliſque. Ubi contra ictum fluminis niſus eſt ambitioſus, ubi ſine præmio labor eſt, torquet illum irritum dedecus, & inter deſtituta vota vivit adhuc non quomodo vult, ſed quomodo cœpit, nec deſiderio modum imponit. Non diſſimilis huic eſt avarus qui diu noctuque ſeſe torquet, ad terram ſeſe dimittit & proſternit, viliſſimis mancipat obſequiis ut turpem quæſtum faciat, omnis illi lucri ex re qualibet bonus eſt odor. Ait Sapiens: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer.* Hæ avaritiæ atque ambitionis naturam exprimunt, quæ nunquam dicunt, ſufficit. De avaritia ſcribit Poëta Horatius, *Eccl. 29.* *D. Ambr. in Luc. l. 4.* *Prov. 30. v. 15.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops
Nec ſitim pellit. *L. 2. Od. 2.*

Eadem

Eadem eſt ambitionis ſitis, utraque inextinguibilis, neutra umquam dicet, ſufficit: licet ſibi ambitioſus terminos honoris præſcribat, ſe contentum fore ſimulans ſi ad tale honoris culmen emerſerit, ſed ubi pervenit non valet dicere, ſatis eſt; majora appetit, ad ſublimiora anhelat. *Nemo agit de Tribunatu gratias*, juxta Senecam, *ſed conqueritur quod non eſt ad Præfecturam uſque perductus. Et ſi adſit Conſulatus, ne hoc quidem ſufficit.* Sed ambitioni accidit id quod ſanguiſugæ, quæ ubi uſpiam adhæſerit ſanguinem haurit, & cum nimio cruore maduerit, id evomit quod hauſit, ut recentiorem denuò ſugat. Cum honorem adepta eſt, cum jam gloriâ turgere videtur, nactum ex nauſea reſpuit ac evomit & amplioris denuò gloriæ ſiti accenditur. Idem non obſcurè videtur innuere Pyrrhus Epyrotarum Rex Cynææ ſciſcitanti quid cum tam copioſo exercitu & tanto apparatu vellet attentare, ſi in poteſtatem ſuam Romani (quos bello urgere parabat) devenirent? Reſpondit enim, his debellatis confeſtim ſeſe Italiâ potiturum. Quid porrò negotii conficiemus ſubactâ Italiâ inquirit parumper commoratus Cynæas? Proxima, inquit Pyrrhus Sicilia eſt, inſula fœlix ac populoſa Civitatum. Inſtat Cynæas, eritne hîc belli finis, hic meta? nequaquam, reſpondit Rex, ſed præludiis his utendum ad res maximas conficiendas, ad Lybiam ſuperandam, Carthaginem capiendam, Macedoniam recuperandam, totius Græciæ & Aſiæ dominium obtinendum. Sed devictis, ait Cynæas, & ſubactis omnibus, quid faciemus tandem? ſubridens Pyrrhus, otium, inquit, agemus. At quid vetat, ô Rex, ſubjungit Cynæas, quo minus nunc iſtâ lætitiâ, feſtivitate & otio perfruamur, & quidem ſine labore? Volens ita incidere tumorem Ambitionis. Suaſit, ſed non perſuaſit, quia mutationibus tamquam remediis utebatur. Idem facit avarus, idem luxurioſus: his cupiditatibus tumidis, ac inſatiabilibus modum ponere difficillimum; & quidem iſti omnes ab omni ævo iſtis detinentur ſtudiis & deſideriis, nihil novum moliuntur. Semper avarus egebit, ambitioſus ſitiet, ſuperbus inflabitur, luxurioſus in cœno vitam perdet, leves cauſæ iracundo bilem movebunt, & ſemper opima proximorum bona obliquis oculis faſcinabit invidus, dente mordaci aliorum dicta, facta & ſcripta corrodet Momus.

In Epiſt. ad Lucil.

Plutarchus in Pyrrho.

§. 4. In hoc vaſto mundi theatro Ambitio Marios & Sullas, Cæſares & Pompeios in ſcenam omni ætate producet: opulentia Cræſos, Craſſos, Lucullos; egeſtas Yros, Ariſtides, Codros; Avaritia,

Avaritia Eucliones, Tiberios, Galbas; gula inſtar omnium Apicium nepotum omnium altiſſimum gurgitem; de quo Seneca, quod ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplinâ ſuâ ſæculum infecit: & cum ſeſtertium millies (noſtro more & ſermone, ut commentatur Lipſius, duos milliones & ſemis) congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal ſingulis commeſſationibus exſorbuiſſet, velut in extrema fame victurus ſi ſeſtertio centies (quod ſibi ſuperfuturum ſubducto ære alieno computaverat) vixiſſet, id eſt ducentis quinquaginta millibus Philippicorum, veneno vitam finivit. Nimia parcitas Cynicum aliquem Diogenem in medium proferet: Philautia Narcyſſum & Pygmalæonem, quorum ille umbræ ſuæ captus eſt amore, hic ſtatuæ à ſe formatæ. Zelotypiæ non deerit Procris nec Clytie; adducet ſecum luxuria Sardanapalos & Heliogabalos; crudelitas Nerones, Domitianos, Diocletianos. In domo Ottomannica per fratrum & propinquorum cadavera tanquam per gradus ad Imperii faſtigium conſcenditur: quàm carò ſtat illius ſolii purpura! paucis abhinc annis vidit Anglia & ingemuit orbis univerſus Regem judicio ſubditorum & gladio (facinus audax, barbarum, tragicum, inauditum!) tyrannicè ſubjici.

In conſol. ad Helviam. cap. 10.
De iſto etiam Aulus Gellius. lib. 15. cap. 11.
Sueton. de claris Rethor.
Dio. Caſſius, & Plinius.

Prudenter mihi feciſſe proindè videtur compendio totum complexus Pitacus unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, quando in templo Mitylenis ſcalam dedicavit eo fine, ut homines conditionis propriæ commonefaceret, cùm tota ipſorum vita nihil aliud ſit quàm aſcendere & deſcendere.

Ælian. de Var. Hiſt.

§. 5. Quin & in neceſſitatibus corporis, quas voluptates falsò mundus appellat, reperiemus circulum, & quòd ſemper eadem repetenda ſint, videlicet edere, bibere, egerere, dormire, ſurgere, donec iterum in ſe recurrant, quibus hominem ſubjici, quia ita internâ libertate privabantur, grave nimis judicarunt viri ſancti; nominatim Divus Bernardus, qui ita jejunio erat deditus, ut quoties ſumendus eſſet cibus, toties tormentum ſubire videretur. Neque hic ſiſtendum: ab origine ſua hominem examinemus. Ex utero materno tamquam ex tumulo exit, & juxta communem naturæ curſum nutriendo creſcit, adoleſcit, in virum tranſit, ſeneſcit, & rurſum ad tumulum pergit: de terra compoſitus, in terram ultimatè reſolvitur. Quod ſcriptores attinet, plurimi tam variè, fuſè & copioſè ſcripsêre, quaſi poſteris omnem materiam prærepturi: & moderni Theologi omnem doctrinam ſcholaſticam exhauſiſſe videntur, cùm

Ut in ejus vita.

plerique aut contextum tantùm aut titulos variaverint, aut inventis & excogitatis aliorum aliquid addiderint; nam in labores & lucubrationes eorum introierunt. Dicat quis à me nihil egregium edi, ſed locorum communium dumtaxat farraginem contexi: non contradicam; ne tamen illud reſpuat; quia ad vitam rectè inſtituendam multum conferet, licet non ut omninò novum & recens ſuſpiciat & admiretur: fortaſsè multò antè idipſum quod ſcribo, meliùs longè & accuratiùs memoriæ traditum eſt. Nihil novi video, nihil novi facio. Hinc utiliter adhiberi poterit cautela quam Horatius Numicio ſuo præſcribit in hunc modum:

Nil admirari propè eſt res una Numici
Solaque, quæ poſſit facere & ſervare beatum. Ep. ad Numic.

Hic finis Pyrrhoniſmi fuit ab authore Pyrrhone Ælio Philoſopho Anaxagoræ diſcipulo, qui etiam ſecta ſceptica dicebatur, id eſt conſideratrix, nihil adſtruens, nihil definiens, aliorum tantùm decreta oppugnans, in veritatis conſideratione continuò verſans, quæ ſummum bonum conſtituebat in quadam ἀταραξίᾳ quæ eſt conſtantia, tranquillitas, imperturbatio, & immobilitas in ferendo judicio. Non induſtria nos inquietos & inſanos, ſed falſæ rerum imagines agitant, & proritat nos alicujus rei ſpecies; cujus vanitatem capta mens non coarguit; cùm tamen *nihil ſit ſub ſole novum.*



SYM-

SYMBOLUM IX.



OB varias & ſingulares proprietates Leo animalium Rex eſſe meruit; ejus magnanimitas declaratur, quòd *ad nullius paveat occurſum.* Prov. 30. Quòd ſubjectis aut humiliatis parcat,

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni. Ovid.

Cùm apertis oculis quietem capit, vigilantiæ ſymbolum exhibet: quando caudâ obducit pedum veſtigia ad fallendos venatores, ne ipſum inſequantur, prudentem aſtutiam exprimit: poſtremum hoc themati noſtro proprium. Veſtigia ſunt cogi-

tationes de ante-actis. Illæ tanquam indices & notæ ſuperſunt, illæ nobis præcedentem ſuperbiam, luxum, vanitates, libidinem, voluptates, depravatas cupiditates, mundum denique cum omni vitiorum caterva repræſentant. Illa veſtigia nobis delenda ſunt oblivione, aut certè obducenda, ſi laqueos diaboli evitare velimus, qui tamquam callidus venator nobis à tergo inſtat, & jam jamque apprehendit. Hac ratione reges efficimur ſi voluerimus abſurdis imperare cupiditatibus. *Nam is demùm regnat* (juxta Divum Chryſoſtomum) *& quidem veriùs, quàm qui diademate cinctus eſt.* Rex multos habet exercitus: at nos longè plures habemus cogitationes. Item multos in hac cogitationum turba Duces & Imperatores, & haſtatos & ſagittarios & fundibularios. Quodlibet vitium in his ſuis armis inſtructum in aciem procedit. Imperatoris & Ducis partes agit ſuperbia, hæc enim ſibi continuò imperium arrogat: invaſoris & velitis, ira, quæ furor brevis eſt: dum veru depromit, haſtam vibrat gula; ſagittas cupidinis emittit libido. Eminùs fundâ dejicere pugilem tentat deſidia. Ad victoriam in hoc conflictu obtinendam, magnus proponitur nobis Patriarcha Abraham. Cogita quàm multæ cogitationes (dum juberetur interficere filium) inſurrexerint in illum; & tamen ſubegit omnes: *Omnes illum metuebant, magis quàm Regem metuunt ſatellites, omnes ſolo oculorum intuitu compeſcuit, nec ulla illarum auſa eſt irrumpere, ſed ſubmittebant vultus, ac velut Imperatori cedebant univerſæ.*

Tom. 1. Hom. 3. c. 1. in Ep. 2. ad Corinth.

Chryſoſt. tom. 1. Hom. 3.

§. 1. Periculoſum ſanè, periculoſum, inquam, eſt, perniciosis cogitationibus locum concedere; quare oportet omni pacto rejicere ingreſſum earum, magis autem, ſi valeamus, eas repellere nitamur: quia ſi ſemel animam comprehenderint, ſicut ignis, ingentem ac ſiccam nactus materiam, maximam ſolent excitare flammam: nemo objiciat, quid hoc eſt aut illud? minimi momenti eſt cogitatio obrepens? mille certè hinc mala, mille nocendi artes; veterator diabolus à minimis ad maxima gradum facit. Studebat in Pythoniſſæ deriſionem Saül Regem detrudere, & quia mentem parùm adhibebat, paulatim tamen ad Pythoniſſas inducit. Neceſſitatem prætexere fecit dum inobediens ante ſtatum diem obtuliſſet; cumque de peccato agere oportuiſſet pœnitentiam, quaſi nihil commiſiſſet, lætabatur; deindè de anathemate accipere perſuaſit: poſteà œſtro furoris percitum contra Davidem incitavit; ac tandem his gradibus in Barathrum perditionis præcipitavit. Non confeſtim Caïmo fra-

tricidium

tricidium ſuggeſſit, ne rei gravitate perculſus à tanto facinore abhorruiſſet: ſed priùs hortatus eſt deteriora offerre, illud à peccato eximens; deindè invidiæ venenum inſtillavit, omnem ſuſpicionem mali removendo, ita ſenſim in eum illapſus, ad cædem fratris, negationem ſceleris & peſſimam deſperationem impulit.

§. 2. Satiùs aliqui ducunt tranſigere cum adverſario, & nonnumquam de ſuo honore & jure cedere, quàm liris periculum & incommodum ſubire. Hoc Abraham ſenſit quando dixit Loth nepoti ſuo: *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos.* In quo ſanè commendatur non parùm prudentia & diſcretio pacifici Patriarchæ, maluit convenire cum ſuo nepote, quàm confli&ari judiciis. Licet enim litigare non ſit jure naturali prohibitum, quia non eſt intrinſecè malum; tamen plerùmque eſt lege Evangelicâ vetitum. Hinc Chriſtus Dominus ait: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in viâ cum eo*; Citò dicit, ac ſi vellet inſinuare, nullam fuge occaſionem tametſi oneroſam, dum per eam modò evitare litem poſſis, ut ibidem quoque Redemptor, *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; & qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quòd illa verba non tantùm ſint conſilii, ſed etiam præcepti, probari poteſt ex Apoſtolo, qui ita ſcribit: *Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quòd judicia habeatis inter vos.* Juſtas lites non damno, aut licitum eſſe nego res ſuas judicio ſecundùm rectam rationem & conſcientiam perſequi: ſed quia plerùmque etiam æquiſſimas lites multa incommoda ſolent concomitari aut eſſe conjuncta. Suſcipiuntur enim lites ut plurimùm ex inordinato rerum temporalium amore, pariunt faſtidia, anxietates, moleſtias, jacturam temporis, ſiniſtras opiniones & ſuſpiciones, detractiones, acerbitates, animorum ab invicem alienationes. Hinc controverſia judiciaria à Sancto Iſidoro vocatur negotium, etymologicè negans otium: quies enim & litigioſa contentio non conveniunt, & non inſulsè bellum denominatur; dependent enim lites pro majori parte à calamo ſcribarum: calami verò nomine rectè donantur ſagittæ, aliaque arma; ut acidè cauſarum patroni, & virulentè nimium ſtylum quandoque ſtringere dicanrur, & quantam ſtragem militum arma in pugnis, tantam rebus & facultatibus litigantium adferunt calami eorum in judiciis. Scuto loricâque quodammodò armati pinguntur Advocati à S. Petro Damiano,

Geneſ. 13. v. 8.

Matth. 5. v. 25.

Verſ. 39.

1. ad Corinth. 6.

cùm dicit: *Glorioſæ vocis confiſi munimine lapſa erigunt, fatigata*
In ſerm. de Reſurrect. *reparant, nec minùs provident humano generi, quàm ſi clypeis & thoracibus ſeſe patriamque defendant.* Eximium & ſingulare encomium! quònam tamen illi ire ſolent, an ad bellum? minimè; ſed ad tribunal, quid igitur armati pergunt? quia pugnaturi, tam bellum enim eſt, quod agitur apud tribunalia, quàm quod ruri geritur. Si igitur bellum ſit minimè bellum, & litigare pugnare; lucrorum lucroſiſſimum erit hæc evadere incommoda, tædia, pericula; & cum Sancta Eutropia illuſtriorem triumphum putare, cedere controverſiæ, rebuſque propriis, quàm pro iis lite contendere. Sic de eâ ſcribit Sidonius Apollinaris:
Lib. 6. Ep. 2. *Sancta Eutropia victoriam computat, ſi vel poſt damna non litiget.*

§. 3. Verumtamen cum infeſtiſſimo Dæmone, & aſſeclis ejus nulla tranſactio ineunda eſt, nulla pax firmanda, nullæ componendæ induciæ, ne armiſtitium quidem. Tale nobis omni tempore ſuſpectum debet eſſe contubernium, fraudulenta amicitia. Inter ſerpentes & ſcorpiones nemo ſecurus ingreditur; nam quemadmodum, inquit Divus Chryſoſtomus, *In terra*
Tom. 5. cap. 1. in Geneſ. Homil. 9. *hac ſpatioſa & lata animantium, alia manſuetiora ſunt, alia ferociora, ita in latitudine animæ noſtræ cogitationum aliæ ſunt magis pecuinæ & irrationales, aliæ ferociores & agreſtiores. Domandæ igitur illæ ſunt, & imperio rationis magiſtrandæ.* Ferociores ca-
τὰς κύνας χαλεπὰς τὰς μὲν ἡμέρας δεσμεύουσι, τὰς δὲ νύκτας ἀφιᾶσι. nes plerique interdiu vinciunt, noctu dimittunt; à talibus nihilominùs omni tempore, & loco cavendum eſt, omnis illis (quantum Domino largiente licebit) eripienda facultas, oppor-
Xenoph. lib. 5. tunitas, & materia nocendi, ſequenda ſententia Teleſini qui dictabat, *numquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, niſi*
C. Vel. Paterc. lib. 2. *ſylva in quam refugere ſolerent eſſet exciſa.* Nunquam non in acie, nunquam non in procinctu ſtandum contra illum leonem rugientem, qui aſſiduè circuit quærens quem devoret. Sicuti votis omnibus precibuſq; optandum foret, ut hoc feliciſſimo tempore quo inter potentiſſimos Europæ Monarchas pax & tedæ perennaturam (uti ſperamus) firmarunt amicitiam; in communem & hæreditarium Chriſtiani nominis hoſtem junctis viribus Chriſtiani Principes arma converterent! utinam illa prophetia modò adimpleretur matri noſtræ S. Eccleſiæ, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi*
Pſ. 44. v. 17. *filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram!* utinam pro Alphonſo Caſtellæ rege ſurgeret Philippus Rex Catholicus, pro S. Ludovico alter Ludovicus Rex Chriſtianiſſimus, pro Richardo Angliç Rege Carolus II. Angliç Rex, qui Palęſtinam cum civitate

ſancta

ſancta è manibus Infidelium & Barbarorum eriperent! Utinam heroicus aliquis Georgius Caſtriotus naſceretur, qui ſuperato Amurate Cyprum patriam ſuam & principatum adjutus à Chriſternâ Mariâ nepte ſuâ recuperaret! aut ut ſenſui morali hiſtoriam accommodemus; utinam Eſcanderbeck, quemadmodum vocatus eſt ab Amurate Georgius, Adam dico jam renovatus, (quia illa nomina quoad virtutem vocis conveniunt; Eſcanderbeck enim arabicè idem eſt quod Alexander, quod vocabulum dominum ſonat, hæbraicè verò Adam dominum ſignificat) utinam igitur Eſcanderbeck præſidio & auxilio Chriſternæ Mariæ, hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ, infernalem Amuratem devincat, ſicque dominium ſuum, mundum ſcilicet univerſum & terram ſanctam potiſſimùm, ab illius tyrannide liberet! Extimeſcat domus Ottomannica, quia pronoſtica adeſſe feſtinant tempora.

El D. Juan Perez de Montalvan.

§. 4. Hoc, quod tam univerſaliter dictum eſt, quemlibet decet, & juſtè ab illo exigitur, ſi in ſperatam libertatem ſe vindicare cupiat. Repellenda igitur malorum initia ſunt, ut victoriâ potiatur. Demetriadem ſic inſtruit S. Hieronymus: *Incentiva vitiorum ſtatim in mente jugulabis, & parvulos Babylonis allides ad petram, in qua ſerpentis veſtigia non reperiuntur.* Sedulò quoque cavendum eſt ne ſerpens, ne diabolus veſtigia noſtra, id eſt cogitationes repetitas, ut captâ prædâ exultet, ullibi reperiat. Quò impreſſa veſtigia ducunt, venator feram perſequitur: ille venatoris more nos per veſtigia noſtra, per reſumptas ſæcularium cupiditatum imagines, aſſequi nititur. Serpens in pœnam terrâ nutritur, & diabolus hominem, qui terra eſt, infeſtat, ut illam devoret omnia perluſtrat; ne nos apprehendat, veſtigia præterita debent eſſe abolita ad minima uſque: nam etiamſi ad majora prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum. Nunc verò per iſtam incuriam gradatim ſemper aſcendunt, & ſi radicem non evulſeris, magnus indè labor ſuccreſcet; undè citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ noſtrâ. Hoc ipſum corporibus quoque accidere videmus: *Sic in Juda maximum proditionis malum concrevit, niſi enim parvum eſſe putaſſet pecuniam inopum ſurripere, in tantam protervitatem non deveniſſet*: hâc viâ omnia ſcelera fieri videmus, nemo enim repentè ad extremam improbitatem inſiliit. Ne ſenſim igitur atque paulatim ex negligentia pereamus; danda eſt opera, hâc viâ, quâ in nobis inſurgunt cogitationes, pedetentim nimirùm & callidè,

D. Chryſoſt. tom. 3. Hom. 87.

eâdem

eâdem illas obruamus; non relinquamus aliquod indicium diabolo, per quod ad nos acceſſum invenire valeat, ut non ſolùm perturbet, ſed de ſtatu virtutis dejiciat. Si culpabile ſit quibuſdam (juxta D. P. Auguſtinum in Regula) ea quærere in Monaſterio, quæ in ſæculo habere non potuerunt, lautiorem videlicet victum, mundiorem & meliorem veſtitum atque hujuſmodi: num reprehenſibile minùs judicabitur, quòd derelictâ militiâ ſæculari caſtrari ſe paſſi ſunt propter regnum Cælorum, & ſæcularia deſideria ſovent? quòd ſe perfectam ſequi viam polliciti ſunt, & tamen præter Chriſtum aliquid cupiunt? quòd dum filius hominis non habet ubi caput reclinet, amplas
Luc. 9. porticus, & ingentia tectorum ſpatia cogitationibus metiuntur? quòd ſub magiſtro humilitatis ambitione turgent, omnes gradus & honores Eccleſiaſticos ſpe & cogitatione devorant? quòd in palæſtra caſtitatis libidinis titillationes non deſerunt? quòd doctrinam veritatis mundanæ pulvere vanitatis aſpergunt? delicati certè, ſi & hîc velint gaudere cum ſæculo, & poſteà regnare cum Chriſto.

§. 5. Eia carnis amor ſpiritûs amore ſuperetur, deſiderium deſiderio reſtinguatur quidquid indè minuitur, huic accreſcit. Religio ſit, imò nefas de illis cogitare, illa concupiſcere, quæ non licet habere. Refrænandus ab his eſt non ſolùm appetitus, ſed memoria avocanda, multò antè debemus munire, & armare animas noſtras contra inſultus & fraudes diabolicas, ne in ipſo conflictu animo cadamus. Vigilantes & induſtrii agricolæ cum à vicino torrente ſegetem vexari lædique metuunt, non ipſi obicem ponunt cum hyemali tempore torrens inundat, ſed tempus illud prævenientes ripas obſepiunt, aggeres erigunt & muniunt, foſſas circumducunt, atque ita contra torrentis futuram violentiam & impetum tempeſtivè & providè modis omnibus ſeſe præparant. Idem nautis, militibus, omnibus denique familiare eſt; nempè adverſus imminentes caſus, pericula, negotia, præcautione, & præparamentis uti. Nautæ priuſquam navim in portum detrahant, clavum apparant, inſtaurant latera, remos dolant, vela conſarcinant, denique quidquid prætereà ad totius navis armaturam pertinet, diligentiſſimè curant. Milites ante pugnandi tempus thoracem abſtergunt, gladios acuunt, ſcutum rectè componunt, frænos apparant, equos omni diligentiâ nutriunt, & majori curâ modò ad curſum, modò ad gyrum, nunc ad inſultus hoſtiles inſtruunt, ad vibrationem

tionem ignis, & bombardarum exploſionem intrepidos reddunt; ipſimet brachia ſua expediunt, & corpus ad omnem motum & figuram in acie formandam habilitant. Ita taurus, ut in arena adverſarium faciliùs dejiciat, ante arenam vires ſuas explorat, ſolus ſe exercet, & cornibus ſuis arborem impetendo, pugnare ferireque diſcit. De Militiæ Romanæ tyronibus ſcribit Vegetius: *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo: ſuper hos juniores primò inermes, dum conſuetudine proficerent, demùm armati cogebantur aſcendere, hoc enim aſſiduâ meditatione faciebant, ſcilicet ut in tumultibus prælii ſine mora aſcenderent, qui tam ſtudioſè exercebantur in pace.* Lib. 1. cap. 18. O quàm prudens Flavii Vegetii, utpotè acerrimi & robuſtiſſimi militis monitum! Ardua res eſt & periculoſa nimis inter confuſę multitudinis concurrentium militum, & omnia miſcentium ſtrepitum dextrè quidquam agere, niſi multò antè in otio pacis conſtituta ſint, quæ in ipſo fervore pugnæ agenda. *Quia res præliorum benè diſponitur quoties in pace tractatur. Omnia ſubita probantur incauta, & malè conſtructio loci tunc quæritur, quando jam pericula formidantur.* Caſſiodorus lib. 1. Ep. 15. Si non attenta meditatio conflictum prævenerit, ſi non crebrâ exercitatione ad illum milites ſe aſſueverint, raró feliciter eveniet: *Timet enim, atque eum deficere omnia videntur, qui in ipſo negotio conſilium capere cogitur.* Jul. Caſ. in Comment.

§. 6. Qui contra diaboli inſidias & frequentes inſultus, ſeſe in cella, in otio, in umbra, in ſolitudine, crebrò & ſolerter præparavit; qui antè pugnam pugnæ prælusit; à quo ſemper ingruentes vitiorum cogitationes repulſam paſſæ ſunt; qui uſu, & animo ad hoc non ſegniter paratis didicit illas aut omninò repellere, aut impetum earum retundere; qui paulatim eas ex mente delere conſuevit: in urbibus, in tumultu, in conſortiis, facilè earum objectis reſiſtet, & devictis principiis ad cætera ſubjuganda reddetur expeditior. Igitur ut ad palmam pervenias quandocumque ſenſeris exteriorem hominem tibi infeſtum, quandocumque dulcis libidinis pompa per cogitationes te concuſſerit, auxilium dilecti tui inceſſanter implora, & clama: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Cant. 1. v. 6. O chare animæ meæ ſponſe ad te converte omnes cogitationes, & affectus meos, ne veſtigiis creaturarum cum magno ſalutis detrimento nimis inhæream; *Anguſtus enim animus eſt quem terrena delectant, ad illa abducendus eſt, quæ ubique æquè apparent, ubique æquè ſplendent, & hoc cogitandum eſt, iſta veris bonis perfuſa, & pravè credita obſtare.* Sen. in conſol. ad Helv. cap. 8.

SYMBOLUM X.



Job. 31 .v. 1.

Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine. Tam raræ continentiæ, emeritæ & conſummatæ virtutis fuere Sancti Patres; ut nihil omninò labis in ſe reſidere paſſi ſint; non contenti abeſſe à malo, ſed ab omni quoque ſpecie mali: cognoſcamus tamen (ut rectè inſinuat Divus Ambroſius) *Illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris: nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe.* Præclarè admodùm noverat S. Job luctam inter carnem & ſpiritum, diviſum imperium, diverſas leges, juraque diverſa, ineſt enim concupiſcentiæ carnis inobedientia

De Joſeph Patriarcha c. 1.

dientia contra dominatum mentis. Non meminit ſe Agar id eſt ancillam, ſed proterva & impudens propter vitioſam fœcunditatem non deſinit Saræ inſultare. Quoddam quaſi rationale conjugium (adinſtar conjugii Adami & Evæ) in mente cujuſque hominis conſtituit D. P. Auguſtinus; hujus perſonas ſuſtinent ratio inferior & ſuperior. Inferiorem dicit ſubire partes fœminæ, ſuperiorem partes viri. Inter illas omnis inordinatio atque rebellio oritur, quando illa quæ ſubeſſe debet, viri munia affectat, utque fœminæ ſunt imperandi libidine impotentes, (quod non ſemel hoc ævo perſpicuum factum eſt) quando ſupremum illud jus modò blanditiis, mollibuſque verbis, modò propoſitis illecebris, nunc vi quâdam, etiam per omne nefas, ſibi uſurpare nititur, virumque ſuum, regem ſuum, mentem illam liberam atque ingenuam captivare ſubdereque in legem peccati. Emanat hinc menti gravis miſeria, & infelicitas quâ cogitur ſubjacere continuæ quaſi ſollicitationi ad malum, & cum peccati periculo inter opera ſua diſtrahi, & inquietari: quæ gravior evadit, ſi illecta & abſtracta dignitatis propriæ officiique immemor, ſibi laqueum ſponte injiciat, partes ſuas & tribunal deſerat, ſeſeque inferioris tribunali ſubjiciat, atque ita in voluntarium interitum ruat. Florentiſſimè dudum bello & pace Ninus Aſſyriorum imperium rexerat, cum fœmineis blanditiis, oſculis, ac verius fraudibus captus; regno & vitâ ceſſit. Semiramis enim concubina ejus opportunum tempus nacta, quo Rex incurius vino deliciiſque madebat; obnixè petit, ut uno dumtaxat die ſolium regni ſcandere poſſit, jura populis dare, legem ferre, omneſque juſſis habere obſequentes, idque joci tantummodò & recreationis gratiâ? annuit Rex, qui nihil illi negare audebat, præcipitque ſubditis omnibus, ut illi tanquam ſibi exactam præſtarent obedientiam. Jam diademate ſpectabatur inſignita, ſublimis in ſolio regio, à ſubditis, demiſſo poplite venerabatur, cùm primùm aliqua ad publicum bonum, tranquillitatemque ſalubriter condebat inſtituta; cernenſque ad auditum auris ſibi obediri, eò perrupit audaciæ, ut & ipſum regem juberet apprehendi à ſatellitibus, atque in conſpectu omnium trucidari. Dictum, factum. Ita miſer ille & infelix, fœminæ nimiùm credulus, ſibi per ſemet exitium paravit. Sic ratio ſuperior, quæ ſuper reliquos ſenſus primatum tenet, dum illecebris fœminæ (rationis ſcilicet inferioris) dum tentationibus impugnationibuſque ejus conſentit, dum illi vel ad horam jus imperandi tribuit, è ſtatu feli-

Lib. de Trinit. cap. 12.

Pineda in cap. 30. Job. v. 1.

Ant. Muretus lib. 6. variar. Lect. cap. 17.

felicitatis dejicitur, amiſsâ libertate & ingenuitate in turpiſſimam ſervitutem, quin & miſerrimam mortem detruditur.

§. 1. Ideò non ignarus Sanctus Job acerrimi illius conflictus præſentiſſimum remedium adhibere conſtituit, pangendo cum oculis, membris, corpore fœdus, ut libenter rationi tanquam domino acquieſcerent: in quo efficax quædam ſignificatur & ſtabilis animi perſuaſio, firmumque propoſitum de ſervanda caſtitate; uti S. Chryſoſtomus ait, *Legem poſui oculis meis*; & ſeptuaginta legunt, *teſtamentum poſui*. Cum oculis illud tam arctum, tam fidele pactum erat ineundum, quia in re turpi, & amatoriâ oculi ſunt lenones, amoris via, amoris principium, cupidinum illices, & in amore duces. Aptè idcircò Græci, ἔρως id eſt amor, deducunt ab ὁρᾶν quod eſt videre, quia ex aſpectu naſcitur amor: *Prima origo dicuntur, inſtrumentumque præcipuum amatoriæ faſcinationis*. Hinc elegans author Hiſpanus gradus enumerat, quibus à viſu ad ruinam devenitur. Habet, inquiens, oculus claves, ad introducendos in animam ſenſus omnes, & cupiditates: à viſu ſiquidem oritur attentus, obtutus atque defixus in re aliqua, & contemplatio mentis: in textu quoque græco pro intelligentia illius Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam*, verbum βλέπων ponitur, quod ſonat non ſolùm oculos, ſed etiam animum ad videndum advertere. Ex contemplatione procedit advertentia, ex hâc auditus, ex hoc allocutio, ex quâ reſponſio, ſic ordinatim unum ex alio; complacentia, delectatio, conſenſus, perſuaſio, amor, & tandem jactura vitæ, famæ, animæ, ex hoc ovo (quod eſt viſus) per talem ſoritem excluſa. Subſcribit Seneca lib. de remed. fortuitorum his verbis: *Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic urbem & mala omnia: certè irritamenta vitiorum ſunt, duceſque ſcelerum.*

§. 2. Sat ſcio quod ad pulchritudinem, præſertim ſi ſit Eucharis, oculi, deſideria, corda tanquam ad centrum tendant; *Eſt quippè decor naturâ ſuâ libidinis invitator*. Reprehendetne igitur quiſquam pulchram illam in humano corpore membrorum & colorum proportionem? ſpeciem dignam imperio? minimè; quia præclarum opus eſt excelſi, & à pulchritudine ſpeciei conditor eſt cognoſcendus, laudabilis in operibus ſuis. Benè D. Ambroſius: *Immiſit oculos uxor domini ejus in Joſeph, hoc eſt, non iſte ſe oſtentavit, nec cæpit incautam, ſed illa retia ſua miſit, & indagine ſui capta eſt.* Si qua verò ideò ornatur, & comitur ut in ſe oculos omnium irritet, etiamſi nullum pulchritudine ſuâ potuerit

Hom. 34. in Matt. 10. tom. 2.

Pineda in 30. cap. Job.

Heliodor. in Æthiopicis.

Del ver procede el mirar,
Del mirar el advertir,
Del advertir el oir,
Del oir el hablar,
Del hablar el reſponder,
Del reſponder el ſentir,
Del ſentir el conſentir,
Del conſentir el creer,
Del creer el obligar.
Del obligar el rendir,
Del rendir el perſuadir,
Del perſuadir el amar,
Y del amar el perder,
Alma, vida, y opinion
Eſſo es ver ſin diſcrecion,
Mira ſi dañoſo es el ver.

Montalvan en ſu Polyfemo.

Tertull. de cul. tu fæminarũ.

Lib. de Joſeph Patriarcha c. 5. tom. 4.

rit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia: *Paravit quippè virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus qui mortem biberet inventus eſt.* Eſtne rursùs aſpectus oculorum reprehendendus? non: neque enim oculus ruinæ cauſa eſt, ſed voluntatis negligentia, & irrefrænata concupiſcentia. Ad glorificandum Conditorem in creaturis oculus factus eſt, nec ideò rariſſimam ejus fabricam tot tunicis, palpebris, & ſuperciliis munivit Deus, ne illo utamur, ſed ne abutamur. Gubernari poteſt ab incorporea ſubſtantia (de anima dico) quæ ſi negligens eſſe, ſi habenas laxare cœperit, quaſi auriga neſciens indomitorum equorum ferociam compeſcere, permiſſis frenis equos currum trahentes, & ſeipſum in præceps ire facit. Sic voluntas neſciens membris (ut oportet) uti, inordinatis concupiſcentiis indulgens, ſeipſam ſubmergi facit. Non idcircò nobis Deus oculos effinxit, ut per illos ad animum adulteria tranſmittamus, ſed ut creaturas ejus inſpiciendo miremur authorem: non enim paſſim dixit Dominus: *Qui viderit mulierem*, ſed addidit, *ad concupiſcendam eam*, id eſt, *qui concupiſcentiam videndi curioſitate collegerit, qui nullo omninò cogente quieſcenti animæ feram ſubitò immiſerit. Cohibuit aſpectum, ne hujuſmodi licentiâ fidens, etiam in peccatum quandoque irrueres.* Hinc præcipit ne forniceris oculis, ne per hoc ſcilicet animo forniceris; neque aſpectum ipſum, ſed concupiſcentiæ junctum interimit aſpectum. *Per Moyſen quippè* (ait D. Gregorius) *luxuria perpetrata, per authorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur.* Undè non ſolùm lumbos carnis, ſed & lumbos mentis ſuccingere jubemur. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrii perfectè ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam.* Primus Paſtor D. Petrus ait Diſcipulis: Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab effectu refrænare, lumbos verò mentis ſuccingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtringere. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione verſemur, providendum nobis eſt, quia intueri non decet, quod non licet nobis concupiſcere: ut enim munda mens in cogitatione ſervetur, à laſcivia voluptatis ſuæ deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam, & prædones animæ; ut declarat Jeremias Propheta: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Concupiſcendo enim viſibilia inviſibiles virtutes amiſit. Rectè igitur Beatus Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.*

[Margin notes: D. Chryſoſt. in Matth. 5. Homil. 17. — Matth. 5. D. Chryſoſt. Hom. 17. in cap. 5. Matt. — Lib. 21. Moral. in cap. 31. Job. — 1a. Petri c. 1. — D. Greg. ibid. ut ſuprà. — Thren. 3.]

§. 3. Mirum ſanè, cùm actus proprius oculorum ſit videre, quod paſciſcatur cum oculis de non cogitando; quid enim com-

mune habent oculi qui externa tantùm percipiunt cum cogitatione animiq́ue conſenſu? ſed qui penitiùs rem inſpexerit obſervabit, magnam eſſe inter oculos & ſpiritualem appetitum ſympathiam: ſunt enim feneſtræ quædam, & janua, per quas legati ac nuntii rerum externarum introeuntes ad animum perferuntur: ſunt (juxta D. Gregorium) quaſi quædam viæ mentis, quibus foras veniat, & ea quæ extra ejus ſunt ſubſtantiam, concupiſcat. Hoc modo tribuitur oculis actio cogitandi, quòd cogitationis initium per oculos fiat: neque ſolùm quod intellectus eſt, ſed & quod voluntatis ipſis appropriatur: ut amare, deſiderare; undè quæ amamus, in oculis habere dicimur; & Salomon ait, *Quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis*: quia videre via eſt, & aditus magnus ad concupiſcendum, aſſerente Prophetâ: *Aſcendit mors per feneſtras*, per ſenſus ſcilicet & oculos. *Feneſtra tua eſt oculus tuus. Si videris mulierem ad concupiſcendam eam, intravit mors, ſi audias ſermones meretricios, intravit mors, ſi luxuria ſenſus tuos capiat, penetravit mors.* Propheta Regius divinis myſteriis intereſſe aſſuetus, dum Bethſabeem ſeſe lavantem è ſolario incautè ſpectat, per ſenſus corporis concupiſcentia veniens, habitaculum mentis intravit, morſq́ue per feneſtras oculorum aſcendit; ita ut illud muliebre ſpeculum, lethale ſpiculum ipſi fuerit. Nihil prodeſt animæ munimen gratiæ, ſi ſenſuum feneſtras habeat apertas, per quas carnalia ſpectra domum ingrediantur, ut eam ſubvertant. *Qui enim in ſe flammam cupiditatis accenderit, etiam abſente muliere, quam vidit, jugiter apud ſemetipſum turpium rerum ſimulacra depingit.* De Salomone filio Davidis dicitur quòd mulieres dederunt maculam in gloria ſua. Licet enim quidam dudùm ſe continuerint intra præſcriptum & terminos purioris vitæ; tamen aliquandò conſpectâ liberali & egregiâ virginum formâ fœdæ ſeſe cogitationis maculâ deturparunt; quâ de causâ appellatæ ſunt à nonnullis virgines, *Oculorum ægritudines, conſpicientiumq́ue dolores*; quòd conſpectus virgineus decor oculos exurat, mentique dolorem ingentem inurat.

Eccl. 2. 10. — *Jerem. 9. v. 21.* — *D. Ambr. de fug. ſaculi. cap. 1.* — *D. Chryſoſt. Hom. 17. in cap. 5. Mat.* — *Petrus Victorius lib. 2. var Lect. cap. 5.*

§. 4. Nullum pænè medium eſt, nullum intervallum inter laſcivè videre, & perire. Vidit Actæon Dianam cum Nymphis ſuis nudam, & protinus factus eſt præda ſuis canibus, dilaceratus à violentis concupiſcentiis. Proindè oculos tamquam publicos malefactores Zaleucus Locrenſium Legiſlator puniri voluit, iiſq́ue adulteros privari, ut qui fuiſſent adulterii duces vel ſuaſores; reſpiciens ad originem & cauſam, non ad effectum. Ex

præſcripto enim Juriſconſultorum inſpicienda eſt origo delicti, & cauſſa faciendi quæri debet, non factum. Utinam Rodericus penultimus Gothorum Rex oculis caruiſſet (uti pater ejus Teodofredus, quos illi Ubitiſa perſecutor eruerat) eo potiſſimùm tempore, quo Cava Juliani Comitis filia, quæ in obſequiis Reginæ Egilonæ erat excellenti formæ dignitate (à Lope de Vega Florinda appellata) cum æqualibus ludens, corpus ex parte nudaverat! otio & pace, quam à Rege Leovigildo acceperat Hiſpania floruiſſet, nec umquam intra ſuos limites Mauros vidiſſet. Sed heu! (ut ſunt fragiles res humanæ & imperio cæcæ illius deitatis ſubjectæ,

L. ſi quis in ſervit. 7. ff. de adult.

En ſu Jeruſalem conquiſtada lib. 6.

Te facimus fortunæ Deam, cæloque locamus)

vidit & periit. *Fœmina*, ait Sapiens, *multos vulneratos dejecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea.* Baſiliſcus eſt, qui aſpectu ſuo interficit: nec etiam illa cum aſpicitur minùs offendit: *Prov. 7.*

Vulnus alit venis, & cæco paſcitur igne.

„ Rodericus, quemadmodum (inquit D. Chryſoſtomus) cerva „ confixa jaculo in vitali corporis parte, etiamſi venatorum effu„ giat manus, nihil indè fert lucri;

Homil. 3. de verbis Iſa. Vidi dominum.

——— *Hæret lateri lethalis arundo*:

„ Sic & anima accepto concupiſcentiæ jaculo è laſcivo curioſoque „ aſpectu, etiamſi cum jaculo permittatur abire, tamen ipſa per „ ſe corrumpitur, ac perit, ubique videns hoſtem, & inſequen„ tem habens. Diu nequidquam verbis, gratiâ, blanditiis, pollicitationibus, minis & metu arietatur virgineum, ſed impene„ trabile pectus, cùm

——— *Patientia læſa*

Fit furor.

Invitam reluctantemque virginem Rex vitiat, quem aliis flagitiis infamem libidinis impatientia in præceps egit. Verè fornicatio dicitur quaſi fortis necatio, vel fornacis accenſio. Accendit mirum in modum fornacem vindictæ in anima Cavæ, quæ ſive doloris impatientia, atque ignominiæ dedecore in furorem acta; ſive, ut alius cenſet, (cui propter ingenii & judicii præſtantiam univerſa Hiſpania jus cenſendi tribuit) quia poſt ſtuprum illatum ex pænitudine ſceleris, aut faſtidio voluptatis illam Rodericus exoſam

Mar. Hiſt. Hiſp. lib. 6. cap. 21.

Mar. ibidem.

— Que la muger gozada mas liente, abborreſcida que forçada.

Lope de Vega lib. 6. de Jeru.

exoſam habuit : quod fœminas vehementiùs cruciare conſuevit, quàm ipſa turpitudo, & violentia actûs. Uti Thamar dixit fratri ſuo Amnon quando illam expulit à ſe : *Majus eſt hoc malum quod nunc agis adverſum me, quàm quod antè feciſti, expellare me.* Quidquid id fuerit : Cava (tamquam altera Lucretia quæ voce Collatinum virum ſuum & omnem cognationem adverſus Tarquinios vindictæ cupiditate incendit) patrem ſuum Julianum litteris adverſus Rodericum in vindictam acriter impulit. Unum idemque fuit Julianum à Rege deficere, Mauros in Hiſpaniam evocare, cum Roderico congredi, illum profligare, & totam denique Hiſpaniam in direptionem Barbaris dare. Hinc inventum Epitaphium Regis Roderici, quod per execrationem de patre & filia loquitur, cujus ſcripti hæc eſt concluſio :

2. Reg. 13.

Lope de Vega en ſu Jeruſalem lib. 6.

Ceſſet Florindæ nomen in ſuave,
Cava viator eſt, à Cava cave.

§. 5. Felix Didymus præceptor D. Hieronymi, quem ille ſuum videntem appellat; quòd capitalibus hoſtibus orbatus, corporis nimirùm oculis clauſis, clariores haberet oculos mentis! qui (ut refert Sozomenus) Dialecticam, Rhetoricam, Geometriam, aliaſque Philoſophicas diſciplinas ex auditu didicit, & memoriter ſcivit, adeò perfectè inſuper novum & vetus teſtamentum cognovit, ut multos libros ediderit, & de Trinitate tres libros fecerit, ac ſuper librum Periarchon Origenis explanationes eximias reliquerit. Verùm licet concupiſcentia ex præſentiâ objectorum profecta, non ita infeſtet ac lædat viros perfectioni deditos à cœtu & turbâ ſæcularium longè remotos; illos tamen tentatio ex cogitationibus præteritorum orta, non deſinit vexare. Quocircà comminuendum eſt ſpeculum, ne illas denuò menti repræſentet, ſicque in perniciem trahat : Comminuendum dico, non frangendum, quia ſingulæ particulæ ſpeculi fracti integra objecta repræſentant, quamvis abbreviata, quæ facilè reſtaurari poſſunt. Sic experimur ſomnia coaleſcere ex partibus ſibi nullatenùs cohærentibus. Vidit quiſpiam montem, vidit & aurum, phantaſia in ſomnis illa componit, atque ita de aureis montibus ſomniat; ſpeculum verò comminutum nullas ſpecies referre poteſt. Talis ſit mens noſtra, nullas vitiorum ſpecies retineat, ne illas repræſentet. Si ad Sanctam Mariam Magdalenam recurſum habuiſſent veteris ſimulacra impudicitiæ, illiſque inhæſiſſet licet aviâ montis prærupti eſſet in ſpeluncâ abdita,

tam-

tamquam in Sibyllæ antro, ab omni mortalium conſortio ſegregata: quo pacto ecſtaſi verâ quaſi per inſomnium ſepties in die rapta fuiſſet Angelorum miniſterio? quomodo Angelorum pane deſuper velut mannâ ab Angelis paſta vixiſſet tamdiù ignota, quamdiù vivere tuliſſet amor lento igne cor & inteſtina vorans? ſpiritualia enim cum animalibus, pura cum impuris, æterna cum terrenis non habent cõmercium. Quomodò Theodora pœnitens ſexum mentiri potuiſſet, in carne ſine carne vivere, ab hominibus repulſa, feris animantibus pabulum, dæmonibus ludibrium expoſita; ſi oculos mentis in ſpeculo prioris turpitudinis vel leviter paviſſet? nonne potiùs excitata fuiſſet his illecebris tamquam canis ad vomitum redire? facilè admodùm labimur in peccata quæ cogitatione admittuntur, & virtutum acquiſitarum jacturam facimus. Sic Tygris dum cernit ſpeculum in via à venatoribus ex induſtria poſitum, delectata pulchritudine ſpeculi ſiſtit gradum, & obliviſcitur catulorum ſuorum. Mens irretita laqueis cogitationis, ſui, & officii ſui curam negligit. Non immeritò Philo diſertiſſimus Judæorum tractans fugam Jacobi ex domo Laban ſic commonet. „Si pulchritudine conſpectâ captus periclitaris, ne „offendas ad eam, fuge clàm ab illius imaginatione, nihil am„pliùs menti renuntians. Nam continuæ reminiſcentiæ veras „formas imprimendo lædunt mentem, & invitam concitant. In „his enim clancularia fuga ſaluti eſſe ſolet, cunctatio verò, re„nuntiatio, dilatioque ſuperat rationem, & in ſervitutem redigit: „quapropter cave animo, ne umquam rem ſenſibilem à qua pe„riculum imminet tibi ipſi renunties, nevè retractes eam, ne „fortè ſuccumbens ei reddaris infeliciſſimus: fuge potiùs liber„tatem ferocem ſervituti manſuetam præferens. Diſertis his verbis abſolutam univerſæ doctrinæ epitomen tradit de fugiendis primogenitis Ægypti, ſemine Babylonis, operibus diaboli, idolis in abſcondito, occultis dedecoris, torrentibus iniquitatis qui intrant uſque ad animam; id eſt de peccatricibus cogitationibus, de ſpeculo earum comminuendo: omnia prorſùs exhauſit,

R.P. Raymundus Jordanus Can. Reg. ſub nomine Idiota de oculo myſtic.

——— *Verbum non ampliùs addam.*

SYMBOLUM XI.



ADoptio non in civilibus ſolùm eſt naturæ æmula; (definitur enim: *Legis actio, ſeu legitimus actus, quo qui naturâ liberi non ſunt, lege efficiuntur*: de quâ Auſonius·

Auſonius apud Herm. Vult. in Inſtit.

—— Imitatur adoptio prolem
Quam legiſſe juvet, quam genuiſſe volet.

Et Calphurnius Flaccus: adoptio res ſancta eſt, quæ beneficia naturæ & juris imitatur) ſed etiam in naturalibus; cum ſurculus extraneus arbori inſeritur, fitque ramus ejus ſolertis agricolæ curâ & induſtriâ, cùm naturaliter ramus ejus non eſſet: undè Poëta,

Vene-

Venerit inſitio fac ramum ramus adoptet. *Ovid. de remed. amor.*

Qui dum pinguedinis radicis fit conſors & particeps, alienoque ſucco lætus ac frugifer in locum ramorum illius aſciſcirur ac cooptatur; arbor, cui inſertus eſt, propriis ramis diſectis degeneret oportet veterem naturam relinquendo, ut novam inſiti aſſumat, illiuſque fructus proferat; idque ſecundùm regulas & praxim inſitionis naturalis. Contrarium accidit in illa inſitione de quâ D. Paulus loquitur: *Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam*: ut ſubtiliter annotavit *Rom. 11. v. 24.* D. P. Auguſtinus: *Quis*, interrogat, *inſeret oleaſtrum in olivâ? oliva ſolet eſſe in oleaſtro, oleaſtrum in oliva numquam vidimus, nam* *In Pſal. 72.* *quiſquis fecerit non inveniet baccas niſi oleaſtri; quod enim inſeritur, hoc creſcit, & ejus rei fructus invenitur. Invenitur non radicis fructus, ſed ſurculi.* Proindè illud Dei omnipotentiæ adſcribit, miraculum hîc agnoſcendo & dictum Apoſtoli approbando, quòd eâ de re ſignanter dixerit contra naturam inſertus. Si primævam & auream illam hominis originem conditionemque ſpectemus, recta fuit & in nulla ſui parte læſa natura, nulliuſque opis aut virtutis indiga, firmiter divino adjutorio ſuffulta proprios & nativos producebat fructus: poſt lapſum verò primi Parentis tam in naturalibus quàm in gratuitis vulnerata, vitium pro illâ inolevit. Impotens facta eſt ad fructus bonos niſi externo gratiæ auxilio & præſidio corroborata; quæ in ipsâ tamquam ſurculus arbori inſertus, (modò omnes alios ramos, vetera omnia à ſe reſecari patiatur) fructus primos & puriſſimos ferre poterit. Quibuſdam feliciſſimè ceſſit ſæculum potiùs ignoraſſe, quàm reliquiſſe; aliis exitio fuit quod cùm vix exceſſerant ex ephebis, religioni ſeſe dediſſent; qui poſtmodùm tentationibus pulſati indeſinenter ſuſpirârunt, & adſpirârunt ad Anſeres Ægypti. Quiſquis oliva fructifera fieri deſiderat in domo Dei (licet diù in ſæculo oleaſter fuerit) omnes ramos mundanæ cupiditatis amputari ſinat, ut ſurculus gratiæ ſibi inſeratur, in ſe maneat, & fructificet. Tollendus eſt apex ambitionis, corona ſuperbiæ, patula coma luxuriæ, terræ inclinatum pondus avaritiæ, omnes expanſi rami quaſi extenſa brachia ad malum amplectendum: eo modo gratiæ fructu gaudebit, & frugem feret boni operis. Natura hominum novitatis eſt *Plin. lib. 12. cap. 21.* avida, ſed quid illâ gratius, quid ſalubrius?

§. 1. Quintus Petilius Prætor urbanus Numæ Pompilii libros *Tit. Liv. Dec.* in agro L. Petilii ſcribæ inventos (cùm legendo animadvertiſſet *4. lib. 10.*

in eis pleraque diſſolvendarum religionum eſſe) igne cremandos accedente Senatûs placito ſtatuit. Libri in Comitiis igne à Victimariis facto in conſpectu populi cremati ſunt. Tam ſtudioſi erant Quirites amovendi omne illud, quod vel minimum contra religionem faceret. Nunc etiam antiquæ Legis Sacramenta, egena ſunt & infirma elementa: *Et ſciſſo templi velo, ſancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Evangelium verteretur.*. Quantò magis qui Sacramento fidelitatis ſeſe Chriſto aſtrinxerunt, qui cingulum & donativum militare acceperunt; qui ſub ſolemni formulâ jurarunt in verba magiſtri, affirmantes, ſe diabolo & operibus ejus renuntiaſſe; veterem hominem cum actibus ſuis exuiſſe, novum induiſſe qui creatus eſt in juſtitia & ſanctitate; debent omnibus ſæcularibus foris ac intùs excluſis in novitate vitæ ambulare? Diſplicet alioquin Deo ſtulta & infidelis promiſſio. Qui in ſchola Chriſti Tyrocinium poſuiſtis, ibique ab ipſo audiſtis: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Quomodò recurrit animo veſtro ſuperbia? quomodò jactantia? quomodò ambitio? Salubriter præmonet quemlibet ſanctus Auguſtinus his verbis: *Magnus eſſe vis à minimo incipe, cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Quid ſubeunt pompoſa ſtemmata & nomina faſtuoſæ nobilitatis? quid fumoſæ majorum imagines, tituli, prærogativæ? quid Syrenum cantu delectamini? quid deliciis & viſcoſis carnis cupiditatibus, ſi jam non corpore, mente certè totâ quaſi quibuſdam compedibus & retibus preſſi hæretis atque ligati? quid vobis cum pompis diaboli quibus renuntiaſtis? an ſolummodò renuntiaſtis vocibus, non etiam moribus? tantùm ſono linguæ, non & actu vitæ? tantùm labiis ſonantibus, non operibus pronuntiantibus? Ecce *Dominus ac Redemptor noſter, novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo: & cæleſtis hic medicus ſingulis vitiis obviantia adhibuit medicamenta, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem*; qui exemplo ſuo prævivit confirmavitque factis ſuam doctrinam: *Cæpit Jeſus facere & docere*; ut inſtillaret nobis humilitatem, docuit ſimile eſſe regnum Cœlorum grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus: & ipſe *Granum fuit cùm moreretur, arbor cùm reſurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majeſtatis.* In quantùm homo numquam Rex fuit, aut regiam dignitatem ullo modo affectavit; & non ſolùm executionem Dominii & Regni,

ſed

S. Leo ſerm. 8. de Paſſ. Dom. poſt medium.

Serm. 10. de verb. Domini.

D. Greg. Hom. 32. in Evang.

Act. 1.

Matth. 13. v. 31.

D. Greg. lib. 19. Moral. cap. 11.

ſed neque authoritatem vel poteſtatem Regni ullius temporalis habuit:quia vel ex hæreditaria ſucceſſione,vel ex electione, vel jure belli, vel dono ſpeciali accepiſſet, nullo autem iſtorum modorum regnum ab ipſo fuiſſe acquiſitum fusè & clarè probat Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis: quin, *Cùm cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus*: & alibi dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Utque omnem ſuperbiam, jactanriam, & propriam complacentiam ſtirpitùs evelleret è cordibus Diſcipulorum ſuorum, eos ſalutari hâc doctrinâ imbuit: *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.*

Lib. 5. cap. 4. de Rom. Pont. *Joan. 6.* *Joan. 10.*

§. 2. Quantùm dedecet ſervos Chriſti totis inſudare diebus & noctibus Genealogiis, omnem curam agere de contexendâ & retexendâ progenitorum ſerie; quàm longè iſti diſtant & degenerant à virtute præceptoris! attamen plurimi etiam perfectionis ſummam profeſſi, quâcumque arma gentilitia circumferunt, ubique affigunt, & non ſolùm in feneſtris habent depicta, ſed & in quovis angulo ad ſeceſſum uſque; ita ut parietes ipſi eorum teſtentur inſaniam: *Deprehenderis, & detegeris Chriſtiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere.* Quid ſub pelle ovinâ lupum contegis? juſtus eſſe non quæris, & videri cupis. Cur audis ſerpentem inſidiantem, non Chriſtum docentem? cur Evam ad ſupplantandum, non Eccleſiam ad dirigendum? *Nonne Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti?* Quomodò iſto faſtu & pompâ onuſtus ſub vexillo crucis ſtare potes? Heraclius ſanè Imperator devicto Choſroâ Rege Perſarum ſalutiferæ crucis lignum auro gemmiſque ornatus ad locum, undè ſublatum fuerat, portare non valuit, niſi omnibus regalibus exutus plebeium veſtimentum indueret, ut ſic Redemptoris humilitatem exprimeret. Eadem in urbe Godefridus Bullonius coronâ noluit inſigniri, quia in ipſa Chriſtus ſerto ſpineo fuerat redimitus: & S. Catharina Senenſis ad imitandum charum animæ ſuæ ſponſum ſpineam elegit. D. Ambroſius aſſerit, *Probati viri genus, virtutis proſapia eſt, quia ſicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes ſunt.* Et Poëta ſubdit:

D. Aug. lib. 4. cap. 1. tom. 9. *Hebr. 11. verſ. 24.* *De Arca & Noë cap. 4.*

Et genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco.

§. 3. Sancti omnes non aſcititiis in cælo fulgent inſignibus, ſed propriis, ſed genuinis. Ibi radiant plus quàm ſtellæ in firmamento,

Crux Petri, gladius Pauli, lapides Stephani, craticula Laurentii, ſagittæ Sebaſtiani, & omnia inſtrumenta ſupplicii, quæ ceſſerunt in ornamenta gloriæ. Talis invenitur in Jeruſalem cæleſti metamorphoſis, quia & in terreſtri debet eſſe. „ Oleaſter mutandus „ eſt in olivam, lupus in ovem, non naturę converſione, ſed pro- „ poſiti. Non ſimiliter factum in arca Noë, quæ animalia ſuſce- „ pit, & animalia conſervavit; Eccleſia verò animalia ſuſcipiens, „ eadem transformat; accipiter in arcam introivit, accipiter exivit; „ introivit in Eccleſiam quis accipiter, columba exeat neceſſe eſt; „ introivit lupus, ovis egrediatur; agnus introivit, & exeat agnus „ non tranſmutatâ naturâ, ſed malitiâ excluſâ.

D. Chryſoſt. Hom. 3. de Pœnit.

§. 4. Habes hic quiſquis ad perfectionem tendis, ut recedant vetera, & nova ſint omnia, abſolutam normam: ſi ampliùs exigis? perpende, quàm exactè & ad unguem Redemptor tuus naturam & legem contractuum innominatorum impleverit; qui ita dicti ſunt quòd proprio & ſpecifico nomine careant, ſed his vocibus ſignificentur: *Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* Ex gratuita ſua & inolita benignitate dedit nobis uberem ac florentem gratiæ ſurculum, ut animæ noſtræ tamquam arbori inſeratur, & ſuccum ſuum viciſſim communicet; hoc eſt pium motum liberi arbitrii, ſicque proficiat ad frugem boni operis. *Licet enim ipſe Chriſtus Jeſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona ipſorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent:* Sitque ulteriùs ipſa gratia (utpotè excellentiſſimum in hac vita bonum & ſemen gloriæ) diffuſiva ſui, undè Anti-Claudianus:

L. naturalis 5. ff. de præſcriptis verbis.

Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.

Gratia lux ingens animi, quæ prodiga largos
Vult poſſeſſores, & dedignatur avaros:
Clauſa perit, diffuſa redit, niſi publica fiat
Labitur, & multas vires acquirit eundo:

Lib. 7.

Attamen illa non ſola opus meritorium perficit, ſed requiritur ex parte hominis cooperatio liberi arbitrii: hinc D.P. Auguſtinus, *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Proindè *dat ut facias*; in ſilveſtri trunco tuo ramum fertilis gratiæ induſtrius agricola inſerit, ampliſſimis animi dotibus ornat, variiſque Chariſmatum titulis inſignit, ut gnaviter liberum arbitrium gratiæ admoveas, & ad opus applices. *Facit* etiam *ut facias*, prælucet tibi exemplo, docet te (ut antè patuit) vitâ & moribus ſuis omnem incontinentiam,

Serm. 25. de verb. Apoſt.

nentiam, elationem, vanam gloriam, dolum, invidiam, iram, inertiam fugere: (omnis ſiquidem ejus actio, noſtra eſt inſtructio) ut tu pariter omnes ſilveſtres ramos cupiditatum ſæcularium radicitùs amputes, ut arbor tua, anima tua, ſolius gratiæ fructum producat. *Facit ut des*: Omnia tui causâ, ô mortalis! operatus eſt; & pro te frigus, nuditatem, egeſtatem, famem, ſitim, opprobria, irriſiones, flagra, ſputa, mortem denique ipſam peramanter tulit; & quidquid erat in corpore ſanguinis libenter & benignè impendit; ut illi arborem tuam dares fructibus gratiæ onuſtam, non in utilitatem ſui (cùm bonorum noſtrorum non egeat) ſed in commodum tuum: quandoquidem *ejus tanta ſit erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona.* Verè largitor eſt bonorum omnium, & remunerator meritorum. *Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.*

§. 5. Itaque reſecatis ramis ſilveſtribus, optimæ cogitationes, ſenſus optimi efflorefcant, floreſque gratiæ fructus in ramis adoptivis parturiant. Ramus olivæ prætenſus componendæ pacis erat indicium, undè *Sagmina* herbæ quædam dicebantur, quas Legati Populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret: ſicut Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur κηρύκεια. A ſagminibus ſanctum dici volunt, licet rectiùs à ſanctione. Sanctum juxta Juriſconſultos eſt, quod ab injuria hominum defenſum atque munitum eſt. Sagmina apud noſtros *Verbena* eſt, ſive *Verbenaca*, quâ Pater Patratus & Fæcialis, fœdera percuſſuri, ſolebant coronari. Æneas ad inferos deſcendens, cùm neque precibus, neque pactione rigidum Charontem, triſtem & horrendum portitorem permovere poſſet, ut ſeſe in oppoſitam Acherontis ripam trajiceret; aureus ab eo ramus (abditus hactenùs & occultatus) oſtenſus, fulgore ſuo perſtrinxit oculos illius, & iratum animum placavit, ſubnectente Sybillâ Cumanâ: *a L. Sanctum 7. ff. de rer. div. & qual. Liv. lib. 1. ab urb. Cond. & lib. 10. Belli Punici.*

Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum qui veſte latebat)
Agnoſcas. Tumida ex irâ tunc corda reſidunt,
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ longo poſt tempore viſum
Cæruleam advertit puppim.

Virg. lib. 6. Æneid.

Cupis, ô Chriſtiane! intactus & illæſus agmina diabolica pertranſire, in ſancta introire æterna Redemptione inventa? non alia lege tibi claviger æthereus aditum reſerabit, niſi ramum aureum charitaris & gratiæ proferas bonorum operum fructibus gravidum.

SYM-

SYMBOLUM XII.



ARS naturæ imitatrix, ſi nihil aliud obſtet vel impediat, illis omnibus quæ ejus beneficio & induſtriâ poſſunt perfici, non expectat ut ſupremam manum natura imponat, ſed virtute propriâ illâ longè eſt velocior ad præfixam operis metam celeriùs attingens, quod ex omnibus ferè effectibus patet. Cernimus ex nucleis fructus tardè, inſitione celeriter provenire; lutum in generatione lapidum tardè, in torrefactione laterum citò dureſcere. Inter omnes artes pictoria eminet, & propiùs ad naturam accedit: quæ operi ſuo brevi tempore mirâ facilitate & dexteritate coronidem

dem addit; cùm natura vix decem menſibus ingenti conatu & molimine opus abſolvat. Tametſi enim animam corporibus impertiri non poſſit, at venuſtatem ac motus affectuum indices non raro iiſdem inducit, & ad oculos ſpectantium educit. Licet quoque corpora ipſa materiæ defectu plenè effingere nequeat, coloribus tamen & penicillo tam concinno, raroque artificio ea delineat in tabula, ut nihil præter vitam ipſam porrò deſideres. Cùm verò naturæ fulcitur adminiculo ſcitiſſimè & celerrimè quidlibet exprimit, teſtatam omnibus ſolertiam relinquens: quemadmodum olim indignabundus pictor ferocientis equi ſpumam, feliciùs ſpongiâ quàm penicillo expreſſit. *Plutarchus. Item Plin. lib. 35. cap. 10.*

§. 1. Omnem diabolus arripit opportunitatem ut in anima hominis imagines ſuas efformet: nulla illi dies, nulla nox abit ſine linea; in eo univerſos induſtriæ ſuæ nervos intendens, quò poſſit in unoquoque illas depingere juxta genium & naturæ propenſionem, ita enim ex Pygmæis Gigantes evadunt. Sic olim paſtores nomina illarum quas deperibant, arborum corticibus inſculpebant. Hic in quercu Phyllis legebatur, ibi in fraxino Amaryllis, illic in platano Galatea, quæ nomina cum cortice dilatabantur: ſenſim proceſſu temporis mirum in modum excreſcebant, quod incrementum eâdem viâ amoribus ſuis exoptabant. In potentiis animæ intellectu nimirùm, memoriâ & voluntate velut in corticibus Diabolus incidit nomina & figuras creaturarum, quas homines vitioſo naturæ inſtinctu depereunt. In his nummos aureos & argenteos, gemmas & lapides pretioſos, in illis coronas, ſceptra, ſolia; in iſtis varia armorum genera ad vindictam expedita, in aliis turdos, phaſiacas aves, rhombos, oſtrea, boletos, pocula, pateras vino optimo repletas; in pleriſque Veneres, Nymphas, Cupidines & cætera voluptatum ſimulacra, ut ſic cum ipſis affectus creaturarum incrementum capiat. At ſi inſculpere nequeat, certè in corde tamquam in raſa quadam tabula eorum imagines furtim depingit, tamque affabrè & ingenioſè elaborat, ut ſciens volenſque homo illis per delectationem immoretur, ac poſtmodùm omni operâ & curâ vix poſſint deleri. Tantùm ſuffragante & connitente naturâ opera Diaboli confirmantur; præſertim ubi aſtutiam ſuis machinationibus aſſuit, ubi ſub ſpecie veri & boni incautos decipit, virtutis amictu vitia induendo: quando diſcipulos ſuos modernos quoſdam politicos inſtruit, ut deceptorem providum, temerarium fortem, adulterum amaſium, avarum

parſimoniâ præditum, effrænem generoſum nominent:

Horat. Ep. 6. ad Numicum, & 18. ad Lollium.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui.
Deme ſupercilio nubem, plerùmque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.

Sic variant ex præſcripto magiſtri conſtantes in levitate ſua mentis ſententiam; quando præterea Dæmon illud quod bonum apparet, supernè blandum & illiciens oſtentat, quod monſtroſum infernè eſt, celat: quando monſtrat eâ parte Erichtonium aut Syrenen quâ placent, non quâ horrorem incutiunt.

§. 2. Famoſi antiquitùs Pictores Zeuzis, Pharraſius, Apelles, non tantùm excelluerunt, quantùm D. Paulus in arte depingendi imaginem Dei: & ſicut Corinthios non ſolùm appellat Epiſtolam ſuam, (quia ipſius operâ & ſtudio converſi, inſtar Epiſtolæ commendatitiæ, ipſi erant ab omnibus intellectæ & laudatæ; utque opus opificem commendat, ſigillum rei ſignatæ facit fidem, ita efficacis illius Prædicationis honorificum & publicum dabant teſtimonium) verùm etiam illos nominat *Epiſtolam Chriſti, ſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Epiſtola Chriſti, ô Corinthii, vos eſtis.* Quorum ſcilicet, in cordibus miniſterio meo quaſi calamo inſcriptus eſt Chriſtus; ipſe Chriſtus per me & meam prædicationem, ſuam fidem, ſpem, charitatem, & reliqua bona inſcripſit non atramento, ſed Spiritu ſancto, ejuſque afflatu, & inſpiratione. Sic congruè illos & quoſcumque ad fidem convertit, imaginem Dei potuit appellare, quando hanc non artifice penicillo, ſed calami & vivæ vocis adminiculo eorum cordibus ad vivum impreſſit. Attamen quantæ molis erat, quantæ difficultatis eamdem vivis coloribus in Galatarum pectoribus efformare! quaſi ſub onere & labore ingemiſcens clamat: *Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur in vobis Chriſtus.* Filiolos vocat, quos per Evangelium Chriſto genuerat, quoſque relapſos à Chriſto, & adoptione filiorum Dei ad Judaiſmum, iterùm parturire ſe dicit, ut à Judaiſmo revocet, Chriſtoque rursùs pariat: *Vide commotum, vide turbatum: matrem refert de liberis trepidantem: vides paterna imò materna viſcera; vides anxietatem Apoſtolo dignam; vides qualem mittat ejulatum multò triſtiorem quàm ſolet eſſe parturientium.* Memorat ſacer Domini noſtri Benjamin Joannes, vidiſſe ſe mulierem in Apocalypſi ſua, quam Sol pro theriſtro veſtiebat, quæ Lunam pedibus calcabat, & in capite coronam ſtellarum duodecim geſtabat,

2. Corinth. 3. v. 2. — *Verſ. 3.* — *D. Chryſoſt. in cap. 4. ad Galat. tom. 1.* — *Cap. 12. v. 2.*

ſtabat, nec vidit ſolùm hanc mulierem quæ Eccleſiæ typum gerebat, ſed audivit etiam inter anguſtias proximi partûs miſerabiliter vociferantem præ doloribus fœtûs maturi: *Et in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.* Rupertus Abbas ait, ſi tantis laborum & cruciatuum impendiis proferendus in lucem erat hic filius, quantò meliùs fuiſſet matri non habuiſſe illum? reſpondet tamen: *Parturiendo quidem clamat quia dolet, ſed nimirùm ſic mavult dolere, quàm ſano utero ſterilis permanere*; eniti enim maturum fœtum feliciter optabat, quòd in ipſo glorioſæ poſteritatis ſpem omnem collocatam haberet, certa, felicem fore cruciabilis partûs eventum. Ingenti cum labore & dolore parturit, & enititur vas electionis adinſtar cervarum, quarum partus, teſte Ariſtotele & Plinio, difficillimus eſt; ideoque *Seſeli* herba illum adjuvant: de quibus etiam illud Job: *Numquid parturientes cervas conſideraſti? incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt.* Sic contemplabatur Apoſtolum D. Gregorius: *Video*, inquit, *Paulum quaſi quandam cervam quoſdam in partu ſuo magni doloris rugitus emittentem: ait enim, Filioli mei quos iterùm parturio:* Quantâ amoris teneritudine ipſos non filios, ſed filiolos vocat, quamvis eſſent fœtus imperfectus & abortivus; nam & hi parturientis dolores hòc ſunt acriores, quò major erat affectus charitatis; quare tantùm laborandum, tantùm ſudandum more parturientis? ipſe dicet, O Galatæ tamdiù cervæ parturientis rugitus edam, *donec formetur in vobis Chriſtus*; *Corrupiſtis enim imaginem, perdidiſtis generoſitatem, formam immutaſtis, opus eſt ut renaſcamini atque refingamini*: hinc opus, hinc labor; deformaſtis prorsùs effigiem Dei, perſuaſionem, & faſcinationem pſeudo-Apoſtolorum, operariorum Diaboli, qui vos in errorem & cæcitatis inducendo totam formam ac faciem vitiarunt, & Diaboli imaginem ſuperinduxerunt; idcircò volo & debeo mutare vocem in rugitum, ut quos jam prædicando, peperi, reformando gemens iterùm pariam, ut Chriſtum, Chriſtique fidem, ſpiritum, imaginem in vobis efformem. Receperant Galatæ falſa quędam & ſiniſtra de fide dogmata. Chriſtus ex eorum cordibus erat abolitus, Sathanas verò miniſterio & penicillo ſubdolorùm ſubtiliter adumbratus: indè tantus labor, dolor & cruciatus; quia tabulæ, in qua undequàque imagines ſunt depictæ, alia ſuper induci non poteſt, niſi priores deleantur: ita tabulæ cordis, quam totaliter Sathanæ imago occupat, Chriſti effigies imprimi nequit. Quæ eſt enim communicatio Chriſti ad Belial? quæ conventio lucis ad

Cap. 39. v. 1. & 3.

Ad citatum locum Job 3. Moral. cap. 1.

D. Chryſoſt. in cap. 4. ad Galat. tom. 1.

ad tenebras? quod contubernium inter cælum & terram, carnem & ſpiritum?

—— *Non capit regnum Duos.*

Lib. 2. de Imitat. Chriſti cap. 7. *Dilectus tuus*, ait noſter Thomas à Kempis, *talis eſt naturæ, ut alienum non velit admittere, ſed ſolus vult cor tuum habere, & tamquam Rex in proprio throno ſedere.* Priùs igitur obliteranda penitùs ſunt opera Diaboli, antequam Chriſtus poſſit formari in nobis: in tabula ſiquidem quam Spiritus Sanctus, propriis & nativis coloribus, gratiis, & chariſmatibus divinis, ſuâ denique imagine venuſtare cupit, ne minima quidem lineamenta mundi aut carnis ſunt relinquenda.

§. 3. Quid? in rabiem & furias vertetur maritus; (ſi reſciat ab uxore ſua alterius eſſe receptam effigiem) præ dolore Zelotypiæ ingentes tragœdias, vindictas, & cædes excitabit? & Deus patietur impunè animam, conjugem ſuam per ſpirituale conjugium adulterare, & effigiem adulteri in pectore geſtare? patietur illud? & adhuc illam imagine ſuâ inſigniri? minimè. Majori ſanè debito, arctiori vinculo eſt homo Deo obſtrictus cum ſit ipſius quaſi peculium, ideoque eum obſignaverit ſigillo ſuæ imaginis tenaciſſimo & indelebili. *a* Multis igitur de cauſis homo geſtat imaginem Dei. Primò ut filius ſui Patris; ſecundò ut mancipium Domini ſui, tertiò ut miles ſui Ducis & Imperatoris; quartò denique ut miniſter & diſpenſator Heri ac Domini ſui. Dupliciter etiam in homine invenitur imago Dei: naturalis quæ peccato amitti non potuit, eſt enim ipſi naturæ indelebiliter impreſſa, ut perdi non poſſit, niſi perdatur & ipſa natura. Altera eſt ſupernaturalis ſita in gratia & juſtificatione hominis, quâ divinæ fit conſors naturæ in gloria & vita æterna perficienda. Hæc imago ſicuti ab hominis voluntate pendet, ita peccante eâ mortaliter deperditur. De hac in præſenti agimus.

a Pererius lib. 4. in Diſgreſſione Morali. pag. 501.

§. 4. Porrò multi qui è ſæculi pelago ad Religionem tamquam fidam ſalutis ſtationem confugêre, cùm plurimis mundanarum vanitatum conſortiis & ſpectaculis interfuerint (homo enim ſecundùm Ariſtotelem intelligendo fit quaſi omnia, quia omnium rerum imagines & ſimulacra in phantaſia ac mente ſibi efformat) non rarò omnium, quæ audierunt, viderunt, fecerunt, ideas non leviter animo impreſſas ſecum ferunt, & per eas nonnumquam veluti per quædam relicta cupiditatis veſtigia ad ſæculum redeunt.

redeunt. His Dominus per Iſaiam dicit: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* Non operum, non verborum, ſed cogitationum munditiem curandam imperat Propheta, ut hoc pacto radicem mali evelleret; peccatorum autem omnium radix ſunt cogitationes. Quod benè annotavit ſanctus Ephrem: *Operis*, inquit, *inſtar eſt cogitatio, quippè in quâ tamquam in causâ omnium effectivâ arbitrii noſtri ratio nititur.* Illa radix ne pullulet, ne excreſcat, ſine mora exſcindenda eſt; neque enim quiſquam expectat, ut animalia venenata mordiderint ad ea interficienda: *Neminem*, ait Demoſthenes, *veſtrûm umquam ſerpens momordit aut Araneus, & abſit ut umquam mordeat, ſed tamen eas animantes, ut videritis, ſtatim occiditis*; præſens & opportunum adhibendum eſt remedium. *Excutiendum quidquid in nobis reſederit vetuſtatis, rugæ inſuper omnes & maculæ ac labes abluendæ. Nos itaque excolendi ornandique erimus, ut noſtri decoris & cultus deſiderio vel Princeps ipſe & Dominus capiatur.* Ut de nobis dicat Pſalmiſta imaginem eorum ad nihilum rediges, id eſt imaginationem impuram, ne turpia verſentur in corde. *a* Cogitationes enim ſi paululùm creverint, ſine læſione avelli nequeunt, & vix à corde eradicari, ſed ſub clypeo neceſſitatis, honeſtatis, gradûs & ſtatûs pallientur, judicium juſtum & verum impediunt: ſicque à ſpirituali cogitatione inconſultè ſegregatur animus & mundanis cogitationibus occupatur.

Iſa. 1. v. 16.

S. Ephrem de malo lingua.

Demoſth. contra Ariſtigitonem.

D. Chryſoſt. ſerm. 24. tom. 2.

a Idiota de ſtatu religioſo. lib. 1. cap. 30.

§. 5. Obſervandæ igitur ſunt exactè regulæ artis, juxta quas ut opus aliquod picturæ abſolutum & perfectum exurgat; non debet ſolummodò aliquis præviè colores attemperare, ſed & tabulam ipſam mundare, perpolire, ſi quid in illa pictum eſt delere, & imagini concinnè adaptare. Cor noſtrum pari ratione, ſi velimus ut in eo artificioſiſſimus pictor Spiritus Sanctus imaginem ſuam efformet, debet eſſe tabula perpolita, munda undequàque, ut in ea nullatenus reſideat vitiorum memoria, nullaque inveniantur Diaboli lineamenta; ſit abſolutè tabula raſa. Tunc in ea Spiritus Sanctus expeditiſſimè opus ſuum excellentiſſimum perficiet. Ille enim neſcit tarda molimina, ſed ubicumque invenit vas capax, receptaculum mundum, illi ſine mora gratiam ſuam infundit. Sic & ſcientiæ aliæque artes liberales à ſtudio tardè, à dono Spiritus Sancti celeriùs comparantur; quod ubi mentem attingit, ibi ſtatim & affatim eamdem edocet; omni ſcibili imbuit,

Homil. 90. in Evangel. buit ,. & factibili inſtruit. „ Implet eum Cytharædum pue„rum (inquit D. Gregorius) & pſalmiſtam facit, implet pa„ſtorem armentarium ſycomoros vellicantem , & prophetam „facit , implet abſtinentem puerum & judicem ſenum facit, „implet piſcatorem & prædicatorem facit , implet perſecuto„rem , & doctorem Gentium facit , implet publicanum & „Evangeliſtam facit. O qualis eſt artifex iſte Spiritus ! nullâ „ad diſcendum morâ agitur in omne quod voluerit. Mox „enim ut tetigerit mentem docet , ſolumque tetigiſſe do„cuiſſe eſt.



SYM-

SYMBOLUM XIII.



PRæbent de ſe Viri ſancti ſigna quædam & indicia, licet non prorsùs infallibilia aut incommunicabilia, probabilia tamen quibus ab improbis, ab hypocritis, à pſeudopoliticis diſcernuntur. Oppoſita juxta ſe poſita clariùs eluceſcent. Quanta diſparitas inter malos manifeſtos ſit & bonos neminem fugit: eſt enim inter illorum vitam & actiones omnimoda contrarietas. Virtuoſus uti & virtus omnibus ſe charum & amabilem exhibet etiam inimicis. Malus in omni negotio ſe ſolummodò & cupiditates ſpectat, licet cum proximi damno & injuria, gloriatur enim in ſimulacris ſuis.

Ille

Ille ſemper aſpectu placidus, lenis, ſerenus, Socratico gratus vultu, humanis diviniſque rebus pariter æquus, in ſe omnium animos convertens. Talis erat benigniſſimus & amantiſſimus Redemptor noſter dulcis Jeſus, ut de illo ſanctæ Brigittæ mater ejus glorioſiſſima teſtatur his verbis: „ Ipſe tam pulcher facie erat, „ quod nullus videbat eum facie, qui non conſolaretur in aſpe- „ ctu ejus: juſti verò ſpiritali conſolatione conſolabantur, ſed & „ mali à triſtitia ſæculi, tanto tempore quo eum videbant, rele- „ vabantur. Undè dolentes dicere conſueverant: Eamus & Fi- „ lium Mariæ videamus, ut ſaltem tanto tempore relevemur. Talis etiam fuit ſanctus Romualdus vultu adeò ſemper læto, ut intuentes exhilararet. Hic verò perfrictæ frontis, meditabundus, triſtis, turbulentus, ſibimet gravis.

Revel. S. Brigittæ lib. 4. cap. 70.

In Vita ejus, 7. Febr.

§. 1. Pacem tamen cum mundo habent reprobi, dum rebus temporalibus lætantur, honoribus extolluntur, carnis voluptatibus diſſolvuntur, & in his amaritudinem peccatorum ſuſtinent, quia eſſe ſub ſentibus delicias reputant nullâ pœnæ venturæ formidine commoti; ſed pacem habent in præſenti cum diabolo, dum ejus voluntati per omnia acquieſcunt, & in vitiis requieſcunt: *Bibunt enim quaſi aquam iniquitatem*; ſimiles Moab de quo Propheta: *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentiâ ſuâ, requievit in fæcibus ſuis.* Juſtis verò neque cum mundo, neque cum diabolo nulla pax eſt, ſed quantò ampliùs à diabolo impugnantur, tantò firmiori pace cum Deo ſolidantur. Perfectis mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo; qui nec attolluntur ejus proſperitate, nec franguntur adverſitate. Sancti ſunt aliis miſericordes, ſibi verò auſteri; grave juſtitiæ pondus ſibi ponentes, aliis leve. „ More gal- „ linæ pro pullis ſuis infirmantur, & mallent paſcere pullos ſuos, „ quàm paſci à pullis, vel quàm paſcere ſe ipſos; gallina enim ſe „ ipſam tradit oblivioni, & jejuna remanet pro pullis paſcendis. Hujuſmodi viſcera Charitatis habebat D. Paulus dum ait: *Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor?* His etiam majora habuit Architypus omnis miſericordiæ & benignitatis Chriſtus Dominus, *Qui venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes, ferre tædia, referre ſanitates; quia medicus qui non fert infirmitates, curare neſcit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.* Econtra, *Viſcera impiorum crudelia*: de quibus Oſee, *Si nutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam in hominibus.* Licet enim filios habeant abſque liberis eſſe dicuntur, quia de ipſis non curant, crudeles ſunt, quia filios

Job cap. 15. v. 16.
Jerem. c. 48. v. 11.

Card. de Vitriaco C. R. in Ep. 1. ad Cor. cap. 1.

2. Corinth. 11. v. 29.

S. Petr. Chryſol. ſerm. 150.

Prov. 12. v. 10.
Oſee 9. 12.

filios ſuos abjiciunt. In hos Jeremias ſub typo Jeruſalem invehitur: *Filia populi mei crudelis quaſi Struthio in deſerto*, quæ ſcilicet pullos derelinquit, nec nutrire eos curat. *Obliviſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat* (ſcilicet ova) ſic illi filios derelinquunt, *& omninò non curant ne aut exhortationis ſollicitudine, aut diſciplinæ cuſtodiâ deſtitutos pravorum operum exempla pervertant; ſi enim ova, quæ gignunt, diligerent, nimirùm metuerent ne quis ea perverſa opera demonſtrando calcaret*. Hunc pedem D. Paulus diligentiſſimè cavendum ſuis demonſtrabat, & imprimis ad Theſſalonicenſes ita ſcribens: *Denuntiamus vobis, Fratres, in nomine Domini JESU CHRISTI, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*: in quo & D. Joannes invigilavit, & D. Petrus. Habent ergo veraces magiſtri ſuper diſcipulos timoris viſcera ex virtute charitatis, hypocritæ (jam enim per hoc ſe prodit illorum natura) *tantò minùs commiſſis ſibi metuunt, quantò nec ſibimet ipſis quid timere debeant deprehendunt*. Undè adhuc ſub Struthionis ſpecie ſubditur: *Duratur ad filios quaſi non ſint ſui*, illi quorum mentes dum ſemper exteriora appetunt, intùs inſenſibiles fiunt; *Et in cunctis quæ agunt, dum ſua ſemper expetunt, erga affectum proximi nullâ charitatis compaſſione molleſcunt*. Magno æſtu amoris circa filios ſuos inhiabat Apoſtolus dicens: *Nos vivimus ſi vos ſtatis in Domino: & teſtis eſt mihi Deus, quomodò cupiam omnes vos in viſceribus CHRISTI JESU*; non enim filiorum ſuorum fuerat more Struthionis oblitus. Juſti illius virtutibus abundare ſtudent, quæ maximè ad multorum ſalutem procurandam neceſſariæ ſunt, atque utiles: ſive enim manſueti ſint, modeſti, miſericordes, non intra ſe tantummodò hæc rectè facta concludunt, verùm in aliorum quoque utilitatem præclaros hos facient effluere fontes; quod Paulus indicat ubi ait: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis*. Illud quod dicit beatus Job de Struthione: *Fruſtrà laboravit nullo cogente*, injuſto rursùs accommodatur; non enim aliorum promovet ſtudia, profectum, ſalutem: „ ſed etiam filiorum cuſto-„ diam deſerit, & temporalia quæque defendere etiam jurgii quæ-„ rit: exemplo ſuo eorum perdere corda non trepidat, & quaſi „ per negligentiam amittere negotia terrena formidat. In erro-„ rem diſcipulus labitur, & tamen cor ejus nullo dolore ſauciatur. „ Ire in iniquitatis voraginem commiſſos ſibi conſpicit, & hæc „ quaſi inaudita pertranſit: at ſi quod leviter ſibi inferri temporale „ damnum ſenſerit, in ultionis iram jam repentè ab intimis inar-

Thren. 4. v. 3.
Job 39. v. 15.
D. Greg. in dictum caput.
D. Greg. ibid.
Job 39. v. 16.
Idem ibid.
1. Theſſ. 36.
Philip. 16.
1. Corinth. c. 10. v. 33.
Job 39. v. 16.
D. Greg. lib. 31. Moral. c. 8. in dictum caput 39.

„ deſcit. Vel certè ſibi ſuiſque commodis intentus inutilibus curis fatigatur.

§. 2. Perfectus denique Chriſtianus idem eſt ſemper, & in omni actu par ſibi; uniformis in moribus, nec proſperâ elatus, nec adversâ fortunâ dejectus: *Numquam fortunæ maledicet, numquam accidentia triſtis excipiet, civem eſſe ſe univerſi & militem credens, labores velut imperatos ſubibit, & quidquid incidet, non tamquam malum aſpernabitur, & in ſe caſu delatum, ſed quaſi delegatum ſibi.* Quàm congrua, Deus bone! & Chriſtiana ſententia! quòd adverſa excipienda ſint quaſi à Deo homini delegata; per quæ ſapientiſſimus Conditor experitur, utrùm quis conſcius ſibi melioris naturæ operam det, ut in hac ſtatione quâ poſitus eſt, honeſtè ſe atque induſtriè gerat: utrùm non deſit illi, in his quæ toleranda ſunt, patientia, & in his quæ agenda, prudentia. Tyronem ſuum, & imitatorem Chriſti taliter inſtructum, & confirmatum, imò ad ſummum ſui adductum deſiderat Thomas à Kempis, ut liberè poſſit Deo dicere: *Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus; & ſi me vis eſſe in luce, ſis iterùm benedictus; ſi me dignaris conſolari, ſis benedictus; ſi me vis tribulari, ſis æquè ſemper benedictus.* Maximum argumentum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi neque inſolenti lætitiâ ſeſe efferat, neque triſtitiâ noxiâ tabeſcat; ſed maneat in ſe

Sen. Ep. 120.

De Imitat. Chriſti lib. 3. cap. 17.

——— *Totus teres atque rotundus;*

talemque ſeſe exhibeat in negotio, qualis eſt in otio, ita in publico ſicut in privato; prudenter ſe laqueis & impedimentis extricans, humana, in quibus verſatur, humilia judicans & anguſta. Maximumècontra indicium eſt malæ mentis fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum aſſidua jactatio, multivagus omnis vitæ tenor & ordo; ſic maximè coarguitur animus imprudens, numquam idem, numquam ſimilis ſibi, alius prodit, atque alius, impar ſibi eſt, neque in gaudio, neque in dolore ſui compos; aurâ populari, adulantium voce, laudantium applauſu in quamcumque partem, velut arundo fragilis & inconſtans inflectitur. Nemo malorum, non quotidiè & conſilium mutat & votum:

Quod petiit, ſpernit, repetit quod nuper omiſit,
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto.

Horat. lib. 1. Ep. 1.

Modò decem ſervis ſtipatus incedit, modò nemine ſubſequente; modò

modò ad militiam animum applicat, modò ad mercaturam; hodiè Juriſconſultus fieri vult, cras medicus: uno tempore pecuniâ abundat, alio verò

Nil eſt in loculis;

Modò regnare vult, modò id agit ne quis ſit officioſior ſervus: modò dilatat ſe uſque ad invidiam; modò ſubſidit, & contrahitur infra humilitatem verè jacentium; nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit. In lubrico continuò pedem figit titubans dum abſque luce, & itineris præcurſore progreditur. Tantam mutationem, inconſtantiam, & in rebus agendis levitatem improbans Seneca Lucilium ſuum ita inſtruit: *Magnam rem puta, unum hominem agere: præter ſapientem autem nemo unum agit: cæteri multiformes ſumus. Mutamus ſubindè perſonam & contrariam ei ſumimus, quam exuimus.* Exactiſſimè propoſitum confirmat Poëta Horatius eleganti paradigmate & ſimilitudine deſumptâ à quodam Vulteio præcone tenuis ſubſtantiæ, qui à Philippo Juriſconſulto ad cænam invitatus per puerum ſuum, Sen. Ep. 120. Ibidem. Lib. 1. Ep. 7. ad Mæcenat.

——— *Dic*
Ad cænam veniat.

Cùm non comparuiſſet; poſtero verò die ipſummet vocaſſet, & præmiſsâ excuſatione annuiſſet, ſequenti à cæna luce mittitur ad rus ſuburbanum, quod non ceſſans laudare, extorquet tandem à Philippo pecuniam ut agellum emat:

——— *Et hunc*
Mercatur, ne te longis ambagibus ultra
Quàm ſatis eſt morer: ex nitido fit ruſticus atque
Immoritur ſtudiis, & amore ſeneſcit habendi.

Poſtquàm verò fortunam nimis adverſam eſſet expertus:

Verùm ubi oves furto, morbo periêre capellæ,
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando,

concitatè venit ad Philippum rogans enixè ut ad ſuperioris vitæ inſtitutum eum pateretur redire:

Obſecro & obteſtor vitæ me redde priori.

Ex his omnibus politicè deductis, ſententiosè illud anteà relatum ſequitur:

Quod petiit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit.

Mydas Phrygiæ Rex, ſpecioſum damnum, ſtultum & nocivum damnavit votum, quo à Baccho petierat, ut quodcumque attingeret, verteretur in aurum; mox ut vinum mutatum in aurum vidit, panem, aurum factum, interulam, veſtem:

Copia nulla famem relevat, ſitis arida guttur
Ovid. lib. 11. Met. fab. 3. *Urit, & inviſo meritus torquetur ab auro.*
Attonitus novitate mali, diveſque miſerque
Effugere optat opes, & quæ modò voverat, odit.

Nemo malorum non quotidiè conſilium mutat & votum.

§. 3. Majoris indaginis & difficilioris eſt, diſcrimen reperire inter juſtos & hypocritas ac pſeudo-politicos qui multum affinitatis cum ipſis habent, ſed à proprietate deficiunt: *Sunt enim virtu-* Sen. Ep. 120. *tibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti ſimilitudo ineſt. Sic mentitur prodigus liberalem: imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Hæc nos ſimilitudo coëgit attendere, & diſtinguere ſpecie quidem vicina, re autem plurimùm inter ſe differentia.* Diſcrepant ab invicem hypocritæ & pſeudo-politici; quòd illi numquam larvam virtutis exuunt, quòd ſanctitatis habitum, nomen, & gradum ſemper affectant, licet perfectionis meritum nullarenùs habeant: Cic. lib. 1. de Offic. *Qui tùm cùm maximè fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur.* Patêre facta & conſilia ſuà non ſinunt. Hi verò bella, perduelliones, impia fœdera, obtentus religionis falſæ, ſimulacra ambitionis & crudelitatis è ſuggeſtu docent,

—— *Cuncta putant una ambitione minora.*

Invidiâ regni inter domeſticos inſida omnia & infeſta facienda eſſe ſuſtinent: imò ad ſolium per cædes & ſanguinem viam ſternendam: nec averſantur Tragici ſceleris facinus fœdum inhumanumque à Tullia uxore Tarquinii ſuperbi patratum, quando Liv. Dec. 1. lib. 1. amens furiis agitantibus ſororis ac viri per patris corpus carpentum egiſſe fertur, partemque ſanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo contaminata ipſa reſperſaque tuliſſe ad penates ſuos. Hanc tyrannicam vocem approbant *Oderint dum metuant*, ut quis rerum ſummâ potiatur liberè humana juxta ac divina jura violari poſſe oſtendunt, nimirùm ex illorum ſententia:

Imperia pretio quolibet conſtant bene.

§. 4. Conveniunt tamen in eo quòd ſicuti hypocritæ ſemper, ita pſeudo-politici plerùmque larvati, perſonatiq́ue incedant: quòd technis & fraudibus nitantur, atque ab his patrocinium expectent. *Hypocritæ numquam quid agant, ſed quomodò de actione qualibet hominibus poſſint placere, conſiderant; inter ipſa quoque quæ ſe agere ſancta opera oſtendunt, non converſionem quærunt hominum, ſed auras favorum, & iniqua ſe agere certi ſunt, & tamen apud humana judicia de nomine ſanctitatis intumeſcunt.* Similes ſunt polypo, qui ſcopulo hæret affixus, quaſi ſcopuli pars, eum ſiquidem ad vivum refert & firmitate & colore. Hinc piſces ad eum tamquam ad ſcopulum appellunt: at ubi appulêre, mox præda fiunt: Videntur illi inter varios hujus vitæ æſtus & tempeſtates, quòd ſcopulus inter concurrentes fluctus, firmi, immobiles, ementitâ nempè firmitate, & inconcuſſarum virtutum ſpecie, ſicq́ue incautos alliciunt atque in perniciem trahunt; ſimiles Proteo: de quo D. P. Auguſtinus: *Formas ſe vertit in omnes, hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens.* Quid hypocritâ ſecundùm externorem habitum & ſpeciem modeſtius? continentius, gravius, frûgalius, decentius vultu ad omnem honeſtatem compoſito? formas ſe vertit in omnes. Optimè novit ſervire tempori, aſſumit ſibi pro re nata cujuſlibet virtutis formam & veſtem, eamq́ue ſibi apprimè concinnat, eò impenſiùs ſeſe juſtum ſimulat, ut ſimilitudine boni decipiat, & ſub alterius habitu plus valeat malignari. Foris homo videtur, intùs beſtia fremit: hinc rectè D. Gregorius: *Aſſumit agni ſpeciem, ut draconis exerceat operationem.* Nam ſi iniquitas propriâ ſpecie vultuq́ue ſe proderet, numquam admitteretur in adita bonæ mentis. *Hujus mundi* (id eſt pſeudo-politicorum) *ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.* Omnia ſuſpecta habere, ſinceri amoris affectum vitare, vitia diſſimulare; in ore mel habere, in corde fel; ore benedicere, corde maledicere; blandâ & hilari fronte amorem præ ſe ferre & benevolentiam, in animo iram & indignationem concoquere; obſequium cultumq́ue offerre, neque umquam veram gratiam præſtare, ſed amicitias utilitate dumtaxat metiri: ſub prætextu tutelæ & defenſionis tyrannidem exercere, ſub fucatâ ſpecie cujuſdam zeli, quo ſimulant ſe bonum publicum præ oculis habere, non niſi privatum ac proprium quærere: ſub adulterinis Religionis ac tranquillitatis publicæ coloribus ſtatum ipſum ſubvertere; ſub blandis fictiſq́ue promiſſis fallacias, ſub fraudulentis

D. Greg. in 39. cap. Jobi lib. 31. Moral. cap. 8.

Lib. 10. de Civit. Dei c. 10.

Lib. 33. Moral. c. 36.

D. Greg. lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.

oſculis proditionis ſicam abſcondere. Tale fraternæ charitatis ſpecimen exhibuit Joab Amaſæ. Æquo & læto animo difficultates remoras, tædia, repulſas ſimulare in ambiendis honoribus: ut ad temporalis gloriæ culmen perveniant non tantùm nomen & veſtes, ſed mores & animum dexterrimè mutare, omneſque formas ac figuras privatæ fortunæ intuitu, & famæ diſpendio induere: collegæ munus ad quod poſitivè inhabilis eſt procurare, ut oneri impar ſuccumbat: proditionem ab honoribus incipere; quorum gloriæ invident, dignitatis & imperii conſortes facere, ut necem illis valeant ſecurè moliri. Talem ſe præſtitit Atreus fratri Thyeſti, talem Tiberius Germanico: *Nec ideò ſinceræ charitatis fidem aſſecutus, amoliri juvenem ſpecie honoris ſtatuit, ſtruxitque cauſas, aut fortè oblatas eripuit.* Adverſarii funus lachrymis & planctu (triſtitiæ tantùm imitamentis) proſequi, & in animo ſibi de interitu ejus præ gaudio applaudere: illæ lachrymæ non injuſſæ profluunt, ſed turpiter finguntur. Sic Julius Cæſar cùm illi oblatum eſſet caput Pompei ſpectaculum non injucundum, lachrymis interiorem animi motum preſſit:

Sen. in Thyeſte.

Tacit. lib. 2. Annal.

Lucanus.

> *Non aliter manifeſta putans abſcondere mentis*
> *Gaudia, quàm lachrymis.*

Liv. Dec. 1. lib. 1.

Per ſpeciem alienæ fungendæ vicis, ſuas opes firmare, uti fecit Servius Tullius celatâ morte L. Tarquinii Priſci. Prætenſo ſpecioſo nomine libertatis & emendandæ gubernationis, Monarchiam invadere. *Cæterùm libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſervitium, & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* Quod jam pridem in Anglia per ſummum ſcelus perpatratum novimus. *Cùm vires ſuppetunt nullis reſiſtentibus cedere, cùm virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacificâ bonitate ſimulare*; id eſt pelli leoninæ vulpinam aſſuere.

Tacit. lib. 4. Hiſt.

D. Greg. lib. 10. Moral. cap. 16.

§. 5. Tertium ex his genus exſurgit longè præcedentibus peſtilentius, eorum videlicet qui de humilitate, de ſimplicitate, de candore animi panegyricos conſcribunt, quorum in ore nihil niſi harum virtutum nomen & laus ſonat; qui invectivis, conviciis ambitionem, hypocriſim, pſeudo-politicam ubique proſcindunt, qui illas ex hominum vita & commercio proſcribendas clamant; attamen occultam ambitionis flammam intra viſcera fovent, omnium ſervi, viliſſima cupiditatum ſuarum mancipia: callido hoc artificio, licet extra ambitum eſſe ſe fingant, nihilominùs

extra

extra gloriam eſſe non cupiunt, ſed ita honoris telam ordiri ſatagunt inſigniter ab omni dolo & aſtu inſtructi. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo. Si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.* (Eccli. 19. v. 24.) Deprehendentur hi omnes quando Deus, qui novit abſcondita cordium, ab illis ſciſcitabitur, cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio? *Quouſque judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* (Pſal. 81.) Faciem leonis per ſuperbiam, lupi per gulam, aſini per ſtupiditatem & pertinaciam, vituli per ſalacitatem, tauri per extollentiam, leopardi per hypocriſim, ſimiæ per geſticulationem, echini per ſævitiam, anguis per inobedientiam, capri per fœtorem, apri per iracundiam, ſuis per immunditiam, canis per invidiam, leporis per timiditatem, ſerpentis per aſtutiam, vulpis per hæreſim, cameli per grave onus avaritiæ. Quouſque facies peccatorum ſumitis?

§. 6. Non eſt hæc imago Dei & ſuperſcriptio, non eſt character bonæ mentis, non eſt ſignum T, non eſt Crux Chriſti, *Sigillum timentium Dominum, ſignaculum redemptionis æternæ*, (Severus lib. 3. Petr. Dam. Serm. 48.) quod in primitivâ Eccleſiâ Chriſtiani in palmis, aut in brachiis ſibi inuri curabant teſte Procopio, (In cap. 44. Iſa.) eo fine ut eam Crucis notam, qui legiſſet, ſimul etiam legeret promptos ad crucem animos, ad ferrum, ad ignes, ad rotas, ad mille mortes expeditos. Sed eſt imago & character beſtiæ, & nota Anti-chriſti, quam acceperunt à patre ipſius Diabolo. Quemadmodum in fine ſæculorum Anti-chriſtus illam omnibus conabitur imprimere. *Faciet omnes puſillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos & ſervos, habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus.* (Apoc. c. 13. v. 16.) Olim milites ſignabantur ſtigmate in manu. *Victuris in cute punctis milites ſcripti & matriculis inſerti jurare ſolent.* (Vegetius lib. 11. c. 5.) Vera hæc ſtigmata fuêre manibus impreſſa, ut docet Juſtus Lipſius ex verbis his Aëtii Medici. *Stigmata vocant, quæ in facie aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt militum in manibus.* (Lib. 1. de Mil. Rom. Dial. 9.) Non planè conſtat Lipſio quid ibi ſcriptum fuerit, nomen tamen fuiſſe Imperatoris ſuſpicatur ex SS. Auguſtino & Chryſoſtomo. (Ep. 1. Homil. 3. in cap. 11. ad Corinth.) Quin Romani Impp. ſic edicunt. *Aquarios ſingulis manibus nomine pietatis noſtræ impreſſo ſignari decernimus, ut hujuſmodi annotatione manifeſti ſint omnibus.* (Cod. de aquæ ductu.) Militibus, ut quaſi conſecrati militiæ oſtenderentur; utque hâc notâ agnoſci poſſent, nec latitarent, ſtigmata infligi voluerunt Imperatores Arcadius & Honorius. *Stigmata hoc eſt notæ publicæ fabricenſium brachiis, ad imitationem Tyronum infligantur, ut hoc ſaltem modo poſſint latitantes agnoſci.* (C. de fabric.) Ad delectum ſuorum faciendum, & ipſo-

& ipſorum manifeſtationem Anti-chriſtus faciet omnes ſuum ſignum, quaſi characterem geſtare in frontibus; eo fine ne ſit locus in fronte in quo crux per manum dexteram formetur; ne hoc facto vis ſua & poteſtas corruat. Quiſnam verò aut qualis character hic futurus ſit controvertitur. Omiſſis aliorum opinionibus veriſimilior Cornelio à Lapide videtur illa Primaſii & Ansberti (aſſerentis ſibi à Deo hoc revelatum) qua cenſent characterem Anti-chriſti fore nomen Anti-chriſti, hoc charactere per compendium expreſſum. Ubi litteræ tres initiales [illegible], id eſt Chriſtus ita diſponuntur, ut prima & initialis ſit ρ quod altè aſſurgat, ſecunda ſit X chi Græcum quod transverſim ponatur, tertia ſit I jota Græcum quod litteram X interſecet. Quam notam & characterem Chriſti ità, ut dixi, diſpoſitum Conſtantinus Magnus in labaro præferebat, eòque vicit Maxentium & alios hoſtes. Et Julianus Apoſtata ſicut ipſemet teſtatur in Miſipogone nomen Chriſti exprimebat per litteram X chi. Ipſe autem fuit typus & prodromus Anti-chriſti. Sic finget, ſic mentietur, nec enim purum ac germanum Chriſti characterem aſſumet impius, ſed adulterabit eum atque evertet. Character Chriſti Crux pura & genuina eſt. Anti-chriſti verò P id eſt [illegible] quod roſam & voluptatem ſignificat inter ſuas ſpinas caput attollentem, Crux igitur eſt character Sanctorum & electorum: voluptas vero impiorum & reproborum: undè illi apud Sapientem, *coronemus nos roſis antequàm marceſcant.* Cum enim Anti-chriſtus ſimia Chriſti futura ſit, ſeque Chriſtum ac Meſſiam jactabit, etiam ejus ſigna fingere ac mentiri volet.

S. Ephrem tract. de Anti-chriſt.



Apoc. 7. v. 3.

Sap. 2. v. 8.

§. 7. Hujuſmodi characterem ſubdoli geſtant non in frontibus, ſed in moribus, quibus aliud interiùs, aliud exteriùs deſignant. Sed totum apparet fucatum & adulterinum; ficta ſiquidem citiùs in naturam ſuam recidunt, *& qualitatis veræ tenor permanet, falſa non durant.*

Sen. Ep. 120.

Quid ſi quis vultu torvo ferus & pede nudo
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem
Virtutemne repræſentet moreſque Catonis?
Decipit exemplar vitiis imitabile.

Hor. Ep. 19. ad Mecenatem.

Penna *Struthionis ſimilis eſt pennis Herodii & Accipitris*, legitur in libro Job. Quem locum ſubtiliſſimè exponit D. Gregorius exprimens naturam hypocritarum & differentiam à juſtis. „Quis, inquit Herodium & Accipitrem neſciat aves, quantâ volatus ſui „velocitate tranſcendant? Struthio verò pennæ eorum ſimilitu-„dinem

Job cap. 39.

Lib. 31. Moral. cap. 5.

„dinem habet, ſed volatus eorum celeritatem non habet; co-
„loris ſimilitudinem habet in pennis, virtutis ſimilitudinem non
„habet; à terra quippè elevari non valet, & alas quaſi ad vola-
„tum ſpecie tenùs erigit, ſed tamen numquam ſe à terra volan-
„do ſuſpendit. Multiplex hujus rei poteſt aſſignari ratio. Primùm quia Accipitris & Herodii parva ſunt corpora, ſed pennis denſioribus fulta, ideoque quia multùm illis ineſt levitatis, parùm gravitatis celeriter tranſvolant, deindè illorum pennæ concluſæ ſunt & firmæ, quæ volatu aërem premere virtute ſuæ ſoliditatis poſſunt. At contrà raris pennis induitur Struthio, & immani corpore gravatur, ejuſque pennæ ſunt diſſolutæ, hinc ab ipſo quem premere deberent aëre tranſcenduntur. Exequitur intentum noſtrum D. Gregorius his verbis: *Ita ſunt nimirùm omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ converſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent. Habent quippè volandi pennas per ſpeciem, ſed in terra repunt per actionem.* Hypocritarum actio quamvis recta videatur, volare non ſufficit, quia fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertranſit. Cùm unum eumdemque bonorum malorumque habitum cernimus. Ipſamque in illis profeſſionis ſpeciem, docet nos Redemptor noſter quo pacto tales diſcernemus; *A fructibus*, inquit, *eorum cognoſcetis eos.* Neque enim penſanda ſunt quæ oſtendunt in imagine, ſed quæ ſervant in actione. *Sapientia verò juſtorum eſt nihil per oſtentationem fingere, ſenſum verbis aperire: vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere.* Hæc ſunt ſigna & indicia quibus viri ſancti à ſimulatoribus dignoſcuntur. Sat ſcio neminem ante mortem eſſe canonizandum, neque ut ſanctum reputandum; quòd multa plerùmque ſoleant intervenire propter imbecillitatem humanam & fallacias Diaboli, quibus ſtatus ac natura perſonæ varietur;

Idem ibid.

Matth. cap. 7.

D. Greg. lib. 10. Moral. c. 16. in c. 13. Job.

——— *Scilicet ultima ſemper*
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Ovid. lib. 3. Meta. fab. 2.

Neque poſt mortem, niſi per deciſionem rotæ. Prædicta tamen quamdiù adſunt, ad illud probabiliter ſufficiunt; quia argumento ſunt in illis imaginem Dei perſeverare, quæ talem corpori perfectionem communicat. In corpore hominis non eſt propriè imago Dei, ſed in eo relucet quodammodò & reſplendet; quia ſcilicet corpus hominis eſt imago mentis; ut dotes cor-

L poris

poris glorioſi per quamdam redundantiam deriventur in illud ex animæ beatitudine. Sic docet D. Thomas ex verbis S. Auguſtini : *Tam potenti naturâ fecit Deus animam* , inquit , *ut ex ejus pleniſſima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.*

D. Ambr. lib. 1. offic. c. 49.

§. 8. „Ergo dum hîc ſumus , ſervemus imaginem, ut ibi „perveniamus ad veritatem. Sit in nobis imago juſtitiæ , ſit ima„go ſapientiæ ; quia veniemus ad illum diem , & ſecundùm „imaginem æſtimabimur. Non inveniat in te adverſarius ima„ginem ſuam , non rabiem , non furorem : in his enim imago „nequitiæ eſt. Non reſideat in te hypocriſis , nulla pſeudo-politia ; noli umquam adulterare imaginem Imperatoris tui. Sacroſancta ubique gentium cujuſvis ſupremi Principis majeſtas eſt ; nec ulli nec ullibi licitum in unctos Dei ne quidem verbis inſurgere, quantò minùs imaginem illorum violare ? Rex Theodoricus ſeverè caverat olim , ne imago ſua , regiumque ſtemma monetæ adulterinæ imprimeretur : *Sit*, inquiebat, *mundum quidquid ad formam noſtræ ſerenitatis adducitur : quid enim tutum , ſi in noſtra peccatur effigie ?* Et non erit crimen læſæ majeſtaris divinæ , animæ, Dei omnipotentis imagini ſuperinducere imaginem Diaboli ? ex liberâ ſe facere mancipium illius emptum vili pretio ? illius portare characterem ? *Sicut enim Cæſar exigit impreſſionem ſuæ imaginis , ita Deus animam lumine vultus ſui inſignitam. Hanc imaginem in denario animæ maximè nos oportet reddere in morte.*

Caſſiod. lib. 7. Var. cap. 32.

D. Bonavent. Dom. 22. poſt Pent. ſerm. 3.



SYM-

SYMBOLUM XIV.



Faciliùs, quàm omnis alia materia, cera quarumcumque imaginum figuras recipit. Hinc & Poëta Horatius animum juvenis ad omnem formationem idoneum, & maximè ob lubricum ætatis ad vitia pronum deſcribit quòd ſit:

Cereus in vitium flecti. De Art. Poet.

Quamvis etiam rectè Seneca dixerit: *Omnibus natura fundamenta dedit ſemenque virtutum; omnes ad iſta omnia nati ſumus, cum irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur.* Epiſt. 10. Retinet igitur cera quidquid in illa impreſſum fuerit, & ſigillum quod in

aliqua materia eſt ſcilicet in ferro, auro, vel argento; quando imprimit in cera ſuam imaginem, imprimit illam ſine materia, non fluit enim cum imagine ſigilli aliqua pars materiæ illius vel auri, vel argenti. Similitudo hæc propemodùm omnimoda, ut æqualitas dici valeat, reperitur in ſenſu qui ab Ariſtotele definitur, *Facultas animi recipiens ſpecies ſenſibiles ſine materia*. In memoria noſtra, utpotè potentia animali, non diſſimili modo objectorum prçteritorum repræſentantur imagines, & in ea vigere dicuntur, vivere, aut potiùs reviviſcere prototypa propter impreſſas quas retinet imagines: ſic amaſiæ proverbialiter juxta (ut inveſtiganti patebit) quodlibet idioma, dicuntur vivere in memoria amatorum; ſic abſentes in memoria præſentium, quia omnis cognitio fit per ſimilitudinem: ubi idem ſic extulit D. Thomas: *Omnis cognitio fit per aſſimulationem cognoſcentis ad cognitum*; quandoquidem autem memoria, ut dictum eſt, non operatur niſi mediante actu intellectus, vigor illius & vita conſiſtit in ſpecie illa ſeu imagine repræſentativa.

Lib. 2. de Anima cap. 12.

De malo q. 12. art. 9.

§. 1. Primam originem idololatriæ, deſiderium præſentiæ mortuorum induxit, quo parens erga filium defunctum ferebatur erigens ei ſtatuam in qua veluti præſentem retineret & cerneret: *Acerbo enim luctu dolens pater citò ſibi rapti filii, fecit imaginem, & illum qui tunc homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cæpit.* Idcircò omnes homines filios ſuos, ex hac vita migrando præcedere volunt, non ſequi; ex inſtinctu ſiquidem naturæ appetunt immortalitatem, & perpetuitatem, nimirùm ſemper eſſe & vivere. Cumque hoc in ſe ſuaque perſona mortali & conditioni moriendi obnoxia obtinere nequeant, optant ſaltem ut in alia ſibique ſimili ac conjunctiſſima perſona, puta in filio (quem Ariſtoteles vocat portionem corporis patris) ſint ſuperſtites; in eo vivant, & memoria nomenque eorum perennet. Hinc filius maſculus apud Hebræos vocatur Zachar à Zacher, id eſt memoria, quod in filio patris poſt mortem perſtet nomen & memoria. Pater moriens videtur reſurgere in filio, & filius à parente rectè inſtitutus illius vitam, ſapientiam, & virtutem conſervat, eumque videtur exhibere redivivum, & quaſi facere immortalem. Undè Juriſconſulti patrem & filium unum corpus, unamque perſonam conſtituunt, ut quod unus poſſidet, alter poſſidere cenſeatur. Et S. Paulus Oneſimum quem Chriſto genuerat in vinculis viſcera ſua appellat, S. Hieronymus quoque liberos viſcera parentum: quod multò antè probavit Siracides his verbis de filio:

Sap. cap. 14.

5. Ethic. c. 5.

Ep. ad Philipp. v. 13.

filio: *Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit poſt ſe.* Eccl. cap. 30. v. 4.

§. 2. Natura (quæ ſemper ad ſui conſervationem & perpetuitatem tendit) ſtudet propagationi individuorum ut ſalvetur ſpecies. Hæc inclinatio & impulſus amoris æquè brutis animantibus ac hominibus eſt communis, qui deficiente iſto naturæ ſubſidio etiam in ſenſu carentibus quærunt nominis immortalitatem. De aliis orbis miraculis ſilebo, ſi de obeliſcis & pyramidibus aliquid attexero. Ramyſes Rex Ægypti, obeliſcum fecit quadraginta cubitorum, & alium longitudine undecenis pedibus per latera cubitis quatuor, quem feciſſe dicuntur viginti hominum millia. Cleopes Ægypti Rex fecit Pyramidem ex Arabicis lapidibus, cujus longitudo erat quinque ſtadiorum, latitudo decem paſſuum, altitudo octo paſſuum, in quo decem anni conſumpti ſunt. Fecit & aliam viginti annis abſolutam, cujus ſumptus in tantum excrevêre, ut filiam formoſiſſimam coactus fuerit proſtituere; in illius extructione, teſte Plinio, M. DCCC. talenta in raphanos, allium & cæpas, quibus artifices veſcebantur, erogata fuerunt. Tam ſuperbas moles & opera erigebant, tantummodò ut nomen eorum & fama in iis poſt fatum eſſet ſuperſtes; de quo & Romanos taxat Seneca cùm dicit: *Quoſdam cum in conſummationem dignitatis per mille indignitates erepſiſſent, miſera ſubiit cogitatio ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri.* Herodotus in Euterpe. De brevit. vitæ cap. 19.

§. 3. Ab initio creaturæ conditæ primis parentibus appetitum hunc immortalitatis callidus ſerpens inſufflavit dicens: *Eritis ſicut Dii.* Quod deſiderium in poſteros propagine transfuſum eſt: adeò ut filii Adam hac de cauſa poſt renovatum diluvio mundum in terra Sennaar fabrè facere cæperint turrim immenſæ altitudinis, cujus culmen pertingeret ad cęlum: ædificantium animus ac finis erat ſumma ſupra cælos nominis exaltatio. Dixerunt: *Celebremus nomen noſtrum antequàm dividamur in univerſas terras.* Gen. 11. 3. Non attendebant iſtâ machinâ aſcendere in cælum, ut propriâ ibi gloriâ fruerentur inani licet, ſed ſolùm nomen ſuum per ſcalam iſtam volebant aſcendere manentes in terra.

§. 4. Ingenioſè proindè Romani excogitaverunt præmia virtuti, quæ (licet ipſa ſibi ſit pulcherrima & ampliſſima merces) externa teſtimonia non reſpuit, dummodò rara ſint, ſolida, & meritis parta. *Honoris enim augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque convenit pervenire.* Conſtituerunt pretium rebus, quibus nullum inerat: neque ex ærario publico depromebant L. contra publicam C. de re milit.

 hono-

honoris inſignia, ſed ex ipſius naturæ ſinu & theſauro, quæ gramen, palmas, lauros affatim ſuppeditabat; undè coronas varias, laudum ſtipendia, murales, civicas, navales victoribus diſtribuebant: quin & merentibus certum veſtimenti uſum permittebant; privilegium quoque utendi rhedâ per urbem, præcedentiam quandam in conceſſu publico, prerogativam & præeminentiam in titulis honorariis, in nominibus gentilitiis: hinc Capitolinorum, Corvinorum, Publicolarum nomina & proſapia; uti modò in Hiſpania Guſmanorum, Cordubæ, Toleti. Denique inſignia quędam & ſymbola alicujus familiæ faciebant propria: ad quorum exemplum ut fortitudine bellicâ pectora incenderentur, crediderim apud omnes ferè nationes, ordines militares ſuis notis & inſignibus diſtinctos, magnanimorum Virorum Collegia & Gymnaſia inſtituta.

§. 5. Quæ politica honoris inventa tum demùm erant illuſtria, ſi rara, ſi non vulgaria, ſi mera & pura virtutis eſſent pręmia: alioquin dum paſſim, dum promiſcuè abſque delectu & diſcrimine nullâ meritorum habitâ ratione conferuntur, vileſcant paulatim, & contemptui habeantur neceſſe eſt. Si verò alia commoda pecuniaria admiſceantur; hæc commixtio pretium & valorem ipſorum multùm diminuet: pecuniâ enim famulatus ſervi remuneratur, diligentia veredarii; hâc ſatisfacimus magiſtris qui nos canere, tripudiare, cytharizare, equitare docuerunt, adulationes, lenocinia, proditiones ab illa recipiunt mercedes: ſi idem præmium tribuatur virtuti & vitio, illa injuriam, hoc verò robur accipit.

§. 6. Quis porrò expedire unquam judicabit bono communi aut tranquillitati publicæ quòd opulentiores plebei nobiles tranſcendant, & nobilitatem ipſam ſuis divitiis ſupprimere conentur? quòd nullâ virtutis ingenitæ nobilitate, neque majorum gloriâ, neque propriâ meritorum laude inſignes, quorum nulla in Regem obſequia, nulla in bello accepta vulnera, nulla ſuorum decora, arrogent ſibi & ſuis ſtemmata, inſignia, titulos, & nomina gentilitia? Quid magis indecorum ab illis qui ne dum heroïcum quid agere, ſed ne ſpirare quidem poſſunt, ad generoſæ mentis indolem prætextendam, nihil paſſim in inſignibus niſi leones, leopardos, urſos geſtari? undecumque illud proveniat ſive ex incuria fecialium, ſeu nimiâ conniventiâ, aut corruptione per munera: non poteſt non eſſe bono publico pernicioſum quod inter nobilitatem ac plebem rarum nullumvè intercedat diſcrimen,

aut

aut ſubalternatio : inhoneſtum ſanè eſt virtutis auguſtum lædi; præmium illi debitum alteri deferri;quodque labore,ſudore, etiam profuſo ſanguine eſſet comparandum,turpi quęſtu acquiri. Quoad externam politiam, liquet Romanos ſanctiſſimis & graviſſimis uſos legibus, apud quos optimè cautum fuit, ne is qui in præliis certans non effudiſſet ſanguinem, arma ſibi in ſcuto poſſet ſimulare; ècontra verò album ei ad ignominiam ſtatuebatur ſcutum, ut remaneret,

——— *Parmâ inglorius albâ.* Virg. Æneid.

Optandum ſimiliter foret, ut Philippus Rex Catholicus Princeps ac Dominus noſter clementiſſimus juxta datam ſibi à Deo ſapientiam, atque prudentiam, hujuſcemodi abuſum & corruptelam ſingulari quâdam pragmaticâ ſanctione tolleret, hoc pręſertim Pacis tempore ad enucleatiùs quælibet reſtauranda, & redintegranda magis opportuno! ſiquidem inter armorum ſtrepitus leges & conſtitutiones plerùmque ſilere conſueverunt, aut minùs ſaltem vigere. Quid enim antiquius quiſque habere poſſet, quàm videre, quòd verus ac germanus honos virtuti & nobilitati habeatur? quòd viris togatæ militiæ non niſi poſt benè ſanctèque adminiſtratam juſtitiam per merita ſua ad hęc decora tantùm pateat aditus? quòd in armatâ homines novi ſtrenuiter contra perduelles, aut Chriſtiani nominis hoſtes dimicantes per gradus honorum aſcendendo ad tantæ virtutis præmium & culmen emergant? Hoc pacto abſolutiſſimè inter omnes ſervabitur æquitas.

§. 7. Ab inſtituto non nihil exorbitaſſe videbor, ſed illa ideò commemoravi quò oſtenderem quantùm curæ & cordi ſit etiam cuivis nominis celebritas & immortalitas quâcumque ratione illam aſſequatur; ſi in poſteris, ſi in ſui ſimilibus nequeat vivere ſuperſtes; idem ambit in nominibus,titulis ſepulchralibus, aliiſque monumentis. Hoc permovit Symonem Machabæum exſtruendi patri, matri, & fratribus ampliſſimum Mauſolęum in Civitate Modin lapide polito antè & retrò, *Et ſtatuit ſeptem pyramidas unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam: & juxta arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* De ſpe quoque futuræ reſurrectionis, & immortalitatis animæ nihil hęſitans beata virgo Cęcilia Sanctos Dei Tiburtium & Valerianum depoſuit in arcâ, & juſſit ut ibidem inſculperetur Phœnix ad oſtendendam ejus fidem, qui ſe inventurum

Machab. lib. 1. cap. 13.

In vita ejus apud Metaphr.

turum eſſe reſurectionem Phœnicis exemplo admiſerat: Marty-
Sap. 3. v. 4. rum enim *ſpes immortalitate plena eſt*, licet enim ſpes quæ differtur affligat animam; tamen quia illa innitebatur vivæ fidei, & eſt quaſi ipſius ſanguis, fovebat illos ac nutriebat, quemadmodum corpus ſanguis alit, & ſpiritu ſuo vivificat: quia verò magis ad benè ſerviendum allicit ſpes futuri, dummodò certa, quam accepti præmii memoria, ſpe iſta erecti majori cum ſtudio & alacriori animo præſtabant obſequia, ſubibant certamina, non enim civicam aut muralem expectabant coronam (pro quibus tamen adipiſcendis Romani imperterritè ſeſe in confertos hoſtium cuneos projiciebant) ſed immarceſſibilem, incorruptam, immortalitatis plenitudinem, divitias non perituras, copiam bonorum non deficientium. In tali mentis culmine conſtitutos D. Paulus
Hebr. 11. commemorat Priſcos fidei Heroës qui hâc ſpe animati heroïca virtutum opera ediderunt, ac ſe ſuumque nomen immortalitati conſecrarunt.

§. 8. Perfectiùs in imagine quæret aliquis ſuam perennitatem quàm in reliquis inanimatis. Hinc fœminæ, quæ pulchritudinem propriam ut idola venerantur, ſe depingi in flore juventutis curant, ut illam licet in ſe non poſſint ſaltem in effigie conſervent; quamvis enim ſint vetulæ ac edentulæ, minimè tamen deformes dici aut videri volunt: atque hoc modo retrotrahendo tempus ætatis præſens ad præteritum libentiſſimè audit quælibet illarum:

Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat.

Quæ ſimili artificio videtur rejuveneſcere & beneficio anterioris vitæ gaudere, cùm ſit:

Vivere bis, vitâ poſſe priore frui.

Faciunt præterea imagines ad inſtructionem ignorantium & le-
D. Greg. Epi. 9. lib. 9. gere neſcientium: *Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: quia etiam in ipſa cernentes, vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt.* Illis viva hæc repræſentatio doctoris inſtar eſt, & libri, cujus aſpectu magis nonnunquam inflammantur pio voluntatis affectu, quàm vivâ voce etiam diſertiſſimi excitarentur: dum enim vident inter ulnas matris Chriſtum puſionem amabiliter depictum, continuò in cognitionem veniunt Incarnationis; dum eundem patientem in cruce aſpiciunt, mox de litro & pretio Redemptionis cogitant; quando

quando Laurentium ſuperpoſitum craticulæ, Stephanum lapidibus impetitum, Paulum gladio colla prębentem, Andream è cruce ut è cathedrâ concionantem; Bartholomęum pelle ſuâ extractâ tamquam victoriæ exuviis decorum; Ignatium beſtiarum dentibus ultrò ſe objicientem, ut ab illis veluti frumentum Chriſti moleretur; Sebaſtianum ſignum poſitum ad ſagittas; Agatham in mamilla diriſſimè torqueri; Luciam ceu columnam immobilem nullâ vi, nullis ignibus loco dimoveri poſſe; Agnetem ad martyrium ſicuti ad nuptias properantem: extemplò illis occurrit quanta pro nomine & amore Chriſti invicti hi Athletæ paſſi ſint, quàm generosè ſtadium hujus vitæ decurrerint, ut coronam gloriæ, bravium juſtitiæ mererentur in cælis accipere. Ex hac contemplatione creſcit in illorum animis fides, nutritur ſpes, excitatur charitas, qui ſecundus fructus eſt imaginum, ex præſentia ſiquidem illius in imagine quem diligimus alitur & augeſcit amor. Sic Crucifixi imago liber quidam eſt, clavis, ſpinis, flagellis, lanceâ, quaſi calamis exaratus, & ſanguine quaſi atramento deſcriptus, & amor ubique efformatus in plagis, vibicibus, livoribus. Hunc librum aſſiduè & ſedulò evolvebat D. Paulus, ſcribens ſe nihil ſcire præter Jeſum & hunc crucifixum: ex hoc S. Bonaventura tam profundam ſapientiam, tam ardentes & ſublimes conceptus hauſit: hic S. Dominicum perfectiſſimum concionatorem effecit. Verùmtamen quæcumque ſeu miniſterio penicilli, ſeu vi ſigillativâ icon formatur, non eſt effectiva horum effectuum & affectuum; niſi prçviè in mente intuentis producat ſpeciem ſibi conſimilem ex qua per operationem intellectus agentis qui illuſtrat & adaptat phantaſmata cognitio exurgat, ut imago quædam rei cognitæ, cujus finis eſt perficere cognoſcentem; (nam motus localis eſt perfectio animalis; actio perfectio viventis, & notitia perfectio mentis) in hac ſpecie, ſimilitudine, ideâ vivo quodam modo & perfectiori quàm in artificiali imagine viget & vivit prototypon. Hinc divinus Pſaltes: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, *Pſ. 4. v. 7.* Internam Dei in animo imaginem & ideam ſignificans digito Dei tamquam ſigillo impreſſam, in qua vivit, & exteriùs ſe per lumen bonorum operum prodit. Hoc peculiare eſt, quòd cera quò magis ſigillo premitur, eò altiùs ſeſe attollat, & fideliùs ac firmiùs impreſſionem recipiat. Ita quò profundiùs cogitatio aut ſpecies quędam memoriam penetrat, eo altiùs ipſi inhæret, eò meliùs illud recipit, & ſeſe forinſecùs exerit. Mirus & magnus artifex amor eſt; qui duplex invenitur, cæleſtis & mundanus: ille Deum mo-

dis omnibus cordi imprimere ſatagit, ut in eo vivat & regnet; hic diabolum: uterque quærit cor ad ſuſcipiendam imaginem ſuam diſpoſitum, tractabile, cereum. Aſtu & ſtratagemate prævalere atque prævertere adverſarium ſuum tentat mundanus: *Spargit odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet, theſauros demonſtrat, regna promittit, amores ſpondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, ſine pædagogo diſciplinas, ſine monitore ſermones, vitam ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebiles voluptates.* Ut taliter formoſam, dulcem, amabilem imaginem exhibeat, quò faciliùs eam quis recipiat. Hac arte plurimi decipiuntur, dum illicium eſcæ vident, hamum non vident: *Quia allicit homines magis dulce peccati quod ad præſens influit & impinguat videntis affectum, quàm triſte virtutis, quæ fidei ſpem veluti quodam cortice amari laboris involvit.* Cæleſtis verò plerùmque vitam monſtrat ſpinis & urticis plenam; arduum iter, difficile, præruptum, multis caſibus & periculis infeſtum, cujus terminum læta planities excipit omni bonorum genere affluens: ſed ut callidi inimici fraudibus occurrat, novit etiam eum ſuo telo perimere: tunc virtutem non pulverulentam, non coloratam, non calloſas habentem manus oſtendit, ſed ſuavem illam facit, amabilem, facilis conſecutionis; celato labore & ſudore, qui in ea comparanda adhiberi ſolet: idque quò ad illius amorem homines promptos & alacres reddat, ut libenter Deum in cordibus per imaginem ſuam vivere patiantur: altum quiddam virtutem demonſtrans, excelſum, regale; voluptatem autem humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio ac domicilium fornices ac popinæ ſunt; virtutis verò templum, forum, curia. A. Cecinna, Legatus, vetus Dux fortunam Romanorum inclinatam cernens; ut commilitones ſuos ad fortiter contra Germanos perduelles dimicandum excitaret, hoc epiphonemate uſus: *Victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta memorat: quòd victoria nempe nominis illis famam æternam, celebritatem toto orbe diffundendam eſſet paritura, effecturaque ut conjuges illorum, liberi, domeſtici ac neceſſarii perpetuâ pace vigerent, ipſique ſpoliis & trophæis onuſti in urbem redirent, ibidem æternæ laudis monumenta conſtituturi;* Sed ut Tacitus notavit, *Reticuit de adverſis.* Conſultò id ſilentio involvit, quod eorum debilitaſſet animos, diminuiſſet robur, enervaſſet vires: periculum ſiquidem erat ſi commemoraſſet infauſtos & funeſtos exitus, ne ignavi & meticuloſi prælium detrectaſſent, aut minùs validè in hoſtem moviſſent. Sic incipientibus ingredi ſtadium, & ſuſcipere ſtudium

Ambr. lib. 1. de Cain & Abel. cap. 4.

Ambr. in Pſalm. 18.

Tacit. lib. 1. Annal.

ſtudium virtutis, contra regulas divinæ rhetoricæ eſſet, difficultates, labores, ſudores ad eam amplexandam proponere: quod non foret perſuadere, ſed perterrere; non roborare, ſed infirmare; ſed opus eſt illis pro tempore abſcondere quidquid amarum moleſtumque ineſt virtuti, quod verò ſuave, quod gratum, ac delectabile inculcare, ut magno & alacri animo ad eam accedant; hoc & pueris accidere dicit Quintilianus: *Ingenia ſcilicet ipſorum nimiâ emendationis ſeveritate deficere, nam & deſperant, & dolent, & noviſſimè oderunt, & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil conantur.* Imperator Juſtinianus, ut quis ad amorem Juriſprudentiæ Legumque peritiæ inflammetur; (ne accedere volentem in primo limine deterreas, & à veſtibulo revoces) illi facilia primùm & quæ in promptu magiſque perſpicua ſunt inſinuat eſſe tradenda: *Alioquin ſi ſtatim ab initio*, verba ſunt Imperatoris, *rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut deſertorem eum efficiemus, aut cum magno labore, ſæpè etiam cum diffidentia, quæ plerùmque juvenes avertit, ſeriùs ad id perducemus.* Machabæi quoque juxta D. Chryſoſtomum, habuerunt delectum fortiſſimorum virorum, quia Deum dicebant eſſe benignum & clementem, nec umquam adimere ſalutem quæ proficiſcitur ex pœnitentia.

Lib. 2. cap. 4.

In princip. Inſtit.

§. 9. Sentiamus igitur de Domino in bonitate conſiderantes ipſius erga genus humanum immenſam clementiam, ut inhabitet in nobis virtus Chriſti; ut in nobis regnet, in nobis vivat per imaginem ſuam. Perpendamus ipſius benignitatem ac miſericordiam in myſterio Redemptionis noſtræ, tam benignum & beneficum Redemptorem è cruce pendentem amor Seraphicis ardoribus incenſus pectoribus noſtris encauſticè ſuomet igne imprimat, excluſis penitùs omnibus mundi & dæmonis ſimulacris. Nihil tantâ effigie indignum perpetremus; magis ad hoc ſolliciti, quàm Boleſlaus Rex Poloniæ quartus, qui ſolebat patris ſui imaginem in lamina aurea collo appenſam geſtare; & quoties magnum quid eſſet aggreſſurus, eam oſculabatur dicens: *Abſit pater mi, ut rem tuo indignam nomine & virtute umquam agam.* Enitatur verò quiſque ut poſſit verè dicere cum Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus;* illum habeo in oculis, illum in mente, illum in corde, de illo dulce mihi eſt cogitare, volupè loqui, gratum erga illum compaſſivâ teneritudine affici. *Non eſt Deus*, inquiit S. Geneſius inſultans Diocletiano, *præter Chriſtum, pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteris.*

Cranz. lib. 3.

Ad Galat. 2. v. 20.

In vita.

SYMBOLUM XV.



EVidentius vix allegari poteſt argumentum quod in alicujus pectore Chriſtus vivat, quàm ſi facilem & promptum ſeſe quis præbeat in remittendis injuriis: tam ſtrenui enim operis & heroïcæ virtutis eſt bonum pro malo reddere, vincere in bono malum, ut nemo id valeat, niſi qui Chriſti vires imbiberit, Chriſtumque induerit. Eâ re maſculi pectoris robur & generoſitatem animi adeò quis demonſtrat, ut eò poſſit pertingere quòd Angelos in ſui admirationem rapiat. *Qui cum humilitate ſuſtinet accuſationes objectas, hic ad perfectionem pervenit, & à ſanctis*

Abbas Iſaac de contemptu mundi cap. 13.

ſanctis Angelis admiratur, nulla enim ita magna & difficilis ad obtinendum virtus exiſtit. Nec mirum: *quia habet quemdam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillimè poſſunt*; hinc Cic. Orat. 1. in Verrem. ſervus Dei tantam ſui admirationem facere nequit miracula patrando, quàm inimicis condonando. Ex depravata natura noſtra provenit (cùm læſa ſit in vindictam prona & præceps) quòd difficillimum imò prodigiorum maximum habeatur ab ea ſe continere; idcircò Apoſtolus Paulus gratias & favores recenſens, quibus ſuperi illum dignati fuerant, aiebat, *ſigna Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis.* Quaſi 2. Corinth. 12. v. 12. character Apoſtoli eſt, ſi quis injurias æquo animo ferat, aut incommoda leniter tolleret; hæc enim virtus tam eſt ſublimis & excelſa ut non minor Apoſtolo haberi debeat quiſquis illam habet. Miraculum igitur miraculorum cenſetur inimicis promptè ignoſcere: inde D. Gregorius Thaumaturgus ex nominis ætimologia miraculorum patrator accuſatus ab invidis ſe prodigio non voce defendit, magis mirandus quòd ulciſci nollet, quàm quòd poſſet.

§. 1. Nota quoque ſingularis eſt & inſigne regium, (ubi pompa ſuperbiam gignit, & ſuperbia iram, ubi in ſumma potentia, ſumma reperienda eſt licentia) injuriarum oblivio; quæ vindicandi ratio illos magis decorat, quàm purpura & ſceptrum:

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regiæ, Seneca in Thyeſte.
Non auro nitidæ trabes;
Rex eſt qui poſuit metus
Et diri mala pectoris.

Quorum inter præcipua numeranda, ira, indignatio, vindictæ cupiditas. Ex potentia enim tam delicatus eſt Principum ſenſus, ut omnem tactum refugiat, ut lædenti confeſtim vicem rependat. Mare eſt cujus malacia ſubitò in tempeſtatem recidit; cęlum, quod facillimè è ſudo in nubilum tranſit & fulmina emittit: ira ipſorum pulveri tormentario ſimilis eſt, qui ſimul atque flammam concipit, vires ſuas exerit; fulgur eſt, quod eodem tempore micat & ferit; *Indignatio ſiquidem Regis nuntii mortis*, ut nihil Prov. 16. v. 14. intercedere videatur inter ipſius iram & vindictam. Sicut G. Cæſar iratus cælo quòd fulminibus ſuis obſtreperet pantomimis, ad Seneca lib. 1. de ira in fine. pugnam vocavit Jovem & quidem ſine miſſione. *Machinam*

 enim

enim excogitaverat, quâ tonitribus obſtreperet, ac contra fulmina
Dio. Caſſius. *fulminaret, ac quoties ea decidiſſent, lapidem viciſſim ejaculabatur, & in cælum emittebat*, Homericum illum exclamans verſum:

ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε

Tolle me, aut ego te.

Vix umquam acerbis facetiis, maximè ſi ex vero ſint, parcunt; quia earum apud præpotentes in longum memoria eſt. Hâc de causâ Nero Veſtinum, quia ſcelera ſua ejus libertati odio eſſent,
Tacit. lib. 15. Annal. juſſit interfici. *Sæpè aſperis facetiis illuſus, quæ ubi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt.* Sub aliquibus tyrannis ne vocem quidem liberam emiſiſſe, cuiquam impunè fuit. *Non*
Seneca lib. 1. de ira cap. 10. *poteſt hic animus fidele otium capere, quatiatur neceſſe eſt, fluctueturque, qui malis ſuis tutus eſt: qui fortis eſſe, niſi iraſcitur, non poteſt, induſtrius niſi cupit, quietus niſi timet: in tyrannide illi vivendum eſt, in alicujus affectus venienti ſervitutem.* Is demùm rex eſt, ut juſtiùs hunc regem voces, quàm eum qui purpurâ indutus eſt ac coronâ ornatus, qui iram & invidiam cohibens omnia ſub Dei lege agit, mentem liberam ſervans. Quod Briſeis Achilli inculcat ne fortitudine partâ excideret:

Ovid. in Ep. Briſeidis Achilli. *Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis.*

Qui enim tumentes animi ſui motus frænare, imperare paſſio-
Ambr. in Pſ. 118. nibus, cohibere iracundiam novit, *Is benè regiâ quâdam poteſtate ſe cohibens Rex dicitur, quòd regere ſe noverit, & arbiter ſui juris ſit, nec captivus trahatur in culpam.* Cui Sapiens hâc ſententiâ
Prov. 16. aſtipulatur; *Melior eſt qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Minor enim eſt victoria urbium. Quia extra ſunt quæ ſubiguntur,*
Greg. part. 3. poſt admonit. 10. *valdè autem majus eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubjicit, quando eum patientia intra ſe frænari compellit.* Foveant nunc in animo Principes diutiſſimè irarum fomites, exiſtiment honorem læſum abſque vindicta reparari non poſſe, nullum ſtatuant pœnis modum, donec animum ultionis cupidum ſanguine expleverint; videbunt ſanè, quantùm à nominis & officii ratione abſint, nihilque turpius quàm eum, qui aliis mandata dat, ſuæ paſſioni ſuccum-
De clement. lib. 10. cap. 5. bere: *Maximi animi proprium*, dixit Seneca, *placidum eſſe, tranquillum, & injurias atque offenſiones ſemper deſpicere.*

§. 2. Nihil certius apparere potuit Nathanaëli Chriſtum Dominum

minum regem eſſe, quàm quòd nec indignatione commotus ob ſcommata & vilipenſiones; cùm ipſi objeciſſet acidè à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? nec contumeliâ offenſus, quæ detractione deterior eſt & gravior, quia *aperta honoris ablatio*; *& quaſi in faciem conculcatio*: ſed magis immemor injuriæ, memor clementiæ, & inolitæ bonitatis ipſi non mòdò offenſam remitteret, ſed à candore animi commendaret his verbis: *Ecce verus Iſraëlita in quo dolus non eſt. Munus illud eſt Principis qui privata odia publicis utilitatibus remittere debet.* Hinc cùm Alexandro Macedoni relatum eſſet ipſum à quodam contumeliis impeti, reſpondebat regium eſſe, cùm facias benè, audire malè; & Alphonſus Arragoniæ Rex à quibuſdam benè de ſe meritis probris laceſſitus; Regum eſſe, dixit non ſolùm benè facere, ſed mala etiam patienter audire. Suadentibus nonnullis Ludovico XII. Galliæ Regi ut ultum iret injurias quas ſub Carolo VIII. accepiſſet, cùm Ducis Aurelianenſis titulo gauderet, reſpondiſſe fertur, Regem Franciæ non decet ulciſci injurias Ducis Aurelianenſis. Princeps privata odia publicis utilitatibus remittere debet. Sufficiat læſo in offenſorem ſe nactum imperium, illum ſubditum habere, & nolle vindictam ſumere cum poſſit. Immutet Princeps affectus & paſſiones, qui quodammodò cum Imperio naturam immutat.

D. Thom. q. 72. art. 1.

Joan. 1.

Tacit. Annal. lib. 1.

§. 3. Solent homines eruditi poſt multas elucubrationes ſcripta ad incudem revocare, & limâ mordaciùs uti, iterùm oculis, iterùm cenſuræ ſubjicere, omniq́ue ex parte diligentiùs attendere numquid in iis minùs rectum, minùs congruum, numquid abſonum, exorbitans, parergon, fidei aut bonis moribus repugnans inveniatur; deindè librum retractationum conſcribere, in quo priora emendent, reforment, expungant, aut in luculentiorem conſonantiam redigant: uti ex modeſtia & humilitate fecêre S. P. Auguſtinus & S. Thomas, aliique Doctores etiam moderni quàm plurimi. Ad hunc modum juxta obſervationem D. Ambroſii S. Propheta David Pſalmum retractationum fecit, in quo revocavit quod perperam alibi affirmaſſe putavit. Dixerat anteà, *Si reddidi retribuentibus mihi mala decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Quod eſt, faxit Deus ut nulla mihi deinceps proſperè pugna cedat, nec aliquando victoriâ potiar, ſi ullas unquam ab hoſtibus meis pro acceptis injuriis pœnas exegi; horum verborum ſynopſis eſt, quòd nunquam vindictam animo meditatus fuerit. Illud per alium Pſalmum retractatum & expun-

Pſ. 7. v. 5.

Pſ. 130. expunctum voluit cùm dixit: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Tam difficilis enim res, tam arduum negotium ei videbatur non retribuiſſe retribuentibus ſibi mala, non expetiiſſe vindictam de iis à quibus acceperat injurias, *ut quaſi palinodiam quandam cantandam putarit dicens, Domine non eſt exaltatum cor meum*; innuens quòd unuſquiſque in ea ſui commendationem evitare debeat, & nemo ſe de illa ſatis rectè procurata jactare poſſit. Poſtquam ſeriò de abdicatione Imperii deliberaſſet Carolus Quintus, tandem velut librum retractationum edidit, dum coram ordinibus Belgii ſeſe de prioris vitæ actibus publicè expurgavit in hunc modum. „Quod ad meam gubernationem attinet, fateor me non ſemel „graviter erraſſe deceptum rudis adoleſcentiæ ignorantiâ, inex„perientiâque, virilis ętatis arrogantiâ, aut alio humanæ im„becillitatis vitio. Hoc tamen aſſeverare audeo me nunquam „ſcientem volentemque alicui è ſubditis injuriam aut vim feciſſe, „fierique permiſiſſe. Si verò hac de re quiſquam jure conqueri „poſſit, inſcio invitoque me eveniſſe profiteor obteſtorque ac „proindè ex animo mihi diſplicere coram omnibus atteſtor, „præſentes abſenteſque rogans id mihi condonare & ex animo „ignoſcere velint. O dignam Carolo vocem, verè fortem, verè auguſtam! quàm benè vocari poterat dominator Aſiæ Africæque! non à ſe Dominium abdicabat, ſed ſtrictiori jure poſſidebat, cùm regnum ſui retinebat: unde Claudianus:

Ambr. lib. 3. in c. 3. Lucæ.

Pont. Heuter. lib. 14. c. 2.

In Paneg. Theodoſii.

——— Tunc omnia jure tenebis
Cùm poteris Rex eſſe tui.

Claudit hunc paragraphum Philoſophus, Rex eris, inquit, ſi te tuoſque affectus rexeris, Rex eris, ſi te ratio regat non paſſio. Exactiſſimè ſanè tantus ac talis Imperator ad trutinam rationis revocabat quàm difficile ſit in tanta potentia non excedere, neminem lædere, ad vindictam non incitari; ideòque univerſum vitæ anteactæ librum, ne forſan in eo quidquam minùs rectum, minùs plauſibile reperiretur, publicæ cenſuræ ſubmittere volebat, ut ultimâ manu additâ à mendis purgaretur, atque ita ſupremæ induſtriæ, & ultimæ tandem curæ in lucem prodiret.

Lib. de bono patientiæ. §. 4. Quòd condonare injurias, mala bonis compenſare, ſit prodigium ſuo conatu & facultate humanas quodammodo vires excedens, declarat S. Cyprianus ubi dicit: *Patientia eſt res Dei.*

Tole-

Tolerantia injuriarum tamquam patrimonium quoddam Dei tanti laboris eſt, ut ſoli pectoris illius generoſitati reſervata videatur, & non niſi virtutem poſtulare infinitam ut rectè executioni mandetur; *Infinitæ*, ait S. Valerianus, *virtutis eſt*, *odia vinceſſe beneficiis*. Puſillanimus, vilis, amens cenſetur in Aulis Principum, qui acceptam injuriam non ſtatim vindicat, qui vel leviter ſinit factis ac dictis ſuis illudi; undè nulla ibidem vita honori æquiparatur: *No ay vida como la honra*, qui ſi vel tenui maculâ aſperſus ſit, extemplò læſus in furias ignemque ruit, & nullum non movet lapidem ut adverſarium de medio tollat: nec Dei timor, aut amor proximi, propriavè ſalus, nullum amoris, cognationis, neceſſitudinis vinculum, nullum jus furorem ipſius & impetum ſiſtere poteſt. Hinc deteſtabilis duellorum uſus fabricante diabolo eſt introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur. Quem licet ſacra & œcumenica Tridentina Synodus ex Chriſtiano orbe penitùs exterminari velit, excõmunicatione ipſo facto incurrendâ omnes tàm Imperatorem, quàm Reges, Principes, & quoſlibet inferiores Dominos temporales, qui ad monomachiam locum in terris ſuis conceſſerunt innodando; exuendo etiam eoſdem juriſdictione ac dominio loci, ſi illum ab Eccleſia obtinuerunt, in quo duellum fieri permiſerint. Si feudalis ſit; ut dominio directo conſolidetur: & non ſolum iis qui commiſerint, ſed & eorum patrinis anathematis, proſcriptionis omnium bonorum ſuorum, ac perpetuæ infamiæ pœnam irrogando, quos ut homicidas puniri vult, & ſi in conflictu diſceſſerint, perpetuò eccleſiaſticâ ſepulturâ carere: Hoc excommunicationis fulmen ad illos inſuper qui conſilium in cauſa duelli tàm in jure quàm de facto dederint, nec non ad ſpectatores ipſos extendendo, ut perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. Omnis tamen illa præcautio, & tam ſevera inhibitio efficere nequiit, quòminùs liberè eam multi ſint prætergreſſi, & quaſi nullius eſſet roboris ac momenti indies vilipendatur: tanti enim honorem & exiſtimationem faciunt, ut ſi vel in minimo læſa ſit, niſi protinùs reparationem armis exegerint quaſi inferentes crimen gloriæ ſuæ, ne ad momentum quidem ignominiæ ſuæ ſupervivere deſiderent; non ſolum ipſis infinitæ virtutis videtur odia beneficiis vincere, ſed etiam injurias remittere, inimicis ignoſcere. Conſiderans S. Gregorius Nazianzenus Stephani Protomartyris hinc animum alacrem atque intrepidum quo pro Chriſto neci ſe dabat, illinc pietatem & ardentem charitatem quâ

Seſſ. 25. c. 19.

Deum pro lapidantibus orabat; exiſtimavit ab illo majori dono coli Deum cùm fieret pro hoſtibus ſupplex, quàm cùm ſanguinem pro ipſo funderet. *Stephanus cùm lapidaretur pro lapidantibus orabat, majus aliquid morte Chriſto offerens, nempè longanimitatem.* Ad opus tam arduum, tam heroïcum perficiendum, quale eſt offenſas facilè condonare, & bona pro malis pendere; ad talem hoſtiam viventem, & Deo placentem immolandum; ad auguſtum hoc munus Deo offerendum; non minores vires ſufficiunt quàm Chriſti Domini, eaſque quis ad hoc imbibere, & quaſi exhaurire debet. Id Euſebius Emyſſenus his verbis aſſeruit: *Cæleſtis illius agonis proximo pediſſequus intervallo reliquias excipere calicis illius emeruit, quo paulò antè ſæviente mundo Salvator occubuit.* Familiari exemplo uti ſolemus, ut dicamus cùm quis totum chyatum non exinanivit, alter verò reſiduum ipſius epotat, hic illi vires exhauſit; ſic D. Stephanus, dum recipere reliquias calicis Domini meruit, poteſt dici quod vires Chriſti exhauſit. Neceſſe demum fuit ut Chriſtusmet ad hoc opus nobis inculcandum, quo Deiformes quodammodò & Chriſtophori efficimur, id eſt Chriſtum ferentes, amorem Dei in corde geſtantes; ſuam interponeret authoritatem tàm dictis quàm factis robur ei imprimendo: dictis quidem; *Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros*, ego qui ſum Dominus abſolutus, & Rex Regum hanc legem ſtatuo, ſed legem amoris, qui omnem laborem & difficultatem abſtergit; ego hoc edictum promulgo, qui potentiſſimus ſum, optimus, & paratiſſimus, vires ad ejus impletionem ſuppeditare: factis verò; quando in cruce mutavit ſententiam corruptionis noſtræ, delevit chirographum damnationis, & affixit illud cruci pacificans ima ſummis, inimicorum ſuorum factus mediator apud Patrem ex intimis amoris præcordiis clamans, *Pater ignoſce illis quia neſciunt, quid faciunt*: quam deprecandi formulam filiis ſuis reliquit velut hæreditariam; Chriſtus dixit, *Pater ignoſce illis quia neſciunt, quid faciunt*; & S. Stephanus dixit, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, & hoc dicto obdormivit in Domino. Quæritur ab aliquibus cur poſt glorioſam hanc orationem non aliquot diebus Stephanus ſupervixerit ſed ſtatim obierit? in promptu ratio eſſe poteſt, quòd nihil majus, nihil dignius facere potuerit, quàm pro inimicis orare, ſicque Deus ipſum glorioſiſſimo operi immori voluit; de quo tranſitu ita exclamat D. P. Auguſtinus, *O ſomnum pacis! quid illo ſomno tranquillius? quid illo ſomno quietius? qualis ibat ad amicos qui ſic diligebat inimicos.*

Orat. 19.

Hom. de S. Stephano.

Matth. 5. v. 44.

§. 5. Ve-

§. 5. Verùm omninò hoc nonnullis repugnans naturæ videtur, & factu impoſſibile, ut eum diligant à quo inſigni injuriâ, notabili contumeliâ ſunt affecti, à quo ſunt probris virulentis, & convitiis laceſſiti, quem renitente genio nedum videre, ſed nec pati poſſunt, in quem omnes animæ vires claſſicum cecinêre tamquam infeſtiſſimum hoſtem. Eſt directè & manifeſtè id contra legem veri amoris, quæ dictat illum non minùs quolibet alio proximum noſtrum eſſe, Dei imagine inſignitum, ac nobiſcum capacem æternæ hæreditatis. Quò magis id arduum eſt, & operoſum, eò efficacioris meriti, & amplioris mercedis. Exempla requirimus quæ nobis ſtimulos ſubdant? imitemur S. Alexandrum Patriarcham Hieroſolymitanum, cui cùm quidam aurum furatus eſſet, metuque perterritus in Thebaïdem Ægypti fugiens incidiſſet vagus & errans in latrones, & captivus ab eis ductus fuiſſet ad extremas Ægypti partes, reſciens id pius Pater, & benignus Paſtor vinctum ac captivum octoginta quinque numiſmatibus redemit, & deindè reverſo tam piè miſericorditerque uſus eſt, ut ex civibus quidam dixerit aliquando, *Nihil eſſe utilius quàm in Alexandrum peccare.* Diſcamus etiam à S. Norberto humilitatem & manſuetudinem. Factus fuerat ad introitum ejus in urbem Magdeburgenſem frequentiſſimus populi concurſus omnibus lætantibus & acclamantibus ſeſe in tali viro Doctorem celebrem, amantiſſimum patrem, expertem medicum fuiſſe nactos. Qui nudatis pedibus incedens, & paupere ac vili amictus pallio proceſſione in Palatium à comitatu deducebatur, ſed minimè agnitus ab oſtiario tamquam pauper ſeſe importunè intrudens repellitur: cæteris id indignè ferentibus, & oſtiarium quòd tale quid in Dominum & Epiſcopum ſuum commiſiſſet increpantibus, ille confeſtim pudore & timore confuſus in latebris ſalutem quærebat, quem S. Norbertus revocavit, eíque ſubridendo dixit: *Ne timeas & ne fugias, mi frater, meliùs enim me noſti, & perſpicaciori oculo intueris, quàm illi, qui ad hæc alta Palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper & modicus appareo, ſublimari.* Quid manſuetius? quid lenius D. Jacobo Apoſtolo? quàm copioſè illucebat in ipſo gratia & charitas Chriſti? qui illi à quo ad ſupplicium ducebatur, cùm ſibi ignoſci poſceret, dixit, Pax tibi fili. Joannes Gualbertus Eques Florentinus, illum, qui germanum ſuum interemerat, cùm haberet in ſua poteſtate in viarum anguſtiis conſtitutum & inermem, cùm ipſe validis armis eſſet inſtructus, equo inſidens,

Sophronius in Prat. ſpiritual. cap. 34.

Apud Surium in Junio.

In ejus vita ut in Brev. 25. Julii.

Fulgoſ. lib. 4. cap. 1.

jamque ſtricto gladio fraternam necem ulciſci pararet : humi proſtratus reus, ubi ſuppliciter ut ſibi ob Chriſti crucifixi reverentiam parceretur, oraret, iram compeſcuit, ac gladium ſtrictum in Templo quod primum offendit, Crucifixi ſtatuæ præſentavit.

§. 6. E diverſo triſtes & deplorandos odia & inimicitiæ ſolent habere exitus : teſtis Sapricius Presbiter in magna Antiochia Syriæ, qui cum Nicephoro, quocum familiariſſimè diu vixerat, ſed poſtmodùm fraude Diaboli immani odio ipſum perſequebatur, ſæpiùs ràm per amicos Nicephori, quàm ab ipſomet ad id requiſitus parcere noluit, ad Martyrii gloriam pertingere non potuit, quia martyrium mentis per ſui victoriam proximo ignoſcendo ſuſtinere noluit. Exſurgente ſiquidem Antiochiæ gravi contra Chriſtianos perſecurione comprehenditur Sapricius, ſiſtitur Præſidi, chriſtianè & intrepidè reſpondet, crudelirer in cochlea rorquetur, fortiter ſuſtinuir tormenta, capitalis in eum fertur ſententia. Properat alacer ad ſupplicium, habet obvium Nicephorum, qui ſe ad ejus projecit pedes dicens: *Martyr Chriſti ignoſce mihi, quoniam in te peccavi* : Nihil ad hæc reſpondit. Per aliud rursùs viæ compendium S. Nicephorus illum præveniens priuſquam civitate egrederetur, procumbens rogat ipſum : *Martyr Chriſti, condona mihi ea quæ in te peccavi ut homo.* Sapricius durus & implacabilis, odio cor habens obcæcatum ne verbulo ipſum dignatur; nec ob id ceſſat Nicephorus veniam petere, cùm enim ad locum deſtinatum ſupplicio perveniſſet dixit ei: *Rogo te, Martyr Chriſti, ignoſce mihi ſi quid peccavi ut homo.* Quibus cùm iterùm Sapricius aures obturaſſet, Dominus qui dixir (ſi non remiſeritis hominibus peccata eorum, neque Pater veſter cœleſtis remittet vobis delicta veſtra) ſic ab eo receſſit, ut à lictoribus flectere genua jubentibus ſciſcitatus ſit, cur tam crudelis in ſe lata eſſet ſententia, utque deſertor ſtatus, propoſiti & militiæ Chriſtianæ, cui tamdiù nomen dederat, ad hoſtium partes profugerit, Diiſque ſacrificaverit. Ob hanc cauſam magnus Hetruriæ Dux Coſmus de Medices civem quemdam hortabatur, ut quamprimùm cum inimico rediret in gratiam, cumque ab illo accepiſſet ſe talis inimicitias flocci pendere, ut qui præter illum neminem ſciret inimicum, inſtabat ut conſilio ſuo morem gereret, quia Potentibus etiam unus hoſtis nimis, & vel centum amici parùm ſunt.

Metaphraſtes apud Surium in Februario.

§. 7. Eſto difficultas non modica inſir in diligendo inimicos, iiſque benignè faciendi ſtudium impendendo, non magna

magna ſanè reperibilis eſt in oblivione injuriarum : cum quis non admodùm ægrè animum à diſplicentibus , & tranquillitati mentis inſidiantibus amovere poſſit , & ad alia convertere , ſi ad id non adeò in procinctu ſit , ſaltem quandoquidem iræ furor brevis eſt , poterit tempus in conſilium advocare , & maturiùs deliberando originem & cauſas motivas quę ipſum ad ſuccenſendum provocarunt expendere : profectò inveniet nonnumquam ſe ob leviuſculas , temerarias , & nullo valido fundamento innixas rationes fuiſſe commotum. Id quod ſæpenumerò uſuvenit igneis quibuſdam ingeniis , eoque ex more ſilicis chalibe percuſſi ad iracundiam proclivioribus. Illa citiſſimè impetu & motibus primò primis , quibus obſiſtere in hominis manu non eſt , utporè omnem rationis advertentiam prævenientibus , ut Elephanti ad conſpectum ſanguinis uvæ , excandeſcunt & ſine mora etiam conſiderationis operâ ſedantur , & exorbitantes motus reprimunt : ſic & mare undequàque turbatur fluctibus , & brevi ſpatio flante contrariâ aurâ tam placidum ventis ſtat & tranquillum, quàm cùm alcedonia occurrunt. Subitâ hujuſcemodi mutatione gaudent , ſibi applaudunt ſe rationis præſcriptum ſecutos ne quid temerè moliti fuiſſent. Ita infirmitatis moleſtiam bonæ valetudinis ſuavitas detergit , noctis obſcuritas è regione diei poſita ſplendidiorem ipſum reddit , gratior eſt poſt tempeſtatem tranquillitas , & poſt mentis obnubilationem ſerenitas. *Scire non poſſumus* , ait Hieronymus , *ægrotationis mala , niſi* Epiſt. 46. *cùm fuerit ſanitas conſecuta , & quantum boni virtus habeat vitia demonſtrant , clariuſque fit lumen comparatione tenebrarum.*

§. 8. Adjice quòd ille quem aliena improbitas exercet ſua indè commoda habet : ex doctrina S. Martyris Cypriani illud profluit ; *Cùm nocentes* , ait , *innocentibus injuriam faciunt , illi* Epiſt. 3. *patiuntur injuriam , qui facere ſe credunt.* Conſentit D. Joannes Serm. 13. in cap. 4. 1. ad Corinth. Chryſoſtomus dicens : *Qui alium lædit , quodammodò ſeipſum lædit.* Cumque Anthiſteni diceretur quòd quidam illi maledixiſſet , ait , non mihi detraxit , ſed illi , qui in ſe quod hic dicit , agnoſcit : Magnus hic Philoſophus , qui juxta S. P. Auguſtinum in virtute ſummum bonum ſitum credebat , uberem & ſalutarem ex inimicis fructum capi poſſe dicebat ; & hac de cauſa diligenter attendendum eſſe quid de nobis ſentirent & loquerentur , utporè qui vitia & defectus noſtros longè acutiùs & meliùs pervideant ac notent quàm amici ; qui Pædagogorum

rum inſtar nihil inſcrutatum, nihil indiſcuſſum relinquant, ſed ad minima quæque cenſuram ſuam extendant. Eâ ratione ſicuti ex veneno theriaca, & antidotum conficitur, ex contrariis præſtantiſſimum amuletum, ita è malis bonum eruere, ex inimicis utilitatem poſſumus; diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Socrates mihi ſæpiùs memorandus (qui ęthicam primus ad corrigendos componendoſque mores inſtituit) viri boni eſſe monebat ſcire pati, nec ſcire facere injuriam: quod proprio facto confirmavit, à quodam ſiquidem colapho percuſſus, nihil ampliùs dixiſſe fertur, quàm *moleſtum eſſe, quòd neſcirent homines, quando cum galea prodire deberent.* Illum Sophronicus turpiſſimè & flagitioſiſſimè inſectabatur, nunc liberâ, mordaci ac petulante linguâ perſtringens, & probra innumera ingerens, modò inſolenti dexterâ venerabile os illius cędens, quæ cuncta magno ac æquo animo tulit: *Et nihil aliud feciſſe dicitur, quàm quod eum fronti ſuæ veluti ſtatuæ cujuſdam opificem inſcripſerit, Sophronicus me fecit.* Familiare eſt pictoribus, ſtatuariis, aliiſque id generis cùm affabrè opus aliquod elaborarint, nomen ſuum ſubſcribere & dicere, Michaël Angel me fecit, Petrus Rubens me fecit, Antonius van Dycke me fecit: non aliter Socrates fronti ſuæ impreſſit nomen authoris, à quo præclarè ad omnem patientiam fuerat efformatus dicens; Sophronicus me fecit, Sophronicus congerens in me mala cumulavit me bonis, Sophronicus generoſos ſpiritus mihi indidit, me tamquam eximiam patientiæ ſtatuam effinxit, & arte ſuâ me ſolidis virtutis dotibus adornavit, Sophronicus me tamquam terminum quibuſcumque convitiis cedere neſcium in ſemita virtutis conſtituit, Sophronicus me denique per tolerantiæ exercitium virum effecit.

Senec. lib. 3. de ira cap. 11.

S. Baſil. orat. 11. de patientia.

§. 9. Cauſam indagatur Euſebius Emyſſenus quæ Divum Stephanum impulit ut pro hoſtibus, qui illum immani rabie & furore lapidibus impetebant, preces fuderit, quodque lapides in illum miſſi quaſi ſupplicem Prothomartyrem pro lapidantibus eſſe coëgerint: *Non mirum eſſe*, reſpondet, *ſi eis neſcit iraſci per quos ſibi videt aulam regni cæleſtis aperiri, per quos ſe æternis ſæculis intelligit conſecrari.* Idcircò nullius vita homini Chriſtiano magis curæ eſſe deberet, quàm eorum, quos patitur infenſos & perſecutores; talibus ſiquidem inſtrumentis corona ipſi gloriæ & æternitatis fabricatur: *Non vides artifices*, ait

Hom. de S. Steph.

ait D. Chryſoſtomus, *omnia artis inſtrumenta habere parata & integra, quamvis affligat inopia, omnia præoptantes ſuſtinere potiùs, quàm ex inſtrumentis artificii quidpiam vendere velint*: aliter venditis iis tam neceſſum ipſis eſſet perire, quàm victum lucrari impoſſibile: igitur cùm hoſtes noſtri gloriæ noſtræ ſint inſtrumenta, & virtutis ac meritorum materiam nobis ſubminiſtrent, danda eſt opera ne illos vindicando perdamus, ſed benignè faciendo ſervemus in ſtadio virtutis nobis propitios; gaudeamus ab illis recipere probra, contumelias, & ſimiles injurias, quæ nobis convertentur in pretia, & præmia meritorum. Olim in caſtris milites creabant Imperatorem. Lætemur quòd in caſtris patientiæ per crebros inimicorum inſultus ad Imperatorum attingamus faſtigium: & quamvis nulla eſſet propoſita merces, noſtra tamen conditio nos ad hoc inducit. Quilibet Chriſtianus filius eſt Baptiſmi veluti alter Moyſes ex aquis, & in aquis ſalvatus, qui hoc nomine, hoc titulo omne tenetur deponere venenum iræ, omne toxicum odii evomere, omne ſimultatis & inimicitiæ aconitum longè depellere, quia juxta S. Ambroſium: *Noxia in terris, in aqua innoxia ſunt, atque ipſi angues ſine veneno, Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus.* Quando ergo Chriſtiani aquarum filii ſumus, renati ex aqua, nihil noxium, nihil venenoſum, nihil peſtiferum retinere debemus, ſed in mites, pacatos & dulces transformari per remedium injuriarum, quod eſt oblivio.

Homil. 3. de Divite & Lazaro.

Lib. 5. Hexam. cap. 2.

SYM-

SYMBOLUM XVI.



NOn debent tantummodò celari odia aut occultari, ſed omninò quoad fieri poteſt aboleri & extingui, ne veſtigium vel indicium ullum relinquatur, quemadmodum navis dum mare pertranſiit nullum eſt reperire tramitem. Indies hoc Deo promittimus recitando Orationem Dominicam: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, conditionem ponimus, & juxta eandem nobis ignoſci poſtulamus, neque hoc tantùm, ſed & modum inſinuare videmur, quem in remittendo proximo debita tenemus, cui ſi imperfectè dumtaxat, & ſuperficialiter inju-

rias

rias condonamus, odii & iræ fomitem in corde retinendo, vel ſimulando nos intùs reconciliatos, nulla tamen ſigna redintegratæ amicitiæ externa demonſtremus dedignando proximum alloquio, propinatione, ſalutatione dum tempus & ratio ſimilia benevolentiæ officia poſtulant; non eſt cur à Deo gratiam ullam ſperemus, qui dimidiatam ſalutem non præſtat, ſed integram: quantumvis enim peccatorum ſordibus aliquis ſcateat, illum prævie diſpoſitum per miniſtros ſuos eouſque mundum reddit, ut ne veſtigium quidem, indicium aut cicatrix peccatorum maneat, quod dicit per Iſaiam, *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Ipſi omnia poſſibilia, qui poteſt facere mundum de immundo, qui poteſt à capite ad calcem lavare æthiopem. *Iſaia 1. v. 18.*

§. 1. Declaratoriam ſententiam ferebant Sacerdotes in veteri Lege, quando quis à leprâ mundatus ſeſe illis ſiſtebat, ut colligimus ex illo Lucæ cùm Dominus decem leproſis, quibus ſanitatem impertierat, dixit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* In Lege verò gratiæ Sacerdotes verè definitivam pronuntiant: inter ambas hoc intereſt, quòd declaratoria ſolummodò indicet, rem ſic ſe habere ut ſe manifeſtat, uti in *cap. Cùm quidam. §. illi verò, extra de Jurejurando*; dicitur, quòd quidam erant abſolvendi ab obſervantia cujuſcumque juramenti illiciti, ubi appoſitè dici poteſt verbum, *abſolvendi*, ibi non eſſe poſitum, ut importet abſolutionem diſſolutivam vinculi, ſed ut ſignificet abſolutionem declaratoriam nullitatis vinculi. Neque hæc loquendi forma in Jure eſt inuſitata; ut conſtat ex *cap. Audivimus cauſa 24. q. 1.* Non igitur Sacerdotes antiqui Teſtamenti aliquos curabant à leprâ, ſed declarabant tantùm illos hac lue carere, jamque mundatos eſſe, & integritati reſtitutos. Definitiva verò facit rem ſic eſſe prout dictat, aut certè debere ſic eſſe; illâ utuntur Sacerdotes novi Teſtamenti, dum enim quis ex illis in Sacramento Pœnitentiæ ſuper peccatorem pronuntiat illa verba, Ego te abſolvo, poſitis omnibus prærequiſitis, eo ipſo continuò ipſum peccatorum nexibus eximit, ſanat, & prorsùs mundum verè ac realiter efficit; non enim nudum tantummodò reperitur hic miniſterium; ſed actus propriè judicialis, effectivus ejus quod ſignificat: quod diſertis verbis Concilium Tridentinum exponit: *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata pœnitenti, &c. anathema ſit.* Sic enim delet peccata Deus, *Luca 17.* *Seſſ. 14. can. 9.*

ut neque eorum veſtigium maneat. In corporibus quidem id non eſt ita: ſed quamquam millies conetur medicus, tametſi vulneri medicinas addat, vulnus quidem evaneſcit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum, atque ſi abolere contendat mille medicus modis, nequit: repugnat enim ſibi naturæ infirmitas, artis & medicinarum imbecillitas: „ Deus autem cùm dele- „ verit peccata, ſic delet, ut neque cicatrix, neque cicatricis „ ſuperſit indicium, non veſtigium quodquam, ſed & cum ſa- „ nitate decorem elargitur: atque peccantem coæqualem facit „ non peccanti, extinguit enim peccatum, atque id non eſſe „ facit, neque fuiſſe. Hæc fusè D. Chryſoſtomus.

De patientia Hom. 3.

§. 2. Undè patet verba abſolutionis Sacramentalis non tendere ad terminum dumtaxat negativum ſeu privativum, prout communiter apprehendi ſolet ſolutio à vinculò corporali ad quam analogicè ſe habet ſolutio à peccatis, ſed ad terminum quoque poſitivum, non enim remiſſio injuriæ aut offenſæ conſiſtit in nuda voluntate non vindicandi delictum, ſed maximè in novo & quaſi redivivo affectu benevolo offenſi erga eum qui offendit, ita ut homines non exiſtiment offenſam ſibi remiſſam, ſi læſus tantummodò ſignificet ſe nihil mali velle, neque vindictam exigere, dum interim amaro permaneat animo; & alieno ab illo qui offendit. Integram igitur poſtulamus à Deo peccatorum remiſſionem; vulnerum medelam, & ex parte tantùm proximo volumus ignoſcere; perfectam Deus & abſolutam largitur abolitionem injuriarum, & nos inimicis noſtris dimidiatum tantùm charitatis officium impendimus? Conſonet lingua menti, actus exterior interno, dicatur veraciter: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, exequamur conditionem quam pollicemur; modum quem nobis præſcribimus.

§. 3. Veſpaſianus Cæſar iniquis æquus fuit, injuriarum morſus lenivit oblivione. S. Epiphanius Conſtantienſis urbis Præſul injurias beneficiis eſt ultus. S. Gerardus ex patritio Veneto primus Hungarorum Apoſtolus, & Pannoniæ Martyr exemplo Protomartyris in profectione ſua ad Albam regalem, cùm à turba populi furiis iniquis agitata impeteretur, poſitis in terra genibus clamavit voce magnâ: Domine Jeſu Chriſte ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt. Hoc cùm dixiſſet lanceâ percuſſus ſuaviter expiravit. Non deſunt exempla, modò non deſit animus ad eà imitanda, Hinc ſuadet D. Ambroſius: „ Ut quiſque „ caveat motus animi ſui, ipſe enim ſibi obſervandus & circum- „ ſpiciendus

Lib. 1. Offic. cap. 47.

„ ſpiciendus eſt, & ut ad verſum ſe cavendus, ita etiam de ſe tuen-
„ dus; gemina vis animi eſt, una in appetitu, altera in ratione
„ poſita, quæ appetitum refrenet, & ſibi obedientem præſtet,
„ & ducat quò velit, & tamquam ſedulo magiſterio edoceat quid
„ fieri, quid evitari oporteat, ut bonæ dominatrici obtemperet.

§. 4. Paſſim tamen ſine delectu, ſine diſcretione omnibus ignoſcere, eſt vitia impunita relinquere, quod bono regimini mirum in modum repugnat, omnis ſiquidem actio virtuoſa indiget micâ ſalis, alioquin

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Perſpicaciſſimè virtutis medium eſt indagandum & tenendum, neque omninò ab una virtute recedendum ut alteri adhæreamus. Charitas ſine juſtitia eſſe nequit, juſtitia ſine charitate & reliquis virtutibus: *Omnes quippè virtutes in conſpectu Conditoris vicariâ ope ſe ſublevant: & quia una virtus ſine aliâ vel nulla eſt omninò, vel minima, viciſſim ſuâ conjunctione fulciantur.* S. Greg. lib. 31. Moral. c. 3. in 31. Job.

§. 5. Nunquam juſtitiæ ſtatera tranſilienda eſt, & in virtutibus tàm exceſſus, quàm defectus reperitur nocivus. Tolerantia nimia peccandi licentiam tribuit, & obedientiæ frænum laxat: uti nec meliùs imperat, qui quavis de cauſa delinquentes acriùs caſtigat. Hic rigor præterquàm quod odium & rebellionem pariat, à tyrannidis notâ vix abſolvitur. Non eſt juſta & laudabilis ira, niſi quam ratio ſuadet, & ſuſcitat, quam lenit prudentia. Sic Deus in præſenti vita caſtigat bonos, diſſimulat cum malis, & licet ſit magna ira ejus, tamen parcendo ſævit, ſed juſtè ſævit. Omnibus connivere, omnia diſſimulare, tolerare, æquo animo pati, ignorantia potiùs dicenda eſt & ſervitus, quàm recta gubernatio; non enim diu firma conſiſtere poteſt columna Reipublicæ, ubi audacia impunitate fovetur, & invaleſcit, ex qua contemptus procedens illam paulatim corrodet & diruet: „ Hinc juſti ſolent S.Greg. Hom. 34. in Evang. poſt initium.
„ rectè peccatoribus dedignari, ſed aliud eſt quod agitur typo ſu-
„ perbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ; dedignantur enim, ſed
„ non dedignantes, perſecutionem commovent, ſed amantes:
„ qui etſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intùs
„ tamen dulcedinem per charitatem ſervant.

§. 6. Ab æquitatis igitur tramite nullatenùs eſt recedendum, *Nam qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum*: qui dicit lucem tenebras, & tenebras lucem, qui malum bonum reputat, & bonum malum, qui ma- Proverb. 17. v. 15.

lum præmio dignum judicat, bonum ignominiâ vel pœnâ, qui non ſolùm vitia juſtificat, ſed & perſonas vitioſas, qui non punit malos, ſed è converſo quos caſtigare debebat, præmiat, & non remunerat bonos, uterque abominabilis eſt, quia ſtateram juſtitiæ tàm in præmiando, quàm in caſtigando (quibus duobus omnis potiſſimùm Reſpublica continetur) obſervare negligit: nam quemadmodum ſine nervis corpus moveri nequaquam poteſt; ita Reſpublica ſine juſtitia, quæ nervus Imperii eſt. Hæc igitur inæqualitas florentiſſima regna deſtruit, & debilitata evertit. *Qui* Pſal. 83. *miſericordiam & veritatem diligit Deus*, omnia æquâ lance vult ponderari, ut ſine præjudicio juſtitiæ miſericordia exerceatur, & juſtitia ſine læſione miſericordiæ; ſol enim & ſcutum eſt Deus juxta Hæbraicam verſionem, ſeptuaginta aliter legunt, & loco ſolis ponunt miſericordiam, & loco ſcuti veritatem, ſeu juſtitiam: rectè & appoſitè. Num multa ex miſericordia juſtitiæ præmittenda ſunt, ut conſilium rectum, ſedula cauſarum ponderatio, accurata circumſtantiarum inquiſitio, debita teſtium & conjecturarum informatio, quibus velut miſericordiæ radiis reſplendet ſcutum juſtitiæ, & reſplendebunt montes ab eis, id eſt, Juſtitiæ miniſtri. Aut ſi mavis Sol Juſtitia eſt. Non ob aliquod privatum commodum Sol Rex Planetarum uni beneficium communicat, alteri ſubſtrahit, non acceptat perſonas, verùm omnibus & ſingulis non exoratus exoritur: nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus: ſic & Juſtitia partialitatem & perſonarum acceptationem tamquàm tenebras & nubes ſplendorem ſuum obfuſcantes pellit. Non igitur levitati aut manſuetudini quidquam derogat, nec odio habetur ſupperior, qui pœnam exigit, non ipſius pœnæ avidus, Sen. ſed quia oportet: *Tardè ſiquidem pater ſibi membra ſua abſcindit, etiam cùm abſcindit reponere cupit, & in abſcindendo gemit*: ſed qui pœnis inhiat, quem puniendi delectat occaſio, qui illam ſtudiosè captat ac prenſat, is demùm execrabilis eſt. Caſtigare delinquentes ad exemplum multorum & correctionem ſpectat, ad omnium ſecuritatem & cautionem. Hinc illud primum Epiſcopos admonendos cenſet Concilium Tridentinum ut ſe Paſtores non perſecutores eſſe meminerint, ut ſubditos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia: „Cùm ſæpè Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. de reform. „plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm auſteritas, plus „exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm poteſtas. Providus rector verbis parcit, dum nutu quid poteſt exequi, dum verbis pondus ineſſe ſentit, ut timorem incutiat, non accedit ad

ad verbera. In minoribus delictis pœnitudine contentus eſt; quod Tacitus in Agricola laudavit his verbis : *Parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commendare, nec pœnâ ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus eſſe.* Proſequitur Tridentinum: „ Sin autem „ ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tunc cum manſuetu- „ dine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveri- „ tas adhibenda eſt; cùm ſit diligentis & pii ſimul Paſtoris offi- „ cium morbis ovium lenia primùm adhibere fomenta; pòſt ubi „ morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora & graviora remedia deſ- „ cendere: ſin autem ne ea quidem proficiant illis ſubmovendis; „ cæteras ſaltem oves à contagionis periculo liberare. Non ira, ſed ratio eſt à ſanis inutilia ſecernere. Veræ manſuetudinis exemplar fuit Chriſtus, qui quaſi agnus manſuetus portabatur ad victimam, qui coram ſe tondente obmutuit, qui cùm malediceretur, non maledicebat: & tamen fecit flagellum ex funiculis ut ejiceret vendentes de templo. Multa ex manſuetudine diſſimulanda ſunt, ſed cùm grave patratur delictum flagellum ſumendum. *Qui corrigi nequeunt, nihilque in ipſis ſpei bonæ capax eſt: tollantur è cœtu mortalium, facturi pejora quæ contingunt: & quo uno modo poſſunt, deſinant mali eſſe: ſed hoc ſine odio.* Mitiſſimus fuit hominum Moyſes, zelo tamen juſtitiæ occidit idololatras. Tam lenis erat Rex David in vindicando, tam moderatus in ira, ut cùm Saülem hoſtem infenſiſſimum in ſua haberet poteſtate, pœnarum ſatis exegiſſe ſibi viſus ſit, quòd oram chlamydis illi præſciderit; cujus etiam poſtmodùm ipſum pœnituit. *Poſt hæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.* Quàm ſeverè tamen, & extremo cum rigore injuriam ultus eſt, quâ Rex Hanon Legatos ejus affecerat. Bello ſiquidem illum adorſus occupatis omnibus Regni civitatibus, & funditùs everſis, Incolas earumdem (Scripturâ teſte) *adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta : diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum.* Sic nec exiſtimandus eſt Stephanus tunc inimicos dilexiſſe cùm pro eis oraret, & non dilexiſſe, cùm eorum incredulitatem arguendo corriperet; ipſa enim ſancta charitas firmam ſervavit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione cenſuram : utrobique ſalutem errantium cogitavit, ac per hoc in utroque peccanti proſpicitur, ut dum homo correptus de peccato confunditur; & à malis omnibus operibus ſeparetur, & per orationem Deo miſerante ſalvetur. Hac ratione Paulus conjunctus eſt Stephano, factus ovis ex lupo,

In vita Agric.

Ibidem.

Sen. lib. 1. de ira cap. 15.

Exod. 32.

1. Reg. 24.

2. Reg. 2. v. 31.

quò enim præceſſit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli, illuc ſecutus eſt Paulus adjutus orationibus Stephani.

§. 7. Non eſſe parcendum correptioni, dum zelus honoris divini illud exigit, præclarè Divus Baſilius apud Sanctum Gregorium Nazianzenum teſtatur: *Cæteris in rebus*, inquit, *ô Præfecte! manſueti, & placidi ſumus, atque omnium abjectiſſimi: verùm ubi Deus nobis periclitatur aut proponitur, tum demùm alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Ignis autem, & gladius, & beſtiæ, & ungulæ carnem laterantes voluptati potiùs nobis ſunt quàm terrori.* Quàm emphaticè! in cauſa Dei adinſtar generoſi Leonis ignem ſpirare videtur, multùm diſſimilis ab illis, qui neque infirma confirmant, neque diſrupta conſolidant, neque depravata convertunt; dum neminem audent offendere. Nec aſſumunt ſibi ſcutum inexpugnabile æquitatem, neque induunt zelum Eliæ & Mathatiæ conſtantiam: ſed ubi delinquentes coercêre negligunt, ipſorum ſceleribus communicare videntur, & per nimiam conniventiam aliorum cauſam propriam facere, qui poſtpoſito omni humano reſpectu & affectu muneri ſuo accingere ſe deberent. *Quaſi enim gladio aciem, ita menti noſtræ providus Creator iræ acumen impoſuit, ut eo, cùm oportet, utamur. Neque enim ſimpliciter, lenitas ſemper eſt bona, ſed cùm eam tempus efflagitat: quando verò id non adeſt, etiam iſta vitioſa eſt, fitque inconſtantia.*

D. Chryſoſt. de laud. Paul. Homil. 6.

§. 8. Idcircò D. P. Auguſtinus non carnalem in iis approbat dilectionem, ſed ſpiritualem. Imò Religio, bonum publicum, honeſtum & decorum, omnibus præponderent neceſſe eſt. Probabilis multumque commendabilis eſt amicitia, quæ honeſtatem tuetur: qualis fuit Jonathæ, qui pro pietate nec offenſam patris, nec ſalutis periculum refugiebat. Qualis fuit Abimelech, qui pro hoſpitalis gratiæ officiis necem potiùs ſibi quàm proditionem fugientis amici ſubeundam arbitrabatur. Quandocumque verò intuitu amicitię, aliquod honeſtati, aut bono publico crearetur præjudicium; tum neceſſitudinis jus & vinculum omninò diſſolvendum. Ita Aſſuerus Rex Perſarum quem ſecundum à ſe, ac præcipuum inter omnes amicos habebat, cruci tradidit, quòd dehoneſtatum ſe ejus fraudulentis conſiliis animadvertiſſet. Indubiè vitia, non perſonæ, odio perſequenda ſunt, quod perfectum odium Divinus Pſaltes appellat. Idcircò S. Legifer noſter correptionem adhibendam cenſet: *Cum dilectione hominum & odio vitiorum.* Idem Subrius Flavius exprobravit in faciem Neroni;

In Reg.

Nec

Nec quiſquam, aiebat, *tibi fidelior militum fuit dum amari meruiſti. Odiſſe cœpi, poſtquàm parricida matris & uxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius exſtitiſti.* Quin imò ſi vergat in damnum communitatis quæ privato illata eſt injuria, non privatâ compenſatione, ſed publicâ ſatisfactione reſarcienda venit. Neque prorsùs neceſſe eſt, ut Superior lęſus ad eamdem familiaritatem, in quâ priùs fuerat, admittat lędentem: id enim ad ipſius infuturum cautelam, & plurimorum exemplum prudenter cavetur ex facto Davidis; qui licet Abſalonem in gratiam recepiſſet, ipſique eſſet animo reconciliatus, illum tamen ad conſpectum ſuum admittere noluit. *Tacit. lib. 15. Annal.* *2. Reg. 14.*

§. 9. Quæcumque igitur ſuprà allegata ſunt de integra abolitione injuriarum; de privatis intelligantur. Hinc periniquum judicatur propter privatas ſimultates Rempublicam in diſcrimen adducere; quia non abutendum occaſione ad explenda odia, ſed potiùs Reipublicæ ſunt donandæ privatæ injuriæ. Quod & in Principe locum habet, quem maximè ornat clementia; præſertim in cauſa quæ ad ipſius injuriam privatam attinet. In qua non audiatur illud, Non poſſum diligere inimicum, quem quotidiè velut hoſtem patior crudeliſſimum. Nihil illo fœdius, nihil vilius, nihil inſanius, nihil crudelius dici poteſt. Quâ ratione cuiquam magis in pretio ſunt vitia quàm virtutes? neque enim officium probi & laudati viri eſt arroganter ſeſe extollere cęteros deſpiciendo. Inſidiæ ſunt & laquei Diaboli aliquos eouſque ſibi in propriâ complacere malicia, ut hoc modo numquam deſinat. Quoſdam dicentes audivi, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quòd numquam ampliùs ad illum acceſſerunt, à quo vel ſemel contemptui habiti ſunt; quod tamen Redemptor noſter honori ſibi duxit: *Quoties namque hunc homines conſpuerunt, quoties aſpernati ſunt, quibus nihilominùs ipſe & opem ferre & ſubvenire non intermiſit.* *Serm. 14. tom. 2. de diligendo etiam proſequentes.*

§. 10. Arduum ſit quod aggrederis, ſummi moliminis & laboris; ut nihil te deterreat, recreet magnitudo præmiorum. Quia in hoc te ipſum vincere noris, de te ipſo triumphum agere, totum tibi Deus reſerat cælum, Sanctorum civem efficit, & conſortem gloriæ; à peccatis abſolvit, coronat juſtitia. Inſuper nihil ita conſervat charitatem; quia nihil præſtantius ſicut in nos patrata non meminiſſe; quod ſatis ſuperque ſuo Chriſtus declaravit exemplo. Numquid injuriam operatum ad injuriam paſſum non deduxit? numquid eum ab altari ad eum non mittit, &

poſt

poſt reconciliationes ad menſam revocat? quid ais, inimicum habeo? & in hoc non erubeſcis? nonne nobis ſatis eſt Diabolus? utinam nec ille nobiſcum bellum gerere vellet! utinam nec ille diabolus eſſet! quid ita furentes imitamur? alter alterum corro-
Eccli. 28. v. 3. dentes, propriam impugnantes carnem? *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam?* Numquam inimicum tanto, quanto te ipſum afficies malo, ſervans injuriæ recordationem: non enim tantus eſt proximorum ultio, quantus miſeria noſtra, dolor. Utinam ſcires quanta ſit poſt reconciliationes voluptas, quanta tranquillitas animi & ſerenitas mentis. Adjice quod in hoc novo & inſolito pugnandi genere, qui vulgi judicio victus habetur, in cæleſti ſtadio victor exiſtat: vincimus enim malè patiendo, non malè faciendo. Quem admiramur victorem, Diabolum percuſſorem, an Job percuſſum? Job quamvis non potuerit pereuntes retinere pecunias, non filios ſalvare, non corporis ſanitatem conſervare, tamen hic eſt qui vicit, qui, quæ poſſidebat, omnia perdidit. Magnum igitur in tolerando conſiſtit lucrum, præmium amplisſimum, præclara nobiliſque victoria: in hoc Chriſtum ad vivum exprimimus, qui adverſarium manſuetudine cepit; benignitate fugavit. In hoc eminet Dei potentia, tale cæleſte eſt ſtadium, hoc Angelorum ſpectaculum.

SYM-

SYMBOLUM XVII.



QUia multis adhæret ſedes iniquitatis, ideò fingunt laborem in præcepto. Conſuetudinem mutare nolunt; quæ ſi gravis eſt, alit vitium, ſalubriter inſtitui renuunt; & eo ipſo iracundiam nutriunt, quo alimenta ipſi miniſtrant: ignemque conantur igne incitare; quod non minùs nocivum quàm calentibus ingeniis vinum. Multum ad hoc mollis & blanda educatio facit: nec facilè reſiſtet offenſis, cui nihil umquam negatum eſt, cui nimiùm parentes indulſerunt, qui aſſentatione corruptus numquam verum audivit, ut timeret; ſed pronâ in quidlibet licentiâ, Pædagogi

minas & manus effugit. Qui verò in omnibus rationem ducem ſequitur, facili negotio affectibus ſuis aut terminum, aut certè modum conſtituet. Hæc eſt quæ omnes prudentiæ partes ſedulò expendit; hæc, quæ ante executionem maturè deliberat, quæ tempus in conſilium advocat, non ignara, quod maximum remedium iræ, ſit mora. Neque enim ab illâ petendum initio ut ignoſcat, ſed ut judicet; deſinet profectò ſi expectet. Graves, turbidos, & periculoſos habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur.

§. 1. Optimo proindè conſilio Auguſto Cæſari ſuaſit Athenodorus, ne quid iratus decerneret prius, quàm viginti quatuor Alphabeti Græci litteras ex ordine recenſuiſſet. Meritò ſe contemptum putabat Aſſuerus Rex à Regina Vaſthi, quòd ad ejus imperium per Eunuchos intimatum in locum convivii venire renuiſſet: non tamen gravius quidquam in eam ſtatuere voluit, antequàm Regni Satrapas in conſilium adhibuiſſet. Ex propoſito congruè ad propoſitum noſtrum quærit Seneca; „Quare id ful-
Natur. quæſt. lib. 2. cap. 43. „men quod ſolus Jupiter mittit, placabile eſt, pernicioſum id de „quo deliberavit, & quod aliis quoque Diis auctoribus miſit? reſ„pondet. Quia Jovem, id eſt, Regem prodeſſe etiam ſolùm opor„tet, nocere, non niſi cum pluribus viſum eſt. Diſcant hoc ii, qui„cumque magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine „conſilio nec fulmen quidem mitti: advocent, conſiderent mul„torum ſententias, placita temperent, & hoc ſibi proponant, ubi „aliquid percuti debet, nec Jovi quidem ſuum ſatis eſſe conſi„lium. Quod non malè præſenti exprimitur emblemate. Modicum enim ſalis ollæ ebullienti immiſſum ſubſidentibus paulatim ſpumis illam deſerveſcere facit: ita ſi non vinci omninò ira poſſit, quia obicem omnem exuperat repentina & univerſa vis ejus, & omnes alios affectus ſibi ſubjicit: temperari tamen poterit, eoque detracto quod exundat ad ſalutarem modum cogi.

§. 2. Quod ex longo uſu & exercitatione petitâ diſciplinâ non ægrè quis conſequetur, adhibito rectæ rationis dictamine, quo animus nonnihil cunctatione pacatior redditus, ſeſe undequàque circumſpiciet, cauſas & originem mali quoad poterit perſcrutabitur: hinc quæ iraſcenti non eſt viſa injuſta ira, videbitur temperato parùm ex rationis præſcripto. Benè monet Horatius:

Lib. 1. Ep. 2. ad Lollium. *Ira, furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret,*
Imperat.

Quid

Quid inſanius Cteſiphonte, (nulla enim ad inſaniam celerior via eſt, quàm ira) qui recalcitrantem mulam calcibus impetebat? numquid ſi micam ſalis, id eſt, rationis adhibuiſſet, primum irritamentum iræ protinùs ſpreviſſet, ipſiſque repugnaſſet ſeminibus, intelligens nihil dementius quàm mutis animalibus iraſci? nulla ſiquidem eſt injuria niſi à conſilio profecta. Sanioribus præceptis imbutus puer ex Platonis diſciplinâ & educatione ad parentes relatus, cùm vociferantem videret patrem: *Numquam*, inquit, *hoc apud Platonem vidi*, optimi magiſtri mores probè referebat. Inſtar Platonis natura & ratio nobis ſit. *Plutarch. de ira cohib.*

§. 3. Armis tàm offenſivis quàm defenſivis animalia natura inſtruxit. Leonem ungulis, Aquilam falculis, Elephantem proboſcide, Taurum cornibus, Aprum dentibus exertis, Erinaceum pungentibus aculeis, Viperas & Serpentes veneno formidabiles reddidit; alia ad ſe tuendum duriori pelle contexit: Crocodilum loricâ, Serpentes hamato thorace, Cancros teſtis. Addidit quoque aſpectum ferocem, & vocem horrificam, ut vel ſic adverſantia pellerent. Hominem ſolùm, animal imbelle, & querulum, inerme, nudum produxit; alienæ opis, inſtructionis, & gubernationis indigum: quòd ſe ſolo, abſque alienâ induſtriâ vivere non poſſet: ideò illud civile ac ſociale, benignum & pacificum eſſe voluit; cui Deus in hęc inferiora dominium tribuit, non ut ea deſtrueret, ſed pace conſervaret; rationem in ſupernâ ejus ſede, veluti Reginam in ſolio collocavit, ut in iram haberet imperium, illiuſque impetum retunderet, aut mitigaret. Omnia membra ei ad amoris & benevolentiæ affectus communicandos largita eſt natura; linguam articulatam & eucharim, ad animi decreta exprimenda, ad amicitiam, pacem, & ſocietatem conciliandam: manus, ad fidem, & liberalitatem teſtandam: genua, ad obedientiam, pedes, ad charitatis officia velociter adimplenda. Ne quid illum ad lædendum incitaret, longè ab aſpectu removens aurum atque argentum, cum reliqua nocendi materia; & propter iſta numquam pacem agens ferrum, chalibemque, quaſi malè nobis committerentur, in imis terræ viſceribus recondidit: ita ut quotieſcumque homo excandeſcit, vindictam ſpirat, ſanguinem ſitit, pœnas ab inimico ſumit, naturæ optimè conſtitutæ vim inferat, illiuſque leges & jura infringat, illis præſidiis (quæ ad beneficentiam dedit) ad injuriam, & detrimentum proximi abutendo. Inter animantia ejuſdem generis raró videmus quòd ſibi invicem adverſentur; quin & plurima naturalis oblita

ſeritatis arte & induſtriâ humana manſueſcunt : ſolus homo fit homini lupus, & in tantum iram fovet, indignationem acuit, odium conſervat, ut in hujuſmodi illud Ovidianum retorqueri poſſit:

In Epi. Ariad. Theſ.

Mitius inveni quàm te genus omne ferarum,

§. 4. Mirum eſt, quod qui ferociſſima animalia domat, & regit, iram ſuam & animum regere neſciat, aut nolit! non ex ignorantia, ſed ex mera malitia hoc procedere autumandum eſt; cùm illi conceſſa ſit ratio, prudentia, diligentia, cogitatio, quibus adminiculis in omni eventu ſibi conſulere, & contra ægritudines animi tueri valeret, bonoque viro digna facere, & nihil facere viro indignum. Multa ſunt quæ antè prævisa, aut in tempore rectè diſcuſſa, violentiam affectuum cohibent, animumque paululùm à ſua ſede dimotum, priſtino vigori & robori reſtituunt. Examinandæ ſunt cauſæ ex quibus naſcuntur perturbationes: in quibuſdam enim infirmitas iram movet; ſi vitrum fractum ſit, ſi calceus malè conſutus, ſi veſtis luto aſperſa.

Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. 3.

Si quis eum ſervum, patinam qui tollere juſſus
Semeſos piſces, tepidumque ligurierit jus
In cruce ſuffigat Labeone; inſanior inter
Sanos dicatur: Paulum delinquit amicus
Odiſti, & fugis:

Uti pueri tàm amiſſis parentibus flebunt, quàm nucibus. Cauſa iracundiæ opinio injuriæ eſt, quæ plerùmque falſa nititur ſuſpicione; ut illa, ſic & conjectura tollenda ex animo eſt, falſiſſima irritamenta; plurimùm enim mali credulitas facit. Contra naturæ vitium, quod ſuſpectum notumque nobis debet eſſe, dilatione utendum; veritatem dies aperit. Nam pœna dilata, poteſt exigi, exacta nequit revocari. Numquam deërit ſuſpicioni argumentatio, ſi illâ nos duci ſinamus: Ille me parùm humanè ſalutavit, ille inchoatum ſermonem citò abrupit, illius vultus averſiór viſus eſt, ille me ex more inviſere pretermiſit, ille aliquid de me clanculùm alteri inſuſurravit: locum honoratiorem non ceſſit. Non facilè fidem niſi obviis & manifeſtis præbeamus, quoties ſuſpicio vana apparuerit, objurgemus credulitatem noſtram.

§. 5. Plus ſibi de amico ſuo credere voluit Alexander Macedo quàm Matris epiſtolæ, quâ monebatur, ut ſibi à veneno Philippi Medici

Medici caveret; & acceptam potionem non deterritus ebibit. Animoſior hæc fuit & laudabilior in eo moderatio, quia nemo magis obnoxius iræ fuit. Quidam ad leviora concitantur, minimis ſordidiſque rebus exacerbantur. Si aquam calidam tardiùs attulerit ſervus, trecentis eum affligi verberibus jubebunt æqui delictorum judices? hoc tamen de ſui ævi moribus ſcribit Ammianus. Quid ſi turbatus ſit thorus convivalis, qui ſplendidè & in pompam ſterni conſueverat? ſi menſa negligentiùs poſita? propter iſta juſtè quiſpiam commovebitur? infelicis valetudinis eſt, quem levis aura contraxit: imbecille cerebrum, quod minimus ſonitus, ſtrepitus & ſtridor offendit; affecti oculi, quos ſplendens & nitida veſtis obturbat, diſſolutus deliciis cujus latus alieno labore condoluit. *Myndiridem aiunt fuiſſe ex Sybaritarum civitate: qui cùm vidiſſet fodientem, & altiùs raſtrum allevantem, laſſum ſe fieri queſtus vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. Idem ſæpiùs queſtus eſt quòd foliis roſæ duplicatis incubuiſſet.* Lib. 21. Sen. lib. 2. de irâ cap. 25.

§. 6. Voluptates non ſolùm animum enervant, ſed & mollitie ſuâ quidlibet intolerabile reddunt, & ſicut ſubtiles litteræ viſum turbant, ſi intendis; ſic res exiles mentem. Quâ ratione in Aulâ vivet injurias accipiendo, & gratias agendo, quod ibi frequentandum eſt, quem tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, aut muſica parùm curioſè fugata, aut verſus calix in rabiem agit? quem plaga ſummam tantummodò cutem delibans ingemiſcere cogit? quomodo æquo animo convitium feret; maledicta devorabit? quomodo rigidum & prolixum Pythagoræorum aut Brachmannarum novitiatum abſolvet; in quorum uno nemini loqui per quinquennium fas erat, in altero nedum loqui, ſed neque tuſſire palàm, aut ſternutare? non benè in ſchola Chriſti manſuetudinem ejus, & lenitatem addiſcet, nec percutienti alteram maxillam præbebit, cui tam levia & futilia continuò iras multas ac quotidianas gignunt.

§. 7. Proindè ſimplicitate opus eſt, & benignâ rerum æſtimatione. Plurima ſunt quæ injuriam nequeunt inferre, ut quæ ſine ſenſu ſunt, & quæ ratione carentia. Alia peccata apud æquum judicem pro innocentia habent imprudentiam: alia quæ nos offendunt, ex ſimplici tantùm aliorum renuntiatione accepimus; alia ex falſa criminatione & injuriæ fictione: quibus, ut parùm fidis, citò credere non debemus, ſed maturè eadem expendere. Pleraque excuſatione & veniâ digniſſima erunt, ſi naturam & voluntatem facientium excutierimus. „ Puer eſt? ætati

Sen. lib. 2. de ira cap. 30.

„ donetur, neſcit an peccet. Mulier eſt? errat. Juſſus eſt? neceſſitati quis, niſi iniquus, ſuccenſet? Læſus eſt? non eſt injuria, pati quod prior feceris. Judex eſt? plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ. Rex eſt? ſi nocentem punit, cede juſtitię: ſi innocentem, cede fortunæ. Morbus eſt, aut calamitas? leviùs tranſiliet ſuſtinentem. Bonus vir eſt, qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari: dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & jam ſibi dedit, qui peccavit.

§. 8. Plurimùm commendationis attulit Philippo Secundo Regi Catholico lenitatis fama, ex inſigni relicto poſteritatis exemplo; ob quod alter Seneca vocari meruit. Magnam aliquandò noctis partem inſumpſerat ſcribendo Pio Quinto Pontifici Maximo, cumque ad proximum cubiculum pergeret, ut Santoyus ipſi à ſecretis epiſtolam, quam tantâ curâ & labore exaraverat, complicaret & obſignaret: invenit illum ſopore gravi præ ſenectute oppreſſum: excitat dormientem, evigilare ad miniſterium jubet, deindè ſcripturæ arenam ſuperponere, ne maculas characler contraheret. Santoyus ſomnolentus atramentum pro arena in epiſtolam effundit, totamque maculis aſpergit. Illius ſenis imprudentiâ deletum erat totum, quod tamdiu Regis Potentiſſimi ingenium & manum fatigaverat. Quid expectandum à tanto Monarcha offenſo, carcer, exilium, aut quid acerbius? Indignatio enim Regis nuntii mortis. Nihil ſimile: nimis profundè imbiberat Philippus legem clementiæ, & manſuetudinis, non minùs noverat animo, quàm ſubditis imperare. Sui potens, æqualique planè vultu, ne denuò erraret, tantummodò pixidem quæ arenam continebat, & atramentarium digito monſtravit, ignoſcens ætati & ſomnolentiæ, ac rurſus ad ſcribendum ſe contulit. Non ignoravit quàm excelſi animi, quàm Regium ſit, perniciosa excludere, illiſque omne in voluntatem jus negare, ne potentiora Rectore efficerentur, nevè recidi ſe, minuique paterentur. A ratione præſidium & conſilium petiit, conſideravit ſomnolentis errorem condonari debere, qui vigilantibus per inadvertentiam nonnunquam obrepere poſſet. Illud fuit potentiam ſuam placidè ac ſalutariter exercere. Dolendum ſanè quòd P. Cotton è Societate Jeſu tantâ nequiverit uti moderatione, in ſuſtinenda interrogatoriæ actionis vexatione, quâ cum præcipuis è Societate præter ordinem à Senatu Lutetiano pulſabatur ſuper librum Santarelli ejuſdem Societatis Presbiteri, ne tædio vitam abrumperet: tranquilliore & diuturniore fato dignus,

Que ſi el hõbre mas diſcreto,
Comite yerros velando,
Mal acertara dormiendo.
Y ſabed de aqui adelante,
Porque ſi cerrais otro pliego
Que aqueſta es la ſalvadera,
Y eſte Santoyo el tintero.
Montalvan en el ſegundo Seneca de Eſpaña.

Gramond. Hiſt. Gall. lib. 15.

gnus, ob longam in virtute perſeverantiam, ob vitam procul ab ambitu, quia florens & candens lilium inter ſpinas, hoc eſt, homo incorruptus in Aulâ; ob raram ſcientiæ & facundiæ laudem, ut ipſi & Patri Ignatio Armando Societas debeat revocationem ſuam in Gallias & reſtaurationem. Sed improviſa veluti fulminis ictus, graviter percellunt & feriunt, vixque conſilio copiam præbent. *P. Matthieu Hiſt. de Henry IV. liv. 6.*

§. 9. Socrates tempore ſe ipſum admonuit, iræ locum dedit, in ſanius tempus admonitionem ſervi diſtulit inquiens; *cæderem te niſi iraſcerer*: Antigonus iram in jocum vertit: ,, quid enim facilius illi fuit quam duos manipulares duci jubere? qui incumbentes Regio tabernaculo faciebant, quod homines & periculoſiſſimè & libentiſſimè faciunt, de Rege ſuo malè exiſtimant. Audierat omnia Antigonus utpotè cum interdicentes & audientem Palla intereſſet: quam ille leviter commovit, & *longius* inquit, *diſcedite ne vos Rex audiat*: ſciſcitatus fuerat Philippus Alexandri Magni genitor à Demochare inter alios Athenienſium legato (qui propter nimiam & procacem linguam Parrheſiaſtes appellabatur) *Facere quid poſſet Athenienſibus gratum?* excepit Demochares; *te*, inquit, *ſuſpendere*. Magnâ circumſtantium indignatione ad tam inhumanum reſponſum exortâ: Philippus omnes conticeſcere juſſit, & Therſitam illum ſalvum incolumemque dimittere. *At vos*, inquit, *cæteri legati nuntiate Athenienſibus multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt.* *Sen. lib. 3. de ira cap. 22.* *Idem ibidem cap. 23.*

§. 10. Thimagenes Hiſtoriarum Scriptor quædam in Auguſtum, quædam in uxorem ejus, & in totam domum liberiùs ac petulantiùs dixerat; contentus fuit Auguſtus illi domum ſuam interdicere, & à convitiatore ſuo ſecedere. Carolomannus Francorum Rex anno ſalutis ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, regno fratri Pipino relicto Romæ Monachum profeſſus eſt; verum pertæſus frequentiam ſalutantium clàm noctu uno tantùm comite ad montem Caſſinum perrexit; ob homicidium ſe Franciâ pulſum prætexens, excipi petiit. Suſceptus, & culinæ miniſterio admotus; cum per imperitiam in multis offenderet, à coco ſemel iterumque colaphis cæſus, hoc unum reſpondit: *Condonet tibi Dominus, frater, & Carolomannus.* Quantum virtutis & efficaciæ in ſe continet ad ſedandos animi motus hujus ſalis mica! quam præſtans illius in contrariis medendis eſt condimentum! benè nos inſtruxit ratione natura, dans telum firmum, perpetuum, obſequens, nec anceps, nec quod in Dominum remitti poſſit. Non *Reginus lib. 2.*

ad

ad providendum tantùm; ſed ad res gerendas ſatis eſt per ſe ratio. Non ex libidine judicat, Patrocinio locum relinquit, utrique parti tempus dat: deindè advocationem etiam ſibi petit, ut excutiendæ ſpatium veritati habeat; nihil præter ipſum de quo agitur ſpectat, nec vanis & extra cauſam obverſantibus commovetur, ſciens nihil magnum, niſi quod ſimul & placidum: tùm lento adjutorio opus eſſe contra mala continua & fœcunda, qualia ſunt animi noſtri perturbationes; non ut prorſus deſinant, ſed ne vincant.

§. 11. Proponat ſibi quiſque quoties laceſſitur tantorum virorum exempla: admiretur in tantâ potentiâ tantam lenitatem, comitatem, temperantiam, & injuriarum tolerantiam. Dicat ſibi: quis ſum cujus aures lædi nefas ſit? quid eſt, quare ego alicujus hilarius reſponſum, aut contumaciorem vultum iniquiſſimo feram animo? ignoverunt multi hoſtibus, ego non ignoſcam pigris, ignorantibus, garrulis? puſilli hominis & miſeri eſt repetere mordentem. Exulcerata & ægra corpora ad ictus leviſſimos gemunt, aut exacerbantur. Cogita quod cum pare contendere anceps ſit, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum. Amicus eſt qui nos offendit? fecit, quod noluit. Inimicus eſt? fecit, quod ſe debere putavit. Prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus. Salubriter admonet Thomas à Kempis, *Si rectum cor tuum eſſet, tunc omnis creatura ſpeculum vitæ, & liber Sanctæ Doctrinæ eſſet: non eſt creatura tam parva & vilis, quæ Dei bonitatem non repræſentet.* Taliter animo præparatus nihil ſiniſtri de proximo ſuſpicareris, ſed etiam errores ipſius documenta præberent ad innocentiùs vitam tranſigendam. Animadverteres ſapientiſſimos quoque multa delinquere, neminem tam circumſpectum eſſe, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi exciderit, neminem tam maturum, quem non caſus in aliquod frigidius factum impingere coëgerit, neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, inciderit. Revolve Sacram Paginam, percurre annales temporum; deprehendes quòd etiam maximi Patriarchæ, Sanctiſſimi viri omni prorſus nævo imperfectionis non caruerint, aut non raròhumanum quid paſſi fuerint. *Nemo invenitur ſine defectu, nemo ſine onere, nemo ſibi ſufficiens, nemo ſibi ſatis ſapiens.* Audi de hâc re Senecam. *Quòd ſi etiam prudentiſſimi peccant, cujus error bonam cauſam habet? certè æquiore animo feret, ab alio lædi, ab alio contemni, cuicumque in mentem venerit; nullam eſſe tantam potentiam, in quam non incurrat injuria.*

Lib. 2. de Imit. Christi cap. 4.

Th. à Kemp. de Imit. Chr. lib. 1. cap. 16.

Lib. 3. de ira cap. 25.

§. 12. Allegata ſi minimè ſufficiant, Syracidis doctrinam admit-

mitte, *Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo.* Succurrat unicui- Eccli. 31.
que non tantùm quid patiatur, ſed quid fecerit. In conſilium v. 18.
de vita noſtra mittamur, & ſi volumus æqui omnium rerum judices eſſe, hoc primùm nobis ſuadeamus, neminem noſtrûm ſine culpa eſſe: ſi diſcuſſerimus ſingula facta, quis noſtrûm audebit dicere, Nihil peccavi, nihil feci? indignamur ob correptionem aut coërcitionem, & illo ipſo tempore peccamus adjiciendo malefactis arrogantiam & contumaciam. Quis eſt qui ſe profitetur in omnibus innocentem? quàm multa liberalitas, pietas, humanitas, fides, juſtitia exigunt? quis ex æquo officiorum regulam implevit? alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus. Dicetur: aliquis de te malè locutus eſt, cogita an prior feceris, cogita de quàm multis malè loquaris. Quotieſcumque ab aliquo offendi aut lædi te putaveris; referas ad te, quod & ipſe ſæpiùs alios injuriâ affeceris, quàm multos poſt odium amare cœperis. Poteris non ſtatim iraſci, ſi tibi tacitus ad ſingula, quibus offenderis, dicas; hæc & ipſe commiſi, ſic erravi, hæc in me damnare debui: faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuefuerimus nos.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum Hor. lib. 1.
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. ſerm. ſatyr. 3.

Sed ubi tam æquum judicem inveniemus? *Fidei acerrimus exactor* Sen. lib. 2. de
eſt perfidus: & mendacia perſequitur ipſe perjurus, & litem ſibi ira cap. 28.
inferri ægerrimè calumniator patitur. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo noſtra ſunt: indè eſt, quod tempeſtiva filii convivia pater deterior filio caſtigat. Quem Juvenalis acerrimè carpit his verbis:

——— *Et cùm*
Omnia deteriùs tua per veſtigia peccet
Corripies nimirùm, & caſtigabis acerbo Satyr. 14.
Clamore, ac poſt hæc tabulas mutare parabis.
Undè tibi frontem, libertatemque parentis,
Cùm facias pejora ſenex?

Sic tamen vivitur. *Homicidæ Tyrannus iraſcitur, punit furta ſa-* Sen. ibidem.
crilegus, nihil alienæ luxuriæ ignoſcit, qui nihil ſuæ negavit.

§. 13. Strenuum cauſæ noſtræ patronum & vindicem nacti ſumus D. Joannem Chryſoſtomum, qui luculentiſſimè pro ſubjecta materia diſſeruit, meliùs eſſe injuriam pati, quàm inferre: hortans identidem, ut benedicamus maledicentibus, & diliga-

mus omnes etiam perſequentes. Quod ab iis potiſſimùm requirit, qui ad perfectioris vitæ apicem collimant, qui cælo inſcripti majoribus videntur obnoxii legibus. Ex amore mutuo Chriſti Diſcipuli dignoſcuntur. Amorem amore compenſare, eſt vicem reddere: odium verò amore ſuperare, perfectorum eſt, magni præmii & laudis. Quidquid autem in hujus obſervatione moleſtiarum occurrit, dextrè abſtergit ſalubri medicamento peritus animarum Medicus: *Nonne*, inquit, *ſpectaſti umquam qui turpi libidine detinentur, uti ab adulteratâ mulierculâ, innumeris contumeliis affecti, cæduntur plerùmque & conſpuuntur? quid igitur? num amor ignominiis ſolvitur? minimè; quin magis accenditur.* Tam indignè tractati nonnumquam è primaria nobilitate viri avita poſſunt nomina & ſtemmata recenſere, & quæ in illos inſurgunt nonnumquam de fæce ſunt plebis femellæ, turpes, infames, proſtitutæ. Neque idcircò amare deſinunt, ſed in iis uſuvenit illud Terentianum: *Amantium iræ amoris redintegratio eſt.* Si tantùm valeat impurus & Dęmoniacus amor, nonne exiſtimandum eſt poſſe in divinum deſiderium transferri, expugnarique hoc pacto Dæmonum machinamenta? exemplo patebit.

§. 14. Tholoſæ in Gallia adoleſcens non infimæ ſortis in ſocios plus ęquo liberiores inciderat, ac penè Atheos; ex quorum frequenti colloquio ac convictu eamdem propemodùm ſectam fuit amplexatus. Priùs tamen experiri placuit, & cognoſcere, num aliquid eſſet in cælis numen, quod inferioribus hiſce præeſſet? num vigili curâ mens altior inveniretur rerum humanarum moderatrix & arbitrix? adultâ proindè jam æſtate, & ſole ad veſperam vergente Tholosâ egreditur, in apertam campi planitiem, chlamydem actutum deponit cum pileo, ferrum ſtringit veluti decretoriâ pugnâ cum alio dimicaturus. Oculis, vultu, geſtu, ſanguini inhians hoſtem præſtolatur. Stupendum, inſolens, & ſæculis inauditum! Deum ipſum cæli terræque Monarcham ad duellum provocat. Nudato ferro, procaci linguâ, Age, inquit ſtygio furore percitus, ſi quod uſquam vel in ſupremis, vel in infimis es numen, ocyus ad certamen prodi, mecum congredere, manus confere, lubens fatebor ac volens eſſe te, & mundi regimen tenere. Totâ nocte ad auroram uſque Jacob cum Angelo luctatus eſt; ſed ſpirituale hoc, myſticum, & divinum fuit certamen: undè meruit audire, *Nequaquam Jacob*
Gen. 32. v. 38. *appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël*, hoc eſt Deum videns. Taline experimento diſcere voluit impius, blaſphemus, inſanus, ut ante

vel

vel poſt congreſſum Deum videret? propter unicam in hominem rebellionem Dathan & Abyron vindex terra, inſtrumentum Juſtitiæ divinæ, vivos deglutivit: & impunè hic Deo & Superis inſultabit? inſolenter jactabit:

Audiat hæc cælum, & ſi Deus ullus in illo eſt? Ovid. 3. Met.

Nullatenùs hoc auſus, ſi vel confusè agnoviſſet authoritatem & majeſtatem Judicis ſui. Creatura furit, & miſerentis Creatoris bonitas non punire, ſed ad meliorem reducere mentem phreneticum ſatagit. Oculos infernalis iſte pugil in cælum tenebat erectos, ex quo viſa eſt delabi chartula nivei candoris, quam apprehenſam aperit, invenitque in ea litteris aureis digito Dei exaratum *Miſerere mei Deus.* Quanta mutatio dexteræ Excelſi! quàm repentina, quàm inſtantanea converſio! ab oculis cælo miſſum amuletum deſcendit ad cor, quod illicò ex lapideo carneum Deus effecit, & ad primum tactum adeò emollivit, ut jam illum eſſe crederet non ſolùm ſcelerum ſuorum vindicem, ſed & à quo poſt hanc datam miſericordiæ teſſeram, veniam delicti pariter & ſalutem expectaret. Quàm neceſſarium fuit cœleſte hoc ſal ad exſiccandum illum prędominantem, & peccantem humorem? utq; corruptum à putredine vitiorum liberaret, quod Dei virtutis eſt; non corpus modò, ſed & animam æternitati incorruptam reſervando: quam ut reponeret in Eccleſiæ promptuaria, mordaci ſuâ vi ex oculis peccatoris lachrymas pœnitentis animæ teſtes, expreſſit, & per exomologeſim peccatorum ad ſeriam vitæ emendationem compulit; ut tandem cum Deo pactum ſalis iniret: quod perpetuum, & ſtabile futurum declarant Sacræ litteræ ex natura ſalis, propter incorruptionem, quam corporibus impertit. Non malagma ſanavit illum Domine, ſed ſermo tuus. Hinc manifeſtum redditur, ubi cor à Deo tangitur, quando ratio humana cęleſti ope excitatur, quod tumor & furor citò ſubſidit.

P. Barr. in An. Sanct. p. 4. c. 3.

Num. 18.

INTRODVCTIO
IN
SECUNDAM PARTEM.

H*Actenus generaliora attigimus, non quantùm decuit, ſed quantùm licuit, craſsâ, ut aiunt, Minervâ. hoc inſtituto methodum compoſitionis ſecuti, quæ in diſciplinis tradendis obſervatur, ut à magis communibus ad minùs communia & ſpecialiora pateat via ac tranſitus. Quo pacto enim rectè & diſtinctè Ars Oblivionis tractabitur, niſi interſerantur quæ oblivioni in particulari ſunt mandanda? niſi cauſa quoque ſubnectatur, falſum nimirùm & umbraticum, non verum ac ſolidum bonum in his reperiri? vulgaria, protrita, & obvia videbuntur, non abnuo, in his tamen ſum*

—— Magnorum exempla ſecutus.

SS. Patres anteſignani mei, variè & copioſè de virtutibus & vitiis tàm in genere, quàm in ſpecie diſſeruerunt. D. Ambroſius in libris Officiorum, in Tractatu de Fuga Sæculi, & alibi D. Auguſtinus in libris de Civitate Dei, & in libello de Moribus Eccleſiæ. D. Hieronymus in Epiſtolis: & ubertim D. Chryſoſtomus in Codicibus ſuis: Undè Concionatoribus perutilis judicatur; de Ficta Nobilitate, de Fugienda vana Gloria, de Contemptu Divitiarum plurimas ſalutares admonitiones, veluti medicamentorum utilium compoſitiones, litteris mandarunt: quorum ſcriptis ſemper honos & religio fuit. Exhibeo ſimiliter & offero varias medicamentorum ſpecies tamquam ex benè instructâ Apothecâ. Hinc ſingulis, quod ſibi maximè conducere judicabunt, gratis deſumere licebit. Aliis enim ſimplicia proderunt; alios compoſita ſeu mixta juvabunt; aliis denique ex omnibus ſalutiferum ſuppeditabitur Alexi-pharmacum. Votum & conſilium meum eſt, hæc omnibus adaptare: nec florem & fucum magis, quàm robur ac veritatem quærere; neque pompam aut famam propriam ſed fructum Lectoris ſpectare, quem velim non verbis inhærere, ſed rebus: ſicuti boni canes venatici non pellem extremam leviter ſtringunt, ſed ipſam feram prehendunt & mordent. Illis, qui à pharmacis abhorrent, menſam propono, diverſis refertam cibis, ut indè quiſque valeat, quæ ad palatum ſunt, libare. Guloſorum enim eſt, omnia quæ appoſita ſunt avidè guſtare; qui, neque in præſentiâ, *juxta* Lib. 3. *Polybium*, verè fruuntur ullo ciborum genere, neque in poſterùm digerunt ſatis, aut utiliter iis nutriuntur. *Legat quiſque, ut animo ſedeant fideliter, utatur cum fructu, ut è Theoriâ ad praxim valeant reduci.*

SYM-

SYMBOLUM XVIII.



MIRA ſuccinis vis ineſſe dicitur, ut ſtipulas & feſtucas ſibi copulent. Nec minùs admirandos Magnes edit effectus in attrahendo, elevandoq́ue ferro contra propriam gravitatem*; quaſi potentiam ipſi Proviſor univerſi indidiſſet obedientialem ad virtutem lapidis hujus attractivam naturali quodam impetu ſequendum, illiq́ue ſpontaneo nexu adhærendum. Excedere quoque fidem videtur, quod de pulvere Sympathetico moderni quidam ſcribunt, & prægnantibus rationibus confirmare nituntur, cujus in medicandis vulneribus tantam referunt efficaciam, ut ne in diſtantia

 quidem

quidem & longè remota operari deſinat; quod vel à veritate longè alienum eſſe volunt, veluti ſolet in effectibus extraordinariis, magicis artibus aſſcribendum; qui occultas & efficaces ejus cauſas penetrare nequeunt: inſolita quippè meritò ſuſpecta eſſe debere prudentiores docent.

§. 1. Ex omnium penè tàm veterum quàm recentiorum Auctorum penu depromitur, majores longè vires eſſe, & potentiam amoris; non modò quia per ipſum admirabili quodam conſenſu elementa in conſervationem univerſi conſpirant, & natura mutuis benevolentiæ vinculis veluti arctiſſimo quodam nexu omnia jungit inter ſe, & copulat: verùm etiam quia ſupremum jus & imperium in animos nactus eſt, quos unâ cum corporibus grata compede detinet; amantium ſiquidem deſiderium, & ſtudium unicum eſt, ex duobus unum facere; quod niſi per mutuam diſſolutionem quia conſequi nequeunt, unitatem ſibi pro ſcopo & fine conſtituunt. *Fortis eſt ut mors dilectio.* Mors ſcindit nexum omnium fortiſſimum, nexum animæ & corporis unita ſeparans extrema. Amoris fortitudo in eo ſita eſt, ut extrema quæque tenaciſſimo uniat nexu quantumcumque diverſa ac inæqualia. Quot diſpares viros ac mulieres firmiſſimâ copulavit unione cùm diſtantiſſimæ eſſent qualitatis & vitæ; Rodophem Pſammeticho, Aſpaſiam Cyro, Phrynem Bocenam Ulderico Francorum Regi junxit conjugio; &, à quo natura abhorret, Periandrum Corinthium cum defunctâ vinxit uxore.

Cant. 8. v. 6.

De amor las ciertas ſeñales, Son ygualar deſyguales Que en ſu mano celeſtial Tiene una balança ygual Que haze las almas yguales. *Lope de Vega.*

§. 2. Ex quo liquet quòd amor vilibus abjectiſque pretium tribuat, quòd

——— *Sceptra ligonibus æquet*,

quòd nuptiarum concordia, ejus miniſterio, *non ex paribus & univocis, ſed ex imparibus inter ſe conſonantibus conformetur*: quòd æqualitatem inveniat, aut faciat. *Ipſe per ſe amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formæ, non ſine ſpe mutuæ charitatis accendit.* Quamvis corrupto hoc ævo cenſus plerùmque conſenſum ſoleat extorquere. Amor prætereà formæ condimentum eſt, qui niſi ſtudiosè caveret, ne quid inelegans, ne quid defectuoſum oculis amantium objiceretur; niſi vitium, licet nimiùm exſtet, ut neſciretur, aut proximiore bono ingeniosè tegeret, aut aliâ dote abundè compenſatum demonſtraret; Hipparchiam formâ egregiâ & liberali ut nihil ſuprà, Cratis Philoſophi gibbus & inopia, nihil præter baculum & peram dotis

Plutarc. in Moral.

Sen. Ep. 9.

dotis intuitu conferentis, ab individuâ vitæ ſocietate ineundâ deterruiſſet.

Nec delectaſſet Balbinum polypus Agnæ.
—— Amatorem ſed amicæ Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. 3.
Turpia decipiunt cæcum vitia.

Nec Claræ Cerventæ tolerabilis ullatenùs fuiſſet fœtor graviſſimus Bernardi Valdauræ Conjugis, ex radice morbi gallici ſævi Lud. Vives de Chriſt. fam. lib. 2. & contagioſi erumpens per interiorem narium carunculam cœptam arrodi; neque halitus, quem nemo non, etiam ad decem paſſus, averſabatur; niſi amor hunc ipſi in ſuaviſſimum transmutaſſet odorem. Simia amore, ceu dulci hoc furore ebria omnibus pulchriores catulos ſuos judicat, cùm vix differant à monſtruoſis, ſic

—— Strabonem
Appellat Pætum pater, & pullum, malè parvus Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. 3.
Si cui filius eſt: ut abortivus fuit olim
Siſyphus.

§. 3. Non ex una eademque cauſa profluit amor. Quem formæ decor non capit, magnarum mentium vigor allicit. Non corpus, infimam hominis portionem (nobiliori ardebat flammâ) ſed animum, in quo Philoſophus ſapientiæ theſaurum geſtabat reconditum, medullitùs amabat Hipparchia. Hunc in amorem ſalacitas & protervia impellunt, illum optima gemma pudicitiæ verecundia ſollicitat. Longè aliter Penelopem Ulyſſes, aliter Eurimachus ſpectabat. Vulneravit ſponſa in Canticis dilectum ſuum in uno oculorum ſuorum, in uno crine capitis ſui, & ſandalia Judith rapuerunt oculos Holofernis.

—— Trahit ſua quemque voluptas,

Non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio, ſed delectatio, volentes trahimur, quia amore trahimur; quo fertur anima ſicut corpus ſuo pondere, ſive deorsùm gravitate, ſive ſursùm levitate. Non ſic Magnes elicit vires ſuas in ferrum. D. Aug. tract. 16. in Joan.

§. 4. Mandragoræ talem virtutem adſcribunt, ut uſu rationis hominem privet, mentemque philtro quodam perturbet, & non raro in affectum alterius per alienationem deducat. Eandem Circeam appellant à Circe maximâ veneficâ gnarâ deſiderii temperare poculum. Undè pœnâ tenebantur legis Corneliæ, qui ulcera-

L.3. §. alio ff. ad Leg. Corn. de ſic. & Veneſ. ulceramenti, vel, ut vetus lectio habet, luſtramenti causâ Mandragoram dederant. Luſtramentum, veneficium aut incantationem ſignificat juxta illud Ovidii:

—— *Magico ritu luſtraverit.*

Natum hinc Proverbium, *Bibere Mandragoram*, quo uſus eſt Demoſthenes Philippicâ quartâ. Quin ſubſtantia ejus non modò amatoriis veneficiis inſeruit, ſed etiam odor. *Mandragoræ* Cant. 7. *derunt odorem*: ſuavem videlicet & acrem, talemque fragrantiam, quam dum ſponſa naribus hauſit, renunciatis omnibus, cucurrit properè in cupitos ſponſi abitura complexus. Sine herbis, ſine pharmaco, ſuâpte naturâ amor extaſim cauſat, amantes quaſi amentes reddit; *Amare porrò & ſapere*, ait Publius Syrus, *vix Deo conceditur.* Illos extra ſe rapit, & transfert in rem amatam, ut anima plus ſit ubi amat, quàm ubi animat. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in* Ad Gal. 3. *me Chriſtus*, clamat vas electionis. *Divinus* enim *amor* (idem ſit S. Dion. Areop. de divin. nom. de mundano judicium) *exceſſum efficit, dum amantes ſui juris eſſe non ſinit, ſed amatorum jubet exiſtere.*

§. 5. Rationem, judicium, & ſenſus omnes tollit, ut neque audiant, neque videant, neque loquantur, neque deſiderent quidquam præter amantem cæterorum omnium planè incurii & negligentes. Quò corpore non poſſunt, cogitatione feruntur; litterarum viciſſitudine aliquo modo abſentiam ſolantur, ſpe dolorem utcumque leniunt. Venit ad illos ex his, quos amant, etiam abſentibus gaudium, ſed id leve & evanidum: conſpectus, præſentia, & converſatio plus obtinent vivæ voluptatis. Ubi tamen ſympathia quædam, & conſenſio naturalis adeò illos amabiles reddidit, affectumque alterius blandè ſibi devinxit, ut ex reciprocatione Anteros, id eſt amor mutuus, fuerit generatus; tunc pulveris ſympathetici vim medicam in diſſita non requirunt: ſed amorem impendendo, & vicem rependendo, nullatenùs ictus repellunt, quin ultrò ſeſe plagis objiciunt, communis charitatis vulneribus gaudent. Quo in actu talem amor ſe medicum exhibet

—— *Ut curet vulnera vulneribus*,

dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid amore violentius? nihil: & tamèn vis ejus tam violenta ad victoriam, tam victa eſt ad violentiam. Sternitur & ſternit,

ſternit, vincit & cedit, triumphat, & ſub jugum ducitur. In luctâ amoris aptè hoc amantibus congruit:

Victus uterque fuit, victor uterque fuit.

His commoti Gentiles, neglecto propè aliorum Deorum cultu, unum amoris numen, ut potentiſſimum, votis, precibuſque impenſiùs venerabantur; ſive genio indulgentes, ſive Deorum exemplo quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod, aut velamentum:

Deum eſſe amorem turpiter vitio favens Sen. in Hippol.
Finxit libido, quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.

Exindè ipſorum Poëtis humanos errores fabulis alentibus *Viſus eſt Juppiter, voluptate concubitus delinitus, duplicaſſe noctem. Quid aliud eſt vitia incendere, quàm Auctores illis inſcribere Deos, & dare morbo exemplo divinitatis excuſatam licentiam?* Sen. Phil. de brevit. vitæ cap. 16.

§. 6. Agnoſcit ſanè D. Auguſtinus ex amore totum eſſe quod bonum eſt, & totum quod malum eſt: *Unus*, inquit, *fons dilectionis intùs ſaliens duos rivos infundit, alter eſt amor mundi, cupiditas, alter eſt amor Dei, charitas: medium quippe eſt cor hominis, undè fons amoris erumpit.* Lib. de ſubſt. dilect. & amor. Hinc prætermiſsâ Platonis & Ariſtotelis ſententiâ; unum animi affectum, amorem ſcilicet ſtatuere poſſumus, cujus aliæ paſſiones, aut motus ſunt, aut proprietates juxta eumdem: „Quærimus igitur, inquit, quid illud „in nobis ſit, quod deſideria noſtra ſic multifariam dividit, & „tot unum in diverſa deducit? invenimus autem hoc aliud non „eſſe præter amorem: qui cùm ſit motus cordis ſecundùm natu- „ram ſingularis & unicus, ſecundùm actiones autem diviſus. „Cùm ſe inordinatè movet, id eſt ad ea quæ non debet, cupi- „ditas dicitur, cùm verò ordinatus eſt; charitas appellatur. Ibidem. Reſidet amor in voluntate ſicuti in throno, in meditullio animæ ut in fortalitio: adinſtar cordis eſt, quod vitam omnibus membris communicat; reliqui animi motus ab ipſo tamquam causâ vires & incrementum ſumunt: neque alio, quàm ejus concitantur impetu, cùm veluti ſupremus dominus qualitates ſuas ſubditis imprimat, & ſicuti Dux milites generoſi ſpiritus participes reddat. Uti primum mobile impetu ſuo inferiores cælos, ita cæteros affectus ſecum rapit. Amor hæc omnia in ſubſtantiâ ſuâ complectitur, nomina ſolummodò & officia ſunt diverſa. Quid

enim eſt aliud ſuperbia, quàm amor propriæ excellentiæ? quid avaritia, quàm amor inordinatus divitiarum? quid luxuria, quàm amor carnalis voluptatis? quid gula, quàm amor inordinatus cibi & potus? quæ omnia vocabulo appetitûs, qui motus amoris eſt, exprimuntur. Odium denique & invidia licet amori repugnare videantur, ab eo tamen originem trahunt: non enim quis alium odio perſequeretur, nec alteri invideret, niſi ſe ipſum in ſe vel in alio diligeret, vel in bono proprio complacentiam & exiſtimationem ab alio lædi timeret, vel læſam doleret. Spes ex amore procedit, & illum nutrit. Timor amore miſcetur:

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Timor enim vel pavor cùm ſit paſſio animi iraſcentis de futuro malo imminenti, ex amore erga ſe illud avertere vellet; & triſtitia cùm ſit paſſio animæ concupiſcentis de malo præſenti, propter afflictionem amati cruciat amantem. Anguſtia vel angor cùm ſit de malo præſenti inevitabili, ob adverſum & lamentabilem caſum proprium vel amici: Tædium verò cùm ſit de futuro malo quaſi præſenti grave vulnus amoris ex amore infligunt. Reliquas animæ iraſcibilis affectiones amor ut ſtrenuos milites ad conſecutionem boni amati propellit. Accedit quòd S. Auguſtinus quatuor virtutes Cardinales chriſtianè per amorem definiat. Audiamus præceptorem noſtrum. „ Namque illud, ait, quod „ quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam „ affectu, quantùm intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor vir- „ tutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis, ut nomina in „ ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem: ut Tem- „ perantia, ſit amor integrum ſe præbens ei quod amatur: For- „ titudo amor, facilè tolerans omnia, propter quod amatur: „ Juſtitia, amor ſoli amato ſerviens, & proptereà rectè domi- „ nans: Prudentia amor, ea quibus adjuvatur, ab eis quibus „ impeditur, ſagaciter ſeligens. Sed hunc amorem non cujuſli- „ bet, ſed Dei eſſe diximus, id eſt ſummi boni, ſummæ ſapien- „ tiæ, ſummæque concordiæ. Ut amor ſit velut Oceanus, commune fluminum receptaculum, ex quo tot rivi fluunt, & in quem viciſſim refluunt. Rectè D. Bernardus: *Amor ubi venerit, omnes in ſe traducit, & captivat affectus, quaſi Rex omnibus affectibus imperans.*

Tom. 1. lib. de Morib. Eccl. Cath. cap. 15.

Serm. 83. in Cant.

§. 7. In nullo tamen effectuum magis elucet ipſius vis & potentia, quàm in mirabili animorum metamorphoſi; quæ nihil

aliud

aliud cenſetur quàm tranſitus quidam amantis & transmutatio in rem amatam, quaſi eſſet migratio de domo unâ in aliam. Anima ſedem quaſi locumque proprium relinquit, & in locum, in quo amat, ſe transfert; magis eſt ubi amat, quàm ubi animat, magiſque ſe præſentem ſiſtit ubi per amorem eſt, quàm ubi per vim. Non quaſi naturæ virtus aut radix tranſplantari poſſit; ſed quia amor id poteſt, quod natura negat, ſpiritualiter vel moraliter, per motum impreſſum voluntati, aliiſque potentiis voluntatis imperium & nutum obſervantibus. *Amor meus, pondus meum, illo feror quocumque feror*, dicebat S. P. Auguſtinus. *Lib. 13. Conf. cap. 28.* Impellit & urget rem quamlibet inſita à naturâ propenſio: amor eſt propenſio amantis, quæ illum ita trahit, ut totus in amatum tranſeat alter ipſe, *Quid enim refert naturâ eſſe, quod poteſt effici voluntate?* *D. Chryſoſt. Hom. 6. de laud. Paul.* Nam quemadmodum ferrum admoto igni ignem concipit, & quamvis non perdat ferri eſſentiam; fit tamen, ut diverſum quippiam, (proprietates ignis recipiendo) nimirùm ignis eſſe videatur: ita cùm duæ ſibi occurrunt voluntates, & in unum coaleſcunt, quoad ſubſtantiam eædem perſeverant, ſed alios effectus obtinent, & proprietates aliæ in iis naſcuntur; cogitationes, deſideria alia, alia verba atque opera: quia amans non cogitat, niſi quod amat, non ſomniat, non vult, non ſpirat, non ſperat, non concupiſcit, non ambit niſi quod amat, & in illius fruitione conquieſcit. Eſt enim amor, juxta S. Auguſtinum, *delectatio cordis alicujus ad aliquid, propter aliquod deſiderium in appetendo, & gaudium in perfruendo, per deſiderium currens, requieſcens per gaudium.* *De ſubt. dilect. cap. 2.* Amans cenſetur quodammodò mortuus eſſe in ſuo, & vivere in alieno corpore. *Vita cordis amor eſt, & idcircò omninò impoſſibile eſt, ut ſine amore ſit cor, quod vivere cupit.* *Idem ibidem cap. 5.* Amor verò per deſiderium, & cum eo anima cui alas nectit ad transvolandum, tendit in alterum.

§. 8. Pulſus arteriæ index eſt vitæ, ſic anima judicatur ibi vivere, ubi motus atque vitales ſuas operationes exercet, quæ licet diu fuerint elanguidæ ad præſentiam nihilominùs amati vehementiam ſuam produnt. Tale fuit indicium languoris in Antiocho, cùm repentè intrante Stratonice, defectu vocis, rubore vultûs, ſub intuitu oculorum, omnia ſigna amantium vel invitus Eriſiſtrato Medico manifeſtaret. „Cujus habet amor attonitum amatorem, haud ſuum eſſe permittens, ſed amati. Nam „cùm fœminam vir amat, totum ſe Amaſiæ præbet, eam ſpirans, „eam cogitans; ſeu ſolem dicas, nec ſolem videre velit, ſed *Theod. Studit. Catech. 3.*

„ Amaſiam; ſeu menſam præponas, non gaudebit eâ frui, ſed „ Amaſiâ. Tale amoris præſcriptum dictabat Eunuchus Thaidi ſuæ:

Terent. in Eunucho.

Dies noctesque ames me; me deſideres:
Me ſomnies: me expectes: de me cogites:
Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis,
Meus fac ſis poſtremò animus: quando
Ego ſum tuus.

Benè periodum & deſiderium ſuum per affectum reciprocum, in quo complementum amoris ſitum eſt, concluſit; mutuam poſcens μετεμψύχωσιν, Latinè tranſmigrationem animæ de uno corpore in aliud. Amoris viſco conglutinata erat anima Jonathæ animæ David, ut viveret plus in Davide, quàm in ſe ipſo: ſpeculum Jonathæ erat David, & ſpeculum Davidis Jonathas, ita qui Davidem videbat, Jonatham videbat, & qui Jonatham, Davidem. Quod de intimo ſuo ſcribit S. Auguſtinus. Senſi animam meam & animam illius unam fuiſſe animam, in duobus corporibus, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur quem multùm amaveram. De Metempſycoſi ſuâ admirabundus conqueritur Alcheſimarchus apud Plautum:

In Ciſtel.

—— Verſor in amoris rotâ: miſer
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, deripior, ita
Nullam mentem animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum, ubi
Non ſum, ibi eſt animus.

§. 9. Pro monſtro eſt, quidquid de ea ſcribit Plato, proferens Alcinoi Apologum fortis viri Eris Armenii genere Pamphili de vita futura. In quo narrat apud Inferos facultatem eligendi vitas fieri. Vidiſſe ſe, ait Eris, animam quæ aliquando Orphei fuiſſet, eligentem vitam Cygni, ob fœminei generis odium, eò quòd ab ipſis interfectus eſſet. Et animam Ajacis Telamonii elegiſſe vitam Leonis, quòd homo fieri nollet, cùm judicium illud de armis in memoriam revocaret. Poſt hanc verò vidiſſe Epei Panopei animam in artificioſæ mulieris naturam mutatam. Procul autem vidiſſe Therſitæ riſus concitatoris animam, quæ Simiam induiſſet. Idem Philoſophus vult animas effœminatorum primùm in mulieres, deindè in beſtias migrare. Et alibi Tyrannos in Luporum, Accipitrum, ac Milvorum genera; ſomno autem deditos in Aſinos abire, popularis vitæ ac virtutis civilis ſtudioſos

De Rep. ſive de Juſto Dial. 10.

In Timæo.

In Phædone ſive de anima.

dioſos aut in Apes, vel Formicas, aut in Homines rurſùs moderatos transformari. Neque tam obtuſi ingenii Platonem fuiſſe, Cùm Divini cognomen illi veteres tribuerint, autumandum eſt; ut verè crederet, doceretque, animas hominum phyſicè vivificare corpora brutorum, ſicque tyrannos veros lupos, Orpheum verum cygnum fuiſſe: ſed ut tenet Marſilius Ficinus in Platonis Phædonem, illos per brutam imaginationem ſuam quodammodo brutorum imaginationi miſceri; illudque ex eo liquere quòd Plato non dicit animam fieri beſtiam, ſed induere, ſubire, tranſire in beſtiam. Porphyrius & Jamblicus intelligunt ex naturalium affectuum conformatione talem apparuiſſe factam transformationem.

§. 10. Undè commenta Poëtarum, & univerſa Ovidii Metamorphoſis per rectam Mythologiam verum recipiunt intellectum. Propter crudelitatem, & efferæ naturæ ſimilitudinem in lupum mutatum referunt Lycaonem. Quid magis appoſitum quàm Clytien in Heliotropium verſam fuiſſe? flos iſte continuò ad ſolem vertitur eumque reſpicit; Clytie ob amores ſolis zelotypa eo modo indicatur in eum aſſiduè oculorum dirigere obtutum; luſtrat, perluſtrat curioſè omnia quęcumque agit etiam minima, quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. *Qui malè agit, odit lucem*, teſte Sacrâ Paginâ: Rectè igitur in noctuam ſeu lucifugam mutatur Nyctimene ob inceſtum cum patre; nec minùs congruè Hecuba dolore & furore percita ob rabiem in canem. Haud aliter voluntas ſeſe rei, quam amat, adjungit, & complectitur, eique ſe ſimilem facit: ex quâ prodeuntes cogitationes, deſideria, affectiones, operationes, ſtudia, curæ, extrinſecùs illius metamorphoſim demonſtrant. Videtur materia prima, quæ omnem formam appetit, quam amor proponit: aut cera, quæ omnium figuram recipit, quam illi amor vult imprimere. *Joan. 20.*

Utque novis facilis ſignatur cera figuris;
Nec manet, ut fuerat, nec formas ſervat eaſdem,
Sed tamen ipſa eadem eſt. *Ovid. lib. 15. Meta. Fab. 3.*

Itaque amantes ex vehementiâ amoris ſui verè *transferunt in affectum cordis*. Docet id S. Auguſtinus inquiens: *Talis enim eſt quiſque, qualis eſt ejus dilectio. Terram diligis, terra es, ſi Deum diligis, quid dicam, Deus eris.* *Tract. 2. in Ep. Joan.*

§. 11. Chamęleon rerum omnium quibus ſe applicat colorem induit, præter rubrum & candidum: idemque in omnes formas & ſpecies ſe tranſmutat. Hunc voluntas noſtra naturâ ſuâ imitando, omnium rerum ſpeciem & faciem ſumit, quibus per amorem, qui eſt motus & impulſus quo amans fertur in rem amatam, conjungitur. Tamquam ſi probè artem chymicam calleret, cor avari vel aurum eſſe vel apparere facit. Animum ſuperborum inflat, & utribus vento diſtentis ſimilem reddit. Luxurioſum quaſi totum carneum factum oſtendit. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*: Nimirùm ubi eſt id quod amas, quod habes in pretio, quo delectaris, quod mente & cogitatione diu noctuque retractas, ibi eſt cor tuum, voluntas tua, affectus tuus, amor tuus in quem tranſiviſti. *Guloſi Deus venter eſt: ubi ergò habet cor, ibi eſt theſaurus. Luxurioſi theſaurus epulæ ſunt: Laſcivi ludicra, Amatoris libido. Huic ſervit unuſquiſque quo vincitur.* In hominum appetitu à vitæ primordiis inextinguibilis innatus eſt fervor, qui animum quieſcere non permittit, ac ſemper impellit ut ad certum aliquid ſtudioſè ſe applicet. Diverſa hominum ingenia ſunt,

Plin. lib. 8. cap. 33.

Luc. 12. v. 34.

S. Hier.

—— *Nec voto vivitur uno*:

Undè naturalis amor nonnullos ad pecunias cumulandas, alios ad honores incitat, pleroſque ad ventris luxuriam, alios ad alia; eodem impetu & appetitum & appetentem ſecum evehit evolando. Quocircà propter illius abuſum videmus amantes ſine ſenſu penè vivere: qui ſanè amatis ſe ipſos uſque adeò dedunt, ut in eos penitùs tranſire nitantur, eoſque tàm verbis, quàm geſtibus in ſe ipſis effingant, tantâ imaginationis vi detenti, ut ſui ipſorum vix memores eſſe videantur; & quiſque cum Soſiâ cernente Mercurium, vultu, geſtu, habitu, ſtaturâ à vertice ad talos ſibi perſimilem, interrogare poſſit,

Ubi ego perii? ubi immutatus ſum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, ſi fortè oblitus fui?
Nam hic omnem imaginem meam, quæ antè
Hac fuerat, poſſidet.

Plaut. in Amphit.

§. 12. Porrò amantis cogitatio omnis non ad animi ſui diſciplinam & tranquillitatem, ſed ad dilecti ſe vertit obſequia. Anima corporis ſui deſerit miniſterium, & in amati corpus tranſilire laborat; ſpiritus animæ currus, dum aliò properat animus, aliò quoque

quoque evolat exhalando. Exit igitur domo cogitatio, exit anima, exit ſpiritus; atque ita propriis laribus, naturali ſede, optatâ quiete privatus amor, ſine ſtramentis & tegmine ullo, ubi quieſcat, & quo tegatur non habet, niſi originem ſuam repetat in re amata domicilium quærendo: cui quò firmiùs amantem copulat, eò plus ipſum aſſimilat, ut quaſi in unum coaleſcant. Idcircò qui vanis & turpibus delectantur *facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.* Sicut idolum Priapi, quod fœdiſſimum erat & abominandum Meretrices Madianitæ quas dilexerunt filii Iſraël, & quibus ſe commiſcebant erant abominandæ, quæ illos ad cultum Priapi pellexerunt. Qui adhæret Meretrici unum corpus cum ea efficitur, quid horribilius? quid ſpurcitie & fœtore plenius? Meretrix eſt *Inferni janua, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, viſcarium ſcelerum, puteus interitûs.* Quàm fugienda! quàm deteſtanda ſingula!

Oſee 9. v. 10.

Boëtius de Scholaſt. diſcip.

§. 13. Imprecatur Regius Pſaltes idololatris, eorum ſtultitiam arguendo, & aculeos infigendo, ut à tanto ſtupore ac lethargo reſipiſcant; *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Tamquam fixa ſimulacra immoti permaneant, fiant trunci, ſtipites, ſtupidi ingenio; obmuteſcant, nihil videant, nihil audiant, omni ſenſu homine digno deſtituti; quia omni ſe rationis uſu privant, dum ligno, lapidi & ſimilibus divinos honores deferunt, dum ſimulacra Deorum venerantur. Illis ſupplicant genu poſito, illa adorant, illis per totum aſſident diem, aut adſtant: illis ſtipem jaciunt, victimas cædunt: & cùm hæc tantoperè ſuſpiciant, fabros qui illa fecêre contemnunt. Quid enim ſunt aliud niſi opera manuum? confirmante Horatio:

Pſ. 113. v. 16.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm Faber incertus ſcamnum, faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum.

Lib. 1. ſerm. ſatyr. 8.

Actus humani ſunt ab objecto, boni vel mali, quia hinc ſpeciem ſumunt; objectum ſiquidem à voluntate amatum & concupitum bonitatem ſuam vel malitiam ei tribuit, undè idololatræ ſolent idolis ſuis ſimiles eſſe atque abominabiles: non quòd ſecundum ſe idola ſint abominanda, ut ligna & lapides; ſed quia per inordinatum amorem talia efficiuntur. Arias & Vatablus proindè illud, *Et facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt,* vertunt: facti ſunt abominabiles ſecundùm amorem earum nempè meretricum. Etiam res naturâ ſuâ optimas ſolo abuſu malas

D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 2.

malas fieri & ratio & uſus docent. Maritum adulterum uxoris, dixit S. Ambroſius, qui in uſu conjugali verecundiæ rationem non haberet. Abutitur terrenis, qui in eis finem ultimum conſtituit ut illis fruatur, non perpendens quòd honores fumi ſint, divitiæ umbræ, nomen & fama aura ac ſtrepitus: voluptas denique fallax prurigo primò blandiens, poſteà dolens.

§. 14. Non omnes homines ſunt homines. Homo enim eſt animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii. Quocircà eum ſequi rationem oportet, qui hominem agere vult, ſi ſecùs fecerit, jam jure optimo deſinit eſſe homo. Ad quod reſpicere videtur Cicero, cùm inquit: Quin etiam ſi quis eſt paulò ad voluptates propenſior, caveat modò, ne ſit ex pecudum genere, ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine. Cùm igitur in actionibus moralibus, à quibus ſummum dependet momentum ſalutis vel interitûs, gravi & prudenti regulâ pro dictamine utendum ſit; multùm intereſt quid, & quomodò amemus: *Quia non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.* *S. Aug. Ep. 52. ad Maced.*

Hinc fugitare decet ſimulacra: & pabula amoris
Abſterrere ſibi, atque aliò convertere mentem.

In Pſ. 145. Quod de amore laſcivo conſulit Poëta Lucretius, concludamus cum D. P. Auguſtino ſic admonente: *Non vobis dicitur ut nihil ametis: amate; ſed quid ametis, videte: purgate amorem veſtrum, & quales impetus habetis ad mundum, tales habeatis ad artificem mundi.*

SYM-

SYMBOLUM XIX.



H*abet omnis amor vim ſuam*, ait S. Auguſtinus, *nec poteſt vacare amor in anima amantis:* quem tamen S. Chryſoſtomus animæ vacantis paſſionem definit. Neque idcircò ſibi contradicunt: diverſa ſunt hæc, non adverſa. Inerti ſupinâque deſidiâ, ex quâ cenſetur oriri, torpet amor circa extranea, ſegnis animi quoad illa, ſibiq́ue indormiſcentis; undè pectus quod occupare deſiderat ab omni aliâ vacuum occupatione & ſollicitudine requirit. Continuum ipſi in otio negotium eſt, dum ſe & ſua commoda reſpicit, dum ſibi intendit; neque invenit

In Pſ. 121.

Super Matth.

gravius in proclivi ſupplicium, quàm ſi aliarum rerum expediendarum curâ ab opere ſuo diſtrahatur. *Amor qui renuit operari numquam verus fuit, & qui amat, non laborat: omnis enim labor non amantibus gravis: ſolus amor eſt qui nomen difficultatis erubeſcit.* Torquet ſe mundanus & laſcivus amor, vexat, & verſat in omnes partes; intentè & anxiè laborare videtur, dum veriùs feriatur: quia nullum operæ pretium facit; nihil magnum, nihil excelſum, nihil homine dignum aggreditur. Vanas ſuggerit voluptates, breves, pœnitendas ac in contrarium abituras, in quibus nihil omninò reperitur aut magnificum, aut quod naturam hominis deceat. Res ſunt humiles, membrorum turpium ac vilium miniſterio venientes, exitu fœdæ.

S. Aug. lib. 13. Conf.

§. 1. Quamprimùm faſcinatione quâdam imbibit quiſpiam dulce ſed noxium amoris venenum, mox effœminatur, maſculuſque ejus animus in mollitiem, ignaviam, inertiamque degenerat muliebrem: ſtatim enim enervant cùm venerint concupiſcentiæ vitia. Olim fortes fuêre Mileſii, qui deliciis luxuque defluentes brevi omne virilitatis robur amiſerunt. Immoderata carnis petulantia, importuna lues, perniciosa potio Pentapolim cum adjacenti regione ſubvertit: fecerat non multò antè periculum ſui, cùm acie dimicarent quatuor Reges adversùs quinque, & hi ſuccubuiſſent, quia turpi libidini plurimùm dediti qui *in fœminas inſaniendo corrumpebant alienos thalamos.* Cæciderunt ergo in prælio ab obſcœno illecebroſæ carnis flagitio extenuati ac debilitati. Libido Sichem cum populo interemit, filios Judæ percuſſit: Judæum & Madianitidem pugione transfodit: Tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit. Filios Heli Sacerdotis in bello proſtravit. Hæc Uriam occidit: Amnon interfecit: Ruben maledixit, Sampſonem ſeduxit, Salomonem pervertit.

Philo. Jud.

§. 2. Lucius Florus *lib. 2 c. 4.* quærens cur ii, qui Alpes incolunt, in primo conflictu ſtrenuè ferociterque hoſtem aggrediuntur, cùm verò fervêre pugna incipit, remittunt ſpiritus, & langueſcunt animis? reſpondet. *Alpina corpora humenti cælo educata habent quiddam ſimile cum nivibus, quæ mox ut caluêre pugnâ, ſtatim in ſudorem eunt, & levi motu quaſi ſole laxantur.* Eodem modo milites inconceſſæ turpium mulierum libidini operam dantes, earumdem conditionem participant, fiuntque imitatione imbelles, ignavi, meticuloſi. Primaſius Uticenſis exponens illa verba D. Pauli: *Fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum*, ait; *Caſtra dicuntur à caſtrando, quòd ibi caſtretur libido.*

Heb. 2. v. 34.

libido. Non eſt enim mos militaris, ut pergentes in prælium, uxores aut fœminas alias ſecum ducant: Quòd Martia durities, & fortia militum pectora earum blanditiis debilitari ac emolliri ſoleat, ita ut etiam infirmi claudique contra eos prævalere poſſint. Sic fingunt Poëtæ Martem impudicæ Veneris complexibus vacantem à claudo Vulcano retibus ferreis irretitum & conſtrictum. Darius & Antonius uxoribus comitati perrexerunt in bellum, & uterque ſuperatus eſt: hic quidem ab Octaviano Auguſto, ille verò ab Alexandro.

§. 3. *Una Hannibalem hiberna ſolverunt: & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus eſt.* Sen. Epiſt. 51. Ibidem milites ipſius turpiter effœminati Punicas vires penitùs amiſêre, ut non temerè poſtmodùm in vulgus prodierit *Capua altera Cannæ*. Oneſander inter præcipuas virtutes militares, quas in ſupremo Caſtrorum moderatore requirit, caſtitatem numerat. *Sobrium*, inquit, *opto ſive ſiccum, ut in arduis negotiis parandis putandiſque pervigilet.* A bono Capite ſalus totius exercitûs pendet, quòd ſi deliciis enervetur ſuperatu facile erit, illoque ſubacto alii quoque leviter corruent. Virtus Aſſyriorum Holofernes ob intemperantiam devictus, unâ ruinâ univerſas copias ſecum involvit. Prudenter idcircò ac fortiter Scipio Africanus deterruit ab hoc vitio Maſiniſſam Sophonisbę Syphacis uxori tenaci nimiùm amoris viſco adhærentem. *Vince animum*, dicebat, *cave deformes multa bona uno vitio, & tot meritorum gratiam majore culpâ, quàm cauſa culpæ eſt, corrumpas.* T. Liv. lib. 10. decad. 3. Efficaciſſimo argumento, proprio exſtimulabat exemplo; quod ipſum in Hiſpania juvenem nullius forma pepulerat captivæ: id in victore mirum, (quem res ſecundæ & opportunitas impotentem non rarò & ad Venerem præcipitem facere ſolent) nullâ virtutum, æquè atque temperantiâ & continentiâ libidinum ſe gloriatum fuiſſe teſtabatur. Ipſum audiamus. „ Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes Maſiniſſa adjeciſſe velim. „ Nam non eſt (mihi crede) tantum ab hoſtibus armatis ætati „ noſtræ periculi, quantum à circumfuſis undique voluptatibus. „ Qui eas temperantiâ ſuâ frenavit ac domuit, multò majus de„cus, majoremque victoriam ſibi peperit, quàm nos Syphace „ victo habemus

§. 4. Tametſi ab omnibus aliis vitiis liber ſit quem laſcivia deditum habet, illi pejus eſt quàm ſi flagitiis omnibus contaminatus eſſet: hoc unum nimirùm difficilius ſuperatur quàm omnia

reliqua; quibus carere videtur dum illo uno non eſt implicatus. Curioſè inveſtigat S. Gregorius cur Saül nullo negotio Regem Moab, filios Ammon & Edom ac Reges Soba ſubegerit non congregato exercitu: ſed ut Amalec vinceret, exercitum congregavit? Reſpondet ſanctus Doctor, in Amalec adumbratum fuiſſe luxuriei vitium, cùm idem ſit Amalec ac *populus lambens*, qui emollit, lambit, oculis & riſu ad gratiam compoſito pelliciendo libidinem excitat: hinc coacto numeroſo virtutum exercitu fœderatis viribus debellandum eſt vitium quod tam ægrè eradicatur. *Ad extinguendum enim fornicationis ſpiritum virtus una non ſufficit.* Hic tamen ex minimis naſcitur exordiis. Tenuis radius, leviſſimus ſpiritus, juxta Platonem, pauculus ſanguis Phædri tam citò, tam vehementer, tam pernicioſè totum Lyſiam inquinat, dum patefactus oculus, & intentus, radiorum ſuorum aculeos in aſtantis oculos jaculatur.

In Symp.

§. 5. Quod mirum non videbitur ſi cæteros morbos, qui contagione proveniunt, conſideraverimus; ſi ſcabiem, ſi lepram, pleureſim, phtiſim, dyſenteriam, lippitudinem, epidimiam. Amatoria verò contagio facilè fit, & graviſſima omnium peſtis evadit.

Lucretius.

Hinc in te primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta: & ſucceſſit frigida cura.

Celerrimè vapor ille in præcordia convolat, & per venas arteriaſque in corpus permeat univerſum: calore ſuo vehementer agit, ſanguinem inficit, & in naturam ſuam convertit, dulcedine quadam fovet viſcera, paſcit & oblectat; quæ ſimul dolore tangit ægrum dividens ac diſcerpens & numquam quieſcere permittens. Ex conſpectu Æneæ hoc œſtro, hoc furore percitam Didonem Virgilius deſcribit; quem gravem curam, cæcum ignem, tacitum vulnus patheticè appellat.

Lib. 4. Æneid.

At Regina gravi jam dudum ſaucia curâ
Vulnus alit venis & cæco carpitur igne.

Cui ſubjungit:

Ibidem.

—— *Eſt mollis flamma medullas*
Intereà, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totâque vagatur
Urbe furens.

§. 6. Hunc

§. 6. Hunc medici attentis ſedulò juxta artem omnibus & ſingulis ſymptomatibus, affectionibus & circumſtantiis non malè vocare poterunt morbum ſonticum: vel quia ferè perpetuus eſt, neque certo tempore finitur; ſive quòd gerendæ cuique rei impedimento eſt; à ſontibus id eſt nocentibus perpetuò nocens. De Sodomitis finitimiſque populis & eorum Regibus loquitur Philo Judæus quòd *effæminatum morbum ſibi conciliaverunt inſanabilem.* Conſentit Clemens Alexandrinus. *Parvam*, inquit, *epilepſiam dicebat Sophiſta Abderetanus eſſe Venerem, exiſtimans morbum eſſe immedicabilem.* Subſcribunt Græci hunc morbum inter immedicabilia numerantes, quem (ut author eſt Pſeudo-Hippocrates in libro de morbo ſacro) morbum ſacrum ideò appellabant, quia niſi à Deo aliquo medicinam cælitùs immittente ſanari perfectè non poſſe credebant. Cùm enim in cæteris peccatis ſpes aliqua deſiſtendi ab iis affulgeat; intemperans libido ita cor illaqueat, ita irretit animam, ita voluntatem capit & conſtringit, ita totum hominem inficit, ut neque portam evadendi, neque ſpem aliquam recuperandæ ſalutis relinquere videatur. Amor quoque, ex ſententiâ Theophraſti, eſt animi concupiſcentia quæ celerem habet ingreſſum, tardum verò regreſſum, non enim facilè ingreſſus diſcedit amor quamvis alatus. *Non accipit de impoſſibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium, nec conſilio temperatur, nec tempore frænatur, nec rationi ſubjicitur.* Laſciviâ carnis laborabat Herodes, & ex lue Venereâ decumbebat; nihil idcircò profuit D. Joannis ſanctitas, nihil ſevera & mordax objurgatio, ſalutaris admonitio, ut vitæ ſanioris ſtudia capeſceret, ut ad meliorem frugem rediret. Quaſi mortuo verba faciebat, in deſerto voces dabat, cùm hominem quem præfervidum laſcivi amoris vinum à mente abduxerat, in truncum deformarat, & veluti quodam tumulo libidinis incluſerat, à turpi & inceſtâ conſuetudine dehortabatur. De quo S. Andreas Cretenſis: *Et ille quidem à ratione alienæ voluntariæ congreſſionis obrutus deliciis, neque ſe potuit erigere, neque aſpexit ad lucem veritatis, ſed manſit gravatus crapulâ libidinis.*

Lib. 2. Pædag. c. ult.

D. Ambr. in ſerm. de Aſſumpt.

Apud Lippomannum in Vit. SS. tom. 1. orat. de decollat. Præcur.

§. 7. Propheta David conſiderans quàm difficilis & ſera imò vix ſeria ſit averſio ab hoc tenaci vitio & ad Deum converſio, reus & convictus repetitis precibus, lamentis, ſuſpiriis ingeminat: *Miſerere mei Deus. Amplius lava me ab iniquitate meâ. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Peccatum meum contra me eſt ſemper. Cor mundum crea in me Deus.* Avem Paradiſi imitatur,

quam ferunt illaqueatam tamdiu irremediabiliter gemere, donec priſtinæ reſtituatur libertati. Inferno ſimilis videtur turpis illa laſciviæ paſſio, quod S. Ephrem Syrus teſtatur in hunc modum: *Quandocumque concupiſcentia in animum ſe inſinuavit, mox ipſum cogitatione circumdat, & obſidet, & ſalutis ingreſſum præcludit.* Quem vel ſemel tyrannicæ ſuæ poteſtati ſubjecit, ei ſpem omnem libertatis adimit, modumque, quo tam crudelem dominum evadere poſſit. Meritò S. Auguſtinus vitium iſtud vocat *æterni ignis æmulum*: quia ut ille ignis, quem ſemel occupavit, adurit non exurit, vehementi ſuo ardore affligit non conſumit, mortali cruciatu immortaliter torquet, nec effugi umquam poteſt: ita flamma libidinis, quem ſemel corripuit, ejus viſcera & penitiſſimas medullas depaſcit; nec minoris penè eſt operis violentiam ipſius quàm mortem, ſepulchrum, vel infernum evadere.

In exhort. ſpirit.

Apud Salazar prov. 2. v. 19.

§. 8. Habet eâ de causâ impotens amor frequentes inſuper ſyntexes, id eſt, colliquationes ſeu defectiones corporis ex diuturno morbo. Fatali ſtipiti terminum vitæ Meleagro affixerant Parcæ; quem *Althea* mater ejus in vindictam fraternæ cædis combuſſit, atque ita fatum nati præcipitavit. Atalantam Arcadiæ Regis filiam affictim deperibat Meleager, cujus conatibus quia mater obſtitit, fabulæ locum dedit, eumque interemiſſe fingitur; quia in cauſa fuit, quòd longâ tabe præ amoris vehementiâ & lento igne fuerit conſumptus. Cum precibus, lachrymis, blanditiis inexorabile & ferreum pectus Anaxaretes durioris ipſo ſaxo, in quod converſa eſt, Iphis emollire non poſſet, nec faſtum arrogantis vincere; tædium longique doloris tormenta ſuſpendio finivit, &

Plin. lib. 22. cap. 23.

Ovid. lib. 8. Met. fab. 4.

Met. lib. 14. fab. 17.

Ante fores Dominæ triſte pependit onus.

De qua amoris tyrannide conqueri meritò potuit Alceſimarchus his verbis:

Plaut. in Ciſtel.

Credo ego amorem primum apud homines
Carnificinam commentum.

Nihil exindè uſitatius, nihil ſolemnius æquè antiquis ac modernis Scriptoribus, quàm fœminarum & virorum, qui ſibi iſtâ furiâ exagitati violentam mortem conſcivêre, miſerandos caſus poſteritati relinquere.

Iſa. 59. v. 5.

§. 9. Quid hi omnes, dum viverent, niſi *telas araneæ texuerunt*,

xuerunt, quâ ſpe? quo pretio? quâ mercede? ut caperent muſcas ſordidiſſimas. Subtile videtur aranearum opus ſed inutile, curioſa tela ſed fragilis, ſed imbecilla, magno & continuo ſtudio, ac viſcerum ſuorum impendio contexta. Ita carnales perpetuò laborant, ſudant, ſeque eviſcerant: quid agunt? telam aranearum caducam futilemque ordiuntur, & in texendo ac retexendo ætatem conſumunt nullo prætereà fructu aut uſu niſi ut muſcas vel culices irretiant. *Telas araneæ texère*, ex doctrina D. Gregorii, eſt, *pro mundi hujus concupiſcentia temporalia quælibet operari, quæ dum nullâ ſtabilitate ſolidata ſunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Parùm eſt emaſculare corpus ac faciem, & fœminarum more crines pectere, plantare cæſariem, tingere genas, ungere faciem, producere ſupercilia, fractiorem greſſum molliter componere, ut Cybaritas per plateam diceres incedere; tam peregrinis ſubjacere impreſſionibus, ut amor numquam armiſtitium concedat, ſed ludificet, raptet, agat, fuget, retineat; quod ſuaſit diſſuadear, quod diſſuaſit id oſtentet: niſi etiam faſtuoſæ mulierculę ſupercilium ferant, ludibria, injurias, ſcommata, tædia. Noctes ſub dio agant, obices & difficultates omnes ſuperent: amore deliniti nihil non patianrur ut potientur. Verùm quanto cum impendio & diſpendio inſani venatores vilis ſpei prædæ inhiant: nonnumquam totos ſe eviſcerant ut araneæ, omni effuſâ in largitiones & Xenia ſubſtantiâ ad incitas redacti: quia meretrices barathro adinſtar quidlibet deglutiunt, non amant ſed hamant; quarum *oculatæ ſunt manus, credunt quod vident.* Preces, vota, ſuſpiria, blanditiæ nihil impetrant, hæc venti ferunt. *Plaut. in Aſin.*

§. 10. Tanto conatu, tanto ambitu, nihil aliud infelices petunt, nihil intendunt capere niſi muſcas. Quid inſaniùs tot ſeſe inſerere laboribus & doloribus, tam diro & cruciabili morbo laborare, turpis adeò viliſque rei gratiâ? Domitianus quidem muſcas præ deſidiâ in cubiculo ſolus venabatur, eaſque per acuto ſtilo configebat (ô palmarium facinus & Cæſare dignum!) ita ut Vibius Criſpus prodiens interrogatus, *Eſſetne quiſpiam cum Cæſare?* reſponderit per jocum: *Ne muſca quidem.* Sed temporis ſolummodo jacturam faciebat; hi verò animæ & corporis. Omne tempus ſine effectu, ſine fructu effluere patiuntur; anxiè & ſtudioſè laborant, ſed coacti ſunt dicere cum Apoſtolis tales piſcatores, *Per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Ex ludicris puerorum ſeria diſcamus. Vidiſtiſne aliquandò (vidiſtis ſanè) puerum obvelatis oculis, aliis unà colludentibus, hinc indè diſcurrere ut quempiam è *Suidas.* *Luc. 5.*

ſodalibus apprehendat? ut manum ſuam jam jam prædam capturus extendat? ut aberret? ut quandoque in obvium parietem impingat? ut aërem verberet? non abſimili modo laſciviunt atque inſaniunt amatores. Ingentia moliuntur; ſummoperè conantur; eunt, redeunt; vagantur, noctem vertunt in diem; avidiſſimè prædæ incumbunt: qui ſæpiſſimè contra ictum fluminis nituntur; ventum ſubtiliter cribrant; vacuis manibus recedunt: quia per totam noctem laborantes nihil cæperunt. Quid mirum? per totam & obſcuriſſimam noctem laborant, actionibus ſuis nebulas offundunt, multis ambagum involucris, denſiſque tenebrarum umbraculis, quidquid agunt, involvunt; Veſpertilionum more nocte intempeſtâ, operibuſque tenebrarum ſe delectari ſentiunt: hinc excludunt voluntariè ſolem juſtitiæ & lumen gratiæ, ſemen ac principium bonorum operum. Sine anima potentiæ naturales nihil omninò effectui mancipare poſſunt; abſente ſimiliter gratiâ nullis ſpiritualibus viribus pollet anima ad virtutis exercitium. Proindè dolium pertuſum Belidum implere conantur, cui mox ut infunditur, aqua effluit. Non viderunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Fruſtrà ſe vexat, qui graditur in tenebris; neſcit quò tendat, ubi pedem figat, titubat, errat.

§. 11. Si quid verò capiant, ignorant quid & quale id ſit: exiſtimant ſe aliquid apprehendiſſe, cùm à parte rei ſit ipſiſſimum nihil. Ubi neque ad virtutis fructum, neque ad animæ ſalutem illud proficit. Fœdiſſimè ſe peccato involvunt, quod eſt hujuſmodi nihil. Ita cenſet D. Auguſtinus interpretando illum locum S. Joannis, *Sine ipſo factum eſt nihil.* Movent igitur ac turbant eos non res, ſed, quas de rebus habent, opiniones. Sic vultures ad gravè olentia corpora præteritis amœnis ac odoriferis feruntur; muſcæ ſana corpora prætervolant, ad ulcera properant. Dicant Ranam, Dianam; aurichalcum, aurum; Syrenem eâ parte, quâ grata eſt, aſpiciant, non quâ in monſtrum deſinit; Multùm certè in his decipiuntur: „ quia periculoſiores ſunt fontes, qui limpidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem „ afferunt: minùs formidandi, qui ipsâ ſpecie teſtantur aquas „ eſſe fugiendas: difficiliùs enim vitantur mala, quæ boni prætextu fallunt. Quaſi ſcortum res eſſet alicujus momenti ac pretii, & non potiùs viliſſima, imò ſpurciſſima, plena putore, ſanie & putredine? *Sepulchra* (inquit D. Chryſoſtomus) *ſunt meretricum diverſoria, cùm multo fœtore, multa putredine ſint repleta.* Quaſi mere-

Plin. lib. 32. cap. 2.

Homil. 29. in Matth.

meretrix non eſſet mera nugacitas? ex nugis enim, fraudibus, mendaciis eſt veluti conflata atque conſuta: technis innumeris, blanditiis, falſo riſu, nictu oculorum, ſimulato fletu apprimè inſtructa ad quoſcumque accedentes illiciendum, illaqueandum & dementandum. Omnia fucum atque deceptionem redolent: Veneris enim mancipia

Ut flerent oculos erudière ſuos.

Quaſi meretrix non eſſet ſepulchrum dealbatum? exteriùs quidem ornata & compta apparet, interiùs ſcatet ſordibus, lue Venereâ, aliiſque morbis, quorum contagione Amaſios inficit ac perdit. Sepulchrum eſt in quod vivos defodit libido; indè tàm ſibi quàm Amaſiis Reipublicæque univerſæ maximam adfert perniciem. Quaſi non eſſet alta & profunda fovea? ita ſacrum teſtatur eloquium, *Fovea profunda eſt meretrix.* In hanc perditi ſeſe præcipitant: tantæ altitudinis hæc eſt vorago, ut in illam cadentibus vix ſpes emergendi ſuperſit. M. Curtius, cùm in mediam partem fori Romani vaſto ac repentino hiatu terra ſubſediſſet, Patriæ amore incenſus pro illius ſalute ſe devovit, & in illud profundum eques deſiliit. Illi verò in voluntarium tàm corporis quàm animæ ruunt interitum: ex alto vitæ civilis honeſtæque muro, ex ipſo honoris, rationis ac virtutis culmine in luxuriæ & infamiæ barathrum ſeſe demergunt. Utinam cum Philolachete illud deplorent, ſed ſeriò, qui in cœno vitam ſuam perdunt adoleſcentes! ſic ait de amore loquens:

Prov. 23. v. 27.

Val. Max. lib. 5. cap. 6.

——— Is uſque in pectus permanavit,
Permadefecit cor meum: nunc ſimul res, fides, fama, decuſque & virtus,
Deſeruerunt: ego ſum in uſu factus nimio nequior.

Plaut. in Moſtel.

Subjungit deindè;

Diſciplinæ aliis eram: optumi quique expetebant eam ſibi.
Nunc poſtquàm nihili ſum: id verò meopte ingenio repperi.

§. 12. Quaſi meretrix mors amaſiorum non eſſet? quia ſæpè animas cum corporibus interficit, non dico, quia rixas & diſcordias ſeminat, undè ſingularia certamina. *Luxuria non ſolùm petulantes, ſed & homicidas facit,* uti in Herode patuit. Sed quia meretrices muſcæ ſunt (quod themati noſtro conſonat) quæ eò uſ-

D. Chryſoſt. Homil. 49. in Matth.

que plagis & ulceribus miſerorum inhærent ut vix abigi queant, ſed unà cum ſanguine vitam exſugant : attamen tantùm laboris & ſudoris inſumunt ad illas capiendas, cum ipſi veriùs prædæ ſint ipſi capiantur. Quod breviter & acutè ſic perſtringit ſapiens. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis, mulier autem viri pretioſam animam capit.* Non potuit tam iniqua fuiſſe armorum Glauci cum Diomedis permutatio, ut aurea quis pro ęreis accipiat: dum hic ſcortum viliſſimum capit rem pretioſiſſimam animam viri, dum nobiles virorum animas ad ęternam felicitatem à ſummo opifice creatas, Chriſti ſanguineo litro redemptas, ad ſanctiſſimæ Trinitatis ſimilitudinem effigiatas, peccato, Diabolo, gehennæ mancipat. Gravirer pro more admonet D. Ambroſius & inculcat. *Vilis tibi videtur mulier ad pretium, ſed fortis eſt ad vitium quia virorum pretioſos animos capit.* Domos & Templa Spiritus Sancti efficit habitaculum Diaboli. Non attendunt certè infelices illud Pauli *Tollens membra Chriſti faciam membra meretricis?* Non meminerunt cum D. Leone cujus capitis & cujus corporis ſint membra, ne in veterem vilitatem degeneri converſatione redeant, imò ne in abyſſum vilitatis & turpitudinis ſe dejiciant. Nonne hoc eſt *aureo hamo piſcari?* animam rem inæſtimabilem pro re viliſſimâ & fœdiſſimâ dare? pati tale diſpendium quod nullo poſſit ſarciri compendio? Iſtud nullo modo ferre poteſt S. Auguſtinus „ Pretium meretricis, inquit, vix dimidium panis, mulier autem pretioſam viri animam capit, & quantà iniquitas, & quàm lugenda perverſitas: „ ita ut animam, quam Chriſtus Sanguine ſuo redemit, luxurioſus quiſque propter unius momenti delectationem libidinis, „ Diabolo vendat. Verè enim nimiùm plangenda & miſera conditio eſt, ubi citò præterit, quod delectat & per Diabolum in „ cruce manet ſine fine quod cruciat.

Pro, 6. v. 26.

In Apol. David. cap. 3. ut citatur à P. à Lapide.

1. ad Corinth. 6. v. 16.

Homil. 250. de Temp.

§. 13. Scire velim quid illos tanto impetu moveat? quid agat? bonum quoddam delectabile ex pulchritudine (quæ in Symmetria quadam, juſtâ nimirum & congruâ membrorum colorumque proportione ſita eſt) proveniens? illud verè nimis quàm fragile, quàm caducum quaſi flos fœni ſic exareſcet: numquid enim quaſi flos egreditur & conteritur & fugit velut umbra? Verulæ aut febricula formoſiſſimum eum florem miſerè depopulantur, tempus edax mirum conſumit, vel aura tenuis illi officit. Domitius nec quidquam gratius hominibus eſſe dicebat formâ & decore, nec quidquam brevius. Poſtremum Senecæ tragico placuit.

Bruſ. lib. 2. cap. 44.

An-

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breve temporis.

Et poſt pauca:

Ut fulgor teneris qui radiat genis In Hipp.
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit
Res eſt forma fugax.

Primùm rem penitiùs introſpicienti non undequàque arridebit. Nihil tantoperè expetendum habet iſte non ſolidus, nec in homine niſi ſuperficie tenùs fulgens decor; multa fœda & horrenda contegens, à ceruſſa, purpuriſſo & ſtibio commendationem petens, leviſſimæque cutis obtentu ſenſibus blandiens & illudens.

§. 14. Sed nec pulchritudo ſola & ſimpliciter appetitur. Fusè & diſertè D. Chryſoſtomus illud probat. „ Nam ſi forma, inquit, „ pelliceret amatores, omnes haberet amatores ea puella, quæ „ cæteris præſtaret oris venuſtate & oculorum decore, parte pul- „ chritudinis maximè violenta: quòd ſi non habet omnes, haud- „ quaquam hoc eſt naturæ, neque formæ, ſed ab intemperanti- „ bus oculis proficiſcitur. Super hæc etiam illinc perſpicuum eſt, „ hunc morbum (de amore loquitur) non eſſe formæ corporis, „ neque ſimpliciter pulchritudinis, ſed animi ſocordis atque ſe- „ ducti. Complures itaque præteritis innumeris mulieribus for- „ mâ præclaris, deformibus ſeſe dediderunt; undè nimirùm li- „ quet, quòd amor non naſcatur ex formâ. Nam ſi ita eſſet, „ illæ ante alias obvios cæpiſſent. Rectè malum iſtud ab intemperantibus oculis proficiſci dixit. Nam ſimul atque curiosè contemplatus mulierem, admiratus es, & amas, recepiſti jaculum. Leo ferociſſimus & fortiſſimus animalium, eorumque dominus, captis oculis capitur. Lumina ſunt feneſtræ peccati, illas pande, hoſtis ſubit & levis amor cordis arcem occupat. Juxta ſcita amoris quamprimùm oculis ſtruendæ ſunt inſidiæ, ut reliqua in prædam cedant. Hoc ſtratagemate Juditha primò vigiles, mox Imperatorem ipſum Aſſyriorum Holofernem circumvenit. *Primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Hi ſunt quorum intenſione, tum remiſſione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum ſignificamus. Proindè vulgò dicitur: *Ubi oculi, ibi cor, ibi amor: ubi manus, ibi dolor.*

Homil. 7. in Epiſt. 2. ad Corinth. c. 3.

Tacit. de Morib. germ.

§. 15. Oculis itaque maximè inſidiantur proſtibula Veneris. Corvi oculos invadunt, & roſtro laniant ſive ex malignitate, ſive ex imaginatione, ne ſcilicet videatur eorum ſævitia. Eruunt oculos, ut liberè deindè in exoculata & cæca corpora graſſentur. Imò corvus pugnans cum aſino & tauro, quos hoſtes nactus eſt robuſtiores ſe, aſtu ad eos vincendum utitur, alis hos verberans oculos invadit, atque ita cæcos facilè ſuperat. Illud tradit Ariſtoteles hoc modo: *Corvus tauro & aſino adverſarius eſt, quippè qui advolans feriat, & oculos eorum laceret.* Meretrices fraudibus, & blanditiis oculos impetunt, ne detegatur earum ſpurcitia & virulentia; ſicque minimo negotio quocumque lubitum eſt obcæcatos ducunt, ac in laqueos pertrahunt. Hujuſmodi faſcino irretiti, oculos habent & non vident, nec ad radicem & cauſam mali valent attendere, ſimiles pleriſque cęcutientibus qui lampadem accuſant obſcuritatis, non oculos, cùm illi peſſimè ſint affecti.

Elian. lib. 2. de Animal. cap. 51.

Lib. 9. Hiſt. Animal. c. 1.

§. 16. Pręoccupati ſunt omnes amantes; ſolenne eſt illis vitia ſua ignorare. Malum extrinſecùs putant quod intra ipſos eſt, in viſceribus ipſis; ſed & difficulter ad bonam mentem perveniunt, quia ſe ægrotare neſciunt. Ridiculum narrat Seneca Lucilio ſuo. Ita ſcribit. „Harpaſten uxoris meæ fatuam, ſcis hæ„reditarium onus in domo mea remanſiſſe. Hęc fatua ſubitò „deſiit videre. Neſcit ſe cæcam: ſubindè pædagogum ſuum ro„gat ut migret: ait domum tenebroſam eſſe. Quod in illâ ride„mus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe avarum „eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: „nos ſine duce erramus. Si ſeducti amatores conſiderarent, id quod cernitur, nihil aliud eſſe quàm phlegma & ſanguinem & alimenti putrefacti humorem: ſi animo & cogitatione, dum illis formoſum proponitur objectum, interiùs penetrarent, ſi detractâ formoſâ pelliculâ curioſiùs inſpicerent quæ ſub eâ latent: corpus enim aquâ intercute laborantium relucet ac ſplendet, nihilque in ſuperficie eſt mali: ſed conſiderato tumore intùs repoſito abhorremus ab amore illius. Sit liquidus oculus & acer, pulchrè porrecta ſupercilia, nigræ pupillæ, placida cervix, purus & ſerenus aſpectus; verùm ſi viderent illud rurſùm nihil aliud eſſe quàm nervos ac venas, hymenes & arterias: ſi cogitarent formoſum iſtum oculum ægrotantem, ſeneſcentem, ac præ dolore marcidum, præ ira tumentem, quàm deformis ſit, quàm celeriter pereat; procul dubio reſipiſcerent,

Epiſt. 50.

piſcerent, tot morbos tantaſque ægritudines diſcuterent: ſed proh dolor!

—— Quid deceat non videt ullus amans.

§. 17. Ne dicatur quòd mundanos ſolùm ſcripta concernant, quin & Deo mancipatos tangunt, qui ex ſæculo, tamquam piſces è periculoſo mari, enatarunt. *Malum luxuriæ & cogitatione perpetratur aut opere: callidus enim adverſarius noſter, quùm ab effectu operis expellitur, ſecretâ cogitatione polluere nititur.* S. Greg. in Moral. Eſt & caſtitas corporis, eſt & mentis: illa minimo tactu læditur, hæc cogitatione pravâ inficitur. Pudicitiam ſiquidem eſſe conjunctam cum caſtitate corporis, animi puritatem rectè colligitur ex D. Paulo dicente: *Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* 1. Cor. 7. v. 34. Idque reſpiciens virginem carne, ſed non mente, præmium nullum manere dixit S. Iſidorus. Laſcivus amor quamquam diſcedit aut tempore aut ratione victus, non tamen penitùs liberam relinquit animam, remanetque in eâ veſtigium veluti ſilvæ exuſtæ aut fumantis: neque penitùs ex oſſibus ejicitur, relictus enim mortalibus eſt ad agonem, ex doctrina Tridentini, fomes concupiſcentiæ qui ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat: hic facillimè cogitatione accenditur & nutritur. Amoris febrem explorare qui volet, arteriam memoriæ tentet. Ardor vehementiaque illius non aliundè meliùs, quàm de memoriâ æſtimari poteſt, & crebra recordatio ardentem indicat dilectionem. Sollicitè & anxiè à ſe recedentem ſponſa inquirebat ſponſum: & (ut moris eſt aliquid avidè reperire cupientibus quod cupidè omnia indagant) ſic illa obvia quæque perluſtrat, à mulieribus Jeroſolymitanis quærit, eaſque juramento adigit: *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Cant. 5. Ingenuè fatetur ſe febri amoris laborare. Quod ut certò ſcirent filiæ Jeruſalem, ut morbum noſcerent, arteriam memoriæ tentarunt; interrogantes *Qualis eſt dilectus tuus?* deſcribe nobis formam, ſtaturam, habitum, lineamenta ejus? morum qualitates illius nobis recenſe? adhibebimus fidem dictis. *Dicis te amore languere, nunc ut comperiamus ſi verè langueas, dic nobis, qualis ex dilecto eſt tibi dilectus?* Hug. Card. ibidem.

§. 18. Recordari aliquem & amare in amoris philoſophia idem eſt. Ubi non eſt voluntas, ibi otioſa eſt memoria, ubi autem viget pulſus memoriæ, ibi ardet charitas & flagrat febri

amoris voluntas. Quapropter S. Gregorius Nazianzenus ut explicaret amorem ſuum vehementem erga S. Baſilium, hæc ad illum ſuaviſſima verba ſcribebat. ,, Equidem ipſe te magis quàm ,, aërem ſpiro, idque ſolùm vivo, quòd tecum ſum vel coram ,, vel abſens per animi ſimulacrum. Subtractus oculis non eri- Epiſt. 9. ,, peris animo. Mi Baſili, ex crebrâ quam tui habeo memoriâ ,, amorem meum expende : nam ut aëre corpora vivunt, ſic ,, me recordatio tuî paſcit; quin te magis, quàm aërem ſpiro. Ubi memoria regnat, prompta quoque voluntas imperat. Qui carnis voluptates magis quàm aërem ſpirant, cogitatione morbum ſuum manifeſtant. Facilis, dulcis & ſalubris medicina eſt; eam excludat, ne jam muſcas quis ſive umbras muſcarum capiat ut ad corpora deveniant. Syrenum ſcopuli ſunt cogitationes impuræ, earum cantu ne demulcearis. *Ad ſum-* Sen. Epiſt. 31. *mum ſapiens eris ſi clauſeris aures, quibus ceram parùm eſt obdere: firmiori ſpiſſamento opus eſt, quàm uſum in ſociis Ulyſſem ferunt.* Prætervehere itaque non unum locum inſidioſâ voluptate ſuſpectum, ſed totum mundum : ſurdum te cogitationibus iſtis præſta, nec illecebris aut lenociniis ſuis mundus hoſpes, aut caro caupona te impediat quominùs in veram illam ac cæleſtem patriam velis equiſque properes.

IN OMNI REGIONE SPIRAT

SYMBOLUM XX.



Voluptas cupita ut magnum ac delectabile aliquid primò quidem in oculos incurrit, mox tamen adepta fœdum horrorem incutit, lachrymas excutit: in qua multa ſpecie amica & dulcia, re non futilia modò, ſed amara & noxia interveniunt. ,, Qui gulæ ac libidinis vices felicitatem ,, vocat, bonum malæ rei quærit aucto- *De vita beata cap. 13.*
,, rem, teſte Senecâ, & dum illo venit blando nomine inductus,
,, ſequitur voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit: &
,, vitia ſua cùm cœpit putare ſimilia præceptis indulget illis, non
,, timidè nec obſcurè: luxuriatur etiam inoperto capite.

§. 1. Qui

§. 1. Qui verò naturam voluptatis attentè introſpicit : videt quòd brevis ſit & fragilis, quòd perfuſoria, quòd invectitium gaudium ſit fundamento carens, quòd hominem præſtare felicem nequeat, quòd extrinſecùs ſolummodò pateat introrsùs, quòd in præcipiti poſita ad dolorem vergat, faſtidiens objecta, & quò avidiùs hauſta, citiùs in contrarium recidens; cujus ſubindè neceſſe eſt, aut pœniteat, aut pudeat. *Improbarum voluptatum* Sen. Ep. 27. *etiam poſt ipſas pænitentia eſt. Non ſunt ſolidæ, non ſunt fideles, etiamſi non nocent, fugiunt.* Fronte blandiuntur ut apes, poſticâ pungunt. Unicus ſanè dolor corporis magis afficit, quàm voluptates mille: & ſemper aliquis dolor voluptati, dolori nulla voluptas ineſt. Nullum mortalibus gaudium purum eſt, nullum manſurum, vel ſi uſpiam aliquod, certè niſi in conſcientiæ puritate non invenitur. *Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſe-* Sen. Ep. 27. *curum, etiamſi quid obſtet, nubium modo intervenit quæ infrà feruntur, nec diem vincunt.* Nulla ſuavitas, nullum verum ineſt ſæculi cupiditatibus otium.

§. 2. Ludit ſua imaginatio illos qui aliud ſentiunt, qui mille ſpecioſis nominibus maxima rerum damna & mala obvelant: dum præclari nomenclatores oblectamenta, jucunditates, feſtivitates, lepores, delicias vocant; quæ meræ ſunt calamitates, moleſtiæ, inſulſitates, luctus, faſtidiæ. Confirmat id Comicus:

Plaut. in Ciſtel.

—— Amor & melle & felle eſt fœcundiſſimus
Guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque aggerit.

Proponit nobis Seneca Nomentanum & Apicium terrarum ac maris bona conquirentes, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſoporibus palatum delectantes; nares variis odoribus quibus inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur, recreantes. Hos tamen ſtultos & inæquales nominat, & ſub ictu pœnitentiæ poſitos. Eſto enim percipiant aliquam voluptatem, illos nihilominùs De vita beata cap. 12. ſcribit (*quod pleriſque contingit*) *hilarem inſaniam inſanire, ac per riſum furere.* Non malè quoque dicerentur ſimiles riſu emori. Sicuti & lachrymæ tàm ex gaudio quàm dolore fluunt, ita riſus quandoque enecat. *Riſus* certè *dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat.*

Lib. Epiſt. Famil. 7. ad Gallum. §. 3. Propiùs rem tangit proverbium de riſu Sardonio, ſcitè à Cicerone uſurpatum. *Rideamus*, inquit, γέλωτα Σαρδόνιον hoc eſt *riſum Sardonium.* Illi accommodatur qui ut ait Poëta,

Virg. *Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.*

Qui

Qui hilaritatem præ ſe fert aſpectu, intrinſecùs autem gravi torquetur mœſtitiâ. Sardonia herba (quòd enucleandi gratiâ allegatum ſit) in Sardinia Inſula, in fontium defluviis provenit largiùs, juſto Apiaſtro ſimilis, eâ ſi quis veſcatur nervos contrahit, & rictu deducit ora, ut qui moriuntur veluti ridentium facie intereant. Plato ſcribit quòd etiam nonnulli, licet Sardoniam herbam non ederint, animam efflabant. Corroborat ſuo teſtimonio idem Plinius de præcordiis loquens. *Ob hoc*, inquit, *in prœliis, gladiatorumque ſpectaculis mortem cum riſu trajecta præcordia attulerunt.* Quantulum eſt, quàm momentaneum quod oblectat! in voluptatibus proindè melius eſt facere quàm feciſſe, quomodò artifici jucundius eſt pingere quàm pinxiſſe. *Illa in opere ſuo occupata ſollicitudo ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione.* Attamen motus voluptatis qui conſiſtunt in ſenſu, licet aliquantiſper jucundi ſint, lubrici tamen ſunt furentes atque volatici: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Vix ſeſe melli approximant, & immerguntur perdentes ſuavitatem ejus. Quàm vicinum eſt gaudium dolori! vitæ mors conjuncta! concupiſcentia inſtar muſcæ vilis, exilis eſt, immunda, infeſta, putrida, brevis ævi: ſeſeque in oleo, melle, aliaque re dulci ſuffocat. *Prorsùs muſcæ ſordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis & ſollicitudinibus lacerant, ſocialis gratiæ ſuavitatem exterminant.* Muſcæ dulcedine unguenti illectæ ad illud ſtatim advolant, cui veluti viſco immerſæ, moriuntur. *Madefactæ oleo apes, muſcæ, veſpæ, formicæque intereunt.*

Lib. 1. de Repub.

Sen. Ep. 9.

Eccle. 10. v. 1.

S. Ber. ſerm. 44. in Cant.

Gal. lib. 2. ſimp. med. cap. 20.

§. 4. Suaviſſimum illud manna, panem Angelorum faſtidiosè aſpernati Iſraëlitæ pro eſca expetierunt à Deo carnes, qui *pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* His avibus, quas deſideraverunt protervi Iſraëlitæ, mundanas voluptates ſignificatas volunt Hugo Cardinalis, Michaël Ayguanus, Berchorius & Lauretus. Sed cur mundanis deliciis & voluptatibus dantur à Pſalmographo nomina *Avium* avolantium, & *Arenæ* non prægravantis tantùm, ſed etiam excæcantis? ideò, ut intelligamus quòd ſæculi voluptates non ſecùs ac aves volatu concitæ pertranſeant; & ſi quam miſeræ animæ adferunt jucunditatem, eam fugaciſſimam eſſe & momento perire. Quæ prætereà lumina oculorum ut pulvis & arenæ, ſolent offuſcare atque excæcare, ne fœditatem intrinſecam videant; animum prægravare, ne internam ſpiritûs dulcedinem valeat attingere: quæ mox convertuntur in ſalſum mare perpe-

Pſalm. 77. v. 27.

tui remorsûs, & numquam remittentis angoris. *Gaudet luxuria, modicum volitat, ſed mox in arenam maris convertitur. Omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum levat infelicem animam, ſed mox aggravat in arenam.* Numquam proindè Demoſthenem meliori epiphonemate uſum poſſumus dicere, quàm dum Thaïdi formoſiſſimæ & famoſiſſimæ lupæ (quæ Corinthi multorum advenarum ſubſtantias & animas devoraverat) ut ſui copiam faceret, μυρίων δραχμῶν id eſt decem drachmarum millia impudentiſſimè poſcenti, reſpondit, *Pænitere tanti non emo.* Mentalis indubiè oratio pręceſſerat, quâ ſubtiliter expenderat pretii magnitudinem, mulieris improbitatem, voluptatis brevitatem, & conſcientiæ ſemper arguentis carnificinam.

Drogon. Oſtienſis lib. 6. de ſacram. Domin. Paſſ.

§. 5. Irritat mollis aculeus carnis, ſed deterreat illos aculeus peccati: *Sub momento enim libidinis impetus tranſit, & opprobrium infelicis animæ permanet.* Vix primis labiis delibatur voluptas. *Favus enim diſtillans labia meretricis.* Quod propinat molle eſt, tenerum, leve, lene, lubricum. Tantùm dat ſtillam mellis, mox datura mare fellis; præbet pillulas amatoribus ſaccharo illitas, ne illas palatum faſtidiat, cùm poſteà tota amaritudo ſit deglutienda; undè ſequitur: *Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium.* „Meretrix, ait Chryſoſtomus, amare neſcit, ſed „inſidiatur tantùm, venenum habet illius oſculum, & toxicum „os pernicioſum. Si verò non ſtatim apparet, propterea ipſam „magis fugere oportet, quoniam obtegit perniciem & mortem „habet celatam. Eſt enim amor latens ignis, gratum vulnus, ſapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, jucundum ſupplicium, blanda mors. Quod concinnè Poëta quidam expreſſit:

S. Aug. Homil. 250. de Tẽp.
Prov. 5. v. 3.
Ibidem v. 4.
Homil. 14. ad Popul.

Nil amor eſt aliud, niſi triſtis & ægra voluptas,
Nil niſi dulce malum, nil niſi triſte bonum.

Idcircò turpis amoris formoſum Cupidinem depinxit Antiquitas, ut manu alterâ roſam, piſcem alterâ præferret. Relictis aliorum interpretationibus hanc amplexatur primæ notæ apud Hiſpanos Auctor (cujus elogium concinnavit Doctor Joannes Perezius de Montalvan) dicitque hoc non vacare myſterio quòd tale de Cupidine emblema fuerit excogitatum, quo ingenium fœdi amoris clariùs innoteſceret. Roſa itemque piſces abundant ſpinis. Roſa in ſuo frutice paucos dies perdurat, & fugaciſſima eſt illius vita qualis Ephemeri. Spinæ illius ſunt perpetuæ, & numquam roſetum

En la Dedicatoria de ſu Dia quinto.

ſtrum deſtituunt. Piſces quoque veluti meræ ſpinæ ſunt, quæ nonnumquam ſuffocant illos à quibus avidè atque incautè glutiuntur. Ut nobis turpium voluptatum & laſcivi amoris mores delineatos exhiberent, appoſitè Cupidinem Veteres piſciferum & florigerulum depinxere: vitæ delicias & ſordida carnis oblectamenta roſas eſſe docuerunt, ut eodem ſole penè oriantur & occidant, ſed animæ tamen diu poſt ſe ſuos anxietatum infixos relinquunt ſentes: piſces eſſe ſquammis horrentes quibus exaſperent, refertos ſpinis quibus cruentent & extinguant.

P. Didacus Nyſſenus Poli. Cal. part. 1. lib. 6. c. 3.

§. 6. Non diſcrepat ab his Seneca Lucilium taliter exhortans: „ Projice quæcumque cor tuum laniant (de vitiis loquitur) quæ „ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum ipſis revellendum „ erat. Voluptates pręcipuè exturba, & inviſiſſimas habe, latro„ num more, quos Philetas Ægyptii vocant. In hoc nos ample„ ctuntur ut ſtrangulent. Spinetum eſſe ſymbolum & imaginem omnis peccati vult S. Gregorius Magnus audacter pronuntians in Pſalmi 2. Pœnitentialis verſum quintum, per *ſpinam omne peccatum accipitur.* Nullum eſſe peccatum exiſtimat quod non pungat, quod non feriat, non ſauciet. Quod vel maximè intelligendum venit de iis quæ maximè blandiuntur & lenocinantur, quæ ſuam homini jucunditatem adferunt. *Poteriſnè te convertere* (ſciſcitatur S. Auguſtinus) *ad aliquam voluptatem ubi ſpinas non ſentias? in bonorum cupiditate quantæ ſpinæ! amores turpes quantas moleſtias habent? omitto gehennam. Vide ne jam ipſe tibi gehenna ſis.* Uni voluptatis drachmæ ingentia calamitatum pondera ſunt conjuncta. Ineſt cuilibet orci effigies, cuilibet carnis oblectationi ſpina, reperitur in omnibus corporis deliciis aſperum horridumque dumetum: & ut Senecæ verbis utar: *Ipſæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem, tremoremque libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes.*

Epiſt. 51.

In Pſalm. 93.

Epiſt. 24.

§. 7. Quotquot Helluones, Sardanapalos juſta numinis vindicta inferno adjudicavit; majori noſtro documento quàm ſuo emolumento inter ultrices flammas etiam inviti nolenteſque (ut eorum non ſit extorquenda confeſſio) ſuclamant deplorandum anteactæ vitæ ſtatum miſerabilibus vocibus deteſtantes. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Si per ſpinas quaſi & tribulos incedebant qui de viarum aſperitate conquerebantur, ſi ægrè vix & anheli præruptos tranſcendebant montium ſcopulos: ubi amœna, aprica, & deli-

Sap. 5. v. 7.

delicioſa viridaria? ubi campi hujus vitæ Elyſii? ubi paradiſus Mahometicus in quo putabantur verſari, & vitam ducere bonis omnibus affluentem? nonne patet omnia fraudes eſſe, impoſturas & præſtigias meras? ſcire cupimus ubi ſit locus voluptatis, ubi ſit reperienda? dicent nobis, ſicuti Danieli faſſi ſunt, illi in-
Dan. 13. v. 54. veterati malorum dierum & laſcivi judices: quorum unus aiebat caſtam & innocentem Suſannam à ſe repertam adulterii ſcelus
Ibidem v. 58. cum juvene ſub *Schino* perpetrantem; alter, ſub *Prino* in flagranti inconceſſæ Veneris crimine à ſe deprehenſam. Schinus, uti ſentiunt S. Hieronymus, Origenes, Cornelius à Lapide, & Gaſpar Sanctius, idem eſt quod Lentiſcus; arbor magnitudine Roboris, odore Terebinthi, acinis, dum matureſcunt, rufis, ubi maturuerint, nigris: ſudat reſinam, eſt trifera, ter enim quotannis profert fructus, ſed parum utiles. Prinus autem non eſt
Lib. 6. c. 16. Prunus ex mente S. Auguſtini *ſerm.* 242. *de temp.* ſed Plinio ilex eſt: genus Roboris aculeatis foliis, duriſſimum, montanum, glandiferum, notum. Annotatione dignum cenſetur ſub quibus arboribus ſenes affirmaverint Suſannam cum adoleſcente inventam illicitis furtivè voluptatibus indulgere. Non dixerunt quòd illam viderint ſub malo citrea, aut ſub quavis alia frondoſa, fragrante, & feraci arbore; ſed ſub *Schino* & *Prino* arboribus rudibus, ſilveſtribus, quarum fœtus à ſuis ſtipitibus minimè degenerant. Non otioſum hoc ſed myſticâ ſignificatione plenum eſſe quòd ſub harum arborum umbra laſciva voluptas dicatur reſidere, animadvertit eruditus interpres Guadalupe. „Obſerva, inquit, „voluptatem Veneream ubi dicant inventam: videlicet ſub „Schino quæ nihil habet præter amaritudinem in ſucco & fo- „liis; ita etiam voluptas quid profert niſi animi amaritudinem? „alter inventam fœminam ait ſub Prino, quam arborem ſi at- „tingas, cùm folia pungentia producat, dolore afficieris. Sic ex libidine quid conſequeris præter ingentem animi dolorem? Præviderat Thomas à Kempis celerrimum fluxum voluptatum, & doloris in eis aculeum in hunc modum de voluptatum ſectatori-
De Imit. Chr. lib. 3. cap. 12. bus agens: *Cùm adhuc vivunt*, inquit, *non ſine amaritudine & tædio, ac timore in eis quieſcunt. Ex eadem namque re undè ſibi delectationem concupiunt, indè doloris pœnam frequenter recipiunt.*

§. 8. Tolerabile eſſet utcumque voluptatibus veluti quibuſdam præſtigiis illudi, ſi non plurima & graviſſima his annecterentur damna: ſed, proh dolor! quanti conſtat miſero peccatori ſua brevis & umbratica delectatio! pro falſa & fugaciſſima volu-

voluptatula comparat ſibi demens ac cæcus mercator ſecundùm præſentem juſtitiam nihil minus quàm atrocem pœnam, quæ totam Dei æternitatem æquabit. Æternitas verò à Boëtio ſic definitur: *Interminabilis vitæ tota ſimul ac perfecta poſſeſſio.* Hinc dives epulo, qui jam ultra mille ſexcentos annos in pœnarum fuit æternitate conſtitutus, ſuffert hâc ipsâ horâ omnia tormenta ſimul quæ huc uſque paſſus eſt, & patiunda reſtant; quia menſurantur æternitati, quæ eſt *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Inſuper animæ jacturam facit, quæ non minore quàm pretioſiſſimi Chriſti Sanguinis impendio fuit reparata. Quantæ dementiæ eſt monile tanti valoris, ut in adverſa trutinæ lance cum Sanguine Chriſti in altera poſito expendatur, *& quaſi Deum valere videatur*, pro uno teruntio dare! ah! quàm infructuosè, quia ſerò, ſapiunt Phryges! ſerò mentis oculos aperiunt infelices voluptatum amatores: nulla enim, & planè inefficax eſt pœnitentia poſthuma, neque à Lazaro guttam aquæ ad refrigerationem obtinere poterit. Quàm infructuosè in ipſo damnationis rogo deplorabunt, & dicent, quod Jonathas patri ſuo Saüli: *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* Publico edicto caverat Saül Rex ſub infallibili capitis pœnâ ne quis ante confectum integrè cum Philiſtæis prælium quidquam cibi attingeret. Hanc ſuam juſſionem cùm à filio infractam percepiſſet, in eum mortis ſententiam tulit. Notat hic ſubtiliter Hugo Cardinalis ſcripturam per ejuſdem verbi iterationem rem diminuere, quâ alioquin ad amplificandum paſſim uti ſolet. *Hîc*, inquit, *præter ſolitum morem geminatio notat diminutionem, cùm ſæpiùs notet augmentum, ut ibi benedicens benedicam.* Jonathas ut exaggeraret gravitatem pretii, & acerbitatem damni iſtâ repetitione paucitatem cibi voluit extenuare; pauxillum quod comedit, mirum in modum deflevit, ut ſumptus ex eo profluentes extolleret. Singula verba habent emphaſim. *Guſtans guſtavi* quaſi diceret ſummis vix labiis delibavi, & hoc *in ſummitate virgæ*, quæ acuties non poterat multum retinere. Addit *paululum mellis*, tam parùm ut vix aliquid dici poſſit. *Et ecce morior.* Heu durum telum, acerba miſeria, pœna graviſſima, quòd tantilli mellis deguſtatio mihi vitæ rerum omnium chariſſimæ pretio conſtet!

Lib. 5. de Conſol. Phil.

Euſebius Emyſſenus.

1. Reg. 14. v. 43.

In cap. 14. 1. Reg.

§. 9. Per mel iſtud caducas delicias & falſas fluxaſque ſæculi voluptates intelligunt Petrus Berchorius, Lauretus, Joannes de S. Geminiano, Pierius. Hoc lachrymis irremediabilibus medios

V 3 inter

inter cruciatus ſuos ſempiternos planget infelix damnatus gemebundus exclamans, *Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior.* O mors, amara mors! ô interminabile ſupplicium! ô pœna intolerabilis! & ô levis, umbratilis & fictitia voluptas! pro qua inęſtimabile monile animam meam dedi: quàm incurius, quàm cæcus negotiator fui! Non ſolùm ultra dimidium juſti pretii, ſed in toto circumventus fui: quid dico circumventus? memet circumveni, mihi ipſi laqueum injeci. Utinam aliquo valeam me tueri privilegio! aut miſerabili ceſſionis bonorum auxilio (ut leges loquuntur) gaudere, ne poſſim mitti in perpetuos illos carceres! Sed nihil horum mihi adminiculo eſſe valet, quia tempus clementiæ & benignitatis, tempus merendi effluxit, & ſtrictiſſimæ juſtitiæ advenit; verſorque inter rigidiſſimos exactores qui ad minutiſſimum quodque univerſum debitum ſine ulla miſericordia extorquent. Heu mihi! *Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior.* O ſtultus, pręceps, oculis & mente captus mercator, non ſolùm pro vili edulio pultis uti Eſau jus & prærogativam primogenituræ vendidi; ſed inſuper pro fugaciſſima voluptátula cruciatus doloreſque numquam deſituros comparavi. Pauxillulum mellis guſtavi, amaritudinem autem & abſinthium hic pleno ore & toto corpore ſine termino haurire debeo. Quàm illud miſerabile, ut brevis ſit vita ejus, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia quotidiana. Itaque *in exigua delectatione amaritudo perpetua eſt.*

L. 8. Cod. de iis qui bonis cedere poſſunt.

S. Ambr. lib. 1. de interpellat. in Job cap. 7.

§. 10. Etiam in præſenti vita infauſti ſunt turpis voluptatis amores, & ingentem ſecum cumulum miſeriarum advehunt. Tragicum planè & patheticum eſt, quod non multis abhinc annis vidit Lutetia Pariſiorum, fratrem nempè ac germanam adulterii & inceſtûs convictos in publico theatro pœnam capitis luere. Fuerat illa Rothomagi in ipſo flore juventutis & pulchritudinis juncta viro ad ſenectutem vergenti. Diſparitas ætatis & conditionis amorem conjugalem in odium converterat, ſive veriùs in amorem impudicum. Nemo ſuſpicabatur propter jura ſanguinis & naturæ talem inter ambos potuiſſe naſci; ſed qualis viſus eſt medius inter Herculem & Mercurium, non inter pœnitentiam & hanc voluptatem, quæ proprium pęcoris bonum eſt. Turpis & inconceſſa familiaritas illius Cupidinis ac Pſyches in adulterium & inceſtum prorumpit: impellit mulierem ut relinquat virum quò liberiùs adhæreret fratri, qui illam per Galliam circumducit, geſtantes uterque in animo ſpinam & ulcus fœtidæ voluptatis, quæ

P. Matthieu en l'Hiſt. de Henry IV. liv. VI.

quæ numquam liberos illos dimittit, quos ſuæ ſubjecit tyrannidi. Geſtiebant verò in nefando impuræ flammæ calore, ſicuti capræ in febri, ſine cujus fervore vivere nequeunt, quo deficiente etiam ipſis vita deficit. Undè Phyſiologus: *Capræ numquam febri carent, ideoque fortaſſe, quòd anima his quàm ovibus ardentior, calidioresque concubitus*; donec tandem Pariſiis, ad inſtantiam mariti juſto dolore compulſi, in carcerem conjiciuntur, & ſufficienter ſcelerum rei ultimo ſupplicio afficiuntur. Nemo qui tam lamentabili intererat ſpectaculo lachrymas continere poterat & commiſerationem, deplorando adoleſcentiam fratris juxta ac pulchritudinem ſororis, cæcitatem & infortunium utriuſque. Veniebat cuique in mentem dira & intolerabilis tyrannis & crudele jugum immundi ſpiritûs; qui ſimul ac animam occupavit, protinus corpus mille modis in perniciem molitur impellere, modò in aquas, modò in ignem, & tandem in extremum diſcrimen præcipitare. Plin. lib. 1. cap. 1.

§. 11. Quanta Deus bone! ex brevi laſcivi amoris voluptate ſcaturiunt mala! O ſi vidiſſemus SS. Pelagiæ & Mariæ Ægyptiacæ pœnitentiam! quomodò præterita plangebant, ne plangenda iterum committerent! crebra ſuſpiria, perennes lachrymas, non intermiſſas preces, imprecationes, deteſtationes criminis! ex iis gravitatem damnorum ex leviſſima oblectatione manantium colligeremus. Nihil enim pectus æquè laniat ac reatus conſcientiæ mille teſtibus æquivalens, inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus. Undè illæ prodeunt voces. Ubi fui quando tam enormiter cecidi? ubi mens, ratio, judicium? quis error aut furor internum perſtrinxit obtutum? O funeſtum gaudium! ô diem omni maledictione digniſſimum! cur ante illum tellus vivam non abſorbuit? Ecce omnia in me conſpirant, pugnat orbis terrarum contra inſenſatam: ſi tonat, capitis mei ruinam horreſco.

En conjurati veniunt ad claſſica Divi.

Si fulmen è nubibus corruſcat, nulla me lauro ab ictu tutam reor. quidlibet me in furias exagitat: nullibi requiem, nullibi ſecuritatem invenio. Non ſolum jam omne virorum genus & loca ſuſpecta averſor, ſed memet ipſam & umbram mei fugio, ac tuta timeo. Hæc & ſimilia dicere potuit, imò debuit quæcunque per nefas amiſit ſingulare virginis ornamenrum, & eximiam naturæ dotem, ſine qua vita ejus eſt vita ſine corpore, corpus ſine animâ, anima ſine ſpiritu, ſpiritus ſine reſpiratione, reſpi-

reſpiratio ſine aëre; quæ aut ſibi contrariantur aut privativè opponuntur: ut liquidò pateat quantum mali cauſet momentanea voluptas, quæ omnem gloriam & decorem animæ perdit; cùm pudicitia Tertulliano ſit *flos morum*, *bonor corporum*, *decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum Sanctitatis.*

Lib. de Pudicitia.

§. 12. Hac de cauſa Pelagia renuit Pelagia vocari, ſed pelagus omnium vitiorum ſe nominandam aſſeruit; & Maria Ægyptiaca auſtero vitæ ſuæ genere inſinuare videbatur, *Vocate me Maram*, hoc eſt amaram, quia amaritudine repleta eſt anima mea. Quoties occurrebat Jacobo Eremitæ immane ſcelus, ſtuprum & cædes, quoties obverſabatur animo quàm brevi ſpatio tot bonis ſpoliatus fuerit, quæ ſibi tanto ſtudio & labore per triginta annos in ſpelunca deliteſcens compararat: credibile eſt ipſum tunc cum Propheta dixiſſe. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte* non interfectos Iſraël, ſed meipſum in cœno vitiorum jacentem & ſepulchro fœtentem. Qui ſeriò attendit antiquos pœnitentiales Canones primitivæ Eccleſiæ, perſpicit, quantus fuerit in pœnitentia pro delictis ſubeunda rigor: exindè illa vocabula emerſerunt *Quadragena & carena*; ut *quadragenæ* nomine veniat pœnitentia quadraginta continuatis diebus in jejuniis, aliiſque laborioſis operibus peragenda. *Carena* verò dicta eſt, quia ſcilicet carentiam omnium ferè ciborum continebat, & prçmitti ſolebat pœnitentiæ ſeptennii, ut habet Concilium Triburtienſe canone 54.

In vita ejus per Metaphr. 28. Januarii.

Jerem. cap. 9. v. 1.

§. 13. Quàm operoſus injungeretur Baptiſmus illi qui in tyrannicum hoc vitium & effrçnem paſſionem, qui in impudicitiæ crimen lapſus erat; perſpicuè declarant illa Q. Septimii florentis Tertulliani verba, quibus Chriſti Pontificem appellat expendens illum locum D. Pauli qui ibidem fornicatori veniam dedit, quem in prima dedendum Sathanæ in interitum carnis pronuntiarat.

1. Corinth. cap. 1.

„ De modicâ ſcilicet indulgentia agebatur, quæ ſi fortè nunc „ æſtimaretur, quando maxima quæque non ſoleant etiam ſine „ prædicatione donari, tanto abeſt ſine ſignificatione: & tu qui- „ dem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ec- „ cleſiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dede- „ core & horrore compoſitum proſternens ante Viduas, ante „ Presbiteros; omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia „ lambentem, omnium genua detinentem bonus Paſtor, & be- „ nedictus Papa concionaris, & in parabola ovis capras tuas „ quæris. Ad Eccleſiæ valvas, qui de carnis lapſu infamatus

Lib. de Pudicitia.

erat,

erat, ſiſtebat ſe; & Pontifex poſtquam pro concione dixerat, mandabat Auditoribus, ut præ foribus ſtantem utpotè talis criminis reum obnixè Deo commendarent, & pro illo iram Numinis deprecarentur: cumque omnes egrederentur, ut pro more habent noſtrates pauperes eleëmoſynam depoſcere à Concionatore ex umbone commendati; ita laſcivus ille cilicio pœnitentium habitu tectus ad omnium ſeſe pedes abjiciebat Sacerdotum, Viduarum, Virginum: omnium lachrymas ſuadens, omnium genua detinens, omnium veſtigia lambens, eleëmoſynam (nempè precum ſuffragia) precabatur, quam pro illo Sanctus Pontifex poſtularat. Quantæ turpitudinis, quanti flagitii debet eſſe hoc crimen, ut non niſi operibus tam pœnalibus queat expiari, & viritim totius Eccleſiæ preces & lachrymæ ad hunc finem debeant emendicari?

§. 14. Publicæ & ſolemnis hujus pœnitentiæ exemplum in Fabiola nobili Romana nobis proponit D. Hieronymus. Hęc viro ob adulterium dimiſſo perperam alteri nupſerat, & fortaſſe per ignorantiam legis ut illam vir Sanctus excuſat: *Putabat*, inquit, *à ſe virum jure dimiſſum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſatio, viventibus viris, fœminis amputatur.* In Epith. Fabiolæ ad Oceanum. Quem tamen errorem poſt mortem ſecundi viri publicè faſſa tam acerbam egit pœnitentiam; „Ut totâ urbe ſpectante Romanâ, „ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cęſario „truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine pœnitentium: Epiſcopo, „Presbiteris, & omni populo collachrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret. „Quæ peccata fletus iſte non purget? quas inveteratas maculas „hęc lamenta non abluant. Plura id generis illi licebit perſpicere, qui admirabilem pœnitentium carcerem, apud Climacum ingredi cupiet: ibique ſingulorum vultus, ora, geſtus, voces, lachrymas, verba conſiderare; quoſdam noctibus totis uſque manè ſub dio ſtare pervigiles, nullam ſibi requiem indulgere, vim naturæ inferre, ſeipſos increpare, ignominiiſque & contumeliis afficere atque excitare: quoſdam è cęlo adjutorium cum gemitu, ſuſpiriis & vocibus invocantes, alios in oratione proſtratos, humi luridas facies inclinantes, indignoſque ſe qui in cęlum aſpicerent vociferantes; nonnullos, ut mortui plangi ſolent, ſuper animabus ſuis ululatum diræ vocis emittentes; plurimos ex imis pręcordiis rugitum edentes, alios ferventiſſimo ſolis ęſtu, alios acerrimo frigore ſeſe cruciantes.

§. 15. Talibus & multò gravioribus ſe dignos ſuppliciis clamitabant, quia regno cæleſti ſe tam citò & leviter privaverant: quemadmodum regno terreno amiſſo graviter indoluit Lyſimachus Rex Thraciæ, ſed ſerâ & infructuosâ pœnitentiâ. „ Eum pro„ditum eſt, ſiti coactum dediſſe in Getarum poteſtatem corpus „ & exercitum ſuum, atque ut bibit jam captivus dixiſſe: Heu me „ hominem turpem! qui voluptatis causâ adeò temporariæ tanto „ regno ſum orbatus. Quod nonnumquam viris alioquin ſcientiæ & ſanctitatis laude inſignibus evenit, ut pro levi oblectamento omnium præteritarum virtutum jacturam faciant, pro exigua re magnam relinquant, quam arctiſſimè retinuerant. Quos per Polypum cui guttula quędam aquæ dulcis affundebatur, Veteres exprimebant additâ Epigraphe, *Diſceſſio ſubita*. Hic piſcis quamcumque rem apprehenderit, tam firmiter tenet ut adglutinari videatur, & ante ſe diſcerpi patiatur, quàm ab ea avelli. Hinc Pierius Valerianus de Polypis: „ Eos potiùs detrunces, quàm poſſis „ ullo conatu petris, aut quidquid apprehenderint, avellere, ad„ motâ tamen cunilâ herbâ reſilire protinùs dicuntur; Et inferiùs: „ Aiunt & aquam dulcem ſuperinfuſam eadem pollêre vi. Quot Polypis ſimiles ſunt, qui diu Chriſto (qui apud Apoſtolum petra dicitur) tenaciſſimo intimi amoris nexu fortiſſimè adhærentes clamant cum eodem: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia, an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Gaudent ſe tamquam columbas ſecuros habitare in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: ideò & proteſtantur malle ſe millies oppetere mortem, quàm amicitiam illius in aliquo violare, pacem & neceſſitudinem dirimere, aut ei refragari. Ad unum tamen fortuitum mulierculæ occurſum, ad unum oculorum nutum, ſic diſſolvuntur, ſic emolliuntur, ut, poſthabitâ ſanctiſſimâ Chriſti amicitiâ & animæ pace, repentè ab illa petra reſiliant, malintque ſiliquis delectari porcorum, inconceſſæ libidinis infami & fugitivæ indulgere voluptati, quàm Dei familiaritate, infinito illo & æterno bono frui: *Aiunt aquâ dulci ſuperinfuſâ protiuùs reſilire.* Ubi nunc magnanima illa proteſtatio, Quis nos ſeparabit? poteſtne jure quiſpiam eorum affirmare

—— *Non ego perfidum*
Dixi ſacramentum?
Vota, fides ubi nunc?

Si verbis illis *An periculum? an perſecutio?* ſubſtituiſſent iſta an voluptas? an laſcivus fœminæ aſpectus? jam manifeſtè perfidiæ ſcelere

Plutarch. de ſera Numinis vindicta.

Lib. 27. c. 27.

1. Corinth. 10. v. 1.

Ad Rom. 8. v. 35.

lere ſeſe obſtrinxiſſent; aut priùs ſingula maturiùs ponderaſſent.

§. 16. Deus bone! fierinè poteſt ut homines qui videbantur inconcuſſi tam citò moveantur? qui apparebant incorruptibiles à re tantilla tam perditè corrumpantur, qui ſe jactabant invincibiles tam brevi vincantur, ut guttulâ aquæ dulcis ſuperinfusâ à ſancto propoſito, à graviſſimo inſtituto mox reſiliant. Ex aquæ iſtius corruptione muſca provenire poteſt: animalcula ſiquidem talia ex putrefactione generantur; & Scaliger non tàm ex putrefactione, quàm ex principiis quibuſdam immutatis, ex gummi nempè quodam liquido oriri ſcribit. Muſca verò adeò eſt impudens & improbè pertinax, ut licet abacta ſemper redeat; ſemper alicui ſive loquenti, ſive ſcribenti, ſive legenti, ſive comedenti, ſive dormienti parata adſtet, ut in faciem inſiliat infeſta, incommoda, noxia. Cætera item animalia arte cicurari poſſunt, muſca nunquam: indocilis eſt & indomabilis. Huic rectè comparatur concupiſcentia, quæ rationem omnem & diſciplinam reſpuit; quare planè exſcindenda & eradicanda eſt. *Citatus à Jo. Jonſtono de Inſect. lib. 1. cap. 2.*

—— Scelerum ſi benè pœnitet
Eradenda cupidinis
Pravi ſunt elementa. *Hor. lib. 3. Carm. Ode 24.*

Imò ferro & flammâ adurenda, inſtar Hydræ alioquin renaſcitur, repullulat, & reviviſcit; velut muſcæ, de quibus Plinius *Muſcis humore exanimatis, ſi cinere condantur redit vita.* In his quoque non inconcinnè poſſunt leves & importunæ concupiſcentiæ figurari cogitationes, quæ puritatem, ſanctitatem, & tranquillitatem animi licet omninò non tollant, inquietant tamen, fœdant & perturbant. Hæ viros etiam religioſos ubique infeſtare ſolent, in Cella, in Oratorio, in Sacrificio importunè ſeſe ingerunt. „ Ægyptus, „ inquit S. Gregorius, quæ hujus mundi ſpeciem tenet, muſcis „ percutitur. Muſca enim nimis inſolens & inquietum animal eſt, „ in qua nihil aliud quàm inſolentes curę deſideriorum carnalium „ deſignantur. Undè aliàs dicitur: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Quia cogitationes ſuperfluæ, quæ aſſiduè in „ animo carnalia cogitanti & naſcuntur & deficiunt, eam ſuavitatem, quâ unuſquiſque intrinſecùs per ſpiritum unctus eſt, perdunt. Hinc tibi, quicumque ſedulam geris curam ſalutis, aut conſtanter, & inceſſanter ſunt abigendæ; aut quòd conſultiùs penitùs excludendæ clauſis memoriæ feneſtris, ne tot malorum, quę recenſuimus, per importunam vexationem ſeriem cauſent. *Lib. 11. c. 36.* *Lib. 18. Moral. cap. 18.*

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas. *Hor. lib. 1. Epiſt. 12.*

SYMBOLUM XXI.



Tom. 4. lib. 1. de ſerm. Dom. in Monte c. 1.

VElint, nolint, omnes filii ſuperbiæ veritatis ſtylo compuncti efflare debent hoc lemma : *Ventus eſt vita noſtra.* Primus illius teſtis eſt S. Auguſtinus qui diſertis verbis ait : *Vulgò magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur ; & rectè quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur. Quis verò neſciat ſuperbos inflatos dici, tamquam vento diſtentos?* quia nihil niſi applauſus, popularem auram, & ventoſæ plebis ſuffragia venantur : hunc ventum attrahunt, hoc turgent, eumdemque exſpirant. Nonne etiam rectè fermentum ob hanc cauſam dici poteſt ſuperbia? à quo ſummoperè cavendum præcipit

cipit Magiſter veritatis inquiens : *Attendite à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis.* Superbiæ vitio maximè laborabant Phariſæi. Superbia & hypocriſis aliquo modo coincidunt uti hæc ſic & illa aliud demonſtrat, aliud intùs continet. *In fermento non eſt moles magnitudinis ſed tumoris , & conſperſio tali ſpecie inflata eſt non ditata* : ſic in ſuperbia non eſt moles magnitudinis ſed tumoris, & homo tali ſpecie inflatus eſt, non ditatus. Fermentum ergo ſpeciem tantùm magnitudinis , non item magnitudinem pani addit, facitque ut moles ejus major, quàm eſt, videatur. Superbia aliquem apparere magnum facit, non eſſe, & creſcere eò videtur ampliùs illius moles, quò magis alium per ſui comparationem nititur deprimere : hinc præ nimia arrogantia confidenter loquitur Phariſæus : *Non ſum ſicut cæteri hominum injuſti, raptores, adulteri* : Et *ecce tibi ex vicino Publicano majoris tumoris occaſio.* Sicut, inquit, Publicanus iſte.

Luc. 12. v. 1.

S. Pet Chryſol. ſerm. 72.

Luc 18. v. 12.

S. Aug. ſerm. 36. de verb. Dom.

§. 1. Quoniam judicia hominum ex conjecturis, quæ multoties fallunt, proveniunt; arte ideò ſupplendus defectus. Artificiosè ac prudenter in inveſtiganda ſanctitate & bonitate alicujus erit procedendum. Hanc artem docet S. Hieronymus cùm inquit : *Qui ſuo merito placere non poſſunt, placere volunt in comparatione pejorum.* Tales ſunt omnes huic Publicano ſimiles, qui alienâ luce ſuas clareſcere tenebras deſiderant. Prædicare ſancti Jobi patientiam, & impatienter agere, extollere magni Patriarchæ Abrahæ obedientiam, & nemini velle ſe ſubmittere, manſuetudinem Moyſis , & in quoſvis Caninam rabiem exercere; eſt, alieno bono ſe commendare , velle aliorum lucêre virtutibus : quod parùm juvat, imò multùm obeſt. Indè tamen Phariſæorum tota ferè procedebat gloriatio, quòd magnis & ſanctis nati eſſent progenitoribus. Longè tamen pejus eſt, non ſolùm alienis velle placere virtutibus, ſed alieno damno virtuoſus haberi, jactando ſe cæteris eſſe meliorem. Hujuſmodi cor hominis mari ferventi ab Iſaia confertur : *Cor impii quaſi mare fervens.* Mare fervens ſe ipſum motu & undis purificat, ſed littora fœdat marinis ſpurcitiis. Tale eſt cor ambitioſorum, qui dum aliquam dignitatem ambiunt, proponunt merita propria, labores, obſequia , aliorumque merita offuſcant , & detractionibus imminuunt.

Iſa. 57

§. 2. Ex eorum numero ſunt, qui volunt videri ſapientes, propriam jactando ſcientiam, & aliorum divulgando inſcitiam. Quantum tumoris, quantum arrogantiæ, quantum vanæ com-

placentiæ & vanitatis plerùmque adfert cum aliquo hŏnoris apice conjuncta doctrina! palliata eſt in talibus quęcumque humilitas & ſubtili artificio occultata. Si quid ab ipſis humiliter coram teſtibus geſtum eſt; extemplò humilitatem incipiunt miris laudibus efferre, ut ex ipſa humilitate laudem & gloriam aucupentur. Hoc & antiqui Philoſophi inſolito vivendi more affectabant: ut rectè D. Auguſtinus dixerit, etiam ſub ſordibus luctuoſis poſſe eſſe jactantiam. Vera famæ & inanis gloriæ mancipia omnia ſus deque habebant, probra & injurias æquo ferebant animo rerum omnium indigi, ut nomen ſibi immortale compararent. Aliorum dicta aut ſcripta continuò ipſis ſtomachum aut nauſeam movent: temerariâ & ſępè iniquâ ea cenſurâ notant. Quamprimùm auditur: hic nihil habet ſcientificum, ſunt tantùm verba & voces; ſine robore, ſine ſucco elanguet ejus oratio. Ille in contextu eſt ſibi valdè inæqualis,

——— *Ultima primis*
Cedunt.

Alterius ſcribendi ſtylus nimis humilis eſt, humi ſerpit: alter mactat Priſcianum, & nullos Authores claſſicos umquam videtur legiſſe. Hic contractior eſt, ille exorbitat, tertius toto cælo à ſenſu aberrat. Nihil novi profero; multò antè Horatius ævi ſui mores in hoc taxavit:

Simplicior ſi quis, qualem me ſæpè libenter
Lib. 1. ſerm. ſatyr. 3. *Obtulerim tibi Mecœnas: ut fortè legentem*
Aut tacitum impellat quovis ſermone moleſtus;
Communi ſenſu planè caret, inquimus.

§. 3. Ubi verò aliquis ab ipſis editus eſt liber, multum ſibi de hoc ingenii fœtu applaudunt; per quem viam ſibi ad ſummas dignitates ſtraviſſe autumant. Hinc non ceſſant illum quibuſvis prælegere, quandoque auditorem interpellando in hunc modum. Dic ſodes numquid ingenioſè hoc excogitatum! quàm ſubtiliter contextum! quàm concinnè periodi cohærent! illud verò quàm eminens, quàm nihil omninò vulgare! reflexiſti ad illum conceptum? numquid arridet? denique numquid magni animi, magni ingenii atque eloquii hoc ſcriptum judicas, uno verbo aureum? attamen vix eſt opus aliquot menſium: ſi mihi licuiſſet plus ei temporis inſumere, nihil elaboratius fortaſſe fuiſſet typis mandatum. Si facilem nacti ſunt auditorem, qui patienter

tienter auſcultet, qui annuat, qui approbet, qui extollat: non ita Timotheo Orthium modulum canente, aut Artigenide carmen modulante Harmatium incitatus ad arma proſiliebat Alexander Magnus, quàm cor illorum laudis propriæ recitatione elevatur; ut in poſterùm quiſque *Sabell. lib. 10. cap. 8. Plutarch. orat. 2. de Alex. fort.*

—— Jovis auribus iſta
Servet. Fidit enim manare Poëtica mella
Se ſolum, ſibi pulcher.

Aut ſi deſit Encomiaſtes, perſonam laudantis ſuſcipiunt, fruſtrà reclamante Sapiente: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* *Prov. 27,* Glocitantem & cantantem gallinam in eo imitati, quæ dum ovum excludit, in ſtreperam vocem erumpit. Proindè juſtiſſimo divinæ providentiæ decreto ſæpiùs fit, quòd ſicuti pueris & amentibus culter aut ſtrictus gladius non porrigitur, ita nec talibus donum ſcientię, ne illo ad ſui perniciem abutantur.

§. 4. Mirum tamen eſt & ridiculum, quantùm ſe torqueant, & contorqueant, ut omnia poſſint gravitatem redolêre. Quælibet ipſis fiunt in pondere, & menſurâ. Tardiori greſſu incedunt, vix aut parùm loquuntur, & non niſi, ex ipſorum opinione, ſententiosè. Adaptant ſemper aliquos ſibi locos communes ut videantur intelligentes, quin imò vocem mutant, vix rident, tamquam Piramides Memphiticæ corpore ſunt ſemper erecto. Parva inclinatione ſalutantes reſalutant, ne authoritati derogent. Attollunt ſupercilia, intentis oculis veluti meditabundi procedunt, dant tuſſi ſignum adventûs: ſpectabiles ubicumque fieri exoptant. Quid aliud ſunt perſonati actores in ludis theatralibus qui perſonam Regiam aut alterius Magnatis gerunt? ſi ſcena & apparatus ſcenicus, ſi ornamenta deſint, mox ipſi quoque gratiam & elegantiam perdunt. Eſtnè in hoc fuco ſita gravitas vel exiſtimatio? non plus quàm in calottis ſive cucufis aut pileolis, qui à Philoſophis Lovanienſibus ridiculè appellantur pilei ſecundæ intentionis; de quibus lepidè tractat Libertus Fromondus juxta amœnum ſuum & facetum ingenium: his nihilominùs, *Lib. 2. de Anima cap. 5.* ad conciliandam ſibi auctoritatem, perperam utuntur, quorum genas vix prima lanugo tetigit. Hunc uſum in juvenibus non ſuadet ſanitatis ratio, imò diſſuadet ut ex Ariſtotele & Medicis apud eumdem colligitur; ſenibus dumtaxat & calvis relictus; his ad

ad capitis deformitatem tegendam, illis ad ſenile cerebrum frigidum & humidum confovendum.

§. 5. Reſtat ut ex honeſta, grata, & eleganti morum æqualitate, ex juſtitiæ ſinceritate, aliarumque virtutum conſtantia dicatur auctoritas relucêre. Non talem Criticum egit Juſtus Lipſius (quem honoris causâ libentiſſimè nomino) non Palladis Belgicæ ſolùm, ſed orbis quoque inter litteratos gemma & decus: diſcretus, ſincerus & germanæ veritatis ſtudioſiſſimus ſcriptor, ab omni prorsùs ambitu, adulatione & philautia alienus; amicorum obſervantiſſimus, doctis benevolus, nulli injurius: ut ex præſcripto D. Ambroſii nihil fecerit commendandi ſui causâ, quo minor alius fieret; niſi quòd perditos novatores moribus damnaverit antiquis. Cujus fama poſthuma ob raram & ſingularem modeſtiam ac candorem animi, virtutes Lipſio ingenitas non aſſumptas, meruit veris laudibus ubicumque celebrari. Ipſe dicet, quòd modeſtiæ libentiùs, quàm doctrinæ gloriam ſit perſecutus. *In allocut. ad lett. de Cruce.* *O miſeri*, inquit, *quid nos doctrinâ, famâ ſumus? ipſi pulvis, illa opinio, iſta ventus.* Ex quo colligitur neminem doctum, aut magnum eſſe idcircò, quia illud ſibi perſuadet, (magna de ſe ipſo credere exiguæ ſcientiæ certum eſt indicium) aut quia dicitur ab his, qui illi benè afficiuntur; ſed quia reverà in ſe talis judicio eruditorum Minervæ (ut aiunt) ſuffragium eſt emeritus. Deindè bonum nequaquam eſſe quod apparet tantùm, quia ſicuti Chymici ſive Alcumiſtæ induſtria & arte fingunt aurum, ita quidam mentem illudunt.

§. 6. Inter quos reperire eſt, qui longum meritorum catalogum texunt, qui juſtitias ſuas ventilant, qui fumos inanis gloriæ vendunt. Alexander Severus, teſte Ælio Lampridio, Vetronium Thurinum familiarem ſuum; eò quòd patrocinium pecuniâ vendidiſſet, arguit, negantem convicit, convictum ad palum damnavit ſuppoſito igne ex materia humida, clamante præcone: *ſumo punitur, qui fumos vendidit.* Idem juſtè in jactabundos iſtos retorquetur, fumos vendunt & fumo puniuntur. Paſſim videmus fumum in aliquo hypocauſto excitatum, facilè ad vicinum pervenire, & ſi nimiùm excreſcat, inhabitantem conturbare & multoties expellere: ſic ſuperbia fumus eſt, qui intellectum & voluntatem inficit. Intellectum quidem ut non ponderet virium ſuarum, & virtutis quantitatem; voluntatem autem, ut attentet, quod ultrà ſphæram eſt propriæ facultatis: atque ità reddit hominem minacem, inflatum, turbidum, inquietum.

quietum. *Indocilis certè eſt qui mavult doctus videri, quàm eſſe*: vanùs & arrogans, qui aut magna ſibi vendicat, quæ ipſi non inſunt, vel majora quàm inſunt: illud præſumptuoſis peculiare, ut ſubtiliter advertit S. Gregorius, qui in ſcientia morali eſt Doctorum Phœnix, qui intellectu ſuo plus quàm ſagax Ulyſſes: *Bion. apud Laërt. lib. 4. cap. 7.*

Multorum mores hominum luſtravit, & urbes.

„ Arrogantes & ſuperbi, inquit, ſi quidpiam boni habent, affir- „ mant illud à ſemetipſis habere, aut ſibi datum pro ſuis meritis; „ aut jactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cæteris „ ſingulariter videri appetunt quod habeant. Ita plerùmque ſe gerunt ac ſi exactæ doctrinæ & peritiæ in rebus agendis eſſent, non ſine præjudicio boni publici: ſplendida ac magnifica de ſe pollicentes, licet vel pepone inſulſiores ſint. „ In verbis enim „ eorum proditur, quod cùm docent, quaſi in quodam ſibi vi- „ dentur ſublimitatis culmine reſidere: eoſque quos docent, ut „ longè infra ſe poſitos veluti in imo reſpiciunt, quibus non con- „ ſulendo loqui, ſed vix dominando dignantur. Irrefragabiles in ſententia propria videri deſiderant, & ob id nolunt aliorum dictis acquieſcere. *Lib. 23. Moral. cap. 7.* *Idem ibidem.*

§. 7. Aliter certè humilitas magiſtra omnium materque virtutum D. Patrem Auguſtinum inſtruxerat: *Ego*, inquit, *ſenex & tot annorum Epiſcopus à Collega meo nondum anniculo paratus ſum edoceri.* Magis decorum eſt juvenem diſcere quàm docere, ſenem docere quàm diſcere, attamen provectioris ætatis vir paratus erat à Collega anniculo edoceri. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, monet Sapiens. *Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit.* Multiplicis generis homines in hoc lyceo ſuperbiæ reperiuntur. Sunt qui multiſcii apparere volunt cuilibet diſcurſui ſeſe opportunè importunè ingerentes *Epiſt. 75.* *Extra de Conſtit. cap. 5.*

——— *Dicenda, tacenda loquuntur*:

Tractant de ſcientia Politica, Ethica, Mathematica, de re Medica, de re Militari, de Nautica, de Oeconomica, de Pictura, de Perſpectiva, de artibus Mechanicis, aut veriùs garriunt tantùm. Vah meræ nugæ & pueriles ineptiæ. Sic Simon Magus ſeducens gentem Samariæ dicebat *ſe eſſe aliquem Magum cui auſcultabant omnes à minimo uſque ad maximum, dicentes, Hic eſt virtus Dei quæ vocatur magna.* Ultrò citròque ſaxum hoc modo vol- *Act. Apoſt. cap. 8. v. 10.*

vunt ac revolvunt, & non proficiunt hilum. Aliis, propriam renuentes agnoſcere imbecillitatem proclive eſt, ut, cùm argumentis nequeunt, vociferationibus vincere ſatagant. Sic imperitæ multitudinis plauſum & approbationem in diſputando aſſequuntur tamquam verſatiores, qui altiùs cæteris clamant,

— *Poſſunt, quia poſſe videntur:*

Qui tamen facti tantummodò ſunt velut æs ſonans aut cymbalum tinniens; rudes planè in ſe ipſis ac ignari, quandoquidem vaſa vacua magis tinniant, & ariſtæ inanes altiùs emineant.

Plutarch. in Phocione. §. 8. Hoc modo Phocion carpſit Laoſthenem multa per jactantiam ſui proferentem, ut Athenienſes urgeret ad bellum reliquæ Græciæ inferendum: *Cupreſſis*, aiebat, *ſunt planè ſimiles ſermones tui: illi enim magni ſunt, nec tamen ullos fructus ferunt.* Sin autem nec clamando tueri cauſam ſuam valeant, ad convitia, detractiones, ſcommata, recurſum habent; & mox audiuntur hi aſpidum ſibili: *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri.* Præclara ſanè via ad ſanctitatem in opinione hominum acquirendam per alienorum defectuum propalationem & publicationem. Maximè inordinatum eſt aliorum famam denigrando ſuam velle illuſtrare. Sed quis alicui fidem adhibebit in propria cauſa? perperam quis ſanctitatem in opinione hominum comparare ſtudet. Si dicta factaque vulgi trutinâ examinentur, quod apprimè virtutes diminuere, vitia exaggerare novit, quomodò judiciorum aleam ſecurè experie-
Pſ. 61. v. 10. tur? *Mendaces filii hominum in ſtateris ad decipiendum*: Falluntur enim ut plurimùm in judicio rectæ rationis ut diſcernant & quaſi ſtaterâ appendant vera bona & vera mala, apparentia bona & apparentia mala. Fusè idem declarat Horatius, dum ait:

At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare: probus quis
Nobiſcum vivit? multùm eſt demiſſus homo. Illi
Lib. 1. ſerm. ſatyr. 3. *Tardo cognomen pinguis damus: hic fugit omnes*
Inſidias, nullique malo latus obdit apertum:
(Cùm genus hoc inter vitæ verſetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina) pro benè ſano
Ac non incauto, fictum aſtutúmque vocamus.

Quid mirum ſi illis par pari ab hominibus reddatur, cùm & ipſi ſint ſimiles bilancibus unius ſtateræ, quarum dum una elevatur, depri-

deprimitur altera; cùm de ſua bonitate gloriari eamq́ue deprędicare, atque alios, ut injuſtos, condemnare, non ſolùm Deo, ſed & hominibus abominabile ſit & odioſum. Siquidem *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus*, pondus videlicet peccatorum conſcientiam opprimentium, & pondus inanis jactantiæ. Prov. 20. v. 23.

§. 9. Tunicâ S. Pauli primi Eremitæ palmarum foliis in ſportarum modum contextâ non niſi diebus ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes S. Antonius veſtiri ſolitus erat, cui dignitatem contulit & ab ea viciſſim recepit. Hi verò indies virtutis inſignia præferunt, nec ab ea decorantur, quia omnis gloria ejus ab intus, ubi ſunt repleti omni malitia & dolo. Sunt ſimiles Lunæ, quæ non lucet niſi occidente ſole. Quando intenſiùs orationi vacarunt, ſi dicat quiſque, *Non ſum ſicut cæteri hominum*, qui rarò precibus incumbunt, qui frequenter templo excurrunt; quando aliquantiſper corpus jejuniis macerarunt, ſi audiatur non ſum ſicut cęteri homines, quorum Deus venter eſt: quando intra terminos & præſcriptum rationis ſeſe aliquo tempore continuerunt, ſi alios libertate nimiâ, diſſolutione ac prępoſterâ lætitiâ inſoleſcere dicant; non ideò ſanctitatis culmen attingunt, & verâ florent virtutum laude, dum illi, quos reprehendunt, ipſos fortaſſe manſuetudine aut humilitate longè antecellunt, aut ipſi clàm admittunt, de quo alios, quia in publico factum eſt, coarguunt. Certè diabolus numquam poteſt tàm ſubtiliter ſeſe transformare in Angelum lucis ut per caudam aut ungues non detegatur: ſic nec imitatores ejus poſſunt tam congruè habitum virtutis ſibi adaptare, quin alibi rima pateat per quam vitia ſe prodant. Sunt moneta falſa, ſpecie aurea vel argentea, in rei veritate vilis Mineræ. Moneta, dico, doloſa, quoniam labia doloſa in corde & corde loquuntur: nam falſitas ex more jactatur, cùm nec veriſimile poſſit eſſe, quod dicitur. Aut certè moneta circumciſa & diminuta: quia *diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Hi Pſal. 11. omnes judicandi ſunt virtutibus deſtituti, qui confidentes in ſuâ bonitate, licet diminutâ & falſificatâ, alienis virtutibus cum damno proximi lucere cupiunt, & placere in comparatione aliorum, quos injuſtitiæ & nequitiæ inſimulant.

§. 10. Ferenda utcùmque eſſet ſimilis arrogantia, ne dicam impudentia, ſi collatione ſuâ terminos vituperandi generales non excederent; ſi nominatim quemquam non arguerent: ſed eò uſque prorumpere audaciæ, ut aliquem nominent, & dicant,

velut etiam hic Publicanus, ad ſummum inſolentiæ pervenit. Hæc veteris ſolummodò Comœdiæ fuit licentia certas perſonas eligere atque perſtringere; quæ mordacitas olim feſceninis inerat verſibus, quos probi jure proſcribendos cenſuêre. Aliud eſt generalem de vitiis inſtituere diſputationem, quam plurimi in ſuam perperàm referunt contumeliam, ut acutè notavit D. Hieronymus: *Dum mihi*, inquit, *iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam, multoque pejus de ſe, quàm de me judicant.* Et paulò inferiùs: *Prudentis viri eſt, ac prudentium fœminarum diſſimulare imò emendare, quod in ſe intelligant, & indignari ſibi magis quàm mihi, nec in monitorem maledicta congerere: qui etſi eiſdem teneatur criminibus, certè in eo melior eſt, quod ſua ei mala non placent.* Ab hoc tamen inſtituto multùm abſunt ſuperbi, qui non alios tranquillè ratiocinando corrigere volunt zelo inducti juſtitiæ, ſed illorum defectus propalando propriam extollere juſtitiam.

In Epiſt. ad Ruffinum.

Idem ibidem.

§. 11. Quì ſcis Phariſee & quicumque inſiſtis ejus veſtigiis quòd his criminibus obnoxius ſit Publicanus, ſive proximus? quibus teſtibus, quibus argumentis hoc tibi conſtat? fortaſſe in flagranti illum deprehendiſti? an ſolummodò ex levi hoc ſuboluiſti conjecturâ, aut ex ſimplici relatione percepiſti? eſto tibi liquidum perſpicuumque ſit, credíſnè te omni ſcelerum labe immunem, & non paribus aut gravioribus urgeri flagitiis? an ſolos externos actus puniendos ducis? falleris: lex alia inviſibilis eſt, quæ intùs & in animo malè agenti minas intentat. Supremum tribunal pro ſolis mentis cogitatis habet, qui cœleſtia ſimul & terrena moderatur; illum conſcientiæ ſecreta non fallunt: cujus juſtitiæ fortè ut raptor, fur, adulter, aut crimine magis enormi obſtrictus es. Et licet non eſſes, quò abominabilis illi fias, ſufficit ſuperbia tua, quæ tamquam tinea inſidiatur etiam bonis operibus ut pereant; cùm ſententiam malorum ſuperbiam eſſe, etiam ex lumine naturali Antiqui judicaverint. Hinc *Tarquinium hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt ſuperbum, & putaverunt ſufficere convitium.* Ex quo liquet, quàm parùm ad ſtrictum & ſerium dicta factaque ſua arrogantes revocent examen. Sed, proh dolor! *Curioſum eſt genus humanum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum eſt ad cognoſcendam ſuam.* Propriorum delictorum reſpectu ſunt homines veluti talpæ, reſpectu alienorum ut lynces. Hoc innuere voluit Poëta Horatius his verſibus:

Lat. Pac. in Paneg. Theod.

S. Aug. lib. 9. Confeſſ.

Cùm

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut Aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Manticam, in qua proprii defectus collecti ſunt, retrò habent, in qua verò alieni præ oculis. *Proprium* tamen eſt *ſtultitiæ aliena vitia cernere, ſuorum oblviſci*: ut hoc modo furibus pleriſque aſſimulentur, qui ſignata quærunt, aperta prætereunt. Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt, alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt. *Cic. lib. 3. Tuſcul. quæſt.*

§. 12. Quędam fateor Reipublicæ aut Communitati noxia, maximè ſunt obvia, & cuiquę in oculos incurrunt, quæ cenſorem requirunt non tantùm judicem; quia nullâ tergiverſatione celari poſſunt. Nonnullis verò ex officio, ut illo rectè perfungantur, opus eſt ſagace quadam mente ad odorandum & aſſequendum, quod tranquillitati publicæ & bono regimini clandeſtinam minatur ruinam. Hoc ſiquidem indagationis medium utiliter adhibetur, ne malum ſerpens contagione ſua peſtifera plurimos inficiat; utque detectis ſubdolis perditorum ingeniis, & machinationibus inter pericula tuta perſiſtat innocentia. Talem inquiſitionem non carpimus, ſed illam, quæ verſatur circa proximorum vitia, non ad ea corrigenda, ſed divulganda, indè gloriam ſibi conciliando, undè aliis naſcitur dedecus. Deceret tamen hoc animis omnium inſitum eſſe, de aliis numquam malè, de ſe numquam benè loqui, primum Chriſtiani, alterum prudentis eſt. Sed quis Narciſſis hujus ævi, qui gloriantur in ſimulacris ſuis, hoc perſuadebit? *Perit omne judicium cùm res venit ad affectum.* *Sen. lib. de tranquill. animi.* Alexander victoriarum multitudine & magnitudine tumidus, non ſolùm hoc animo volvebat, non ſum ſicut cęteri hominum; imò nec Regis, nec Magni contentus titulo hominem ſe negavit, ſed Jovis filius nuncupari voluit, ſcribens in hunc modum ad Matrem: Rex Alexander Jovis Ammonis filius Olimpiadi matri ſalutem dicit. Cui illa cùm feſtiviſſimè reſcripſiſſet ne hoc pacto malam Junonis gratiam ſibi & matri ut Jovis pellici conciliaret; nihilò minùs ab inſolenti dementia convaluit, ſed à Macedonibus & Perſis divinos ſibi honores decerni poſtulavit: inſtigante Cleone Siculo non ingenii ſolùm, ſed etiam nationis vitio perniciosiſſimo adulatore; cui quia obſtitiſſet gravitas & prompta libertas Caliſthenis dicentis: *Intervallo opus eſt, ut credatur Deus, ſemperque hanc gratiam magnis viris poſteri reddunt. Ego autem im-* *Q. Curtii lib. 8. ſub mediu.*

mortalitatem precor Regi, ut vita diuturna ſit & æterna Majeſtas; hominem conſequitur aliquando, numquam comitatur Divinitas. Ob hoc (initi enim conſilii cum reliquis conjuratis in caput Regis erat innoxius) tortus interiit Caliſthenes haud quaquam aulæ & aſſentantium accommodatus ingenio. Meminiſſe certè debuerat conditionis humanæ Alexander, quam Regum maximus & ſapientiſſimus ante ipſum Salomon, nativis expreſſerat coloribus; quando ita de ſemetipſo, qui omnes Reges ſapientiâ, potentiâ & opibus anteceſſit, teſtatus eſt. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus.* Et paulò infrà ſubnectit: *Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Sententiosè periodum concludit. *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.*

Sap. 7.

§. 13. Quis apertiùs de communi hominum ſorte & natura umquam diſſeruit? numquid animadvertere debuit Alexander quotidianum defectum corruptionis eſſe quamdam prolixitatem mortis? ridicula ſanè viſa eſt cuidam Philoſopho hæc affectatæ Divinitatis cupiditas: videbat enim Medicum ægrotanti juſculum præparare, & ait: *Dei noſtri ſalus à juſculo pendet.* Sufficienter ipſum originis & mortalitatis ſuæ memorem reddere tentavit Sydimus Rex Brachmanarum in epiſtola quadam obliquè in ipſum ſimilia de ſua ſecta prolata retorquens. ,, Sole caleſcimus, ,, rore humectamur, ſitim rivo frangimus, thorum miniſtrat humus, ſomnum ſolicitudo non rumpit, mentem cogitatio non ,, fatigat: in homines nobis ſimiles ſuprà non agitamus imperium, ,, nec à quolibet ſervitium exigimus, præterquam à corpore, ,, quod ſolum animæ famulari cenſemus. Alioquin ſævitia eſt in ,, obſequium cogere, quos nobis fratres eadem natura genuit, & ,, quibus ab uno Deo Patre omnium bonorum ſpondetur hære- ,, ditas. Ingenioſa profectò invectiva, quâ & æqualitatem naturæ humanæ illi inculcat, & de factis ſuis inſtituto non ſolùm Brachmanarum, ſed & juri naturali primævo adverſantibus reprehendit. Nec idcircò damnanda ullatenùs eſt legitima poteſtas & ſuprema in alios auctoritas; quia rectè à jure gentium ex quâdam compoſitâ mentis humanæ notitiâ deducto humanis neceſſitatibus id exigentibus eſt introducta: ſed exceſſiva & nimiùm pernicioſa arrogantia, impotenſque in quoſvis dominandi libido cum ignorantiâ ſui conjuncta, tyrannica, intolerabilis; ob

Raymondus Jordanus de Oculo myſt. cap. 8.

quam

quam Princeps poſſet legitimè exauthorari, & declarari Reipublicæ hoſtis, aut (ſicuti loquuntur Canones) diffidari, non immeritò arguitur.

§. 14. Nequidquam tamen per ſalutaria monita, licet diſertiſſimus, conaretur ſimilibus præſens adhibere remedium: nihil enim proficient præcepta quamdiù menti error obſuſus eſt; ſanitas reddi nequit, niſi quis priùs inſaniam ſuſtulerit: *An tu putas ſanum* (de Alexandro loquitur Seneca cum Lucilio ſuo) *qui à Graciæ primum cladibus, in quâ eruditus eſt, incipit? qui, quodcumque optimum eſt, eripuit? Lacedæmona ſervire jubet, Athenas tacere.* Enumeratis victoriis rectè ſubjungit: *Non ille vult, ſed non poteſt ſtare: non aliter quàm in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis eſt, jacuiſſe.* Marium annectit, de quo: *Marius exercitum, Marium ducebat ambitio.* Quid Cn. Pompeium in Africam, quid in Septemtrionem, quid in Mithridatem, & Armeniam & omnes Aſiæ angulos traxit? infinita ſcilicet cupido creſcendi, cùm ſibi uni parùm magnus videretur: qui non habet ſenſum morbi, eò graviùs ægrotat. Quid C. Cæſarem in ſua fata pariter ac publica immiſit? gloria & ambitio, & nullus ſupra cæteros eminendi modus. Graviſſimè infert: *Iſti cùm omnia concuterent, concutiebantur: turbinum more, qui rapta convolvunt, ſed ipſi antè volvuntur, & ob hæc majori impetu incurrunt, quia nullum illis ſui regimen eſt.* Nec mirum eſt, ſuperbia enim excæcat oculum rationis, quia ſuperbia eſt albugo ſpiritualis in oculo, juxta expoſitionem D. Gregorii in illud Levitici, *Si albuginem habens in oculo.* Pupilla oculi nigra videt, alba non videt. Hinc benè dicit S. Gregorius de ſuperbia loquens. *Valdè timendum eſt vitium, quod de victoria naſcitur vitiorum, & verè ſuperbus cæcus eſt, cùm ſeipſum eſſe hominem non cognoſcit: homo enim ab humo dicitur.* Si autem de humo ſe eſſe cognoſceret, inſtar terræ quæ elementorum eſt infima, noviſſimum locum tenere contenderet: quia ſi quid obſtat oculo, & impedit viſum, debet removeri; remedio opus eſt quo purgetur acies, & officientem ſibi moram effugiat. Ideò ſignanter Dominus quando aperuit oculos cæci nati, ſuper oculos ejus lutum linivit; appoſitè per illum ſignificatur, qui de ſua origine vel bonis naturalibus inaniter glorians excæcatur: qui ſi lutum, id eſt vilitatem humanæ originis & finis mentis ſuæ oculis ſuperpoſuerit; ſi his decretis illum in conſpectum ſuæ conditionis adduxerit advocatus bonæ mentis depreſſo tumore excæcantis ſuperbiæ, humiliabitur & videbit. Baſis enim

Epiſt. 94.

Idem ibidem.

1. Part. Paſt. cap. 11.

Lib. 19. Moral. cap. 17.

enim & fundamentum totius Philoſophiæ Chriſtianæ in hoc præcipuè conſiſtit, ut debellatâ omni elatione ac ſuperbiâ, ex vera ſui cognitione unuſquiſque ſibi vileſcat.

§. 15. Sed *perit omne judicium cùm res venit ad affectum.* Statuam quam viderat in ſomniis Rex Nabuchodonoſor delineaverat Daniel verus ſomniorum vates & interpres, quòd caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Nabuchodonoſor verò, ô ingentem ſuperbiam! ô temerariam arrogantiam! *Fecit ſtatuam auream altitudine cubitorum ſexaginta.* Edicens ut quicumque eam venerari & adorare nollet vivus projiceretur in fornacem ignis. Dedignabatur ſuperbus ſtatuam erigere ad normam & exemplar quod ei Deus in ſomnis monſtraverat; ſed ex mero auro voluit illam conflari: in quantam cæcitatem miſerum non impulerat veſana præſumptio, ut non ſolùm Deum exæquare voluerit, & cum Lucifero dicere, *Similis ero Altiſſimo*; ſed ſupra Deum ſe erigere, eóque ſe viribus ſuperiorem oſtentare, ut ſui ipſius idololatra fieret, cùm eſſet falſæ, fictæque, ſolumque imaginariæ excellentiæ Narciſſus. Quod non obſcurè innuit Theodoretus: ,, Quia Deus, inquit, in ſomnis maximam illi oſtenderat imaginem, è quadruplici materia confectam, proprium faſtum quaſi caſtro opponens; ipſe quoque ſtatuam conſtruit, tantam ipſi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere, non autem ipſam ex auro, argento, ære & ferro ædificat; ſed ex unâ auri materiâ conficiendam curat, ratus infelix iſte falſas oſtenſurum ſe Dei prædictiones. Per caput ſtatuæ aureum, juxta Danielis interpretationem, intelligebatur Regnum Nabuchodonoſoris, itaque ut illud fixum, ſtabile, nullique obnoxium viciſſitudini demonſtraret, veritatem Oraculi divini conatus deſtruere, ſtatuam ex puro undequàque auro fieri præcepit, nunquam ad partem pedum fictilem ſive ex argillâ mentis oculos convertere voluit; ne ex contemplatione conditionis humanæ, & propriæ vilitatis inflatus ille ſpiritus cum univerſâ arrogantiâ ſubſideret. *Perit omne judicium cùm res venit ad affectum.* Conqueritur Deus de Cyro, quem ad faſtigium Regiæ dignitatis evexerat, quòd pro eo ac debuit expectationi non reſponderit, dicens: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, aſſimilavi te & non cognoviſti me, ego Dominus & non ampliùs, extra me non eſt Deus, accinxi te, & non cognoviſti me.* Iteratò

Dan. 2. v. 32. — Iſa. 14. — Iſa. 45. v. 1. 4. & 5.

Iterato ipſi inculcat ſupremum Dominium ſuum ut prævaricator rediret ad cor; *Ego Dominus & non eſt ampliùs, extra me non eſt Deus.* Crebram tamen admonitionem illam, ut benè advertit Rupertus Abbas, Cyrus Dei manu & beneficio unctus in Regem ſed ſuo vitio vanus *ſurda aure præterivit, ſed ſeipſum ſibi retinuit.* Subjectionem & recognitionem Deo negavit cui omnia, vitam, ſceptrum, coronam accepta referre debuiſſet; ſed habebat albuginem in oculo, inani præſumptione excæcatus Deum agnoſcere noluit, & factis potiùs jactabat ſe omnia hæc à ſeipſo habere: *Seipſum ſibimet retinuit*; ſui ipſius idololatra. Hoc indubiè perſuaſit ambitio, quæ nec ſocium nec conſortem poteſtatis ferre umquam poteſt: ideò nec in mundo ſuperiorem, nec Deum ſibi parem admittere voluit, eique ullo pacto deferre, ne loco cederet, ſi quæ fortaſſe de illius magnitudine orirerur diſceptatio. De Vict. Verbi lib. 7. cap. 18.

§. 16. Quàm timidum eſt, Deus bone, hoc malum! quàm undique inſidias ſuſpicatur ambitio! per deſpectum accerſitis ad ſe Magis Herodes de Chriſto nato ſuèrat locutus cùm dixit: *Ite & interrogate diligenter de Puero.* Obſervavit S. Joannes Chryſoſtomus hoc nomen. Sic ſcribit: *Non autem dixit, euntes diſcite de Rege nato, ſed de Puero inquit, ut ei etiam nomen poteſtatis inviderèt.* Veluti tam inſanam habuerit de ſe opinionem Herodes, quòd, tametſi recens natus ille Deus fortè eſſet, ſecum collatus quidam Deus puer tantùm videretur. Attamen hunc Regem puerum eò uſque pertimeſcit ut audito illius ortu mox furore amens exclamet. Matth. 2. v. 8.

Satelles, i, ferrum rape,
Succeſſor inſtat, pellimur.

Ut in adeptæ poteſtatis culmine ambitioſus poſſit permanere, omnes timet, quoſvis æmulos arbitratur. Quos ſuſpectos habet, ne ſibi noceant, blanditiis & beneficiis irretire conatur, ad eorum pedes ſeſe ut vile mancipium demittens. Nec minus negotium faceſſit illis ambitio, qui ad aliquem dignitatis gradum cupiunt aſcendere: indies ad Palatium Regis accedendum eſt, multis quandoque annis moleſtiæ, quin & probra ab Aulicis & Officialibus ſupportanda, ut ſaltem per importunitatem votis potiantur. Sicuti de Othone Imperatore ſcribit Tacitus: *Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro Dominatione.* Argyrippi nomen apud Plautum in Aſinaria Lib. 1. Hiſtor. juxta Lipſium.

 obti-

obtigiſſe adoleſcenti amatori ſcribit Commentator [illegible] quòd ob auri cupiditatem & deſiderium ſervulo ſuo Libano inſtar equi ſe ſubmiſerit: non minùs ambitioſi ob ſpem conſequendi alicujus honoris fœdâ adulatione, & indignis obſequiis conditionem ſuam contaminantes, ſeſe etiam longè inferioribus ſubjiciunt.

§. 17. Tametſi adeò mercenaria, vilis, abjecta & turpis ſit ambitio, ita tamen profundè & tenaciter humanæ naturæ eſt inſita ex prævaricatione protoparentis depravatæ, ut vix convaleſcere ex infirmitate ſui capitis poſſit. Peccata actualia, & reliqua omnia vitia ſolent eſſe infirmitates particulares; hæc peſtis eſt tam communis, tamque latè patens, ut quaquaverſum contagia ſua in orbem diffundat infelix prurigo illius; *Eritis ſicut Dii*: hęc quaſi per traducem à primis parentibus cuique eſt intimè communicata. Nihil acriore ac pertinaciore prælio vexat homines, quàm deſiderium videndi alios ſuæ poteſtatis arbitrio ſubjectos, ſuo imperio ſubditos; *Habet mens noſtra naturâ ſublime quiddam & erectum & impatiens ſuperioris.* Hoc genuinum naturæ corruptæ vitium vix quemquam à contagio ſuo immunem relinquit; ita quiſque præeſſe omnibus, ſubeſſe nemini, & cæterorum capitibus imminere ingenitâ propenſione deſiderat: *Dominandi enim cupido* (ut magnus ille Politicus Cornelius Tacitus ſcribit) *omnibus affectibus flagrantior eſt.* Illâ maximè inardeſcit hominis animus, qui velut mons Æthna, aut Veſuvius perpetuos exhalat ignes curarum, quarum nullus neque modus, neque finis, quamdiu gradum expetitum non eſt aſſecutus; ad quem nullum non movet lapidem. Adit ultrò pericula, difficultates tranſilit, incommoda reſpuit. Ut gratiam ſubſelliorum, quam pro ipſis mater efflagitabat, conſequi poſſent filii Zebedęi, ad interrogationem Chriſti, *Poteſtis bibere calicem quem ego biburus ſum? Poteſtis baptiſmo, quo ego baptiſor, baptiſari?* Sine ulla hæſitatione promptè & extemplò reſpondent, *Poſſumus.* Nihil tam difficile, tam anceps, tam arduum nobis propones, quin illud alacriter & lætanter adoriemur, modò ardenti noſtro deſiderio fiat ſatis. *Omnia promittunt*, ait Euthymius ſuper hunc locum, *petitionem conſequi cupientes.* S. verò Chryſoſtomus dicit, quòd *nec poculo, nec baptiſmo intellectis à ſolâ animi promptitudine gratiam quærebant.* Quidlibet offerre & facere pollicentur, quodcumque pro illius dignitatis conſecutione ferendum & faciendum eſſet; quamvis ignorarent quantum doloris & amaritudinis calix

Quintil. lib. 11. cap. 1.

Lib. 15. Annal.

Matth. 20. v. 20.
Marc. 10. v. 38.
Matth. 10. v. 22.

calix iſte contineret, quid baptiſmus innuere vellet, ad quem ſe promptos dicebant: ad omnia tamen ſine ullâ cunctatione aut deliberatione ſe offerunt, omnia promittunt. Omnibus obventuris, qualiacumque illa ſint, ſeſe offeret homo, imò objiciet; nullo deterrebitur incommodo, nullo reprimetur terrore, bona, ſanguinem, vitam, famam, omnia denique volens lubenſque profundet, dum illorum impendio ad altiorem gradum emergendi obtineat facultatem. Regni faſtigium propriæ vitæ diſpendio vovit Neroni filio Agrippina. Cùm enim duo in Neronis ortu ab Aſtrologis prædicebantur eum regnaturum eſſe, & matrem necaturum: præſagium intelligens repentè exclamavit: *Occidat dum regnet*. Votum non fefellit eventus.

§. 18. Idcircò fortaſsè *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; quia hoc vocabulo Magiſter cæleſtis æternam felicitatem expreſſit alio loco dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. Egit hic prudens Eccleſiaſtes, ad ingenium & genium auditorum ſe accommodando, quod ſagax & induſtrius piſcator; qui ſuaviſſimo cibo novit tegere hamum, ac incautum allectare piſcem: ita quò gregatim homines attraheret dulcem & expetitiſſimam prædicationis hamo circumpoſuit imperandi eſcam. Non invenit nomen aptius quo Beatorum patria donari poſſet quàm Regnum; neque aliâ re validius efficaciuſque, unâ pollicitatione regni exceptâ, inducere poterat homines ut ex deſiderio regnandi legis hamum arriperent & ſalvi fierent. Subtiliter illud expendit S. Gregorius Nyſſenus: *Quoniam magnum quiddam, inquit, & ſupra omnia propemodùm, quæ magni faciunt inter ſe homines, regni nomen in vita eſt, idcircò uſus eſt etiam eo ad ſupernorum bonorum declarationem*. Nulla res mundi majus apud homines pretium, nulla vehementius illicium habet, quàm Regnum. Eſt primum quoddam mobile quo corda humana incitantur, & raptantur: hæc ſenſuum remora, hæc potentiarum animæ Syren. Quis non hianti ore hamum ſpe regnandi tamquam dulciſſima eſca conveſtitum arripiet? quis imperii promiſſione invitatus non ſuccumbet? quis verè & ex animo cum Davide dicet: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ? radicem peccati & caput peccati timuit, qui dixit, Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Quare pedem illum dixit? quia ſuperbiendo Deum deſeruit & diſceſſit: pedem ipſius, affectum ipſius dixit*. Quis ſtaturæ ſuæ non optaret cubitum unum adjici? quis baſim honoris non quærit ut cæteros ſuperemineat? quis non adjuvari dignitatis cothurno

Matth. 11. v. 12.

Matth. 5. v. 3.

Pſ. 35.

S. Aug. in Pſ. 35.

ut alios deſpiciat, quo in Italia & Hiſpania mulieres hodiè utuntur ut Heroïdum proceritatem videantur referre? ambitionis idolum & libido imperandi ex loco ſuperiori ſupremam animi arcem penè apud omnes obtinet. Diligentiſſimâ religione, aut, ſi mavis, ſuperſtitione paſſim & ferè ab omnibus longè lateque colitur modò, ſicut olim honoris numen, ac ritu maximè ſpeciali. Honori enim cæca gentilitas aperto capite rem divinam

Problem. 10. faciebat: qua de cauſa quærit Plutarchus? ſubindicare voluit author, quia tantum myſterii in eo poſuit, Sacerdotes cum cæteris Diis victimas litabant tecto id feciſſe capite, honori verò denudato vertice. Reſpondet: *Quia ſplendidum quiddam, & illuſtre, & latè patens gloria eſt.* Ex Proceribus quempiam aut Magnatibus plateas obeuntem non omnes paſſim nudato capite ſalutant, ſed noti tantùm & urbani: Regi verò omnes aſſurgunt, illum nemo non detecto capite, & flexo poplite honorat. Ita honori aperto capite rem divinam faciunt, reliquis Diis Marti, Veneri, Mercurio tecti. Pari modo iræ, libidini, avaritiæ unus aliquis hic aut ille, & nonnulli tantùm de hominum grege reverentiæ cultum deferunt; honori verò, gloriæ, dominatui, nemo non diſcoaperto capite ſe venerabundus inclinat. Omnium propemodùm una & communis vox eſt, ex inſitâ dominandi libidine & gloriæ ſtimulo *Adveniat regnum*: accedat hic dignitatis gradus. Rarò enim cuiquam diſplicuit locus ſublimis & ſedes ſuperior, aut ullius animus exhorruit imperium, fugit oblatam Præfecturæ virgam, ut Moyſes ſuam in ſerpentem tranſmutatam.

§. 19. Contrarium non minùs quàm monſtri & prodigii loco habetur. Futuræ tempeſtatis indicium reputatur, cùm bruta inſolitum quidquam ac præter ipſorum morem aggrediuntur: dum mergi videlicet ſtagna ac maria fugiunt, formicæ ova proferunt, lumbrici è terra ſe ſubducunt: ſic ubi homines novum aliquid ac præter ſolitum moliuntur, plerùmque aliquid monſtri comperies. Quando largè liberaliterque incipit degere avarus, quando maledicus in præconem virtutum convertitur, quando prodigus convivia ludum ac aleas ſpernens, fit tenax, quando iracundus & efferus ut lupus, fit mitis & manſuetus ut agnus, quando mulier tacet nihilque petit, quando mercator à fraude prorsùs ſe abſtinet, judex excutit manum ab omni munere, advocatus verè & ſincerè patrocinium ſuſcipit & agit, quando leno rectè conſulit pietatis magiſter effectus, quando fur & latro largas eleëmoſynas erogat, quando ſtultus non magnificè de ſe rebuſque

ſuis

ſuis ſentit, quando proſperâ alterius fortunâ non tabeſcit invidus, quando proximum vicinus non obſervat: tunc, quia hæc videmus contrà ac mos communis & conſuetudo inveterata habet, fieri, dicere ſolemus: *Mundus in occaſum vergere & interire velle videtur.* Nihil vidit olim evidentius Propheta Evangelicus ex quo certum urbi Hieroſolymitanæ impendere exitium prędixerit, quàm quòd aliquis imperium detrectet, & dominari cùm poſſit, nolit. *Apprehendet*, ait, *vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter.* Magnoperè obſecrabunt obteſtabunturque ut regimen ſuſcipiat quem cultiori veſtitu indutum conſpexerint. *Reſpondebit in die illa dicens: Nolite conſtituere me Principem populi*: Parcite labori & precibus firmum fixumque mihi eſt numquam publici muneris oneri humeros ſubjicere. Quæ prompta & inſolita reſponſio tantam in animo Prophetæ peperit admirationem, ut veluti ſtupens & extaticus videarur ſecum revolvere, Itanè eſt? obviam quiſpiam oblatamque dignitatem declinat ac refutat? magnum id ſanè & ſæculis inauditum portendet: quid tandem? urbis Hieroſolymitanæ occaſum: *Ruit Jeruſalem, & Judas concidit.* Infallibilia hæc ſunt ruinæ certò ſecuturæ ſigna prognoſtica. Sedulus Ezechielis Interpres Pradus ait, *Deſperata res eſt: conclamatum eſt de Juda & Jeruſalem & nihil reliquum niſi ut ſepulchrum eis præparetur.* Sic actum eſſe de univerſo mundo affirmare poſſumus cùm miracula tam nova, rara, prodigioſa ac ſtupenda videre nobis contingit, quòd homines oblata imperia, faſces, præfecturas, honores rejiciant; cùm non ſolùm obviis avideque protenſis manibus dignitates lætanter acceptari, verùm etiam ingenti & turpi cura ac ſollicitudine, indignis modis, ſordido aucupio, per fœdum ambitum & quæſtum, non ſine magno aliorum offendiculo, cupidè anxieque perquiri ſoleant. Illa mundi propediem occubituri poſſunt haud dubiò dici omina, ſeria fuga & contemptus honoris, cujus appetitus & pruritus cuilibet tam callidè ſubrepit, tam blandè allicit.

Iſa. 3. v. 6.

Verſ. 7.

Ibidem v. 8.

In cap. 4. Ezech. v. 17.

§. 20. Apud D. Ambroſium concurrunt adversùs hominem debitorem creditrices noxæ, in Pretorium ad tribunal pertrahunt; litem uni tot intentant libido ſcilicet, gula, avaritia, luxuria cæteraque vitia; chirographa, teſtificationes indicia exhibent, quibus creditarum rerum tempora, & exactionis ęquitatem demonſtrant. Cùm non eſſet ſolvendo, certatim appetunt ſibique vendicant: *Venit libido, & inquit meus es, venit avaritia,*

In Pſal. 118. v. 6. *& dicit argentum & aurum, quod habes, ſervitutis meæ pretium eſt. Venit luxuria & dicit, meus es. Veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt, meus es.* Quid hoc ad propoſitum facit? ambitionem quam producere deſidero, non nominavit: ubi illa manet quæ ſcelerum princeps & creditrix facilè primaria hominis creditur? nihil illa debitum repetit? nihil exigit ubi homo tot oneribus gravatus à cæteris peccatis ad ſolutionem cogitur? ubi illum ſibi reliqua adjudicari poſtulant? ſubjungit Doctiſſimus Præſul: *Venit ambitio & dicit, planè meus es.* Diſcernite quo juris diſcrimine, quàm imparibus teſtimoniis & meritis hominem ſibi vitia adſcribunt. Cætera quidem ſimpliciter dicunt *Meus es*, ſola ex omnibus ambitio confidentiùs & audaciùs ſe ingerit dicens, *Planè meus es*; non opes tantùm tuas, non partem tui, ſed te ipſum, quantus quantus es, mihi arrogo, magno, notorio, & indubitato jure *Planè meus es*: ſepoſitis omnibus exceptionibus, & juris adminiculis, abſque ullâ controverſiâ ad me totaliter ſpectas, *Planè meus es.* Quid mirum, quòd tantam habeat in causâ ſuâ fiduciam, cùm jus acquiſitum ab ipſo hominis exordio probare valeat?

§. 21. Diſceptent de imperio adulti, invideant ſibi principatum & honoris præferentiam, extollant ſe ſicut taurus in cogitatione animæ ſuæ, ſint Rhinoceroti ſimiles unicornu ſuperbiæ ſuæ totum ventilare conantes mundum, comparentur Bucephalo, qui videns aliquem argento & gemmis ornatum, in tantam ſe erigebat ſuperbiam, ut nullum præter Alexandrum voluerit admittere ſeſſorem; nec proprium Dominum recognoſcant, ut Jeroboam elatus contempſit Salomonem, Vetronius Thurinus Severum Imperatorem: quid aliud quàm naturam ambitus

Sen. Ep. 84. exprimunt? *Tumida res eſt, vana, ventoſa. Nullum habet terminum. Tàm ſollicita eſt, ne quem ante ſe videat, quàm ne poſt ſe alium.* An aliquid novi in iſtis admiramur, ſi pueri nondum in lucem editi acriter ardenterque de primatu & dignitate dimicent? Confligebant in utero matris Eſau & Jacob, nitebaturque alter alterum, exeundo in lucem, prævertere, ut ſibi primogenituram cum privilegiis ſuis præriperent. Eſau in pedes ſe conjiciebat, ut fratrem celeriori exitu antecederet, Jacob verò alteri

Geneſ. 25. v. 25. pedum illius manum injiciebat, *Egrediens palmam fratris tenebat manu*, ut moras abſcurrere volenti necteret, & præoccupare poſſet: undè benè concludit Oleaſter in dictum locum: *Non mirum*, ait, *ſi tantâ pro primogeniturâ ſit inter fratres diſceptatio, poſt-*

poſtquàm videmus quæ pueri faciunt propter hoc. Quàm clarè hoc paradigma declarat, primatum ambire, neminem ſuperiorem nedum parem admittere homini tam naturale eſſe, ut hoc noverit antequam quidquam aliud etiamnùm ſciat; noverit inſtinctu quodam alteri gradum & dignitatem præripere, aut ęmulo ſeſe opponere. Hæc dominandi aviditas jure quodam hæreditario à primo parente in poſteros defluxit; contagium tam commune, peſtis tam vulgaris tamque latè diffuſa, ut neminem ferè innoxium relinquat.

§. 22. Suffragatur huic veritati Hugo Cardinalis, qui obſervat quòd Hiſtoriographus in libris Regum, multorum ipſorum geſtis & moribus commemoratis narrationes ferè ſingulas abſolvat his verbis: *Verùmtamen excelſa non abſtulit*; Hoc eſt aras pro- *3. Reg. 14. & 15.* ſanas & ſacrilegas in locis editioribus conſtructas, in quibus idolis *4. Reg. 12.* & Dęmoniorum ſimulacris ad inſignem Dei injuriam immolabant. Enumerantur virtutes aliquæ Aſæ, Joas, aliorumque, periodum tamen vitæ omnium ſic concludit: *Verùmtamen excelſa non abſtulit.* Solus Ezechias & Joſias communem hanc notam evasêre. Cenſuram iſtam omnes penè totius mundi incurrere videntur; quàm & in iis plerique virtutibus magis exculti majoremque perfectionem aſſecuti non effugerunt. *Ferè omnibus convenit illa exceptio, quæ toties in libris Regum reperitur. Verùmtamen excelſa non abſtulit. Sed nec multi Religioſi auferunt hæc excelſa.* Etiam exercitatiſſimos. Religioſos & perfectiores Anachoretas gloriæ fulgor perſtringit. Prælaturæ, infulæ plurimùm arrident; quis non ex illis locum Prælationis ambit directè vel indirectè? quis quantumvis in virtutibus provectus excelſa cupiditatis dominandi prorsùs dejecit? *Ferè omnibus convenit illa exceptio.* Hæc eſt enim tentatio hominum quæ nulli parcit: non deſerit perfectum, non pręterit laxum, invadit magnum, allicit parvum, oppugnat paſtorem, aggreditur gregem, inſidiatur juſto. Fidem vix inventurum putarem quod ſubnecto, niſi veracitas, integritas & ſanctitas Authoris omnem removerent ambigendi prætextum. Quo tempore Calixtus tertius Hiſpanus ad clavum *Campanus in* Eccleſiæ univerſalis ſedebat; Æneas Sylvius Senenſis poſtmodùm *Orat. Funeb.* Pius ſecundus Pontifex Maximus dictus, pius ſanè rebus geſtis, Religione, pace, bello, in vita & in morte, pius potiſſimùm ex zelo contra Turcas teſtante hoc verſu à ſe ſcripto:

In Turcas bellum dum parat occubuit.

Cujus

Cujus ſpiritus in ſanctiſſimo Papa noſtro Alexandro ſeptimo Senenſi planè revixiſſe videtur : inſignem narrat à Chriſtianis de Mahumete Turcarum Imperatore reportatam victoriam. Primi poſt Deum authores magnifici hujus triumphi habiti Joannes Cardinalis de S. Angelo cujus auſpicio res geſta eſt, Joannes Huniades terror Mahumetanorum, pavor Dæmoniorum Joannes Capiſtranus : verùm neque Capiſtranus Huniadis, neque idem Capiſtrani Huniades mentionem fecêre in eis litteris, quas de obtenta victoria ſive ad Romanum Pontificem, ſive ad amicos ſcripsêre, per ſuum quiſque miniſterium Deum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmavit : *Quid mirum ?* ait magnus Pontifex; *avariſſima honoris humana mens faciliùs opes, quàm gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam verò ſpernere non potuit.* Videtur hoc eſſe Chriſti privilegium, quod alteri non datur, quia perſonale. Ideoque ut notavit Oleaſter, Deus Pater filium tentari voluit de ambitione Monarchiæ orbis univerſi, cùm ei Dæmon omnia illius regna obtulit, quòd ſciverit apud illum ſolum hujuſcemodi tentationem nihil profecturam : *Quia noverat neminem niſi Chriſtum victorem evaſurum ex præſentatâ mundi Monarchiâ, eum ſolum voluit illâ tentari.* Undè rectiſſimè potuit expertiſſimus Magiſter ſe ſolum manſuetudinis & humilitatis prototypon nobis præſtituere dicens : *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Licet vivam omnium virtutum imaginem de me vobis exhibere valeam, attamen diſcite à me, non ab aliquo alio, ſed à me, non jejunare dixit, non orare, non largiri eleemoſynam; ſed quia mitis ſum & humilis corde, diſcite non altum ſapere, ſed veram & internam humilitatem. *Quid hoc fuit,* percunctatur Doctiſſimus Abulenſis, *Quod Chriſtus dixit diſcite à me?* Reſpondet : *Ipſe oſtendebatur ſicut perfectiſſimus: in viro autem perfecto non eſt magnum quòd non ſint, quæ ab omnibus vitia reputantur.*

In deſcript. Europa. cap. 8.

Matth. 11. v. 29.

§. 23. Serpens æneus in deſerto, per cujus aſpectum Deus ſanabat, qui moriebantur à morſu ſerpentum, erat figura futuri animarum Medici Chriſti Domini. Nam ut inquit Hugo Cardinalis, æs non eſt naturæ unius metalli, ſed diverſæ naturæ in unum conjunctæ; eſt enim metallum compoſitum ex auro & argento, ferro & ſtanno. Sic geminæ ſubſtantiæ fuit Chriſtus, Deus nempè & Homo, qui pretioſiſſimo ſanguinis ſui pharmaco ſanavit venenoſa filiorum Adæ vulnera inflicta à Dracone infernali : peccata videlicet originalia & actualia. Sanavit autem

vulnera

vulnera, non occidit ſerpentes; quia ſic delevit culpas, ut etiam in perfectiſſimis reliquerit pravas inclinationes, vana deſideria, & inordinatos affectus concupiſcentiarum, inter quos ſtimulus gloriæ hominem præcipuè vexat. Non omninò infirmitates abſtulit, ut hominibus anſam præberet recurrendi ad animarum Medicum, inquirendi virtutum Doctorem, qui dixit, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Accedite, aures præbete, exemplum intuemini, diſcite à me, diſcite ab æterni Patris Filio, qui pro vobis humiliavit ſe uſque ad mortem. Aſpicite in Authorem Fidei & conſummatorem Jeſum: hic mentis aſpectus erit vobis doctrina & remedium ſalutis. Diſcite ex tota vitæ meæ ſerie (per quam vos uſu quodam & copiâ naturæ meæ comparticipes facere ſtudui Regni cæleſtis) quia mitis ſum & humilis corde. Ad hoc tam ferventer omnes excitat, *Quia Eccleſiam ſuam quantalibet numeroſitate jam dilatatam, tamen uſque ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum Regnum humilitate pervenire.* Ven. Beda lib. 4. cap. 54. in Luc. 11.

§. 24. Plurima nos ex antè dictis invitare poſſunt ad ſuperbiam & vanam gloriam, aſpirante Chriſti gratiâ, deponendam: in cauſa tamen plerùmque ſumus, ne ad ſanitatem perveniamus; ne ipſa quidem univerſę Philoſophiæ vis licet tota in hoc vires ſuas advocet, duram illam & veterem animis extrahet peſtem, quia pleraque ante oculos poſita tranſimus, & ſæpè animus etiam aperta diſſimulat. Scimus aut ſcire nullo negotio poſſumus, ſuperbiam ventum eſſe, fumum eſſe, ſuperbos fumos vendere, & in id omnes vitæ ſuæ actiones dirigere ut fumo gloriæ paſcantur, ſuoſque tàm Spectatores, quàm Auditores eodem viciſſim paſcant: intelligimus quàm fugitivum hoc ſit, quàm vanum, quàm inane! neque tamen ambitionis vitium deſerimus. Quæ cupimus deploramus, de ambitione, quomodò de amica querimur, de earum rerum loquimur fuga, quibus carere non poſſumus: mercedem miſeriarum amamus, ipſas execramur. Deprehendit nos & noſtri ſimiles Seneca, ubi ait: *Videbis voluntariam eſſe illis in eo moram, quod ægrè ferre ipſos & miſerè loquuntur. Ita eſt, mi Lucili, paucos ſervitus, plures ſervitutem tenent.* Epiſt. 22. Rem acu tetigit, variæ cumulantur à quibuſdam de onere muneris ſuſcepti aut injuncti querimoniæ; illi tamen inhærere placet & numquam id ſeriò & bonâ fide deponere. *Magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu invicem noxio procul abiiſſe.* Sen. Ep. 94 Crebrò recurrentes de faſtu & gloria cogitationes admonent, advertunt, excitant memoriam, nec patiuntur vana hujuſmodi elabi: illis aditum debemus, quantum poſſumus, præcludere; *Magna*, ſiquidem, *pars ſanitatis eſt*, *hor-*

hortatores inſaniæ reliquiſſe. Si quandoque de ſolidæ mentis ſtatu dejiciant, fortiùs reſurgendum erit, & contra prava nitendum.

§. 25. Niſi ab infauſto exitu periculum facere velimus, quòd vita ſuperborum, actiones omnes, tota res & ſpes nihil ſit niſi ventus ipſíque utres vento diſtenti, quem mors violenter excludit.
Sap. 4. v. 19. Undè Sapiens, de ſuperbis & impiis loquens, ait: *Diſrumpet illos* (Deus ſcilicet) *inflatos ſine voce.* Sicut uter inflatus & vento turgidus magno fragore diffringitur & rumpitur, ſic Deus impios faſtu
P. Cor. à Lapide ibidem. tumidos in morte magno fragore & dolore diſrumpet, facietque ἀφώνους id eſt ſine voce, elingues, mutos præ confuſione & conſcientiâ ſcelerum. Intumeſcebat undequaque Pharao vento ſuperbiæ & arrogantiæ cùm à tergo fugitivis Hebræis cum exercitu immineret; undè has in ipſos, (ut Moyſes ait) jactabat minas. *Di-*
Exodi cap. 15. v. 9. *xit inimicus, perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium, interficiet eos manus mea.* Quid poſt hæc verborum, minarum, & terrorum tonitrua accidit? *Flavit ſpi-*
Verſ. 10. *ritus tuus & operuit eos mare.* Vno afflatu Domini cum curribus & equitibus ſuis everſus eſt, & à fluctibus hauſtus. Certo judicio ut per quæ quis peccat, per hæc & puniatur. Solo flatu terræ affligi poſſunt, qui totas vires ſuas in vento omnemque potentiam ſitam habent. Uſque ad ſummum repletus erit vento ſuperbiæ homo peccati, filius perditionis qui adverſabitur & extolletur ſupra omne quod dicitur Deus aut quod colitur; *Quem Dominus Jeſus interfi-*
2. ad Theſſ. 2. v. 8. *ciet ſpiritu oris ſui*, verbo ſuo, ſuâ ſententiâ, ſolo Majeſtatis imperio, quaſi afflatu mortifero interimet eum. Reſpexiſſe videtur Divus Paulus ad illud Iſaiæ 11. v. 4. *Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum interficiet impium.*

§. 26. Errant vehementer qui vento ambitionis turgidi cœlum intrare tentant: ubi pax ſumma eſt & tranquillitas, ubi ſemper ſerenum, ventorum turbulentorum rabies nequit regnare. Illuc no-
Ad Epheſ. 4. v. 10. bis viam Chriſtus ſtravit non exaltando ſe ſed humiliando; *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.* Verùm ut verbis Senecæ utar, *Habet hoc vitium omnis ambitio quòd*
Epiſt. 73. *non reſpicit*: nam ſuperbis non tàm jucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm grave aliquos ante ſe. Dici quoque rectiſſimè poteſt; habet hoc vitium omnis ambitio quòd non inſpicit, quòd ambitioſus oculos ad ſe & originis ſuæ vilitatem non reflectit, cum Philoſopho Democrito caput & oculos ſideribus inſerit, quæ veró ante pedes ſunt non videt ut turpiter in foveam corruat. *Cùm laudabilior ſit animus*, ex ſententia Divi Auguſtini, *cui nota eſt infirmitas*

pro-

propria, quàm qui eâ non reſpectâ mœnia mundi, vias ſiderum, fundamenta terrarum, & faſtigia Cælorum ſcrutaretur. Et quid aliud eſt homo niſi flos qui egreditur & conteritur? quid vanius ſomno? vita humana eſt ſomnus: *Dormierunt ſomnum ſuum.* Quid levius fumo & vapore? homo eſt vapor ad modicum parens. Quid vanius ipſa vanitate? *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Ita tamen firmantur & conſolidantur, imò exaltantur ſicut Mons Sion, quicumque non in ſe confidunt, non in vanitate ſua, ſed in Deo & virtute ejus, ut maximis viribus & potentiæ reſiſtere valeant, ut per propriam infirmitatem fortia quæque confundant, ut nihil illis nocere poſſit.

Lib. 9. de SS. Trinit. in Proœm.

Pſ. 76. v. 6.

Pſ. 38. v. 6.

§. 27. Vitro nihil eſt fragilius, nihilominùs tamen ſub Tyberio Cæſare repertus eſt tam ingenioſus artifex, qui promittebat vitrum ſe ita temperaturum, ut nec malleorum ictus nocere ei poſſent, nec ferro percuſſum, nec in terram lapſum frangeretur. Vitrum debile eſt homo, ſed ſi in Deo fiduciam ponat, ita firmatur, ut quibuſvis ictibus reſiſtat. Rhinocerotes inſtinctu quodam naturali intelligunt, dum perſequuntur à venatoribus id fieri propter cornu, quod maximo in pretio habetur; ideò ſummo cum impetu cornu illud allidunt ad petram; ſic contritum venatoribus relinquunt & eorum manus ita evadunt. Scimus quòd nos undique venator infernalis inſequitur, allidamus igitur unicornu ſuperbiæ noſtræ ad petram quæ eſt Chriſtus: diſcamus ejus humilitatem & manſuetudinem; hâc ratione inſidias diaboli, impetum & inſultus effugiemus. Ad ſaniorem mentem rediit Nabuchodonoſor & confeſſus eſt *Quòd dominetur Excelſus* quando elevatum unicornu potentiæ ſuæ à Deo eſt confractum, quando ſegregatus ab hominibus inter bruta animantia vivere eſt coactus, fœno ac graminibus more pecudum paſci Divino urgente Decreto.

SYMBOLUM XXII.



Hor. *SEd pulchrum eſt digito monſtrari & dicier, hic eſt.*

Hic eſt Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro; hic Epiſcopus, hic Prælatus, hic Doctor, hic Licentiatus, adjunctis tot titulis & appendicibus ut accuratiſſimum cęremoniarum magiſtrum in officio perplexum reddant. Ultrà quòd indies varientur inſignia, aut pro libitu aliquid addendo ſeu demendo, vel ſcutum aut apicem immutando: tituli quoque dignitatum non modicum ſumpſerunt incrementum. Olim neque faſcia, neque cantherium, neque ſcutum quadratim diſcuſſum,

neque teſſulatum, neque vellere pontici muris ſtratum, neque diſpartitum, neque tæniolis impreſſum; neque paralleli, neque rhombi, neque balthei, nummivè Byzantii, pali, parmulæ, neque laciniæ ſeu inumbrantes pennæ & ſexcenta alia erant cognita: quæ propriè à Fecialibus juxta terminos artis Heraldicæ in lingua Gallica enuntiantur: *Faſce*, *Chevron*, *Eſcartelé*, *Eſchiqueté*, *Couvert d'hermines*, *Miparty*, *Fretté*, *Jumelles*, *Loſanges*, *Bandes*, *Beſans*, *Pals*, *Eſcuſſons*, *Hachements*.

§. 1. Hæc curioſa & vana excogitavit poſteritas, quæ in omni loco, in feneſtris, parietibus, tumulis, angulis, & ſi poſſet in triviis ficta condit antiquitati monumenta. Multi ſanè abſque ullo fundamento varia ſibi aſſumunt inſignia, non avitæ virtutis decora, non generoſi pectoris argumenta, ſed ambitioſæ ſolummodo oſtentationis ſimulacra. Lacedęmonii Lambda in ſcutis geſtabant, notæ inſignioris gratiâ ex principe nominis littera velut charactere ſeipſos pręmonſtrantibus: ſicuti Meſſenii M litteræ notâ ſe cognoſcibiles prębebant & inimicis formidabiles. Perſæ ſagittarium pharetrâ ſagittis gravidâ inſignem hoſtibus bellum illaturi pręferebant in inſignibus, quia in jaculis ipſorum ſitum erat robur. Locrorum Heſperiorum, qui & Ozolæ, ſignum publicum in litteris & nummis fuit Heſperus ſtella. Apud Romanos *Expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Illudque obſervabatur, quòd numquam in funeralibus eorum adhibebantur imagines qui de crimine enormi perpetrato rei accuſabantur: atque ita qui carebat imaginibus, novus homo, obſcurus & ignobilis habebatur; eò quòd nullo celebri aut heroïco facinore tale jus promeruiſſet. Modò ſine ulla meritorum gloria, ſine antiquitate, ſine ſtirpe gentilitia, ſine reſpectu, ſine expreſſione ſigni, pro libitu, abſque alio pretextu quàm Ambitionis & vanæ gloriæ ad æmulationem illuſtrium perſonarum inſignia ſibi præcellentia & titulos nonnulli adſcribunt, quorum prærogativam aut per gratiam aliorum extorſerunt, cùm in ſimili

Cælius lib. 18. cap. 1. antiq. Lect. ex Euſtathio Iliad. β.

Strabo.

Plin. lib. 35. cap. 2.

> *Virtute ambire oportet, non favitoribus,*
> *Sat habet favitorum ſemper, qui rectè facit.*

Plaut. in Amphit.

Aut muneribus facilè talis figmenti repererunt authorem: qui majori perfunduntur gaudio, dum quempiam nacti ſunt gnarum eorum inſervire cupiditati & inſaniæ, quàm Alexander geſtiviſſet ſi Homerum revixiſſe nuntiatum ei fuiſſet, ut præconem, quem Æacidæ invidit, ſortiretur.

§. 2. Nihil intentatum, nihil intactum eorum relinquit ambitio;

 bitio;

bitio; ex primariorum ſtemmatum laterculis, ornamentis, laciniis centonem nobilitatis ſuæ componunt, non multùm diſſidentes ab Antiſthene Sybaritarum Principe, qui ſuper amictum triumphalem miro & ſumptuoſiſſimo artificio orbem univerſum acu depingi curarat; ita ut Aſia appareret in manica dextra, Africa in ſiniſtra, Europa in limbo ſpectaretur: reliquum verò cælum ſtelliferum pulchrè illuſtraret, omnia opere polymito, ſegmentato & Attalico. Ad jus Principum & Rerumpublicarum ſuperiorem non agnoſcentium pertinet nobiles creare, & priſtinæ nobilitati, qui degenerarunt, reſtituere. Quomodo crimine læſæ Majeſtatis non tenebuntur, qui in largiendis & confingendis inſignibus temerario auſu, quod ſoli Principi reſervatum eſt, præſumunt uſurpare? præſertim ubi ordo & diſtinctio perſonarum, magnum Reipublicæ bonum ac decus, confunditur; ubi ſeges atque materies gloriæ à benè meritis labore & ſanguine parta, ab imbellibus pretio occupatur? verùm ſus deque habet cuncta ambitio, nihil illi auguſtum, nihil ſacrum; non gravatè jura temerat ut limites ſuos extendat. Lex Julia de ambitu vix hoc tempore robur obtinet, tota videtur caduca facta. Nobilitas vulgaris notæ reſpuitur, ad Athlantes ſeu Telamones quiſque aſpirat; ad Toparchias, Dynaſtias, Tetrarchias quin & Monarchias. Benè Chryſoſtomus. „ Elatus ſemper in doloribus vivit, „ ſemper indignatur, ſemper mœret: nihil eſt quod ejus poſſit ex„ plere libidinem; ſi vel Regem viderit ſupplicantem & adorantem „ non eſt ſatiatus, ſed magis accenſus: Sicut enim avari quanto „ plura ceperint, tanto pluribus egent; itidem & ſuperbi quanto „ majori funguntur honore, tanto plus concupiſcunt: creſcit enim „ in eis morbus, morbus enim eſt: morbus autem finem neſcit, „ ſed cùm habentem occiderit, tunc demum ſiſtit.

P. de Lancre en ſon livre des Princes Diſcours XI.

Homil. 44. ad Popul.

§. 3. Inexplebilis ſanè eſt hæc ſitis, quæ pluribus obtentis, adhuc in cælo Lunæ aut ſpatiis imaginariis longum quærit &c. Lentum nimis eſt ad honores gradatim aſcendere, ad quos vel Icario volatu celeriùs pervenitur. Quis nunc per ſaltum promotus timet ne de gradu dejiciatur? in alto verò culmine virtutis conſtituti dignitates aut conſtanter declinant, aut ſi eas detrectare nequeunt onus in his non titulum perpendentes citrà omnem animi perturbationem quaſi neceſſarium ſuſcipiunt. In quo Piſonem vultu habituque moris antiqui, & æſtimatione recta ſeverum mirè laudat Tacitus: Quod à Galba in filium & Imperii ſucceſſorem adoptatum *ferunt ſtatim intuentibus, & mox conjectis in eum omnium oculis nullum turbati, aut exultantis animi motum prodidiſſe. Nihil in vultu habituque mutatum, quaſi imperare poſſet magis, quàm vellet.* Similibus præceptis

Lib. 1. Hiſt.

ceptis Thomas à Kempis imbuere nititur imitatorem Chriſti dicens. *Sis intimus liber & tui ipſius potens, & ſint omnia ſub te, & tu non ſub eis.* Contrà qui ex humili loco ſubitò & tumultuariè emersêre, vix ſui compotes evaneſcunt in cogitationibus ſuis. Non modo propinquos & cognatos deſpiciunt, ſed nullam apud illos vim, nullam neceſſitatem, nullam poſſidet religionem paternus maternuſque ſanguis. Nullum in illis Agathoclem reperies, qui ex filio figuli Siciliæ Tyrannus vaſis aureis frequenter figulina ſolebat admiſcere, ut nemini generis obſcuritatem nocere doceret:

Lib. 3. cap. 38.

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem. *Hor.*

Nullum Villegiſum Electorem Moguntinum, qui Rhedario patre natus rotam toto Palatio appingi, eamque aſſiduè oculis obverſari juſſit. Verùm à prioris conditionis memoria prorſùs abhorrent, quaſi ex ea macula concepta eſſet, quæ numquam elui poſſet: has quoque egregias qualitates animis liberorum imprimunt, ut criſtas ſimiliter attollant, reddanturque faſtuoſi & pauperum faſtidioſi. Ægerrimè tulit Philippus ſecundus Rex Catholicus aliquem ſibi arrogaſſe titulum honoris, quo pater ejus numquam cláruerat; obque id gratiam quam in libello ſupplici poſtulabat, ipſi negabat niſi illo ſe privaret: quin Rex ipſemet ſcriptum delevit.

Serrar. in Hiſt. Mogunt.

Pues eſcrivid
Que el govierno
Le doy con
Tal condicion
Que no tenga,
Don, ſupueſto
Que no le tuvo
Su Padre.
Yo miſmo
Borrarle quiero
De mi mano,
Dad acà
La pluma, conoſca
El Necio
Que nadie
Llegò à ſu Padre.
El D. Montalvan en ſu ſegundo Seneca.

§. 4. Quàm vero hoc indignum quod in Batavia Sartores, Cerdones, Veteramentarii, Fabriferrarii, Cæmentarii, Scriniarii, Pollinctores, aliique ejuſdem farinæ Arminianis ſubſtituti, & Magiſtratui admoti, nullo alio nomine ſpectabiles quàm quod in verba Gommari religioſè juraſſent, ejuſque ſectam mordicùs tuerentur, non multo abhinc tempore viris primariis & illuſtribus pares ſeſe fecerint. Quot ſpecie & prætextu Religionis velantur mala, quot fraudes, quot technæ! hoc Donum Palladis, hunc Equum Trojanum omnes Machiavelli ſectatores obtendunt: quot non bella, proditiones, ſeditiones

----- *Hac cæca conduntur in alvo?*

Quid ſpecioſius, quid efficacius ad ſubdola animi conſilia & decreta obtegenda? ſumma ratio eſt, ut loquuntur Juriſperiti, quæ pro Religione facit. Quis non videt ſub blanda hac fronte mentem verſipellem & merum ambitum latere? ita eſt. Summus illorum Deus (ut ſagaciſſimè indagavit author Apocalypſis Batavicæ) eſt compendium & honoris incrementum: Religio verò omnis illa quæ proprio emolumento ſubſervit; hoc in illis innovationibus & novitate opinionum unicè ſpectatur: hæc eſt ſacra anchora. Proinde

de nec Turciſmum aut Judaïſmum abnuerent, & circumciſionis probrum lubenter acciperent ſervi fortunæ ſtigmatici, ſi æquè commodè & compendioſè ad ſperatas opes atque honores eſſent conductura.

§. 5. Eamdem cum Comite Mauritio quondam Religionem profitentur & ſectantur. Non ignorabat quantùm apud hominum animos valeat Religio; hac potiſſimùm uſus eſt ad exercendas ſuas technas. Populus enim ſimplex ſpecie pietatis facilè decipitur, qui novis Religionis opinionibus, artibus certè diabolicis, leviter credit, & ſuperſtitioſus redditur: cumque fines obtentos penetrare nequeat, arbitrari poterat veram fidem eſſe quod ſtratagema erat, eſſe pietatem, qui dolus fuit. Injurium prudentiæ ſeu verius calliditati, ſublimi Mauritii ingenio & ſpiritui credit præfatus Author, qui putaret ex puro Religionis & Fidei zelo illum actiones ſuas compoſuiſſe: illius enim Religio, ejus erat animi magnitudo & potentia, omnis item ad eam perveniendi via & ratio, gladius & arma; magnus illius Deus, ſui ipſius amor, inſtrumenta, bellica vis, exercitus, milites, quos adinſtar filiorum ſuo velut in gremio habebat. Per quâmcumque Religionem illi ad Belgici fœderati imperium patuiſſet via, illam liberè aſſumpſiſſet, etiamſi Romana fuiſſet; & illius ritibus volens lubenſque ſeſe adſtrinxiſſet. Uno eoque jocoſo exemplo ridiculam dominandi libidinem omnibus manifeſtam reliquit Chan Tartarorum. Cùm haud ita nuper Stephanus Poloniæ Rex obiiſſet, in Comitiis de Rege creando, ipſe quoque per Legatos intervenit, dixit, & propoſuit iſta: *Potentem ſe eſſe & poſſe Myriades aliquot Equitum educere è ſuis terris, Poloniæ tuendæ vel augendæ.* Item, *Frugalem ſe & continentem eſſe, ac ſine ullis ciborum deliciis ſolâ equinâ in fame contentum.* Tertiò, quod ad Religionem, de quâ diſputari audiebat; *Tuus*, inquit, *Pontifex, meus Pontifex eſto; tuus Lutherus, meus Lutherus eſto.* Ecce hominem paratum omnia Sacra & Deos deſerere, regnandi causâ.

Lipſ. in Monit. Polit.

§. 6. Advigilent ſedulò Principes & Reſpublicæ, clamat Saavedra, hoc præſertim tempore quando Politica larvam pietatis induit, neque facilè admittant illos Religionis equos, qui non Civitates ſolùm, ſed integras etiam Provincias & Regna funditùs devaſtarunt. Sectarii Angliæ, qualia crudelitatis monſtra numquam Africa protulit, quot mala ex varietate ſententiarum non invexerunt?

Symb. 27.

Scinditur ex illis ſtudia in contraria vulgus.

Angliam orbi univerſo theatrum fecerunt, in quo maximas excitarunt tragœdias, & quotidiè manifeſtas rebelliones non ceſſant com-

commovêre. Seriam adversùs tales Dion Caſſius profert cautionem ita ſcribens: *Eos verò qui in divinis aliquid innovant, odio habe & coërce, non Deorum ſolùm causâ (quos tamen qui contemnit, nec aliud ſanè magnifecerit) ſed quia nova quædam Numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, undè conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibiles Principatui.* Quàm difficulter rebellionum hydra ex opinionibus inter ſe conflictantibus nata, & ſummo cum boni publici damno continuò repullulans, potuit in Galliâ ferro flammaque extingui! ſub Religionis titulo ambitio & cupiditas irrepſerant, ſub illius prætextu, quo nihil ad ſpeciem fallacius, ſubjectionis ac fidelitatis jugum plurimi excuſſerant, (quas tamen virtutes ſcientia Civilis ſubditis præſcribit, quorum non ſui juris & arbitrii eſt juſtitia, ſed ſemper ad legis normam ſe debet dirigere:) deindè Sectariorum capita ſua contegere artificia noverant, quibus multos Regni iſtius incolas bonis omnibus & fortunis ſpoliarant.

§. 7. Vulpinum ſimilium ingenium, mores, finem & ſcopum accuratè videtur expreſſiſſe B. Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Canonica, in qua Gnoſticos aliquos ſubintroiiſſe ſignificat, hoc eſt clàm, ex inſidiis, furtim, dolosè, ſubreptitiè quaſi vulpes introiiſſe, & ſeſe inſinuaſſe fidelibus, quo pacto Hęretici quaſi veri Doctores raram & eximiam doctrinam prętexentes in Eccleſiam irrepſerunt: *Qui olim* (ut ait Apoſtolus) *præſcripti ſunt in hoc judicium*, id eſt priùs deſcripti à SS. Petro & Paulo, imò à Chriſto Domino, qui pręmonuit eos quaſi lupos cavendos. Eorum judicium certum eſt, notum, publicum, per quod rei gehennæ pronuntiantur. Juxta Apoſtolum ſunt *Nubes ſine aquâ*, ob tumorem & faſtum, quòd inſtar nubium ſe extollunt, *quæ à ventis circumferuntur.* Ab uno errore in alium delabuntur diverſa quotidiè cudentes dogmata, Prothei, Chamæleontes, qui inſtar Euripi fluctuant ſemper, & nuſquam ſtabiles conſiſtunt. *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones*, inſtar fluctuum inquieti, tenebroſi, amari, tumidi ſunt: *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*; qui verba impudica, hæretica, blaſphema, ſuperba, contumelioſa evomunt; item pudenda opera, ſacrilegia, expilationes Templorum, rapinas, ſeditiones, bella, cædes produnt. *Sidera errantia*, à cælo, à Deo, à recta virtute & felicitate aberrant, tenduntque in tartara, & alios in errorem inducunt: ſtellæ ſeductrices, ſtellæ caliginoſæ, vel maleficæ, ignes fatui, qui viatores in avia flumina vel pręcipitia deducunt. *Quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternùm.* Habetis hic infallibilem eorum condemnationem. *Meritò procellâ percellentur ſupplicium,*

Iſaiæ 57. v. 20.

Ven. Beda apud P. Corn. à Lap. *pliciorum, qui in ſimilitudinem tempeſtatum marinarum pacem Eccleſiæ turbant.*

§. 8. De his paulò antè præmiſerat: *Dominationem autem ſpernunt, Majeſtatem autem blaſphemant.* Certiſſima nota undè Sectarii noſtri temporis ſunt dignoſcendi. Magiſtratum tum Civilem, tum potiùs Eccleſiaſticum ſpernunt, dicentes ſe per Chriſti legem factos eſſe liberos, ut nulli Principi aut Magiſtratui ſint ſubjecti: ita Thomas Anglicus, Gagneius, Catharinus, Salmeron, Vatablus hunc locum exponunt. Deindè ſenſim magis inſoleſcentes, Dei tandem jugum Numenque excutiunt. Quid dico? aſſeverare audet & jurejurando confirmare Author Apocalypſis Batavicæ fore ut Gommariſtæ etiam parentes, uxorem, filios, Hollandiam, Deum ipſum vendant, quo votorum & intentionis ſuæ reddantur compotes. Obſervate quàm arctè illos teneat obſtrictos Religio. Quinimò nihili ducerent Deum ipſum, ſi fieri poſſet, in crucem agere, dum hoc modo veſanam dominandi libidinem & auri ſitim explere poſſent. Fulcrum hujus veritatis apud Prophetam Regium invenit ſubtiliter P. Didacus Niſſenus: *Accedet homo*, ait, *ad cor altum*
Pſ. 63. v. 8. *& exaltabitur Deus.* Juxta obvium & vulgarem intellectum implicantia appareret in hoc *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*, non enim ſuperbia hominis aut ambitio eſt exaltatio Dei,
Lib. 2. pol. cal. par. 1. cap. 2. ſed potiùs humilitas. Verùm ingenioſè pro more ſuo Venerabilis Abbas expendens virtutem verbi *Exaltabitur*, reperit ex Sacrâ Pagina & verbis ipſis Chriſti Domini, exaltari tantùmdem eſſe, atque in crucem agi. Sic enim ſeorſim dicebat Rèdemptor Nicodemo.
Joan. 3. v. 14. *Exaltari oportet Filium Hominis.* Exindè communiter reliquis Ju-
cap. 8. v. 28. dæis, *Cum exaltaveritis Filium Hominis*, &c. *Ego ſi exaltatus fuero à*
cap. 12. v. 32. *terrâ.* Rectè igitur conciliantur illa, *Accedet homo ad cor altum*, efficietur homo, ſuperbus, arrogans, ambitioſus, *Et exaltabitur Deus*, & cruci affigetur Deus. Ut voti ſui compos fiat in crucem aget, ſi fieri poſſit, etiam ipſum Deum. Nullo modo parcet illi, aut deferet, ſed ſi fortè obſtet ſuæ cupiditati, illum, quantum in ſe eſt, in ligno ſuſpendet. O dira & diabolica peſtis! ô veſana ambitio! quantùm hominem excæcas & quouſque præcipitas!

§. 9. Quibuſdam mundi ætas non ſatis provecta videtur, altiùs originem ſuam repetere vellent, aut à Diis (ut priſci Heroës) ſanguinem trahere, vel certè è cælo mirabili quâdam & ſolùm phantaſticis ipſorum conceptibus notâ propagatione fuiſſe dèrivatum. Non attendentes, quòd ſæpiùs propriam eò magis revelent turpitudinem, quò curioſiùs in iſtiuſmodi verſantur elucidatione. Facetè horum vanitatem irriſit Maximilianus ſecundus manſuetiſſimus

Roma-

Romanorum Imperator. Rogabat illum quidam enixè, quatenus documenta & archiva Domus Auſtriacæ inſpiciendi dignaretur ipſi copiam facere, quo fideliùs & exactiùs ex ipſis fontibus & authenticis manuſcriptis ab immemoriali tempore poſſet Auſtriacorum primordia deducere. Annuit Cæſar præmiſsâ hac prudenti admonitione, caveret nimirùm, ne accuratâ nimium diligentiâ ſutorem tandem aut ejuſmodi aliquem familiæ Auſtriacæ conditorem exterebraret. Probroſum illius generis eventum non potuit avertere Marchio quidam Italus, qui Scipionem Ammirati (fecialem ni fallor) induxerat ad genealogiam ſuam contexendam. In quo tam diligentem impendit operam, ut liquidò reperiret ipſum & anteceſſores à ſæculo Marchionis titulo fuiſſe inſignitos, & unum ex illius avis cohortis ductorem ob præclara & bellica facinora ab Imperatore Caſtrum in feudum accepiſſe appellatum Marchionis Caſtrum. Marchionis hujus pater fuerat Medicus, Medici vero Notarius, hujus figulus, illius ſatelles ob maleficia patibulo affixus: Hic patrem habuerat culcitrarium, qui verè cretus erat à Nobili Sabaudo ob perduellionem in carcere enecato. Nobilis hic filius erat Comitis illuſtris familiæ, quæ à tribus retrò ſæculis ſplendorem ſuum conſervaverat: Ad hanc tandem familiam ut caput ejus evectus fuit à Principe ſuo Aulicus quidam filius Judæi qui vulgo Hebræus, & poſt amplexatam fidem orthodoxam Arnaldus vocabatur. Quia verò Judęus iſte in Italiam è Rhodo Inſulâ ſe tranſtulerat, hic ſiſtere debuit quòd ulteriorem non poterat recipere inſtructionem. Marchio non decora familiæ ſuæ, ſed probra ubique à Scipione manifeſtari querebatur, nec genealogiam ſed libellum famoſum ab ipſo confectum. Cui reſpondit, non eſſe ſanæ mentis velle genus ſuum tam altè, & ab ipſis (ut ita dicam) naturæ incunabulis repetere; nihil fixum, nihil ſtabile eſſe in hoc univerſo, omnium verò rerum viciſſitudinem: circumagi quotidiè humana, nunc Regem ex opilione, nunc ex Rege opilionem fieri. Confirmat id Seneca ubi dicit, *Neminem Regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex Regibus.*

De Lancre. Diſcours X.

Epiſt. 44.

§. 10. Nemo fit repentè magnus, intervallo opus eſt ac ſucceſſione. Principes quidem & Reges temporales poteſtatem habent ut ſolo verbo creent Duces, Palatinos, Caſtellaneos, Capitaneos; ſed hæ dignitates nihil aliud ſunt quàm entia rationis, nihil reale homini conferunt; quòd verò aliquis ſit ſapiens, prudens, bonus hoc verbo efficere nequeunt, imò nec natura nec ars, quæ non in inſtanti operantur, ſed ſucceſſivè. *Nihil rerum ipſa natura voluit magnum effici citò, præpoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quæ naſcendi*

Quintil. lib. 10. cap. 3.

quoque hanc fecerit legem, ut majora animalia diutiùs viſceribus parentum continerentur. De Elephantis Plinius, Pierius Valerianus, Glianus, Bartholomęus Anglicus ſcribunt ſuprà biennium alvo materno geſtari: nemo primo ſtatim paſſu perfectionem aſſequitur, neque quiſquam in faſtigium, cum præcelſum ſit, repentè pervenit. Temerariorum eſt & arrogantium proprium, cum vix gradum in virtutis curriculo poſuerint, jam confidere ſe consũmatos eſſe; prorsùs abſonum inter Muſarum Antiſtites illos numerare, qui vix epiſtolam unam rectè norunt conſcribere, quoſdam velle docere antequàm benè didicerint, velle præeſſe & dirigere alios, quando adhuc manuductione & magiſterio indigent. De ſe narrat Propheta Ezechiel; *Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me ſpiritus inter cælum & terram, & adduxit me in Jeruſalem in viſione Dei.* D. Hieronymus obſervavit quod priùs elevatum ſe dixerit à ſpiritu inter cælum & terram, poſt hæc adductum in Jeruſalem, ſic habet. *Spiritus non eum ſtatim ad cælum levat, ſed inter cælum & terram.* Factum hoc eſt, ut inſtitueremur quem diſcendi & proficiendi modum in ſcholâ Dominicâ tenere debeamus; pedetentim nimirùm progrediendum & per ſingulos ex ordine gradus ſenſim ad altiora conandum. Inſignis aliàs ex omni parte ſtultitia eſt velle ex humili ſolo ad ſupremum cæli apicem unico velut ſaltu penetrare.

Cap. 1 v. 3.

§. 11. Pſalmum 118. cujus ſinguli verſiculi ſingulare myſterium & ſecretum monitum continent, dicit S. Ambroſius ideò *per litteras Hebræorum eſſe digeſtum, ut homo noſter tamquam parvulus & ab infantiâ per litterarum elementa formatus, quibus ætas puerilis aſſuevit, uſque ad maturitatem virtutis accreſcat.* Tabellam abecedariam, ut vocamus, puero legere diſcenti primùm tradimus, ut ab his rudibus exorſus principiis artis conſummationem aſſequatur, & per tàm inculta initia decentiſſima ſcientiarum ornamenta ſibi paret. Ut divinæ Philoſophiæ ſummam quis complectatur, neceſſe eſt eum rudimenta primùm terere: eam ob cauſam Pſalmus, in quo illa Philoſophia traditur, per prima Alphabeti elementa ſingulariter ac minùtim digeritur; ut intelligant omnes qui cæleſti diſciplinæ ſe tradunt priùs debere ſe lacte nutriri, antequàm ſolido cibo veſcantur, ſeſe ut pueros gerere, à parvo inchoare ut ad magna perveniant. Naturæ ſiquidem ordinem invertit, qui maſculæ ætatis robur antè vult adipiſci, quàm infantilium annorum imbecillitatem tolerarit, qui ad fructûs maturitatem priùs cupit pervenire, quàm floris teneritudinem expertus ſit: ſed juxta mentem S. Petri Damiani requiritur, *Ut homò noſter interior paulatim, ad ſui plenitudinem*

Serm. 14. in Pſ. 118.

Lib. 2. Epiſt. 5.

dinem veniat per augmenta virtutum. Magna proindè arrogantia eſt & ſtulta præſumptio velle hoc unâ vice & brevi momento abſolvere, cui Deus laborem & diuturnum tempus præfixit.

§. 12. Non ignorarunt hanc improbam fœcundi ambitus vanitatem in genealogiis & honoris epithetis aſſequendis, qui de contemptu ſæculi, fugâ gloriæ, quin & de nihilo ſcripſêrunt, baſim nihilominùs, quæ cum libris Authorum ſtatuas ſuſtentaret, quæſiverunt. Quantum verò hoc erit, ſi eos, qui inter cæteros profundam humilitatem profitentur, audiamus longo titulorum ſyrmate cum ſuo & cætera non minùs gaudere, quàm gloriatus eſt Julius Cæſar jure laureæ perpetuo geſtandæ? *Illo, ex omnibus decretis fieri à Senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut uſurpavit libentius.* Bullata illa nomina aſſiduè aut in mente habent aut in ore, ſicuti Phariſæis Philacteria ſua ante oculos verſabantur: ſententiam Ciceronis L. Lucceio in hunc modum ſcribentis approbant, *Qui ſemel fines verecundiæ tranſierit, eum benè & gnaviter oportet eſſe impudentem.* Quomodò ſimiles verè ſunt civiliter mortui? quomodò illis quotidianum eſt martyrium ſervitus immaculata? quomodò ſe totos Deo in holocauſtum obtulerunt? quàm longè deceret ab omni proprietatis labe cives Sanctorum & domeſticos Dei abeſſe! non minùs enim vitioſum eſt & à vitæ ratione ac Religioſæ Profeſſionis inſtituto alienum, honoribus quàm pecuniis inhiare. Meritò effrænatum hoc cupiditatis vitium non ſolùm circa pluralitatem beneficiorum, ſed & officiorum ac dignitatum tàm in ſæcularibus, quàm in Religioſis perſtrictam & ſeveram ſuam inhibitionem refrænandam cenſuit Joannes Vigeſimus ſecundus Pontifex Maximus. Ita in illud invehitur: *Execrabilis quorumdam tàm Religioſorum, quàm Sæcularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens eò magis fit inſatiabilis quò ſibi plus indulgetur.* Quanta peſtis, quæ mentes etiam Deo totaliter devotas invadit! cùm ab illâ deberent eſſe prorsùs immunes, qui contemptis honoribus, abjectis divitiis, ſpretiſque deliciis arbitrium proprium ſubjugarunt alterius ditioni. Verè execrabilis eſt ambitio, mens enim potentiæ id eſt humanæ dignitatis avida nec abſtinere novit à vitiis, nec gaudere conceſſis, nec pietati adhibere conſenſum: & quos amor dominationis invaſit, jugum diſciplinæ fecit reſpuere. Exclamat tamen D. Bernardus *O ambitio ambientium Crux! quomodò omnes torquens omnibus places!*

Suet. in Cæſ. cap. 45.

Lib. 5. Ep. 12.

Extravag. execrabilis.

Diſt. 47. can. jurium & extra de conceſſ. praben. cap. deteſtâda diſt. 96. can. benè quidem.

§. 13. Nimium quoque terreni pulveris adhęret Sanctimonialibus nonnullis, quæ poſt tria vota ſubſtantialia emiſſa in Religione approbatâ in qualitate ſtatûs Religioſi, quaſi rituale videntur compoſuiſſe vanarum obſervantiarum, quę mundanam converſatio-

nem ſapiunt; ut ad earum præſcriptum ſeſe conforment in inceſſu, ſtatu, habitu, loquelâ, ſalutatione, & reliquis motibus. Hinc quæſtiones, altercationes de proſapiâ, de titulis gentilitiis, murmurationes, diſſentiones, æmulationes, iræ, contemptus. Virginum Veſtalium Collegium olim à Numa Pompilio fuit inſtitutum penes Capitolium in colle Palatino. Admittendæ illuc Virgines debebant eſſe ingenuæ, & non libertino Patre genitæ. Veſtales itaque conſervabant perpetuò ignem, cujus flamma erat Veſta, virginitatis Dea, & erant imago Dei quantùm ad ſanctimoniam; quando verò ad Ædem Veſtalem veniebant, tunc in arborem Loton crines ſuos deponebant. Arbor hæc eſt ſpinoſa & aſpera, fructus tamen illius dulciſſimus. In illam arborem projiciebant crines, per quod profitebantur vitæ aſperitatem, & proteſtabantur ſanctimoniam; arbor ſiquidem illa interpretatur oblivio. Hac cæremoniâ proindè ſignificare voluerunt ſe parentum, amicorum, divitiarum & honorum obliviſci. Eſto ſanè hoc tempore ad quædam Monaſteria non admittantur niſi ingenuæ, imò ex primaria nobilitate. Attendere nihilominùs debent ad conditiones, quibus ſe Chriſto ſponſo adſtringunt. Numquid capillos deponunt ut innuant ſe rursùs & pleniùs Diabolo & pompis ejus renuntiare? & quidem arbori Loto illos dedicant, in quo omnium mundanorum perfecta oblivio deſignatur, hæc eſt abſoluta ſui ad cultum divinum deputatio. Sic legimus in Actis Apoſtolorum quòd *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Cur illa reſumuntur quibus ſe ſpontè & integrè privarunt? quid nobilitatis tumor & jactantia in ſchola Chriſti, in pædagogio humilitatis? Agnovit S. Agatha coram Quintiano Siciliæ Prætore præſtantiorem multò eſſe Chriſtianam humilitatem & ſervitutem Regum opibus ac ſuperbiâ. Paula cum Euſtochio filiâ Gracchorum ſtirps, ſoboles Scipionum, Martiæ Papiriæ matris Africani vera & germana progenies dum Româ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit: & Marcella nobilis Romana; cujus extabant ſtemmata per Proconſules & Præfectos Prætorio decurrentia, dum prima omnium Romæ Monachæ vitam profeſſa eſt facta paupertate & humilitate nobilior, liquidò demonſtrarunt, *Non laudis eſſe poſſidere divitias, ſed pro Chriſto eas contemnere, non tumere ad honores, ſed pro Dei fide eos parvi pendere.*

Dionyſ. Halycar.

Liv. lib. 5. ab urb. cond.

Cap. 19. v. 19.

S. Hier. in Epith. Paula.

§. 14. Quanti ſit purgato mentis oculo fortuitum naturæ bonum nobilitas, prudenter advertit Augerius Busbequius Ferdinandi Romanorum Imperatoris ad Turcam Legatus: qui per Bulgariam iter faciens cùm audiret puellas quaſdam liberaliore præ cæ-

teris formâ Bubulco tunc aut Opilioni deſponſas à ſummis ejus gentis Satrapis originem ducere, aut etiam Regium eſſe genus; *Hîc mihi*, ait, *in mentem venit*, *quàm levis & infirma res ſit*, *quæ vulgò perhibetur*, *nobilitas*. Maximè cùm poſteà vidiſſet aliis locis Catacuzenorum & Palęologorum Imperatorii generis reliquias contemptiùs inter Turcas degentes, quàm vixit Dionyſius Corinthi. His tamen nihil omninò derogare intendo aut poſſum veræ nobilitati è virtutibus mananti, earumque præſidio fultæ; quam potiùs omnium elogiis dignam judico. Sed volui me conformare Prophetæ Jeremiæ dicenti, *Si ſeparaveris pretioſum à vili*, *quaſi os meum eris.* Proprium utique & indelebilem penè habet characterem, quo ab emendicatâ, papyraceâ & chymericâ nobilitate diſcernitur. Eſt enim comis, urbana, gratioſa, amabilis, liberalis, minimè jactabunda, benigna quæ nihil novit tàm populare, quàm bonitatem, in dictis & promiſſis religioſè fidelis. Solem carbone depingere eſt illam velle offuſcare, auro cœnum incruſtare eſt alteram velle illuſtrare: & quemadmodùm radii ſolares nubes maximè opacas penetrant, ita verus nobilis ſub tenebris aut vili lacernâ nequit deliteſcere, ſed aliquod generoſæ indolis dabit indicium; quem ſi injuriâ temporum ad exoticam ſervitutem redactum inter mediaſtinos veru depromere oporteat, haſtam vibrare dices. Nobiles contrà ſuppoſititii per purpuram & byſſum, comitatum ac pompam ita nequeunt originis ſuæ maculas abſtergere, quin ſæpenumerò, etiam nequidquam renitentibus, humile quid & abjectum ex actionibus erumpat, quò non tàm in aulâ, quàm in caulâ ſe natos demonſtrent:

Epiſt. 1.

Cap. 15. v. 19.

Naturam expellas furcâ tamen uſque recurret:

Quin imò parcâ & illiberali ratione vivendi non raro denſiſſimas tenebras virtuti ſolent offundere, cujus tamen ſplendore animarum clarificatur gratia.

§. 15. Qui verò majorum ſuorum illuſtria & heroïca facinora aut alia præclara in Rempublicam merita in ſuis inſignibus tamquam monumentis æternitati depicta crebrò intuentur, his virtutis indiciis & teſtimoniis non poſſunt generoſa eorum ingenia non vehementer affici. Virtus, quæ pulchra, ſolida, & magna deſiderat, non omnem pompam reſpuit. Ad quam excitandam honorum tituli, dignitatum teſſeræ, familiarum notæ, armorum imagines non parùm momenti habent: uti & secta neque vulgaris procreatio ac educatio, ne facilè ab ingenitâ morum elegantiâ & honeſtate degenerent.

Fortes

Horat. lib. 4. Carm. Ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus.

Rectiùs undequàque numquam patebit, ſaltem in genere moris, repræſentarionis beneficium (quæ moralis eſt quæpiam patris & filii identificatio, quâ ſuperſtes filius induit patris perſonam atque politicè cenſetur ſuus parer) quàm in morum virtutumque ſimilitudine: *Mortuus eſt pater ejus & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit poſt ſe.* Mortuus igitur pater in filio vivir, imò quia ſic vivit non cenſerur mortuus ſed mulriplicatus; numquam ſterilis moritur probus, numquam vivir infœcundus ſed fœtus habet immortales; & ſi, ut Juriſperirus affirmat, *Nibil in natura perpetuum eſſe poſſit, niſi per ſurrogationem*, quid ni

Eccli. 30.

L. eum debere de ſervit. urb. præd.

—— *Genus virtute perennat?*

Lib. de Noë & Arca cap. 4.

Undè haud dubiè illud Ambroſianum manare credo: *Probati viri genus virtutum proſapia eſt; & genus animarum ſunt virtutes.* Hoc nobiliratis indicio fidelitatem ductoris probare voluit Tobias, & non antè illi filium ſuum credere, quàm domum & tribum ejus cognoviſſet. Archangelus quoque Raphaël, ur ſecurum de comitatu filii & votorum comporem redderet patrem, Azariam Ananiæ magni filium ſe liberè profeſſus eſt: ralis enim manifeſtatio rectè fit, non ad præpoſteram & inanem jactantiam, ſed ad evidens emolumentum proximi, aur urgenrem neceſſitatem. Hinc & Apoſtolus non quaſlibet genealogias evirandas præcipit, ſed ſtulras & ad rem non facientes.

Ad Tit. cap. 3. v. 9.

§. 16. Ubi porrò ſubſidia & præſidia virtutis deſunt, ſatius eſt

Horat. de art. Poët.

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem,

Non magnificis avorum ſtemmaribus. & rirulis ineprè gloriari, eaque degeneri vitæ ſtudio dedecorare, aut ſopitæ inertiæ fumo ſplendorem familiæ obſcurare: ſed majorum ſuorum & generis obſcuritatem virtute propriâ illuſtrare. Ciceronis teſtimonio comprobatur, cui dum generis ignobilitas objiceretur, reſpondit: *Satius eſt meis geſtis florere, quàm majorum opinione niti, & ita vivere ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Fusè Seneca: *Animus nobilem facit, cui ex quacumque conditione ſuprà fortunam licet ſurgere.* Præmiſerat: *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc ſumus nobiles: Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus, Platonem non accepit nobilem Philoſophia,*

Cic. in Orat. contra Salluſt.

Epiſt. 44.

ſophia, *ſed fecit.* Neſcio tamen quænam barbaries in Principum aulas pręſertim irrepſit: ubi privatum dumtaxat bonum doctrina cenſetur. Miror, quis neglectus bonarum litterarum nobilium quorumdam animos obſeſſit! quaſi illæ ſtatum & conditionem ingenui dedecerent, aut iis excoli renuerent, quòd exiſtiment per natalium claritatem omnia ipſis à naturâ inſita, neque ullo labore aut induſtriâ comparanda: ut nobilem eſſe, nihil, ipſorum judicio, ſit aliud quàm induſtrium, doctum, quin & omniſcium. Rara profectò & inaudita felicitas, cujus de veritate multùm ambigo. Natura multum poteſt, non abnuo: ſed quis mihi perſuadebit ab ea ſola ſine aliis auxiliis plenè ſatis ac perfectè gnaros, ſcienteſque fieri poſſe? ſepono ſcientiarum à Deo infuſionem & de via ordinaria eas acquirendi mihi, ſermo. Novimus ſanè quàm non modò proficua, ſed & neceſſaria ſit Viro Principi Philoſophia, quæ animum ejus format vel ad virtutum amorem ac pretium, vel ad notitiam cæleſtium & terreſtrium, ex quibus animi magnitudo oritur & ſimul modeſtia. Tantâ diſcendi cupiditate exarſit Solon Athenienſis ut in quodam ipſe carmine glorietur: *Quotidiè addiſcentem ſe aliquid ſenem fieri.* Epaminondæ Thebanorum Duci Philoſophiæ doctrina tanta fuit, *Ut mirabile videretur*, ait Juſtinus, undè *tam inſignis militiæ ſcientia homini inter litteras nato.* Philopœmen licet in militiam ſtudio & indole propenderet, *Philoſophorum tamen*, teſte Plutarcho, *præcepta ac monita legebat*, *ſed non omnium*, *eorum dumtaxat è quibus progreſſum ſe ad virtutem ſperabat facturum.* Quantus in omni litterarum genere Julius Cæſar fuerit, ſcripta ejus docent; nec in itinere quidem vacuus; ſed Amanuenſem in vehiculo apud ſe habens, dictanſque aut legens.

Lib. 5.

In Vita ejus.

Lipſ. in Exēp. Polit. lib. 1. cap. 8.

§. 17. Quouſque doctrinam in amoribus habuerit Robertus Rex Neapolitanus hæc ejus vox declarat: *Cariores ſibi litteras regno eſſe.* Perſimilis vox & animus Alphonſi illius magni in eodem Regno fuit. *Malle ſe omnium Regnorum jacturam facere*, *quàm minimam doctrinæ.* Et cùm aliquandò audiret Regem Hiſpanum dixiſſe, *Non convenire Principibus litteras.* Stomachans ſubjecit bovis non hominis vocem eam eſſe. Certè Carolus Quintus, quem magnitudo ſtatim imperii tenerum adhuc à ſtudiis abduxerat, ſeriò ſed ſerò Latini ſermonis imperitiam deploravit. Cùm enim Genuæ Oratorem aliquem audiſſet latinè dicentem, nec plenè ſatis cepiſſet, triſti & ingenuo ore confeſſum Paulus Jovius ſcribit, (is arbiter coràm & teſtis erat) *Dare ſe nunc puerilis incuriæ pœnas*, *&* *præſagum Hadrianum præceptorem fuiſſe qui hanc ei pœnitentiam prædixiſſet.* Ardenti litterarum deſiderio quo flagrabat Princeps Condæus

Idem ibidem.

Ibidem.

dæus obſtare non potuerunt cārceris anguſtiæ quò minùs animum ſuum intra eas dilataret, ut ad ſtudia Theologiæ, Politicæ & Hiſtoriarum explicaret: quæ triennio adeò aſſecutus eſt, ut unum omnia poſſidere dixeris: ſingulare optimæ indolis & innatæ ſagacitatis indicium. Non degenerarunt à tanto patre filii in hoc Athenæo nati, quorum alter, quantùm ad militarem gloriam ſummis Imperatoribus invidendam & res maximas ubique ferè terrarum conficiendas bonarum artium præſidia valuerint, abundè teſtatus eſt: alter adhuc pueritiam agens pietate & doctrinâ ante pubertatem illuſtris magnum futurus Eccleſiæ orthodoxæ præſagiebatur lumen & columen. Dux quoque Anguianus generoſi paterni ſpiritus imitator & hæres non modò liberalia ſtudia ab ætate prima cupidè exercuit, ſed perſpicuum adeò in ſcientiis philoſophicis, quas publicè defendit, expectationis ſuæ ſpecimen præbuit, ut adjunctâ his notitiâ rerum eventuumque, de ipſo non niſi magna ominanda ſint,

Gramondus Hiſt. Galliæ lib. 3. ad calcem.

Gramondus lib. 2.

—— *Quorum exitus acta probabit.*

§. 18. Redeo undè diverteram aſſerens cum S. Petro Damiani tàm *Frivolum eſſe Proavorum jactare titulos* à vacuo virtutibus & omni egregiorum facinorum decore nudo, quàm apothecam pharmacopolarum oſtendere variis pyxidibus inſtructam, quæ nihil eorum continent, quorum titulos præferunt. Quid refert aliquem deſcendere à Mendoziis, Guzmannis, Sandovaliis, Cerdis, Enriquiis, Velaſciis, Pimenteliis, Zunigis, ſi is talis ſit ut infamis vitæ contaminatis moribus omnem denigret Regiæ ſplendorem originis, ſi tamquàm vilis teredo radicem tàm illuſtris trunci radat, vitiet, corrumpat. Contrà quid obeſt quibuſdam ex viris obſcuris, abjectis, tenuibus, mendicis ortos eſſe, ſi per præclara facinora; per heroïcarum virtutum exercitationem, peculiare ſibi genus ac proſapiam ſingularem ſtirpemque propriam facere poſſint, quâ & parentum ſuorum obſcuritatem illuſtrent, & poſteris omnibus ſplendorem afferant. De tribus proſapiarum generibus quæ mundus habet, ſcribit S. Gregorius Nazianzenus. Primum è cælo per creationem venit; ſecundum à ſanguine habet, undè ab aliis diſcernatur; tertium virtus tribuit, quo à cæteris differat. In primo, inquit, omnes pares ſumus, omnes ejuſdem ſpeciei ac naturæ corruptibilis, omnes caſui obnoxii, caduci, mortales. Secundum vix ſcit Magnus Theologus an quidquam æſtimari debeat, quod tàm debili & fragili innitatur fundamento, miſeriæ & corruptioni. Tertium ergo quod de virtute naſcitur, eſt, quod magno in pretio eſſe con-

Lib 7. Epi. 14.

conveniat. Ita monet: *Reliquas autem nobilitatis, quæ vel ſeruntur, vel Principum diplomatibus comparantur, ut viles & adulterinas nulloque in pretio habendas procul ſubmovebit*. Sacer textus quàm parcus in recenſendis magni Patriarchæ Abrahæ progenitoribus, tàm prolixus fuit S. Moyſes in commemorandis prædicandiſque ejus virtutibus. Obſervavit utrumque Philo Judæus inquiens: *In tantum autem Scriptura magnificit hunc virtutis amatorem, ut in ſtemmate ejus, non more aliorum, avos, proavos, majoreſque cæteros ſive paternos, ſive maternos recenſeat, ſed virtutes; tantùm non diſertè clamitans, nullam familiam, cognationem, patriam ſapientis eſſe, præter virtutes & harum actiones.* Orat. 21. Lib. 1. de Abraham.

§. 19. Hac de cauſa ad illa verba Eccleſiaſtæ: *Tempus naſcendi & tempus moriendi*, dicit S. Gregorius Nyſſenus eſſe quemdam ortum & occaſum, quamdam mortem ac nativitatem in hominis poteſtate & arbitrio poſitam. *Nobis ipſis*, inquit, *quodammodò patres ſumus, quando per bonum animi inſtitutum, liberumque arbitrium nos ipſos formaverimus & genuerimus, & in lucem ediderimus.* Quod fit per partum quemdam, generationemque virtutum. Suorum enim operum, ut vulgari fertur adagio, quiſque eſt filius, & fortunam ſibi ac genus fabricare poteſt. Undè ad gloriam ſive infamiam, ad honorem ſive dedecus parùm facit origo Parentum. Quinimò in diffuſa illa & prolixa Genealogia Chriſti Domini quatuor mulierum quæ peccatrices fuêre fit mentio. *Per talia*, inquit Euthymius, *docemur non de progenitorum peccatis ſed de propriis erubeſcere, neque de Majoribus gloriari, ſed propriæ curam habere virtutis.* Quod Regem Theodoricum movit, ut illos qui ſe Regio gloriabantur ſanguine, admoneret, curare ex officio debere ne illum ſordidis actionibus fœdatum obſcurarent. Verba illius ſic extant apud Caſſiodorum. *Hos omnia decet ſub laude gerere, ut Regiæ poſſint fulgorem conſanguinitatis oſtendere, hæc enim indubitata Nobilitas quæ moribus probatur ornata.* Huic quadrat quod Ariſtoteles dicit: *Ordinare eſt ſapientis*, imò hominis, in quantum homo eſt, videlicet in quántum ratione præditus, ſe & actiones ſuas dirigere in debitum finem: illud ad effectum perducere nequit ſine virtute diſcernendi, & maturo judicio, quod à Theologis definitur: Determinatio rei ut res eſt aut eſſe debet. Deficit intellectus à vi & ratione convenientis ac recti judicii, ſi tantùm ad illa ſe reflectat, quæ homini non verè inſunt, ſed merè accidunt, ad titulos, honores, comitatum, familiam, faſtum, pompam, amicos, divitias quæ dari à fortunâ ſolent & auferri relicto homine in eſſe hominis; non verò ad animi bona homini propria, extra fortunæ juriſdictionem con- Cap. 3. v. 2. Homil. 6. in Eccl. In cap. 1. Matth. Lib. 5. Epiſt. 12. Metaph. 1. cap. 2.

ſtituta, undè habet quòd verè poſſit hominem agere, & ex voto Senecæ unum hominem agere: undè conſequitur ſolidam & ſinceram nobilitatem, ad quam pervenire ex ſe poteſt, & pro ſuo arbitratu poſteritatem ſibi ampliſſimam generare. Quod fuſiùs quàm antè S. Gregorius Nyſſenus oſtendit his verbis. „ Electione propriâ „ unuſquiſque naſcitur undè fit, ut nos ipſi patres quodammodò „ ſimus noſtri, qualeſcumque nos volumus electione gignentes, „ & aut marem aut fœminam vitii ac virtutis ratione fingentes. Et poſt pauca: „ Licet, inquam, nobis mares nos ipſos gignere, ac „ parentibus noſtris, cogitationibus ſcilicet bonis, quæ virtutem „ pariunt, voluptatem adferre; jucunda enim eſt cognatio virtutis.

In myſt. interp. Vita Moyſis ſub initium.

Sap. 4. v. 1.

Quod exclamando expreſſit Sapiens: *O quàm pulchra eſt*, inquit, *caſta generatio cum claritate!* En quomodò cuique datum eſt excitare familiam qualem quantamque libuerit, cùm in ejus ſitum ſit arbitrio & poteſtate liberos ſibi magis honorificos producere maſculos nempè bonorum operum: *Electione* ſiquidem *propriâ unuſquiſque naſcitur.*

§. 20. Tales proſapias non norunt genealogi, qui nobilium familiarum fontes & primordia inveſtigant, quas tamen ab anima tamquàm natali origine rectè deducit ſanctus Job, qui de impiis loquens ex tranſlatione ſeptuaginta Interpretum ait: *Semen eorum ſecundùm animam, filii eorum in oculis.* D. Ambroſius affirmat hujus procreationem ex electione libertateque naſci: *Filios ergò Sacra Scriptura pro operibus*, inquit, *frequenter declarat, eò quòd locupletior in factis, quàm in filiis ſit noſtra poſteritas.* Hæc igitur ſucceſſio ab anima deſcendit. *Semen eorum ſecundùm animam*; Suntque opera ſeu bona ſeu mala, quæ homo committit. In anima quiſque habet natale ſolum, & fœcundum poſteritatis ſeminarium. Propter conſilium Chuſai Arachites datum Abſoloni, quod juxta Sacram Paginam meliùs judicatum eſt conſilio Architophel, & ex quo factum eſt, ut David Regno cum priſtino ſplendore potiretur; *Appellationem Chuſi conſecutus eſt ut Jemini filius diceretur, ſiquidem gemini dextera interpretatur.* Non illum à Patre Arachiten nominandum in poſterum homines cenſuerunt, ſed Chuſi, filium gemini, filium dexteræ, induſtriæ & ſolertiæ: magis enim nobilitant præclara facta propria, quàm ſanguis illuſtrium avorum; nam *Mos eſt Scripturæ Sacræ à ſtudiis tamquàm à parentibus filios nominare, veluti filium pacis, filium ſapientiæ, filium perditionis.* Et Joſue cùm adhuc nihil memorabile patraſſet, à patre cognominatus eſt filius Nun, ut quando exploratores ad terram Promiſſionis ablegavit. *Miſit ergò Joſue filius Nun de Setim duos exploratores in abſcondito.* Deinceps

Cap. 21. v. 8.

Lib. 2. de interpell. in Job cap. 4.

2. Reg. 17. v. 14.

Euthym. in dicto loco.

Idem ibidem.

Lib. Joſue cap. 2. v. 1.

ceps verò non ampliùs ita appellatus eſt dum viveret. Solerter illud annotavit Arias Montanus. „ Poſtquam verò, inquit, jam „ Imperator publicè declaratus atque ſuſceptus & ſalutatus fuit, ità „ clarus celebriſque propria dignitate, perpetuò deinceps Joſüe ap- „ pellatur nulla Patris mentione facta. Suadet idcircò Onoſander in electione ſupremi militum Ductoris, merita illius, cui hoc munus demandandum eſt, expendere, quæ verò à Majoribus illius geſta ſunt, non inſpicere. Sic ſcribit. „ Nam & gentilem quoque „ ſive Majorum virtutem amare licet præſentem, nefas quærere ab- „ ſentem, aut hujus tantùm gratiâ & favore dignos imperio exi- „ ſtimare. Ut autem animalia, quorum ſtrenua opera eſt, gene- „ roſa dicimus, ſic generoſi homines ex ſua, propriaque, non alie- „ na, aut adſertitia virtute judicandi. Amentis enim eſt, quod „ præclarè à Majoribus geſtum ſit inſpicere, nec quid ipſimet eli- „ gendi prſtare poſſunt, expendere. *Cap. 1. Stratag.*

§. 21. In aliis quoque muneribus perſonæ eligendæ ſpectanda eſt potiſſimùm induſtria: publicè enim intereſt homines negotiis pares eſſe, ne oneri poſtmodùm ſuccumbentes vix reparabile bono publico creent detrimentum. Artifices multos annos tyrocinio impendunt, ut tandem exactum valeant artis producere experimentum; & quiſquam ſine labore aut ſtudio, ſine ſufficienti uſu ad gravioris longè momenti curam & adminiſtrationem, ſe dignum judicabit? librandæ ſunt vires & humeri, an tanto oneri ferendo ſufficiant; non aliorum nimiùm innitendum judicio, cùm quiſque ſibi magis quàm aliis cognitus eſſe debet ac perſpectus; ſalubriter præmonet amicum Horatius,

Sed vereor ne cui de te plus, quàm tu tibi credas. *Lib. 1. Epiſt. ad Quintium.*

Si facultas & capacitas deſit, cònſultiùs eſt intra privatæ & tranquillæ vitæ terminos ſe continere. Eleganti ſimilitudine hâc de re idem Poëta Fuſcum Ariſtium informat his verſibus:

Cui non conveniet ſua res: ut calceus olim
Si pede major erit, ſubvertet, ſi minor, uret.
Lætus ſorte tuâ vives ſapienter Ariſti.

Qui enim titulis gaudent, qui officium magis denotant, quàm dignitatem, iis virtutibus pollêre debent, quæ ad multorum utilitatem ſe extendunt. Aliæ enim publicam concernunt perſonam, & ſolæ in conſiderationem veniunt, aliæ privatam. *Frugi hominem dici non multum habet laudis in Rege, fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt Regiæ laudes.* *Cic. pro Reg. Dejot.*

Rex à regendo nomen ſortitur, Epiſcopus græcè, latinè Superintendens appellatur, Paſtor à paſcendo derivatur. Et quamvis non ſemper ratio etymologica cum nomine convertatur: hinc lucus quia minimè lucet, Parcæ quia minimè parcunt, mundus quia minimè mundus: non poſſunt tamen factis ſuis ullatenùs à tituli ſui etymo diſcrepare, quando in eo muneris ratio præcipuè exprimitur: ne ſint velut pyxides aureis inſignitæ titulis ſed vacuæ, cùm deberent eſſe optimis recentiſſimiſque refertæ medicamentis.

§. 22. Ad ſolum ſpectaculum non opus habet communitas Rectoribus, neque ut ſtatuam referant, cui exterior veneratio exhibeatur & pro qua alius quandoque non multò eminentioris ſufficientiæ reſponſa det. Quomodò rectè appellantur oculi, ſi nihil per ſe, ſed per alios tantùm videre poſſint? qui alterius arbitrio & diſpoſitioni omnia permittit, quomodò regere dicitur? *Accedant ad me homines* (dicere ſolebat Rudolphus Imperator) *neque enim ideò Imperator ſum, ut incluſus in arca deliteſcam.* Quid Nauclerus ſit in navi, quid Rector in ſchola, quid ſit Sol in cælo, nemo, puto, ignorat? illud omne eſſe debet, qui præeſt. Tanta peritia requiritur à Nauclero ut probè inter ſyrtes & brevia ſciat ad deſtinatum portum navim dirigere. Providus Rector etiam ad minimos apices corrigendos animum advertit. Sol Princeps lucis, qui ex officio in res omnes inferiores tenet imperium, eas præſentiâ ſuâ illuſtrat, & formam iis tribuit, circumeundo ſine intermiſſione ab uno Tropico ad alterum. Velociſſimi illius ſideris more omnia inviſere, omnia audire debent Rectores, gnavi & ſoliciti rebus adeſſe, numquam conquieſcere, quia juxta S. Gregorium Nazianzenum, *Videtur ars artium, & ſcientia ſcientiarum hominem regere animal tàm multiplex.* Competenti igitur præditos oportet eſſe ſcientiâ & experientiâ ac vigilanti ſolertiâ, quæ omnia & ſingula in genere ſuo perfectionem indicant: non eſt autem perfectio poſſe perfici, ſed eam formam atque actum eſſe conſecutum, quem habere nos convenit. Non debent demùm acquiri quæ ad ſtatum aliquem præſupponuntur, ut quiſque per ſe & expeditè valeat munus ſuum exequi: nec ſufficit ut poſteà addiſcat, ſed exigitur ut de facto talem ſufficientiam habeat; ex D. Bernardo ad Eugenium Papam: *Omnia*, inquit, *fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis: & ideò ſi fieri poteſt, viros probatos oportere deligi non probandos.*

lib. 4. de Conſid.

§. 23. Quapropter optandum eſſe dicitur in Synodo Tridentina, ut ii qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt (de aliis in dignitate conſtitutis idem poteſt fieri judicium) quæ ſuæ ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut

luxum

luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Admonet igitur Sancta Synodus Epiſcopos omnes ut ſecum [illegible] ſæpè meditantes, factis etiam ipſis ac vitæ actionibus, quod eſt perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant. Conjunctas titulis obligationes graves ſæpè ac difficiles ponderare debent, ob quas tenentur opere reſpondere nominibus, & reapſe præſtare quod officia poſtulant. Voce horrificâ intonat Divus Paulus: *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Cauſam hujus neglectûs aſſignat Concilium Tridentinum: *Quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri ſunt Paſtores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præeſſe quærunt, & ita alienis ſubditis quandóque intendunt, ut ſuorum curam negligant.* Quid utilitatis adferunt tituli & nomina? ſi aliò ſpectant, aliò nomina ea tendant? certè habere officium ſine exercitio velut nihil habere eſt; tale quidpiam ac ſi animâ deſtitutâ facultatibus ſuis præditus ſis, & fidem operibus nudam habeas. Ubi induſtria requiritur ut ſit illuſtris, nuda dignitatis appellatio magis infamiam adfert, quàm nobilitat. De inani Conjugis nomine rectè Deianira Herculi:

Seſſ. 25. cap. 1. de reform.

1. ad Timoth. 5. v. 8.

Seſſ. 14. cap. 8. de reform.

Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes.

Ovid. in Epiſt.

Magnates dici & nihil magni facere, ſed vilium inſtar fœdós mores conſectari, urbanos appellari, & ſtupiditate ac ruſticitate ſcatere, comitatis, benignitatis, pietatis, humanitatis titulum affectare, & nihil à Nerone aut Phalaride differre non honoris prærogativa eſt, ſed probri atque ignominiæ argumentum. Indignum illud reputat Horatius.

Cur pateris ſapiens, emendatuſque vocari
Reſpondeſne tuo dic ſodes nomine?

Lib. 1. Epiſt. ad Quint.

Promiſerat Redemptor noſter Apoſtolis, quòd ipſum ſecuti hujus ſeculi pompam vanitatemque confidenter calcaſſent, pro tàm heroici facinoris remuneratione ſingulis in extremo die ſolia magnifica & ſublimia: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim.* Quid verò in his tribunalibus facient? fortaſsè otiabuntur, tantùmque ſedebunt? an ſolo & nudo titulo oblectabuntur? nequaquàm, ut acutè doctus Gandenſium Præſul Janſenius obſervavit; *Sedebunt judicantes, & quod judicum eſt, opere exequentes, nec otioſè ſedebitis, ſed judicantes duodecim tribus Iſraël.* Non fruſtraneè ſubſellia Conſiliariorum, Miniſtrorum publicorum, Judicum occupabitis, ſed munera eis propria ſtrenuè adminiſtrabitis. Multi tamen Præturæ ac Præfecturæ nomi-

Matth. 19. v. 27.

nomine gaudent, uſu ejuſdem & exercitio carentes; veluti plerique Itali vacua appellatione & titulis Comitum ac Marchionum abſque juriſdictione.

Falſus honor juvat.

§. 24. Quando unum ſummè neceſſarium eſt, Marthæ ſatagentis circa plurima ad illud non ſpectantia nimia ſedulitas à Redemptore taxatur: attamen ita inter homines conſtitutum videmus, ut multi ſibi boni ſint non aliis, boni ſint fideles, non boni Epiſcopi, ſint oves bonæ, non boni Paſtores. Et rursùm ſunt qui exteriùs videntur benigni, inſignes, quòd externum Eccleſię cultum, Altarium ornatum, fabricę ſplendorem egregiè curant, ſed interna ſuorum vitia, ignorantiam, pericula ſalutis negligunt, in quo potiſſimùm attenditur Paſtoris officium. Ideò Angelo Eccleſiæ Sardis dicitur in Apocalypſi S. Joannis, *Nomen habes, quòd*
Apocal.3.v.1. *vivas, & mortuus es.* Quid eſt habere nomen vivi? inter varias expoſitiones hujus ænigmatici libri propiùs ad mentem Scriptoris accedit diligens illius Commentator Alcazar, qui dicit illud eſſe, vocari Epiſcopum. *Reſpicitur ad ipſum Epiſcopi nomen, quod græcè ſignificat inſpectorem ſive ſpeculatorem.* Vita Paſtorum vigilia, vita
Ælian.lib.11. cap.22. Epiſcoporum vigilia eſt. Sacræ hujus vigilantiæ ſymbola ſunt, Delphinus, qui perpetuò movetur etiam cùm dormit, & Leo, qui apertis oculis dormit vigilantem ſe fingens etiam dùm ſomnum capit. Ab exordio naſcentis Eccleſiæ à vigili ſolertiâ Epiſcopos denominari Paſtores S. Ambroſius demonſtrat. Non minùs abſonum videtur Epiſcopi nomine inſigniri, quod Argum aliquem deſignat, qui altâ è ſpeculâ oculis omnia tenetur circumſpectare attentis, ſoliciti & pervigilis excubitoris munus agere, pro ſalute ſibi creditorum pernox perdiuſque excubare; attamen negligenter & oſcitabundè dormire, gregis curam negligere, non vociferari, non clamare, non accurere tametſi lupus mordicùs oves invadat & auferat: non minùs dico abſonum tale quid videtur, quàm Divo Auguſtino cęca viſa eſt & infelix Judæorum aſtutia, quòd ad cuſtodiendum ſepulchrum Domini teſtes dormientes adhibuiſſet. *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es,*

---- *Vacuum ſine pondere nomen.*

Quia abſque exercitio. Diem malè te vocabunt, ſi nox es, ſolem dicent, ſi tenebræ es, Paſtorem appellabunt, ſi lupus, excubitorem, Patrem, Superintendentem nominabunt, ſi ſocors, negligens es & gravi torporis ſomno oppreſſus.

§.25.Stri-

§. 25. Strictè igitur ex doctrina Apoſtoli præcipit Tridentinum omnibus Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis Præfectis, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant: „ Implere autem illud ſe nequaquam poſſe „ ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant; „ atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à „ ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minimè incumbant. O quàm multi Prælati pereunt, non quòd ſceleratè vixerint, ſed quòd ſibi creditorum ſcelera non correxerint. Summariam doctrinam tradit Horatius, licet ethnicus unico verſu omnibus dignitatis gradum aſſecutis, dum ſcribit: *Seſſ. 6. cap. 1. de reform.*

Tu rectè vivis, ſi curas eſſe quod audis.

Audis Papa, audis Epiſcopus, Prælatus, Rector, nomini & titulo tua vita correſpondeat. Turpe enim probrum eſt & probroſa turpitudo, ut quis gregis Dominici Cuſtos dicatur & ſtertat, vigil ſit, & non excubet; ut vitâ & moribus à nomine glorioſo, ab appellatione tam nobili, ab officio excellenti longiſſimè diſcrepet, iiſque dedecoris labem inurat. Ad quid conducit otioſa dignitas, quid prodeſt, quid confert inanis & vacuus operibus titulus? quid ita deſideras Primatum in terra ut invenias confuſionem in cælo, ut Dominus ſervum à bono opere torpentem damnet.

Si re priveris nec nomen habere mereris.

Quid vano fulgore deciperis? quid nitor & falſa ſpecies celſitudinis te excæcat? quàm primùm in terris Pan conſpexit ignem (ut fabula refert) illius novo & inſolito lumine captus, properè ad illum amplexandum accurrit, ſed citiùs dolens gemenſque ambuſtis manibus & corpore receſſit. Non tam cupidè quiſquam & anhelanter ad dignitates accederet, ſi prævio ac maturo Judicio grave nimis & quandoque Angelicis humeris formidandum onus ex officio incumbens expenderet; ſi diligenter illud Divi Gregorii conſideraret, *Nos*, inquit, *qui præſumus, non ex locorum vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus, nec urbium claritate, ſed Fidei puritate.* *D. Greg. relatus diſt. 40. can. nos qui præſumus.*

§. 26. Prudentis eſt tuta ac præſentia, quàm nova & periculoſa malle. Pius Quintus creatus Pontifex expalleſcens ait: *Ego quamdiù fui Religioſus benè ſperavi de mea ſalute, factus Cardinalis cœpi timere, jam creatus Pontifex penè de ea deſpero.* Et Paulus Tertius Pontifex animam agens, *Mallem*, inquit, *me ſubjeciſſe Coquo familiæ Capucinorum, quàm hanc Deo proximam ſex & decem annorum curriculo* *Paul. Jov. in ejus vita.*

riculo dignitatem ſuſtinuiſſe. Agnovit Adrianus Tertius Pontifex eum, qui præeſt aliis, magis oneri quàm muneri natum & deſtinatum eſſe, potiùſque ſervitutem adire quàm dominium: ideò dicere ſolitus fuit: *Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione ejus nulla miſerior; ſpinoſa eſt Cathedra Romani Pontificis, tantæque molis ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros; & benè ſe dicit non tam nuncupativè, quàm etiam ſubſtantivè ſummum Pontificem ſervum ſervorum Dei.* Solus tamen inaudito à ſæculis exemplo S. Cæleſtinus antea Petrus Moronus dictus, ponderoſam illam & periculoſam ſarcinam ſpontè lubenterque excuſſit. Qui inter multiplices ærumnas ac calamitates, inter mille mortes, anguſto clauſus ergaſtulo, cæleſtem nihilominùs vitam ducens docuit, quòd omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur: cujus equidem mala Divinæ commercio Theologiæ à Chriſto patiente è cruce tamquam è Cathedra traditæ lenire poſſunt. Hinc D. Gregorius ſe & munus ſuum tangens, *Non loca*, inquit, *vel ordines Creatori noſtro nos proximos faciunt: ſed nos aut merita bona ei conjungunt, aut mala disjungunt.*

Apud S. Antonin. 3. P. ſum. Theol. tit. 22. cap. 8.

Le P. de Ceriziers en ſa conſolation de la Theologie.

Diſt. 40. can. non loca.

§. 27. Neque in iis tantùm requiritur ut vita & mores nomini conſonent qui gradum Regiminis obtinent, ſed ab omnibus quoque Sacerdotibus ut dignos ſe tanto miniſterio præbeant in omni caſtitate, modeſtia, continentia, ſobrietate & doctrina ſana: quia Angeli & Dii nuncupantur, quia ſunt lumen mundi, omnium quoque Patres & Magiſtri; quia denique ordo Sacerdotalis præeminet dignitati Regali; ubi Gelaſius Papa hoc ita Anaſtaſio Imperatori declarat. *Si Regum fulgori compares* (illum videlicet ſtatum) *& Principum diademati: longè erit inferius quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & oſculatâ eorum dexterâ orationibus eorum credant ſe communicari vel muniri.* Ratione igitur tam eminentis conditionis ſingularibus decet eos ſupra cæteros fulgere virtutibus. „Multi tamen ſunt Sacerdotes & pauci Sacerdotes. Multi „nomine, pauci opere. Non cathedra facit Sacerdotem, ſed Sacer„dos cathedram, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum „ſanctificat. Non omnis Sacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus eſt „Sacerdos. Ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio ſuo crimen ac„quirit non dignitatem. Illi verò, quibus ad dignitates & titulos adſpirare non ſolum indecorum eſt, ſed etiam maximè ſordidum & vitæ perfectioni contrarium, ſummoperè gaudeant quòd in lubrico pedem figere non debeant, quòd extra fortunæ aleam & caſum poſiti non

Cauſ. 1. q. 1. can. ſacerdotibus.

Diſt. 93. can. ſacerdotes.

Diſtinct. 96. can. quis dubitet ibid. can. duo ſunt.

Diſt. 4. can. multi.

Peri-

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractent, nec incedant per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Sed quiſque eorum humili ſua ſorte ſartus ac tectus, (inſtar Anthemidis aut vulgò corruptâ voce Camomillæ, quæ magis viret & creſcit, quò ampliùs pedibus incedentium proteritur)

Serpit humi tutus nimiùm. *Hor. de art. Poët.*

§. 28. Ut hoc beneficium integrè & quietè poſſideat, tenetur quoque à vanis cogitationibus mentem avocare, & ſæpiùs ſibi inculcare

——— *Excidat Hector.* *Sen. in Troade.*

Excidat faſtus omnis, omnis cogitatio de ſtemmate & claro avorum ſanguine: quæ ampliùs non debent animum Religioſi, mentem Chriſto deditam ejuſque diſcipulam occupare. Parentibus autem abjectis nato generis ſui obſcuritas nullatenùs eſt deploranda, nec origo tenuis aut nominis exilitas, cùm ſeipſum novè fingere & facere illuſtriſſimum ac ſplendidiſſimum poſſit, non fictè ut genealogi quidam, ſed verè & realiter. Hoc myſterium verbis non ampliùs quatuor expreſſit Nazianzenus dicens,

Alia fictio mores probi. *Jambico 19.*

Vitæ ſanctitas pater eſt qui novo vitæ generi & ſublimiori ſanguinis dignitati aliquem generat; qui genus Deo affine ducit, reliquos natalium ſplendore ſuperat. Undè de virtutibus ornato S. Doctor aſſeverat: *Deum æmulatur quiſquis hic eſt nobilis.* Omnibus tamen illud pro certo & explorato habendum, apud Deum parvi referre, utrùm quis Rex ſit an famulus, Prælatus an ſubditus, magnus an parvus, utrùm quis imperet ſive obediat. Sed an rectam ſuæ vocationis curam, & juſtam ſui ſtatûs in quo ab ipſo poſitus eſt, rationem habeat. De Rachele ſic loquitur Sacer Textus: *Gregem ipſa paſcebat*, illa formoſula, illa tenellula, Parentum ſuorum delicium, & oculorum iis chariot pupillis gregem paſcebat; ruri vitam omnibus cæli injuriis expoſitam agebat. Quæ certè tantùm merebatur ſedulæ cuſtodis ovium humile officium illi à Parente injunctum ſtudioſè exequendo; quàm ſi aliud quodvis honorificentiſſimum munus obiviſſet. Nec felicitas, nec magnitudo dignitatis cujuſquam in eo ſita eſt, quòd grandia aut ſublimia officia adminiſtret, ſed ſi gnaviter laudabiliterque, quàm illi Deus aut Majo- *Geneſ. 29. v. 9.*

Dd 2 rum

rum obedientia demandarit, curet Provinciam, ſi probè accuratè-que opus ſuum perficiat. Primus Venetorum Patriarcha S. Laurentius Juſtinianus hoc docet, inquiens: *Non ex dignitatibus aut gradibus diſcernuntur merita, ſed exercentur dona; nec ille apud Deum cenſendus eſt vilior, qui infimum locum tenet, ſed qui virtutibus inferior eſt, non enim dona gratiam, ſed gratia commendat dona. Nihil apud Deum intereſt utrùm quis præſit an obtemperet.*

De Triumph. Chriſti agone cap. 26. n. 1.

§. 29. D. Paulus officia enumerans quæ mulier curare debet ut oculis divinis placeat, ait: *Mulier ſi comam nutriat gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.* Doctor Joannes Bencæus ità exponit hunc locum: *Capilli dati ſunt, hoc eſt, à natura habentur in ſignum ſubjectionis.* Nota quædam eſt ſummo capiti inuſta & character, ex quo ſervitus cui inevitabili quâdam lege mulier ſubjacet, agnoſci queat; & quò crebriùs capillamentum alit, eò luculentiùs viro debitam prodat ſubmiſſionem, cujus cuivis capillus eſt teſtis. Sed quomodò illud quod in ſignum & teſſeram ſubjectionis introductum eſt, in fœminei ſexus gloriam redundare poteſt? vix ſe compatiuntur gloria & ſervitus; quarum hæc occaſionem luctûs potiùs ac triſtitiæ cauſam nata eſt gignere. Difficultatem hanc ſuperiùs ſubtiliſſimè enucleatam habemus à S. Laurentio Juſtiniano dicente, *Nihil apud Deum intereſt utrum quis præſit an obtemperet.* Mulier itaque diligenter nutriens comam, quæ ſervitutis illius & ſubjectionis inſigne eſt, quod ſui muneris eſt rectè curat, & hoc illi gloriam & laudem conciliat. Non enim officium, ſed ſtudium, quo illud adminiſtratur plurimùm quemque commendat. *Unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt*, ſcribit Apoſtolus, *in ea permaneat. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ.* Cui cohæret illud S. Gregorii Nazianzeni. *Quò vocatus eſt*, inquit, *in eo gradu quiſque maneat, etiamſi alioquin præſtantiore dignus ſit: plus utique laudis habiturus ex eo, quod præſenti gradui acquieſcit, quàm ſi eum quærat, quem non accipit.* Non minùs ſibi applaudat ſeque fortunatum judicet, ſi ſubditi, mechanici, ſervi perſona illi demandata, ſi opilionis, bubulci, aut etiam ſubulci vile & abjectum miniſterium à Divinâ Providenciâ, quæ in ſua diſpoſitione numquam fallitur, ſit injunctum: quàm ſi Pontificis Maximi, Imperatoris, Regis, Principis, Epiſcopi, aut alterius Prælati partes à Deo illi forent commiſſæ, dummodò ſe rectè ſtatui ſuo conformet & illius debitum perfectè impleat. Quò, ni fallor, S. Ephrem reſpexit, cùm ait: *Lapidicida in incidendis lapidibus, & faber ferrarius tundendo, producendóque ferro mercedem recipient.*

1. Corinth. 11. v. 15.

1. ad Corinth. 7. v. 20.

Orat. 9.

De rectâ vivendi ratione n. 61.

§. 30. Non pro miniſterii ſublimitate aut dignitatis magnitudine

dine Dominus præmia decernit, ſed pro menſura ſtudii ac diligentiæ, quâ muneris ſui quiſque partes explevit, ſeu magnum, ſeu exiguum, ſive vile, ſive excelſum fuerit. Quid? quòd poſiturus cum ſervis rationem, eorumque ſolertiam & induſtriam remuneraturus adveniens, duos, qui ſagaciter, ingenioſè & feliciter talentis concreditis ad negotiationem uſi duplicem fructum retulerunt, pari mercede ac præmio dignos cenſet? cùm in talentis ac gradu fuerint longè impares; uni enim dederat quinque talenta, alteri verò duo, & tamen huic æquè ac alteri dicit: *Euge ſerve bone ac fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Cur par eſt & æquale utriſque præmium eſſentiale, cùm in miniſterio & gradu tanta ſeſe offerat inæqualitas? id factum dicunt S. Chryſoſtomus, S. Iſidorus Peluſiota & Theophylactus ut indicaretur, merita non ex officio æſtimari, ſed ex ſtudio & diligentiâ quâ illud procurarunt: par fuit utriſque ſolicitudo, diligentia, induſtria, æqualis debuit obvenire merces & præmium. Theophylactum audiamus, ſic habet: „ Vide quòd & is qui quinque „ talenta acceperat, & is qui duo, eadem bona conſequantur; „ quando enim quis etiam pauca acceperit, & datum ſibi donum „ licet parvum ſit, benè diſpenſarit: æqualem honorem adeptu- „ rus eſt cum eo, qui magna habuit & fecit. Unuſquiſque enim „ ut acceperit, ita & excelſus erit ſi benè egerit.

Matth. 25. v. 21. & 22.

In cap. 25. Matth.

§. 31. Porrò ſinguli qui Chriſtiano nomine cenſentur, nihil indignum, nihil à tanti nominis profeſſione alienum committere debent; ad quod omnes hortatur S. Gregorius Nyſſenus his verbis. *Tales in omni vita nos præſtemus, quales requirit Chriſtiani nominis excellentia.* A Chriſto, ab Omnipotente, à Supremo Domino nomen ſumus mutuati, conſequens eſt, ut illi ſemper intendamus, quod cum inclyta hac appellatione congruit; omnes actiones ac ſtudia noſtra ad normam & exemplar vitæ Chriſti componamus, nos ad illius ſimilitudinem ad amuſſim exprimamus. Si in Bibliothecam quis ingreſſus in varios librorum incideret titulos, quorum illi ſic haberent. Opera S. Auguſtini, Opera S. Hieronymi, S. Cypriani, S. Joann. Chryſoſtomi; & poſt extractos, inſpectoſque codices inveniret longè alia ſub iſto cortice latere, Calvini nempè, Lutheri, Zwinglii, Oecolampadii dogmata; nonnè continuò nefarium & impudentiſſimum exclamaret eſſe Bibliothecarium, qui blaſphemorum, ſacrilegorumque hæreticorum libris nomina præfigit Patrum Orthodoxorum? nonnè illum & libros Vulcano addicendos clamaretis? quales putamus Chriſtum editurum voces adversùs

In Orat. de Chriſt. perfect.

Pſeudo-Chriſtianos nomen illius præferentes, operibus verò Turcis & Mauris ſimillimos, quando in fine mundi pro Tribunali ſedebit, quando de ore ipſius procedet gladius ab utrâque parte acutus, quo ſeparabit ſemen Chanaan maledictum, ſemen adulteræ & fornicariæ, à ſancto Abrahæ ſemine. Iſti tunc procul dubio tremendam illam audient ſententiam. Ite maledicti in ignem æternum, ite degeneres, ite impoſtores, ite Antichriſti, qui ſub velamine nominis Chriſtiani Paganis & Ethnicis pejores, vitam omni ſcelere, ſpurcitiâ & perfidiâ contaminabitis, Paſtores qui vos ipſos paſcebatis non gregem, qui veriùs illum deglubebatis. Judices dicebamini cùm eſſetis crimini peculatûs obnoxii, titulo honorifico gaudebatis, & fraudulenter munus commiſſum exequebamini. Apprimè igitur juxta ſalutare monitum D. Ambroſii, in omni vita cavendum. ,, Ne ſit nomen inane & crimen im-
,, mane, deifica profeſſio, & diabolica actio, Religioſus amictus,
Apud Hug. Card. in cap. 3. Apocal. ,, irreligioſus profectus, gradus excelſus, & deformis exceſſus, ne
,, locutionem ſimulemus Columbinam, & vitam habeamus Cor-
,, vinam, ne profeſſionem monſtremus Ovinam, & ferocitatem habeamus Lupinam.

SYM-

SYMBOLUM XXIII.



IN Labyrintho Aulæ Bruxellenſis ſpectatur circulus ex homunculis æneis, qui aquæ ſalientis impetu circumagitur, vulgò Chorea Ruſticalis. Tripudiare enim videntur, ſed videntur tantùm, tripudiantium geſtus non motus repræſentant; præcedere diceres & ſe invicem propellere. Sed quia diutiùs illam gyrationem ſpectanti eadem ſemper recurrit ſpecies & ſcena, non incongruè poterit nobiſcum illud ad mores traducere & excogitare rerum humanarum fugacium atq; prætereuntium typum aut ſymbolum. Quòcumque ſiquidem ſe verterit, reperiet mundana omnia & ſingula nihil eſſe præter externum apparatum & ſcenæ imaginem

ginem continuò evaneſcentem; ſomnium, quinimò ſomnium ſomnii aut umbram.

§. 1. Multæ ærumnoſæ vitæ hujus viæ ſunt, nihil veri ac ſolidi boni apud homines reperitur. Inſidiæ ſunt opes, ſublimiumque thronorum & dignitatum faſtus mera ſunt inſomnia. Conſidera, ait Seneca, pauperum & divitum vultus. „ Sæpiùs pauper & fideliùs „ ridet. Nulla ſolicitudo in alto eſt, etiam ſi qua incidit cura, velut

Epiſt. 80. „ nubes tranſit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, „ aut gravis & ſuppurata triſtitia, & quidem gravior, quia inter- „ dùm non licet palàm eſſe miſeros: ſed inter ærumnas cor ipſum „ exedentes, neceſſe eſt agere felicem. Quàm multi hâc tempeſtate coguntur lachrymas vi ærumpentes & ſingultus ſupprimere, mœrorem celare, vultum hilarem ac liberalem ſimulare: foris ſeſe prodit ficta ſerenitas, & intùs verus torquet viſcera miſeriarum carnifex.

Perſius. *O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane!*

In hoc magno vitæ humanæ theatro omnium perſonata felicitas eſt.

§. 2. Nitebatur gentium Doctor affectus & deſideria hominum retrahere ab hujus vitæ pompis & vanitatibus, ideò dicebat:

1. Corinth. 7. v. 31. *Qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Inverſio finis & ordinis eſt uti fruendis & frui utendis. utamur hoc mundo, ſed non fruamur: nemo enim prudenter mare pro portu eligit, diverſorium pro patria, laborem pro quiete. Fallacis enim hujus mundi figura celerrimè tranſit. Hanc ob rem non dixit præterit forma hujus mundi, quæ ſolidum quid & conſtans deſignat, ſed figura græcè σχῆμα id eſt habitus, ſpecies, mobilis, fugax, evanida. Hoc aſtruit S. Anſelmus. *Nolite*, inquit, *conſtanter mundum diligere, quando ipſe quem diligitis non poteſt conſtare; incaſſum cor quaſi manenter figitis, dum fugit ipſe quem amatis.* Impios conquerentes & ſeram pœnitentiam hujus vanitatis adamatæ agentes Sapiens patheticè ità loquentes inducit: *Tranſierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius, & tamquam*

Sap. 5. v. 9. *navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus.* Eamdem demùm comparat avi tranſvolanti, ſagittæ emiſſæ, lanugini, ſpumæ, fumo, vento, memoriæ hoſpitis unius diei prætereuntis. Ex ipſo videtur S. Gregorius Nazianzenus congruentiſſimas ſuas imò aureas ſimilitudines idem exprimentes mutuaſſe.

Tract. de vita itineribus. „ Omnia, dicit, mortalibus laborioſa ſunt, humana omnia, me- „ tus, riſus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, inſomnium,

„ nium, fluctus, navis veſtigium, aura, pulvis, orbis quidam „ perpetuâ converſione ſimilia omnia volvens, nunc ſtabilis, nunc „ rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, „ noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, mor-„ bis, calamitatibus, ſecundiſque rerum ſucceſſibus. Breviſſimè & pulcherrimè omnia ſimul complexus eſt.

§. 3. Magis tamen rei de qua agimus congruit lxx. Interpretum tranſlatio, quæ ſic habet. *Præterit ſcena hujus mundi.* Curſim tranſit omnis hæc vita, non ſecùs ac figuræ, ac perſonæ, quæ in hoc mundo tamquam theatro quodam repręſentantur: ubi tam varia indies conſpectui objiciuntur hominum, ſtatuum & conditionum genera, virtutis & vitii, variorumque eventuum ſpectacula, fortunæ ludibria. Orbis terrarum theatrum viſus eſt vanitatum mundi detectori Eccleſiaſtæ cùm dicit: *Generatio præterit & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* Ut enim Theatrum ſub tanta perſonarum prodeuntium, abeuntium varietate, ac viciſſitudine firmum ſemper conſiſtit: Ita mundus Theatrum eſt, in quo hujus vitæ fabula peragitur, homines ſcenæ ſerviunt, hic comicam, ille tragicam perſonam ſuſtinet. Diverſæ exprimuntur figuræ, & quotidiè decedunt, ipſe tamen permanet, ut alias ſimiles recipiat. Duæ in ſcena ſunt partes, ingredientibus ortus, egredientibus occaſus. Quotieſcumque improbum aliquem tragico indutum cothurno initio Satrapæ perſonam ſuſtinere ac magnum aliquid ſpirare videbis; contine te ac ſuſpende pauliſper judicium, finis diſtinguet fabulam; veſtes enim quiſque hic commodatò accipit. Qui Regem agit non auferet ſecum purpuram, quam hic geſtavit: brevi comœdia aut infeliciſſima cataſtrophe clauditur tragœdia. Graphicè ſcenam deſcribit S. Gregorius Nyſſenus: „ In theatrorum, „ inquit, pompis nunc hi, nunc illi cenſentur apparere. Qui nunc „ ſervus aut homo privatus apparet, paulò poſt bellator cernitur, „ & rurſùm habitum ſubditi deponens, Imperatoris perſonam & cultum aſſumit.

Cap. 1. v. 4.

Homil. 6. in Cant.

Ludit in humanis Divina Potentia rebus,
Et certam fragilis vix habet hora fidem.

§. 4: Omnia quæ pręcedenti die ſpectabant ad pompam & gaudia, funeſtum ſpectaculum brevi commutavit in luctum ac lachrymas pro applauſu lamentabilem ſibi leſſum vindicans: vidit enim immani & deteſtabili parricidio cæſum Henricum Regem Lutetia Pariſiorum eo tempore, quo egreſſus fuerat ad viſendum arcum & apparatus triumphales Coronationi Mariæ Mediceæ uxoris deſti-

Card. Bentivoglius in libello cui titulus Fuga Princip.

natos: quacum licet Regis unius matre & duorum ſocru non multò mitiùs actum. Sed exul, afflicta, à domeſticis deſerta, rerum omnium indiga, tot calamitatibus impar Coloniæ fatis ceſſit. Non caruêre lilia ſpinis ſed acriter pupugerunt capita coronata, quibus non minùs quàm aliis dolor parcit. Hic verus fuit, perſonata tantùm felicitas: nam figura hæc præteriens facit mundum larvatum; hic eſt humanæ vitæ mimus, qui omnibus partes, quas agant, aſſignat. „ Ille qui in ſcena elatus incedit & hæc reſupinus „ dicit,

„ *En impero Argis, Regna mihi liquit Pelops,*
„ *Quà ponto ab Helles, atque ab Jonio mari*
„ *Urgetur Iſthmos,*

Sen. Ep. 80. „ Servus eſt, qui quinque modios accipit & quinque denarios. „Ille ſuperbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:

„ *Quòd niſi quiêris Menelae, hâc dextrâ occides.*

„ Diurnum accipit, in cœnaculo dormit. Dum videmus Regem aut Principem alioſvè quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit, & dum videmus ruſticum, ſervum, pauperem, cur tanta repentè nobis ſeſe offert diſparitas? quid cæcutimus? ornatus, pompa & comitatus illos tantùm diſcriminant; contemnes illos æquè ac alios ſi deſpoliaveris, ſi larvam depoſueris.

§. 5. Quos tamen aut gradus aut fortuna ſupra plebeios extulit, hi continuò inferiores ſibi deſpiciunt ut aliorum ſortem tranſcendere videantur; paſſim in cujuſvis ſtatum & conditionem inquirunt. Auditur extemplò. Quis eſt hic? quo genere? quâ dignitate?

Horat. ſatyr. 6.

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impediit crus
Pellibus: & latum demiſit pectore clavum.
Audit continuò quis homo hic? aut quo patre natus?

„ Equum empturus ſolvi jubes ſtratum, detrahis veſtimenta vena-
Sen. Ep. 80. „ libus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum æſti- „ mas? Mangones, quidquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Quid phaleras conſideras, quid balthei polimina inſpicis, quid ornatiſſimæ cervicis divitias contemplaris? omnibus iſtis exuviis amolitis & amotis ipſum nudum corpus & ſolum intuere.

Horat.

Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur, apertos
Inſpiciunt.

Quid

Quid hominem ex veſte, aut conditione, quæ modo veſtis illi circumdata eſt, æſtimandum putas? ſi perpendere illum voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem. Intùs ipſum conſidera. *Sciamus*, inquit Seneca, *omnia æquè levia eſſe extrinſecùs diverſas facies habentia, introrſùs pariter vana.* *Lib. de tranquill. animi.* Ludus Latrunculorum veram nobis mundanæ vanitatis ſcenam exhibet: in quo acie utrimque directâ, duo Reges, duæ Reginæ, quatuor Equites, ſexdecim Pedites, quatuor Satellites, totidem Centuriones adverſùs invicem contendunt. Ille aggreditur, hic cedit, alius inſidias ſtruit, alter occupat. Diſtincta ſunt nomina, & dignitates, cùm totum nihil ſit præter ligni materiam ſic effigiatam. D. Bernardus à Deo quærit: *Quid eſt homo quòd memor es ejus? aut filius hominis quoniam reputas eum? quaſi verò non ſit homo putredo & filius hominis vermis.* *In Pſalm. Qui habitat.* Vilitatem hominum luculenter declarat S. Auguſtinus. *Homines ſumus*, inquit, *mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias.* *Serm. 10. de verb. Dom.* Vera hæc eſt & genuina hominis deſcriptio; non illa quæ fit per fucum, formas adulterinas, & lenocinium bonorum extrinſecorum.

§. 6. Alia certè ſunt judicia Dei, alia hominum: ad quod appoſitè facit proverbium Hiſpanicum. *En la caſa de Dios cada uno paſſa por lo que es*; id eſt, in Domo Dei quiſque habetur talis qualis is eſt, qualem ſe reipſa & factis exhibet. Apoſtoli dicti ſunt pueri & ut tales de pulte ſunt interrogati; *Pueri numquid pulmentarium habetis?* *Joan. 21. v. 5.* Ob puſillanimitatem, metum, incredulitatem, perfidiam. *Ibi erat Petrus qui negaverat, Thomas qui dubitaverat, Joannes qui fugerat. Non ergò ut fortiſſimos, ſed compellat ut timidos, & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, ut teneros invitat ad menſam.* *S. Pet. Chryſol. ſerm. 78.* Et Chriſtus quia puerum ſe corpore & ætate exhibuit, etiam ut puer puerilibus eſculentis butyro ac melle veſci voluit. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* *Iſa. 7. v. 14.* Deindè in Domo Dei proprio quiſque fungi officio, Pontifex quæ ſunt Pontificis, Rex quæ Regis, quæ militis miles, quæ Sacerdotis ſunt Sacerdos curare debet. Ideò Petrus objurgatus fuit & gladium recondere juſſus, quando arma rapere & militem agere Sacerdos voluit. Illud affirmat Sanctus Anſelmus hoc modo: *Detur igitur materialis gladius carnalibus, ſpiritualis autem miniſtris ſpiritualibus: ſed ſicut non convenit Regibus quod ad ſtolam pertinet, ſic nec Epiſcopus quæ Regis ſunt exercere debet, quod quia Petrus quodammodò exercuit, à Domino increpari meruit.* *In Comment. in cap. 26. Matth.* Juſta & recta eſt gubernandi ratio, ubi ſingulis ſua officia & miniſteria aſſignantur. Ubi vir in agro ſeminat, mulier domi fermentum miſcet: ubi ille gladium vel ſtivam

 tractat,

S. Pet. Chryſol. Serm. 99. tractat, hæc colum, fuſum, acum; quia *Virum foris expectat labor, intùs mulierem domeſtica cura conſtringit.* Ob hanc cauſam Carolus Magnus in re militari ſtrenuiſſimus *Filiabus ſuis, quas intimè dilexit,* D. Thom. lib. 4. de Regim. Princ. cap. 6. *colo & fuſo mandavit inſiſtere.* Denique Princeps cujus filius infirmabatur Capharnaum non Rex in Evangelio ſed Regulus dicitur, ne major eſſet magnitudo nominis quàm dignitatis. Tam anguſtis enim limitibus circumſcriptum erat ejus Regnum, ut ad dignitatem & appellationem Regis multum illi deeſſet. Non confusè ſed ordinatè proceditur in Domo Dei; in qua juſta cujuſque ratio habetur, & ſuo nomine omnes cenſentur, ac ſuis meritis penſantur. In qua vir bonus quocumque exordio actum incipit, lepido utique ac feſtivo fine vitæ fabulam claudit. Secùs in mundo fit, in quo plerùmque nullus ordo inhabitat, in quo principia impiorum tàm in-
Herodot. lib. 1. videnda, quàm exitus deplorandus. *Humanarum rerum circulus eſt, qui rotatus ſemper eoſdem fortunatos eſſe non ſinit.*

§. 7. Quoniam de Thearro & Scenâ mentionem fecimus, non abs re erit nonnulla de Comœdia ſubjungere, quidvè boni aut mali ex ea poſſit erui, thematiq́ue noſtro accommodari, ſolerter perpendere. Comœdiam Authores derivatam volunt à Como laſciviæ & comeſſationis Deo, nocturnarum ſaltationum præſide, amoris lætitiæq́ue genio; quem gratiæ, deliciæ, lepores, cæteræq́ue hilaritatis illices circumcingunt; cui crotala, ſiſtra, tympana circumſtrepunt. Quem [illegible] Ariſtophanes appellat, quia hunc tàm viri quàm mulieres venerantur. Cujus ſacra Phageſia ſive Phageſipoſia, ſcriptoribus nominata. In cujus militia auctorabantur juvenes, qui coronati noctu cum facibus muſiciſq́ue inſtrumentis ad amicarum fores ſaltandi canendiq́ue gratiâ concurrebant, procaciterq́ue laſciviebant, ut fores nonnumquam effringerent. Penè ex tali derivatione quid moribus conducere poſſit Comœdiâ judicabitur, ſi rectè calculus ponatur jam olim propter nimiam licentiam proſcripta. Co-
Dialogo 6. mœdiæ inventorem Eupolum fuiſſe ſcribit Giraldus. Et Matronæ Romanæ ſaltationem non inhoneſtam putabant, ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodò non curioſa uſque ad
Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 14. artis perfectionem. Cæterùm Hiſtriones non inter turpes habitos fuiſſe Cicero teſtimonio eſt, quem nullus ignorat Roſcio & Æſopo Hiſtrionibus tàm familiariter uſum, ut res rationeſq́ue eorum ſuâ ſolertiâ tueretur. Livius Ludos ſcenicos ad ſedandam peſtilentiam Romæ graſſantem & avertendam cœleſtem iram inſtitutos dicit:
Lib. 7. *Nec tamen*, inquit, *ludorum primum initium procurandis Religionibus datum, aut Religione animos aut corpora morbis levavit.*

§. 8. Pura eſt & germana doctrina Angelici Doctoris, ludos, comœ-

comœdias, dicta vel facta jocoſa, dummodò moderatè iis utamur & debitis veſtiantur circumſtantiis non eſſe ſecundùm ſe illicita: ſed juxta Ariſtotelem ſpectare ad virtutem moralem Eutrapeliam ab ipſo vocatam, quæ commodè & ſecundùm dictamen rationis modum & legem in iis preſcribit. Quod verò huic regulæ conformatur atque per eam dirigitur nemo non rectum judicat: hinc Eutrapelus à bona converſione dicitur, quia ſcilicet benè convertit aliqua dicta vel facta in ſolatium. Ad converſationem quoque humanæ vitæ cenſentur neceſſaria: *Nam ſapientem*, teſte D. Auguſtino, *decet interdùm remittere aciem rebus agendis intentam*; homo enim quandoquidem habeat finitam virtutem nequit propter hoc continuè laborare, ideò corporali indiget quiete ad reſocillationem corporis: ita & ex parte animæ ejus quoque virtus eſt finita & ad certas operationes proportionata, quæ ſi ultra preſcriptum & modum connaturalem à ſenſibilibus elevatur, operibus rationis ſive ſpeculativæ ſive practicæ intenta, deſatigatur. Sicut autem ſatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem, ita etiàm oportet, quòd ſatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem. Quies verò animæ eſt delectatio; ludus porrò & huic confinia utilia ſunt propter quietem ac delectationem: *Delectatio autem & quies non propter ſe quæruntur in humana vita ſed propter operationem.* Quin & contra rationem eſt, ut aliquis ſe moroſum, auſterum & aliis oneroſum preſtet, dum nihil delectabile exhibet & etiam eorum delectationes impedit. Undè Seneca dicit: *Si te geras ſapienter, quòd nullus te habeat tamquam aſperum; nec contemnat quaſi vilem.*

22. Quæſt. 168. art. 2.

Lib. 4. Eth. cap. 8. tom. 5.

Lib. 2. Muſica cap. ult. in fin. tom. 1.

D. Thom. ibidem.

Ariſtot. lib. 10. Eth. cap. 6.

D. Thom. ibidem art. 4.

§. 9. Ne deficiat Comœdia à Regula rationis, debent illi conditiones ineſſe, quas S. Doctor requirit. Primò ne in ipſa interveniant actiones laſcivæ, verba turpia, vel nociva, quæ de ſe provocant & alliciunt ſpectatores ad peccatum, aut ad delectandum ſe in occurrentia præſentis aut in recordatione præteriti: Hinc Tullius *Unum genus jocandi* dicit eſſe *illiberale*, *petulans*, *flagitioſum*, *obſcænum.* Secundò ne ei nimiùm inhærendo totaliter gravitas animæ reſolvatur. *Caveamus*, inquit D. Ambroſius, *ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum.* Ludo enim & joco uti licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tunc cùm gravioribus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. Poſtremò, quod & in omnibus aliis actibus humanis attendendum, ut congruat perſonæ, tempori, loco; & ſecundùm alias circumſtantias debitè ordinetur. Quia verò multùm olim Comœdia à ratione virtutis, à decoro honeſtatis receſſit; imò verò adeò in omnibus partibus ſuis exceſſit, ut fines ſuos tranſgreſ-

Lib. 1. de Officiis.

Lib. 1. de Officiis.

S. Thom. ibidem art. 2.

ſa in omnem dicacitatem, petulantiam, atque obſcœnitatem flagitioſiſſimè erumperet, meritò rigidam Magiſtratuum & legum experta eſt cenſuram. Scipio Naſica totius Senatûs Romani vir optimus ſine ulla ſententiarum diſcrepantia, ut refert D. Auguſtinus. ,, Caveam Theatri Senatum conſtruere molientem ab hac diſpoſitione

Lib. 1. de Civit. Dei cap. 31. ,, & cupiditate compeſcuit, perſuaſitque oratione graviſſimâ, ne ,, Græcam luxuriam virilibus Patriæ moribus paterentur obrepere, ,, & ad virtutem labefactandam enervandamque Romanam peregrinæ conſentire nequitiæ. Alter Scipio Æmilianus edicto vetuit ne Juventus Romana inter comicos ageret choreas. Julius Cæſar

Val. Max lib. 6. cap. 3. noluit Matronas Romanas Comœdiis aſſiſtere: & P. Sempronius Sophus conjugem repudii notâ affecit nihil quàm ſe ignorante ludos auſam ſpectare. Alexander quoque Severus apud Ælium Lampridium gloriatur nihil ſe umquam Comœdis largitum, quòd iſtos ſervos pluris facere non deberet, quàm domeſtica mancipia.

L. 1. ff. de his infam. not. §. 10. In Jure Civili notatur infamiâ qui artis ludricæ pronunciandivè cauſâ in ſcenam prodierit. Textum elucidat Labeo Juriſconſultus ubi ait, ,, Scena eſt quæ ludorum faciendorum cauſâ,

L. 2. eodem tit. ,, quolibet loco ubi quis conſiſtat moveaturque ſpectaculum ſui ,, præbiturus, poſita ſit in publico privatovè vel in vico, quo tamen ,, loco paſſim homines ſpectaculi cauſâ admittantur: ut penitiùs totum enucleetur, Imperatores limitationem addunt, ſi lucri gra-

Ibidem. tiâ id fiat. *Omnes propter præmium in ſcenam prodeuntes famoſos eſſe Pegaſus & Nerva filius reſponderunt.* Quandoque Tragœdos ſer-

In tract. de nobil. vos fuiſſe deducit Tiraquellus ex lege Imperator C. de Fideicom. Liber. Ubi iſtud habetur. *Cùm Firmius Mutiano Tragœdos tres legaſſet, & adjeciſſet, quos tibi commendo, ne cui alii ſerviant.* Indè factum autumat Macrobius, quòd Laberius Eques Romanus à Julio Cæſare cum mimis cantare juſſus in hanc querulam & gemebundam eruperit vocem. *Hei mihi Eques Romanus domo egreſſus*

Can. 4. q. 1. cap. definimus. *ſum & mimus revertar.* Jure Canonico Hiſtriones, Comœdi &

Diſt. 2. de conſ. can. pro dilectione. ſimiles infamiæ notam contrahunt; & diſtinctione 86. Can. donare. ſignanter dicitur. *Donare res ſuas Hiſtrionibus vitium eſt im-*

In 7. ſynod. gen. can. 22. in Concil. Laodicen. cap. 53. & 54. Agatenſ. c. 39. Illiberſi 67. Conſtancienſi cap. 31. Carthagin. 4. can. 35. *mane, non virtus: & ſcitis de talibus quàm ſit frequens fama cum laude: quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur.* Adjice his Concilia fermè omnia, quæ dum loquuntur de Comœdiis, illas prohibent. Ludos ſcenicos D. Auguſtinus in lib. 1. de Civit. Dei cap. 32. appellavit ſpectacula turpitudinum, & licentiam vanitatum. Et Seneca Epiſtolâ ſeptimâ, *Nihil tàm damnoſum*, inquit, *bonis moribus quàm in ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas*

dicere?

dicere ? avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior. Tertullianus (pro more ſuo graviter & nervosè) „ Theatrum vocat privatum conſiſto- „ rium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quàm quod alibi non pro- „ batur: ità ſumma gratia ejus de ſpurcitia plurium concinnata eſt, „ quam Attellanus geſticulator, quam mimus etiam per mulieres „ repræſentat, ſexum pudoris exterminans, ut faciliùs domi quàm „ in ſcena erubeſcant. Quaſi arcana omnia ad unum uſque pene- traſſet ſubdit D. Cyprianus. *Ut ad ſcenæ jam ſales inverecundos tranſitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accuſare quæ fiunt, agentium ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles jocos, paraſitos ſordidos*, &c. *Lib. de ſpect. cap. 17.* *Lib. de ſpect.*

§. 11. Sapientiſſimè juvenes admonendo omnes inſtruit S. Baſilius Magnus his verbis. *Omni cuſtodia animi cavendum eſt, ne per ſermonis voluptatem deliniti pravum aliquid aſſumamus veluti qui venena cum melle concinnant atque occultant.* Congruâ profectò pulchrâque ſimilitudine doloſum & damnoſum manifeſtat artificium; quia per Poëtas ſcribuntur, per Actores in ſcena propalantur adulteria, ſtupraque & amores Deorum obſcœni, & hi maximè Principis omnium ac Dominatoris Jovis: quæ ſanè ſcelera ſi quis de feris dixerit, erubeſceret: hac de cauſa dicit ſub medium. „ Oportet „ nec oculos ſpectaculis nec vanis præſtigiarum oſtentationibus tra- „ dere, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire: „ hoc enim muſicæ genus ſervitutis & ignobilitatis fructus parere, „ præterea libidinum ſtimulos acuere ſolet. Omnia damna quæ ex ludis ſcenicis oriuntur, prolixâ invectivâ minutim & eleganter recenſet Lactantius: „ In ſcenis, inquit, neſcio an ſit corruptela vi- „ tioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, „ aut amoribus meretricum, & quò magis ſunt eloquentes, qui „ flagitia illa finxerunt, eò magis ſententiarum elegantiâ perſua- „ dent; & faciliùs inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi „ & ornati. Item Tragicæ Hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia, & „ inceſtus Regum malorum & cothurnata ſcelera demonſtrant. „ Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud niſi libidi- „ nes docent & inſtigant? quorum enervata corpora, & in mulie- „ brem inceſſum habitumque molita impudicas fœminas inhone- „ ſtis geſtibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum „ præferentibus diſciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, „ & ſimulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes & virgines faciant, „ cùm & fieri ſine pudore & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? „ admonentur utique quid facere poſſunt & inflammantur libidine, „ quæ aſpectu maximè concitatur, ac ſe quiſque pro ſexu in illis „ ima- *S. Baſil. de legen. lib. gentil.* *Idem ibidem.* *Lib. 6. cap. 20.*

,, imaginibus præfigurat, probantque illa dum rident & adhærenti-
,, bus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur.

§. 12. Non invenuſtè ſingula modernis aliquibus Comœdiis adaptari poſſunt, quæ notam turpitudinis & rigorem judicii critici nullatenùs effugiunt, quia circumſtantiis à D. Thoma, ut licitè fiant, requiſitis planè deſtituuntur. Aſſerit S. Doctor exterioribus motibus corporis poſſe ineſſe virtutem aut vitium. Virtus moralis in hoc conſiſtit, quòd ea quæ ſunt hominis per rationem ordinantur. Manifeſtum autem dicit eſſe quòd exteriores motus hominis ſint per rationem ordinabiles: quæ ordinatio attenditur quantùm ad duo: ſecundùm videlicet convenientiam perſonæ & ſecundùm convenientiam ad exteriores perſonas, negotia ſeu loca. Undè S. Ambroſius, *Hoc eſt pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique ſexui & conditioni reddere.* De ſecundo ſubditur, hic eſt ordo geſtorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Andronicus allegatus à Doctore Angelico duo circa exteriores motus ponit ut induant rationem virtutis; ornatum, qui reſpicit convenientiam perſonæ, & bonam ordinationem, quæ reſpicit convenientiam ad diverſa negotia, & ea quæ circumſtant: quia verò ex illis homines de nobis judicium formant; *Ex viſu enim cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Et ſpecificè ex mente D. Ambroſii. *Ex motibus exterioribus homo cordis noſtri abſconditus aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut gravior, aut conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur.* Ideò quidquid deficit ab aſſignata regula turpe ac vitioſum cenſetur; ſicut & fictione quâdam in motibus exterioribus uti & illorum compoſitione ſtudium adhibere atque affectationem, non ut inordinatum corrigatur quod virtuoſum pronuntiat Ambroſius: *Ars deſit*, inquit, *non deſit correctio*, ſed quò à decentia in motu & habitudine longiùs recedatur. Quid frequentius quibuſdam noſtri temporis Comœdis quàm adficto verborum lenocinio veritatem adulterare? ſub illo cortice damna & peſtes celare? dulci iſtâ violentiâ aures pellicere, ad illicita percipienda patulas & avidiſſimas reddere, animos quòvis inflectere, veras virtutes mimico riſu exſibilare, vitiis & corruptelis omnibus morum adulari, impudenti licentiâ inverecundiæ patrocinium, quin & ſtimulos præbere, omnem undequaque collectam mundi vanitatem auribus, oculis, animis inſtillare, ità ut nulli magi, nulli venefici omnes animæ facultates æquè potenter norint incantare.

22. Quæſt. 168. art. 1.

In libro de Officiis.

Eccle. 19.

Lib. 1. de Offic.

Lib. 1. de Offic.

Con el verſo limado y la maraña con la razon aguda el donayre el trage y el buen talle.

§. 13. Id genus hominum rectè Hiſpani *Faranduleros* vocant, qui favore, applauſu & dulcedine vitiorum deliniti omnem ætarem

tem in voluptatibus conſumunt, & ſtudium omne ac induſtriam imò felicitatem ipſam in eo collocant, ut exquiſitè ad gratiam & palatum ſpectatorum loquantur; tanto conatu, tanto ambitu vel unum applauſum theatralem emendicant. Adjice fictum riſum, laſcivos geſtus, oculos lubricos, molles atque effœminatos inceſſus, fractos & obſcœnos ſaltantium motus, pernicioſa canentium ſuſpiria, viros muliebri ſtolâ indutos, muliebriterque incedentes, quodque ſub interminatione anathematis Canones prohibent mulieres virili habitu virum ſalaciter agentes, omni repletas nequitiâ & dolo, inſtructiſſimas ut fucum faciant: & quaſi membra laſciviæ deſint, faciem veſtiunt cum pudoris damno, novas illecebras & impoſturam per larvas inducunt, quibus armis atque machinis junctim oppugnatur honeſtas, pudicitia, innocentia, & proh dolor! ſæpiſſimè expugnatur. Graphicè viviſque coloribus expreſſum ſolutæ hujus corruptæque vitæ typum & laſcivientis ævi mores edidit Clemens Alexandrinus: diceres ipſum continuò ſpectatorem aſſiſtere. Alexidis Comici verba adfert perpetuam & immutabilem mulierum illarum impudentiam pudore afficientia. „ Eſt aliqua, „ inquit, parva? ſuber in calceis inſuitur. Longa eſt aliqua? te„ nues geſtat ſoleas. Supercilia flava habet aliqua? depingit fuligi„ ne. Alicui ut ea nigra ſint contingit? tollit ceruſa nigrorem: ſunt „ alicui nimis alba? unguento ei rei facto deterit alborem. Habet „ aliquam corporis partem candidam? eam nudam oſtendit: bel„ los habet dentes? rideat neceſſe eſt, ut præſentes videant quàm „ ſit ei os venuſtum. Hæc ex profano authore ſua his connectit. „ Ornantur ut aliis placeant, quæ in facie non in corde glorian„ tur. Sicut enim notæ inuſtæ fugitivum, ita etiam floridi colores „ adulteram indicant. Vittæ certè & earum permultæ differentiæ, & „ curioſæ ac ſupervacuæ capillorum plicaturæ, & crinium innume„ rabiles figuræ, & pretioſæ ſpeculorum ſtructuræ quibus ſe com„ ponunt, dum venantur eos qui puerorum more inſipientium „ formas admirantur: ſunt fœminæ quæ omnem pudorem exue„ runt, quas qui meretrices vocaverit, is non aberraverit, ut quæ „ ex vultibus ſuis perſonas faciunt.

Diſtinct. 30. can. ſi qua mulier.

Lib. 3. Pædag. cap. 2.

Idem ibidem.

§. 14. Neſcio an quiſquam inveniatur, qui acriùs theatrorum impuritates perſtringat, quàm S. Salvianus Maſſilienſium Epiſcopus. „ Talia enim ſunt, inquit, quæ illic fiunt, ut ea non ſolùm „ dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine pollutione non poſſit. Alia „ quippè crimina ſingulas ſibi fermè in nobis vendicant portiones, „ ut cogitationes ſordidæ animum, ut impudici aſpectus oculos, ut „ auditus improbi aures: ità ut cùm ex his unum aliquid erraverit, „ reli-

De gubern. Dei lib. 6.

„ reliqua poſſint carere peccatis. In theatris verò nihil horum reatu „ vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu „ oculi polluuntur. Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere „ queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum „ obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœdita- „ tes? quæ quanti ſint criminis vel hinc intelligi poteſt; quòd & rela- „ tionem ſui interdicunt. Subjungit denique aliquid quo nihil acerbiùs aut graviùs dici poteſt. „ In ſpectaculis quædam apoſta- „ ſia Fidei eſt, & à Symbolis ipſius & cæleſtibus Sacramentis lethalis „ prævaricatio. Quæ eſt enim in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum

Ibidem. „ prima confeſſio? quæ ſcilicet, niſi ut renuntiare ſe diabolo ac „ pompis ejus atque ſpectaculis & operibus proteſtentur? ergo ſpe- „ ctacula & pompæ, etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt „ diaboli.

§. 15. Non ignorantur pœnitenda ſpectaculorum contagia; admonetur omnis ætas auditu fieri poſſe quod aliquando factum eſt, ut exempla ſint, quæ jam eſſe facinora deſtiterunt; „ & ſicuti „ dum impudicam exprimebånt Venerem, adulterum Martem, „ Jovem illum ſuum non magis regno, quàm vitiis principem, in

S. Cypr. Ep. 2. ad Donat. „ teneros amores cum ſuis fulminibus ardentem: nunc in plumas „ oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum „ pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire, fiebant olim mi- „ ſeris & delicta religioſa: ita nunc quoque adulterium diſcitur, dum videtur. Evirantur mares, omnis honor & vigor ſexûs enervati corporis dedecore emollitur; moventur ſenſus, mulcentur affectus, expugnatur boni pectoris conſcientia fortior: delectat tamen in mimis turpitudinum magiſterio vel quid domi geſſerint, vel quid gerere poſſint audire, ſpectatur ibi profectò nefas & libenter, quia lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo non deſunt probo blandienti patroni, non ſuffragatores, non rationis judicium ſed vitioſam propenſionem conſulentes. Dicunt animi relaxandi gratiâ, ut promptior & vegetior ad opus reddatur, Comœdias eſſe neceſſarias: non abnuo juſtum & rationi conſonum aliquod requiri in Republica curarum lenimen, nam,

Quod caret alternâ requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaque membra levat.

Ovid. in Ep. Phed. Hipp.

Dummòdò conditiones illis, quas D. Thomas exigit, inſint. Tullius ſiquidem dicit. *Facilis eſt diſtinctio ingenui & illiberalis joci.*

Lib. 1. de Offi. *Alter eſt, ſi tempore fiat, ut ſi remiſſo animo, homine libero dignus. Alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibeatur verborum ob-*

ſcani-

ſcænitas. Omnis autem recreatio vacare debet immodeſtiâ & ſcurrilitate. *Ut enim pueris*, inquit, *non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Decorum verò eſt quòd ità naturæ conſentaneum ſit ut in eo moderatio & temperantia appareat cum ſpecie quâdam liberali.

§. 16. *Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines & optimi cujuſque & reliquorum*: Quidquid enim quod deceat, id tùm apparet cùm antegreſſa eſt honeſtas. Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus; ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Hæc præſcripta in Comœdiis ſervanda. Addunt exceſſus in actibus quoque aliis humanis exſurgere, qui tamen non prohibentur, ita neque Comœdia debeat interdici. Huic nullo negotio occurri poteſt, quòd illud, quod rationis dictamen excedit per geſtus laſcivos, verba obſcœna prætermiſſo ordine, loco, tempore & aliis circumſtantiis debitis, criminoſum ſit & actus illi de ſe illiciti. Negant inſuper Comœdias poſſe edicto aboleri, ubi tantùm exceſſus tollendi ſunt; quemadmodûm arte medicâ corpus à ſuperfluis & noxiis purgatur humoribus: non enim ſunt facienda mala ut eveniant bona. Fatendum eouſque contagioſas eſſe ut ſi quotidiè in eis corrigantur vitia, nova denuò emergant, quorum pernicioſiſſimum motuum videlicet & verborum obſcœnorum rariſſimè tollitur: adeòque ſalutare eſt ac præſentiſſimum remedium, ut penitùs de cœtu hominum eximantur,

Idem ibidem.

D. Thom. 22. q. 168. art. 3.

——— Ut inutile membrum
Enſe recidendum eſt ne pars ſincera trahatur.

Non eſſe facienda mala ut eveniant bona in ipſos regeritur. Licet enim ex eo quòd permittantur aliquæ Comœdiæ modernæ non nihil ſequatur boni, plurima tamen ex iis naſcuntur in Republica mala, atque ita exiguum bonum malum multiplex obnubilat. Objiciunt poſtremò uſum Comœdiarum valdè antiquum, cui, ſi abrogetur, ſuccedent novitates aliæ bono publico damnoſæ: *Anceps enim & operoſa nimis eſt mutatio quæ ſubitò & cum quadam violentia ſuſcipitur.* Sed in vitiis neque jure divino neque humano currit præſcriptio; & Platonis ſententia eſt, *Mutationes omnes eſſe periculoſas, niſi de malis ſit.* Quò enim conſuetudo mala (quæ potiùs corruptela dicenda) magis eſt inveterata, efficacius remedium poſtulat ut eradatur. *Nulla enim remedia*, Cicerone atteſtante, *quæ vulneribus adhibentur, tàm faciunt dolorem quàm quæ ſunt ſalutaria.*

Ariſt. lib. 6. polit.

In Epiſt. ad Octav.

§. 17. Quando verò in Comœdiis integrè decorum, & ordinis ac temperantiæ regulæ obſervantur, omninò commendantur. Fabula enim fuit inventa & in actus ſcenicos diſtributa ut ſpectantis mentem animaret ad virtutes, revocaret à vitiis. Sic Ilias Homeri oſtendit: quantum calamitatis afferat libido, Odyſſea virtutis exemplar expreſſit: delectat autem vehementiùs & efficaciùs perſuadet: delectat, quia morum facetâ quâdam imitatione capit imperitorum animos; fidem facit, quia verum quaſi ponit ante oculos. Ad molles & meliores vias animos inſtituit vitæ, ità de Poëtâ Horatius.

Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aures,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Epiſt. lib. 2. *Aſperitatis & invidiæ corrector & iræ.*

Hujuſmodi Comœdiæ ſunt ſpecula bonorum morum, imagines veritatis, quæ ingenia ſanare, fidem in rebus humanis retinere, ac memoriam officiorum animis ingerere ſolent, ut per illas poſſit

Quis verè numeroſque modoſque ediſcere vitæ.

Uti enim non mediocris melodiæ rectæ differentia à turpi atque obſcœna eſt quæ ad meliora excitat ſequenda, cantus quippè nonnumquam & concitata modulatio inſtigat; undè Alexandrum aiunt Xenophanto canente manum ad arma miſiſſe, David verò ſacrorũ Canticorum Poëta citharâ ex inſania Saülem Regem liberavit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens tibicinem juſſiſſe convivio luxurioſo præſidentem mutare harmoniam ac Dorion ipſis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad ſobrietatem reduxiſſe: qui ejectis de capite coronis ſanè omnes erubuêre. *Martius quoque ille tubarum ſonus movet mentes, & militaris viri in media pace jam togati aures tuba ſuſcitat, equoſque caſtrenſes erigit crepitus armorum.* Ità
Sen. lib. 2. de Ira cap. 2. inter turpes & decentes Comœdias plurimùm intereſt, quæ Principibus rationabiliter ſuadentur, *Quia jocus*, ex doctrina peripatetica, *gratiâ requietis eſt, ac requiem neceſſe eſt eſſe jucundam: eſt enim medicina moleſtiæ illius, quæ per labores ſuſcipitur; & ratio degendi*
Ariſt. lib. 8. polit. cap. 5. *otii non ſolùm honeſtatem habere debet, verùm etiam voluptatem.* Conſentaneum eſt autem imò neceſſarium ut tot curis & ſolicitudinibus animum diſtentum quandoque relaxent

Plerùmque gratæ Principibus vices;

Ut hoc pacto valeant ſolicitam frontem explicare: tum etiam quia in iis tamquam ad ſpeculum mores & vitam ſuam poſſunt corrigere, ſalu-

ſalutaria veritatis monita, quæ ab aſſentatoribus de induſtria celantur, percipere, ex variis rerum caſibus & viciſſitudinibus diſcere, ſceptrum fallax eſſe bonum, & potiſſimùm illud quod Sapiens de quibuſdam ait: *Æſtimaverunt eſſe ludum vitam noſtram.* Non autem ut hi finem perperàm in delectatione ludi conſtituentes, ſed ne vitæ fallacis umbraticis nimiùm inhæreant voluptatibus eam ludum exiſtiment. Sap. 15. v. 2.

§. 18. Ludit mundus, ludit fortuna cum ſuis amatoribus, ſicut meretrix cum ſuis amaſiis, quos deludit & expilat, perindè ac Felis ludit cum Mure,

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Horat. Carm. lib. 3. Ode 29.

Ludit avarus ſuis nummis, ludit ambitioſus officiis & honoribus ſuis, ludit guloſus ſuis epulis, luxurioſus delectationibus carnis. Jacitur alea de tota æternitate, prodigitur ſæpiſſimè beata cæli gloria. *Tota vita noſtra mimus eſt, ſcena, & fabula.* Quam Attalus de divitiis ſententiam tulit, eamdem, ſi rectè judicamus, de quibuſcumque fortunæ bonis ferre nobis licebit, ut æquanimitate inſignes non fortunâ lætâ intumeſcamus, non triſti indoleamus. Parùm mutatur homo cùm adveniunt illi crementa extrinſecùs, extra hominem ſunt fortunæ caſus; adjectitia planè divitiæ & honores. „ Diu mihi, inquit Attalus, impo- „ ſuêre divitiæ. Stupebam, ubi aliquid ex illis alio atque alio lo- „ co fulſerat: exiſtimabam ſimilia eſſe quæ laterent his quæ oſten- „ derentur. Sed in quodam apparatu vidi totas opes urbis, cæla- „ tas ex auro & argento, & his quæ pretium auri argentique vice- „ runt, exquiſitos colores, & veſtes ultra non tantùm noſtrum, „ ſed ultra finem hoſtium advectas. Hinc puerorum perſpicuos „ cultu atque formâ greges, hinc fœminarum, & alia quæ res ſuas „ recognoſcens ſummi imperii fortuna protulerat. Attendite nunc ſincerum & ſolidum viri magni de his omnibus judicium. Secum ſermonem inſtituit. „ Quid hoc eſt, inquam, aliud quàm irritare „ cupiditates hominum per ſe incitatas? quid ſibi vult iſta pecuniæ „ pompa? ad diſcendam avaritiam convenimus. At me herculès „ minus cupiditatis iſtinc effero, quàm attuleram. Contempſi di- „ vitias, non quia ſupervacuæ, ſed quia puſillæ ſunt. Vidiſtinè „ quàm intra paucas horas ille ordo quamvis lentus diſpoſituſque „ tranſierit? hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum

Epict. Enchir. 23.

Sen. Ep. 110.

 „ diem

„ diem occupare non potuit? acceſſit illud quoque. Tàm ſuperva-„ cuæ mihi viſæ ſunt habentibus quàm fuerant ſpectantibus. O pectus præceptis moralibus rectè & plenè imbutum. Audiamus quâ ratione animum adverſùs iſta firmet, ut omnes eâdem viâ in doctrina ſapientiæ confirmet. Sic proſequitur. „ Hoc itaque ipſi „ mihi dico quoties tale aliquid perſtrinxerit oculos meos, quoties „ occurrit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica for-„ moſis impoſita calonibus. Quid miraris? Quid ſtupes? pompa „ eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt. *Præterit enim figura hujus mundi.* Eadem ſeu potiùs majora protuliſſet, ſi nuperrimum Reginæ Galliarum introitum ſpectare redivivo contigiſſet: ad quem videndum non urbs ſolùm populoſiſſima, ſed orbis pœnè univerſus viſus eſt in turbas ſeſe effudiſſe. Quando illi occurriſſent pompæ ac portenta luxûs, ipſáque fortuna omnes vires ſuas in ſumptu oſtentans; quando vidiſſet Porticus, Pyramides, Arcus triumphales, &

——In mediâ pegmata celſa viâ.

Opere Dorico, Corinthiaco, Attico; tabulata quoque tacitè in ſublime creſcentia variis Emblematibus diſtincta, laquearia laborioſâ auri picturâ corruſca, in quibus novi Zeuzes, Parrhaſii, Apelles naturæ opera coloribus vicerant: quando ſtatuas perluſtraſſet, in quibus Lyſippi, Phidiæ, Praxiteles ſudarant, maturæ artis mera miracula. Quando tot prodromos auro gemmiſque fulgentes, Nobilium, Magnatumque centurias; Regem velut alterum Alexandrum Bucephalo inſidentem, Reginam in curru triumphali ſpectabilem ſibimet indubiè objeciſſet. *Quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur: & dum placent, tranſeunt.*

Cap. 14. v. 2. §. 19. Quid mirum? homo ipſe, teſte Propheta Job, *Numquam in eodem ſtatu permanet.* Septuaginta, *non ſtabit.* Tum ex communi omnium mortalium tum ex peculiari corporis ſui infirmitate ac debilitate S. Job illud dicere potuit. Homo enim continuò labitur, ſeneſcit, dum vivit moritur. Undè D. Auguſtinus. „ Ipſum „ diu vivere quid eſt aliud quàm ad finem currere? habuiſti heſter-„ num diem, habere vis & craſtinum diem: ſed cum dies iſte „ tranſierit & craſtinus, minùs illum habes: ideò optas ut luceſcat „ dies, ut appropinquet ibi quò non vis pervenire. Optat tibi ami-„ cus multos annos, vis nempe ut veniant anni, & non vis ut ve-„ niat finis annorum. Studia tua contraria ſunt. Ambulare vis & „ pervenire non vis. Ipſi dies non ſunt, & quomodò cum illis vis ſtare? Rectè quoque alibi dicit: *Mortalem dicam vitam, an mortem vi-*

De verb. Dom. ſerm. 39.

In lib. Cõfeſſ.

vitalem, *neſcio.* Et in hac vita, quæ potiùs mors dicenda eſt, aut curſus ſive fluxus rapidiſſimus ad mortem, eſt *Univerſa vanitas omnis homo vivens*: Quicumquè ille ſit etiam Rex & Monarcha dum vivit, dum viget, dum floret, dum omnia ad votum illi fluunt, eſt univerſa vanitas ſive univerſitas vanitatis. Quidquid in illo videmus, admiramur & ſuſpicimus, ſanitas, robur, pulchritudo, divitiæ, dignitas, potentia, totum fragile & momentaneum eſt. Antiſiodorenſis ſic hunc verſiculum exponit. *Eſt univerſa vanitas, id eſt, laborando incurrit omnimodam vanitatem animæ & corporis.* Quia & cogitat & laborat in terrenis, quæ ad nihilum tendunt. Et licet vanis ſit deditus, *Verumtamen in imagine pertranſit homo*, citò hæc omnia vana deſerit, ut imago tranſit in ſpeculo. *Conſideravit enim ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Homo pertranſit ac perambulat viam vitæ hujus in imagine rerum, non in rerum veritate; habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non vera bona, non res veras, ſed umbras atque imagines rerum bonarum. Vita enim, quam hic degimus, imago eſt vitæ beatæ quæ ſola vera vita, ſanitas hujus temporis imago eſt immortalitatis, quæ ſola vera ſanitas, pulchritudo, quæ hic cernitur, vix umbra eſt futuræ; terrenæ divitiæ non ſunt divitiæ, ſed imagines cæleſtium: uti gloria, celſitudo, ſapientia humana umbræ ſunt illorum quæ in ſuperna obtinentur felicitate. Porrò phraſis iſta (ut notavit Cardinalis Bellarminus) *In imagine pertranſit homo*, ſimilis eſt illis in Scriptura Sacra frequentibus, ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione: ambulare in veritate, cui poteſt opponi ambulare in imagine, quatenùs imago opponitur veritati.

Pſal. 38. v. 8.

In hunc locum.

Verſ. 9.

Jac. 1.

§. 20. *Sed & fruſtra conturbatur*, Fruſtra ſine ullâ cauſâ conturbatur homo in rebus corporalibus anxiè conquirendis vel conſervandis: fruſtrà gaudet in earum lucro & in jactura triſtatur, quaſi res eſſent ſolidæ, veræ ac permanentes; cùm imaginariæ dumtaxat ſint, fragiles, caducæ: *Præterit enim figura hujus mundi.* Quantùm id deplorandum! ob chimerica & ludrica ſeſe torquent aliqui, ſe cruciant; de æternis ac de veris bonis illis vix cogitatio aut ſolicitudo ſubit; actus maximè ſerios, qui Religionem aut diſciplinam morum concernunt, perfunctoriè & tantùm pro forma (ut ajunt) tractant, non prævidentes, quòd ſtrictus & inexorabilis Judex in fine ſeculi eos, qui obiter ac negligenter negotium Domini geſſerunt, non ſpecie tenùs, aſt ſeriò & verè condemnabit. Fruſtrà ſanè conturbatur homo, ſi probè intelligat, ait D. Chryſoſtomus, quòd ſit figura tota vita præſens, & fallacia atque à ſomniis nihil diſtet: *Præterit enim figura hujus mun-*

D. Chryſoſt. tom. 4. Homil. 39.

mundi , „ Velut umbra & ſomnium præterlabitur , nihil habens
„ verum , nihil ſtabile. Quomodò non igitur puerilis ſit mentis
„ circa umbras attonitos eſſe , & in ſomniis altum ſapere , &
„ in his tabeſcere quæ paulò poſt tranſeunt ? *Præterit figura hu-*
„ *jus mundi.* Cùm igitur audieris quòd tranſit , quid ampliùs
„ jam quæris ? cùm audieris quòd figura tantùm ſunt huma-
„ na , veritate carentia , quare ſpontè deceptionem ſuſtines ?
„ nec eorum mutabilitatem cogitans , & inſtabilitatem , hæc
„ quidem prætercurris , ad illa verò deſiderium non transfers
„ in æternum manentia , immota , ſtabilia , mutationem non
„ admittentia ? Pulchrè , viriliter , ſolidè , addit Doctorem
gentium dicere. *Nam quæ videntur temporaria ſunt* , brevi præterfluunt. Imò in imagine ipſe pertranſit homo , ac ſi dictum eſſet , inſtar imaginis pertranſit homo ; ut non ſolùm res humanæ ſint imagines rerum verarum , ſed ipſe etiam homo non ſit tàm homo , quàm hominis imago in tabella depicti.

SYMBOLUM XXIV.



FAtalem habent omnia hæc mundana chriſim,& non modò annum, ſed diem,horam, imò momentum climactericum. Numerum climactericum in humanæ vitæ annis maximè formidabilem eſſe Veteres prodidêre. Climactericus græcè, latinè poteſt dici ſcalaris ἀπὸ τῶν κλιμα τήρων quo nomine Græci ſcalarum gradus ſignificant; undè numerus climactericus dicitur, ad quem per gradus & veluti ſcalas quaſdam aſcenditur. A quibuſdam proindè annus octogeſimus primus climactericus eſt habitus, quo ætatis anno Plato Philoſophus, Diogenes Cynicus, Dionyſius Heracleotes, Eratoſthenes Geometra diem ſuum obiiſſe leguntur. Alii annum ſexage-

ſimum tertium, quem etiam Climactera idcircò vocabant, periculoſum judicarunt. Alii annum undequinquageſimum; alii ſeptimum quemque, aut ex ſeptennariis deductum; qualem numerant vigeſimum primum, quadrageſimum ſecundum, ſexageſimum tertium, & omnium maximè octogeſimum quartum.

§. 1. Ut ut eſt, omnia fortunæ mancipia & ambitionis monſtra meritò formidare debent ut verè climactericum illum annum, diem, horam, illud inſtans, in quo gratiâ, divitiis, auctoritate maximè pollent. Homo non poteſt fixè & immobiliter in gradu ſuo perſiſtere: cùm ad ſummum pervenit, deſcenſus aut ruina illum expectant. Summè bona valetudo ſummè periculoſa eſt. Plerùmque magnis gaudiis dolores adhæreſcunt. Magis periculoſa eſt navigatio cùm anceps velum ventus ſecundus & laſciviens quodammodò nunc in hanc nunc in illam partem impellit, quàm cùm adverſo turbine ſinus obliquat Gubernator. Quem pluribus fortuna beneficiis ornavit, ad duriorem caſum ſolet reſervare. Effuſiorem lætitiam lacrymæ plerùmque excipiunt; quin & honores, dignitates, favores in aliquem liberaliter collati conſueverunt præambuli eſſe ac præludia magni alicujus infortunii. Sæpè in portu fit naufragium, & ſol quò calidior, eò majorem ac tenebricoſiorem projicit umbram. Omnis felicitas dubia eſt, & cùm omnia quæ exceſſerunt modum noceant; periculoſiſſima felicitatis intemperantia eſt. Ruminet ſeriò omnis quem favor Principis extulit dictum Mecœnatis. Vera in ipſo equuleo docuit, id eſt in dignitate & Sen. Epiſt. 19. aulâ ad mentem Lipſii, ubi aſſidua tormenta: *Ipſa altitudo*, dixit, *attonat ſumma*, percutit nimirùm, ac veluti ſonitu quatit. Omnia potuit apud Auguſtum: nihil ei defuit, præter hoc quieſcere & ſecurum eſſe. Ruinam ſuam tamquam certam atque exploratam habeat. Periculoſiſſimum gratiæ culmen eſt, omnium invidiæ & cenſuræ patet, ſequiturque vertigo prærupta cernentes.

§. 2. Suſpectus fuit ſemper Didaco Arias Cubiculario Joannis Regis Caſtiliæ, & ſummâ apud Dominum gratiâ ridentis fortunæ nimius favor, ſolito propterea clavum aſſiduè optare, quo inſtabilem magnorum Principum gratiam affigeret, ne facilè poſſet avolare, quo rotam fortunæ detineret, ne quem in ſublimi locarat, ad ima deprimeret. Hunc invenerat Petrus Albizius Florentinus cives omnes auctoritate, divitiis & potentiâ longè ſuperans. Sed quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! pulchrè Epiſt. 36. Seneca: *Res eſt inquieta, ipſa ſe exagitat, movet cerebrum, non uno genere alios in aliud irritat; hos in potentiam, illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit & totos reſolvit. At benè aliquis illam fert: ſic,*

qua-

quomodò vinum. Sunt nimirùm felices qui temperant, nec abutuntur, ſed qui ut vino felicitate utuntur, hoc eſt modico nec abundanti. Nec medio nec remedio proſperè uti voluit Albizius : cautionem & prudentem circumſpectionem amicorum non admiſit. Illos ad magnificum invitarat epulum. Menſis ſecundis illatis inter bellaria clavus repertus fuit magnâ omnium admiratione ; ex quo amicorum quiſpiam de numero augurari cœpit, illumque admonere ut fortunam in ſummo conſiſtentem trabali hoc clavo affixam teneret. Noluit intelligere ut benè ageret. Præſagium eventus infauſtus ſecutus eſt Albizio non fortunis tantùm omnibus exuto, ſed ignominioſa quoque morte affecto. Fortuna magna non caret formidine. De Mecœnate loquitur Seneca : *Ingenioſus vir illè fuit, magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum enervaſſet felicitas ; imò caſtraſſet. Hic te exitus manet, niſi jam contrahas vela, niſi (quod ille ferò voluit) terram leges.* Tutius eſt ad ſummum quàm in ſummo. Epiſt. 19.

§. 3. Rectè idcircò bulla eſt ſymbolum fragilitatis humanæ. Bulla appellatur tumor ille perexiguus qui ex ſtillicidiis in aqua naſcitur, aut ex aqua & ſmegmate conficitur : eâdem facilitate quâ gignitur, reſolvitur & deficit, potiſſimùm cùm maximè excrevit variis coloribus fulgens. *Sicut enim qui mel multum comedit, non eſt ei bonum* ; ſic ei, qui ad celſa honorum faſtigia emerſit, evenire ſolet. Dulciſſimum eſt mel, dulces imò prædulces honores & gloriæ humanæ faſtigium ; ſed ſicut mel immoderatè ſumptum officit ſtomacho, ita honor & felicitas nimia ſupra vires, ſupra facultates & conditionem cujuſque, nociva eſt. Quando ad ſummum fortuna repleverat Aman dulcedine ſuâ, nauſeam ipſi ſubitò provocavit : *Necdum verbum de ore ejus* (ſcilicet Regis Aſſueri) *exierat, & ſtatim operuerunt faciem ejus.* Hæc erat Perſarum ſicut aliarum gentium conſuetudo, ut reis mortis velaretur facies. Sic probat Romanorum illa familiaris & legitima formula : *I lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici ſuſpendito.* Necdum verbum de ore Regis exierat & bulla maximè ſplendeſcens evanuit. Tutius eſt ad ſummum quàm in ſummo ; & quicumque gratiâ ac potentiâ floruit, mox ut fortuna ipſi adverſa eſt, mirabilem patitur in omnibus eclypſim ; ex toto deſtituitur, nullus eſt qui manum porrigat, nemo qui ſuſtentet. *Sicut enim qui mel multum comedit non eſt ei bonum.* Melle nullus eſt gravior liquor, reliqui enim melli innatant, ideò mellis copia nimia ventriculum onerat, reliquis alimentis ſubſidit, & ad imum ſtomachi demittitur : ſic honor dum quæritur in admiratione eſt, dum paratur dulcis ac jucundus ;

Prov. 25. v. 27.

Cap. 8. lib. Eſther v. 10.

partus verò oneri eſt: nam voluptas diſcedit, gravitas manet. Præterea mel flatus excitat, ſtomachum inflat ac diſtendit, ita honores primùm inflant, poſteà in amaritudinem convertuntur.

Lib. 2. de Ira cap. 21. §. 4. „ Non vides, ait Seneca, ut majorem quamque fortu- „ nam major ira comitetur? felicitas iracundiam nutrit, ubi aures „ ſuperbas aſſentatorum turba circumſteterit. *Tibi enim reſpondeat? non pro faſtigio te tuo metiris, ipſe te projicis*: „ & alia quibus vix ſanæ „ & ab initio benè fundatæ mentes, reſtiterint. Deindè aviditati aliorum, & invidiæ expoſita eſt magna felicitas, numquam ſine æmulo, numquam ſine obtrectatore; plura in illam ſatyricè congeruntur; inſuper in plures alias amaritudines tranſeunt honores, ſicut mel dulce convertitur in bilem amaram. Si parum mellis guſtati Jonathæ filio Saülis tanti ſteterit, ſi extemplò converſum ſit in amariſſimum abſinthium; ut voce lamentabili exclamarit: *Parum mellis comedi, & ecce morior*, quantum periculi non adfert voraci qui ſe illo ingurgitaverit? tam oneroſa eſt proſpera fortuna, ut

—— *Mole ruat ſua.*

Nihil medium eſt inter ſumma & ima: aut in ſumma per abruptum iter aſcenſus, aut in ima præceps caſus: conciliare extrema infra ambitionem eſt, mediocribus contineri infra dominandi libidinem. Cauſa infelicitatis eſt nimia felicitas. Momento tranſigitur felicitas, quam in momento operata eſt fortuna: quæ tamen inſtar bullæ cùm ad votum & oſtentationem ſplendet, frangitur. Benè ſe explicat adagium Hiſpanicum:

No ſeria fortuna
Si fueſſe ſiempre una.

Lib. de Provid. cap. 6. Quàm venuſtè Seneca! *Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecùs culti.* Appoſitè ad rem noſtram: „ Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas. Cruſta eſt & quidem tenuis. „ Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent „ & imponunt: cùm aliquid incidit, quod diſturbet ac tegat, tunc „ apparet, quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſ- „ conderit.

§. 5. Incidi nuper in Epiſtolam Franciſci Petrarchæ Poëtæ Laureati tàm dextrè & miro adeò dictatam artificio, ut ſi legatur directè prout ſcripta eſt ac interpunctionibus ſuis diſtincta, maximoperè ab omnibus virtutibus illum, cui miſſa eſt, commendat; ſi verò retrogradè prorsùs contrarium recipit intellectum ſtantibus iiſdem verbis.

verbis. Improperat nimirùm & exprobrat luculentiſſimè ei, ad quem ſcribitur, vitia, mala plurima imprecatur, eumdemque execratur. Tale mihi ſemper viſum eſt fortunæ ludibrium, dum ſplendet, dum adblanditur, dum benefica eſt, dum honores & favores plenâ manu depromit; ſi ſuperficialiter & primâ facie illa inſpiciantur, magna, excelſa, ſummoperè expetenda judicabuntur: ſin autem retrogrado ordine, à calce ad caput gradatim aſcendendo videantur & diligenter ac prudenter circumſpiciantur, ſagax introſpector dubio procul deprehendet, gratiam, potentiam nihil præter laqueos eſſe, honorum culmina, præcipitia, divitias vincula & compedes. Hujuſmodi pro teſtamento omnibus reliquit teſtimonium Galigaya conjux Ancræi in ferali theatro conſtituta, & jam jam à lictore ferienda: „ Fluxam dixit eſſe fortunam, planèque „ inſtabile quodcumque homines beat. Armillis, ingentiſque pre- *Gramond. Hiſt. lib. 2.*
„ tii unionibus, queis revincta collum, brachia, pectus, ſucceſ-
„ ſiſſe in præſens nodoſos funes, quibus adempta libertas omnis. Agnoſcet rerum humanarum vices ut ſunt inſtabiles, ut lubricum eſt quodcumque fortuna molitur; raro ſeneſcit non ſuâ vi nixa potencia. Ad fidem faciendam exemplar Epiſtolæ hic ſubjunxi, quod ita ſe habet.

§. 6. „ Jucunda ipſa felicitate, lætiſque iiſdem ſucceſſibus te „ proſperis potiturum, numquam quælibet te paſſurum adverſa. „ Probate reverà: fide & operibus amice non ficte vir. Intimis affe- „ ctibus geſtio, ac jugiter Deum oro, prolongentur dies tui, nec „ tibi ſit vita brevis. Divitiis affluas, neque careas ergò cunctis op- *Epiſt. 57.*
„ tatis. Debita quæpiam hæc tuæ virtuti non vitiis. Verſus ad com- „ mendationes tui promere volui ſtilo ſonante diſpoſitus fidelitatis „ in tuæ laudes non jurgia criminandum: ſi quid fuerit tegens de „ tui rubore; pandens tua tamen egregia non infima opera prædi- „ canda. Cognovi te moribus perfectum in cunctis. Quadruplici „ virtutum Cardinalium radio abſque vitiorum maculis aſperſum „ ſic jugiter extitiſſe. Virtutum ipſarum ordinem ſervandum non „ jam præpoſterandum ideò duxi, ſingula ordinata in te facere: „ quoniam ſemper novi probas te providum in futuris, caves ſem- „ per pericula neque proſpera fortunæ nixu animi complecteris. „ Diſpoſita in te præsētia ſolerti non ſegni ſtudio certa in actibus tuis „ oſtendis. Compoſitum hic animum, numquam rudem effecti- „ bus monſtras. Amplectenda ſunt utique non aſpernenda ope- „ rum tuorum geſta probanda re ipsâ. Exemplorum veterum Illu- „ ſtrium memorem: non excordem namque te fuiſſe prorsùs & „ eſſe homines proclamant. Promptâ non diſgregatâ memoriâ.

„ Tribus itaque temporibus tuus animus manet diſpenſatus in ſingulis: prudentiâ omni ac peritiâ rerum abſque cordis quorumcumque naturaliter inſita tibi. Dilectam juſtitiam in judicando foves. Præmia bona non ſupplicia juſtis, iniquis pœnarum diſcrimina non coronas dudum tribuere didiciſti. Veritati ſimilis, abdicatis tibi flagitiis, reddis hominibus omnia ſua, non piger aut iniquiſſimus cenſor. Servans dubio procul miſericordiam in ſeveris, & pietatem in rigoribus ſemper tuis: cedens ex animo clementi in adjectionibus pœnarum. Donator liberalis, nemini parcus, largitor munificus, non avarus. Execraris vitia non virtutes. Mores honeſtiſſimos inſectaris. Honeſtum nil quoque penitùs eſt iniquum quod operaris. Juſtos & bonos ſequeris per omne tempus. Pius in conſiliis, juſtus in operibus tuis. Conſtantem in animo te certè noti ferunt; felici ſtatu humiliari non exaltari, adverſis eventibus fortem non depreſſum te reddere. Fortitudinem ac virtutem omnibus temporibus invincibilem ſic ſpernans agnoſceris. Declamaris animo probo re verâ, famâque publica longanimis non trepidus, fervidus non remiſſus, ſtrenuus non vecors diceris apparere. Sanctâ modeſtiâ pulchrâ caſtri margiâ fungeris. Caſtimoniâ, rejectâ laſciviâ delectaris. Temperatum in verbis & actibus, cibis & potibus, te die ac nocte morum tuorum ac vitæ experti manifeſtiùs atteſtantur. Deo atque hominibus grata in omnibus opera patent. Meditaris nam jugiter quodque fas, ne pereas anima mala nece. Felicem in gradibus ſingulis dicere malim te: probandum te conſona: veritate perſpicuâ cunctis nota. Regno digniſſimum: indigniſſimum rure. Cunctis notoria. Hæc ſumma Epiſtolæ. His & ſimilibus modis ac verbis noxium adulatorum genus adblandiri ſolet, dum fortunam ſequitur, & non cum homine ſed cum fortuna loquitur: vafrè imponit, defectus celat, aut virtutum iis faciem tribuit; dicit noctem diem, & lucem tenebras, dicta ſingula approbat,

Horat. in Epi. ——— *Quidquid calcaverit hic roſa fiet.*

Quæ ſi rectâ judicii trutinâ expendantur, contraria ſunt, ſiniſtra, & ab omni prorsùs laude aliena: quin & probra atque dedecora. Quid mirum orientem Solem adorare ſolet Elephas maxima belluarum; ſic & magnates: in caducum quippè parietem ſi quis inclinet & ipſum ruere & parietem evertere mutuâque ſeſe ruinâ conficere ſępè compertum eſt. Certè tàm in publicis quàm in privatis Trog. Pomp. negotiis: *Quòcumque ſe fortuna eodem etiam favor hominum ſeſe inclinat.*

§. 7. Ediderat ignotum Principum Aulæ prodigium Carolus Quin-

Quintus Imperator, ut cùm poſſet imperare deſiſteret, ipſomet teſtante apud Famianum Stradam his verbis : *Exemplum meum pauci imitabuntur : nam & ego quem ſequerer ex omni retrò antiquitate vix habui.* An curarum fluctibus terminum ponere voluerit, an abjectis calcatiſque utroque in orbe faſcibus ampliſſimi dominatûs ab inuſitato victoriæ genere, novos gloriæ titulos (ut erat famæ indulgentiſſimus) non facilè æquandos concupierit, an ut ſibi & animæ tantummodò ſaluti conſuleret, iſtius abdicationis cauſa fuerit, quòd plerique amplectuntur, incertum. Callidiores, quibus in abdita conari mos eſt ut loquitur Strada, ex fortunæ mutatione conſilium cœpiſſe ſuſpicabantur, & vulgò credebatur Cęſaris fortunam faſtidio ac ſatietate jam captam retrocedere cœpiſſe, prudenterque illum veritum fortunæ aleam & Martis vices incertas, manum (quemadmodùm prçcauti aleatores ſolent) à ludo opportunè retraxiſſe ne parto tot victoriarum cumulo jactu videlicet unico exueretur. Quidquid ex his cauſis illum moverit parùm intereſt, proprio tamen didicit experimento, quòcumque ſe fortuna, eodem etiam favorem hominum inclinari. Cùm Vliſſingæ ex tanto dominatore jam nullus ventos navigationi propitios expectaret, factum, ut cum Seldio Ferdinandi fratris Legato in ſeram noctem de rebus ſeriis ageret. Jam & nox & lumina ſomnum poſtulabant: ſignoque nolâ dato, nullo ex Miniſtris ſomno vinoque ſepultis accurrente, ipſe Carolus candelam arripit Seldio quovis modo renitenti prçfert, eique per gradus ad quietis locum deducto, *Hoc tibi monumentum*, ait, *Cæſaris illius Caroli habeto Seldi, tot exercitibus & ſatellitibus quondam ſtipati, quem nunc ſolum & à familiâ etiam deſertum vides, & cui tot annis ſerviviſti, ille tibi ſerviit & lumen prætulit.* Ita comparatum eſt ut plures orientem Solem adorent quàm occidentem. Admirabilius eſt quod de Comeſtabili Luynæo refert Gramondus. In ſtupendam is gratiam & potentiam brevi ſpatio evectus tandem Longę-Tilliç morbo epidemico interiit. Nondum exhalaverat animam, cùm defuêre amici, familiares, medici, & ſupellex omnis: ſtatim deſertum Luynæi limen, quique turmatim litaverant fortunæ adultæ dum ſtabat, execrantur cadentem, & abdicant. Quanta amicis fides qui Aulam ſequuntur! reliquis ejerantibus gratiam, Abbas Rouſſelayus & Contadus mortuæ fortunæ litant, quod in Aula rarum. Deficientibus ad juſta exequiarum cereis & ſyndone, ære illi ſuo comparant. Poſſidebat quæ in aulicum cadunt omnia, nec inventa in tanta ſupellectile carbaſus tumulando. In quo ſpirabant omnia deſtitutus omnibus exſpirat ſolus. Quàm patheticè & quantâ cum emphaſi fortunæ ſpectaculum

Lib. 1. de Bello Belg.

Citbr. Orat. de Carolo V.

Hiſt. Galliæ lib. 11.

lum, triſte humanæ vitæ ſpeculum poſteritatis oculis objicitur. Dictum Ariſtotelis eſt in re ſimili: *O amici amicus nemo.*

Apud Laërt.

§. 8. Ne quidem fortunæ eſt fidendum licet is penes quem vitæ & necis alicujus arbitrium eſt, fidem ſuam jurejurando obſtrinxiſſet: *Humanarum enim actionum felicitas infelicitaſque non è ſingularibus earum particulis, quæ multæ ſunt ac variæ, ſed ex eventu judicantur.* Numquam tam neceſſarium Principi ſe quiſpiam exiſtimare debet, ut cogitet hunc operâ ſuâ carere non poſſe; neque ſtudeat umquam magis timori eſſe quàm amori; id Hermeas in ſummo dignitatis faſtigio conſtitutus regnante Antiocho Seleuci filio cognomento Callinico tragico ſuo docuit occaſu. Difficile ſanè eſt fovere & conſervare benevolentiam illam tot caſibus atque affectionibus animi obnoxiam. Habraymus ſummâ apud Solymanum gratiâ & auctoritate Memphiticâ præfectura ornatus, interque purpuratos Viſiris dignitatem adeptus, cui Imperator Regii Scrinii ſigillum tribuerat, & tantùm non conſortem Imperii effecerat multiplici jam victoriarum ac triumphorum titulo celebris; prævidens fatale periculum iis eſſe, qui Principibus tantoperè in amoribus ſunt, amorem & indignationem in Principibus adeò contraria eſſe inter ſe, ut nullum inter ea medium intercedat: momento temporis ab uno extremo tranſiliri ad aliud, ab igne ad gelu, flammæque inſtar in corde Principum gratiam, eâdem facilitate, quâ ſuccenditur, rursùs extingui; eminentes dignitates odium & invidiam apud alios excitare, totque hoſtes ſe nactum quot æmulos: erat enim vir prudens & perſpicax, conſilium de ſtabilienda ſecuritate ſua agitare cœpit: adeoque tutiſſimum ratus littus legere periculiſque ſeſe eripere; votis omnibus precibuſque à Solymano poſtulabat, liceret ſibi minùs invidendo ſed tutiori frui vitæ ſtatu. Ferunt fidem in ea verba ita Principem dediſſe, ut numquam eo vivo vitam ereptum polliceretur: ſic ut eâ inanis juramenti religione obſtrictum, ne datam falleret fidem, non aliter quàm altè ſternenti necem intuliſſe; quoniam Taliſmanes Sacerdos, divini interpres juris, dormientem nequaquam cenſeri inter vivos, cùm unâ vigiliâ totius vitæ actus conſtaret, aſſeveraſſet.

D. Servilii ex Dion. Hali. lib. 9.

Polyb. lib. 5. Hiſtor.

Paul. Jov. Hiſtor. lib. 33. ſub finem.

§. 9. Non deſunt prætextus invidis ac æmulis ut aliquem de gradu & ordine deturbent. Sincerum fervidumque zelum pro bono publico Phreneſim nonnumquam aut Maniam interpretantur, & tenacitatem juſtitiæ (quam mali, quòd eis liberioris vitæ licentiam adimit, pati nequeunt) ſtoicam rigiditatem. Quorum judicium non minùs fallit, quàm levis & tenuis conjectura ex aſpectu unico, motu, geſtu deſumpta, quâ ſeverus quis, iracundus, levis aut incon-

inconſtans judicatur, cùm ex continua actionum ſerie vitæque tenore firmius ac ſanius formareтur judicium: ſæpiſſimè enim in nobis non ex nobis motus exſurgunt, hi quia non voluntare noſtra fiunt, invicti & inevitabiles ſunt. Deindè ſi à populo favor dependet, nihil eo fragilius; breves & infauſti eſſe ſolent populi amores, qui nonnunquam ſe non judicem modò, ſed & carnificem conſtituit. Pulcherrimum oculis ſpectaculum præbebat ſphæra vitrea Archimedis, in qua mundus & cælum cum ſtellis ſuis relucebant; ſed ictu lapidis tota auferebatur ſpectantium voluptas. Ad hunc modum fortuna proſpera dum nimiùm ſplendet, exili obruitur caſu; ſic & arbores pluribus quàm conveniat fructibus gravidæ nimiâ ubertate luxuriant, & lampades olei redundantiâ extinguuntur. Nimiâ felicitate non modò corrumpimur, ſed invidiæ ſtimulos in noſtram excitamus perniciem,

—— *Inter*
Hectora Priamidem, animoſum atque inter Achillem — Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. 7.
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors
Non aliam ob cauſam, niſi quòd virtus in utroque
Summa fuit.

Quid ſi ab ore & exiſtimatione vulgi quis totus dependeat? bellua eſt multorum capitum, & tàm cruenta ut nemini parcat. Ab infauſtis illius ac ſummè mordacibus dentibus, temerariâ, inquam, & turbulentâ cenſurâ nec Rex in throno, nec privatus in gratia, nec Judex in tribunali, nec Religioſus in cellula, particularis in domo ſua, ſacerdos in Eccleſia, nec ruſticus in tuguriolo aut gurguſtio ſuo tranſit immunis. Promiſcuè in omnes maledicam exacuit & exerit linguam, de omnibus conqueritur; ita ut nec ſacræ Regiæ Majeſtati valeat ad hanc penitùs reprimendam auguſtum purpuræ, nec amico Principis authoritas, Judici virga æquitatis, Religioſo auſteritas vitæ, particulari metus vindictæ, Sacerdoti ſtatus & Ordinis dignitas, conjugatæ Sacramenti Matrimonii reverentia, ruſtico labor improbus & continuus ſudor quo ſibi victum comparat, ut miſeram vitam ac familiam ſuſtentet. Neſcio quanam in parte corporis fera hæc bellua habeat oculos (mentis oculos volo) quando pro libitu & arbitrio ſuo poſtpoſito rationis dictamine, nulla habita ratione veritatis & circumſtantiarum, ex præpoſtera tantummodò & vitioſa propenſione viventes interimit, probos offendit, in gratiæ atque honoris culmine poſitos dejicit, omnes infamat.

§. 10. Non ſolùm ipſa felicitas ſed & illius cupiditas, affectatio videlicet dignitatum & ſitis, cùm homines ſive ad divinos, ſive ad humanos honores aſpirant, eoſdem ridiculos reddit. Mene-

crates Medicus in tantam prolapſus eſt arrogantiam & mentis cæcitatem, eò quòd arte ſua plurimos è mortis faucibus eruiſſet, ut non dubitaverit Jovis ſibi nomen adſcribere tali uſus exordio, in Epiſtola ſua ad Philippum Regem Macedonum, *Philippo Menecrates Jupiter ſalutem*: cui Philippus latenter & cautè irridens mortalis inſaniam reſpondit: *Philippus Menecrati ſanitatem.* Hannon quoque Carthaginenſis omnium ſeſe riſui ac ludibrio expoſuit, cùm præ nimia ambitione inter Deos cenſeri voluit, utque divinitatis affectatæ longè latèque famam diffunderet, eaque in ore hominum crebreſceret, plures aves ad diſcendas cantiones idoneas coëmit, & in tenebris obſcuroque loco aluit, ſolùmque unam cantilenam illas docuit. *Hannon eſt Deus.* Quæ cùm una dumtaxat audita voce, eam complexæ eſſent conſuetudine; aliam aliò, in diverſas plagas dimiſit, arbitratus avium carmen de ſe vulgatum iri. At illæ ſemel alis ſolutæ libertatemque adeptæ, & ad conſuetum victum ſibi reverſæ, naturalem tantùm vocem ediderunt, & divinitatis Hannonis ſunt oblitæ. Laconicè & patrio more ſubſannaverunt ſtuporem animi, ſtultitiam Alexandri ad Græcos ſcribentis ut ſeſe Deum facerent, Lacedæmonii edito deſuper hoc decreto: *Quoniam Alexander Deus eſſe vult, eſto Deus.* Meliùs fortaſsè ridiculam ejus ambitionem exploſit, qui depicto globo totius mundi deſuper ſcripſit, *In puſillo nemo magnus.* Excedit menſuram & capacitatem hominis honor divinitatis, ideoque in puſillo nemo illius magnitudinem valet attingere. Magnus rerum naturalium perſcrutator Plinius admirabilium & miraculorum terræ exordium facturus ab eo illud deſumere voluit, quod ſibi miniſſimum viſum ſemper fuerit, inquiens: *Quoniam à miraculis rerum cœpimus, ſequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum eſt, aliquid naſci aut vivere ſine ullæ radice.* Hoc magnum illum Philoſophum maximè ſollicitavit atq; obſtupefecit. Cur in hæc miracula ambitioſi non diligenter inquirunt? quòd ſine baſi non poſſint ſtare, ſine fundamento excelſa gloriæ exſtruere monumenta, ſine radice in præconcepta ſpe celſitudinis naſci aut vivere? vident quàm fluxum, quàm caducum, quàm labile ſit omne quod moliuntur, & non cogitant quòd in miraculis vel maximum ſit aliquid naſci aut vivere ſine radice: ea quæ radice carent minimo flatu concuſſa extirpantur.

Ælian. lib. 4. de var. hiſtor.

§. 11. Quot ſunt de quibus verificatur illud Prophetæ: *Mox ut honorificati & exaltati fuerint: deficientes quemadmodùm fumus deficient:* non perſtabunt in gloria ſua, ſed mox ut honoribus, dignitatibus, divitiis exaltati fuerint, poſt modicum temporis ut fumus ſubitò evaneſcent & deficient ſuæ gloriæ nullum relinquentes veſtigium:

Pſalm. 36. v. 20.

gium: fumus enim quantò altiùs aſcendit, tantò citiùs à ventis diſſipatur. In ſuperbis quantò gradus excellior, tantò caſus velocior & gravior. Cognovit hoc ille qui dixit, *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*: Cognovit & Similis qui depoſitâ Palatinâ præfecturâ ſub Adriano Cæſare, quæ dignitas Auguſtorum magnitudini proxima erat, in agro privatus per ſeptennium vixit, & tumulo ſuo inſcribi juſſit: *Hic Similis jacet, cujus ætas multorum fuit annorum, & tamen ex iis ſeptem ſolùm vixit.* Annorum enim in ambitioſo magiſtratu multitudinem in mortis ſorte computavit: ſolos paucos, quos in privato otio degit, ad vitam referens. Congruentiſſimè Seneca: „ Satis vita longa & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota benè collocaretur. Sed ubi per luxum aut negligentiam defluit, ubi nullæ rei bonæ impenditur, „ ultimâ demùm neceſſitate cogente quam ire non intelleximus, „ tranſiſſe ſentimus. Conſentiit Simili ratione vitæ ſimili Carolus Quintus abdicato à ſe potentiſſimo Imperio ad D. Juſti in Hieronymianum Cœnobio incluſit ſe condiditque vivus, tantùm eâ ſolitudine & curarum oblivione captus ut priſtinos mores planè exuerit. Adeò natura facilè redit ad ſtatum ſtaturamque ſuam, ſi quæ illam inflabat ac diſtrahebat ambitio, detumeſcat.

Fulgoſ. lib. 4. cap. 1.

De Brev. Vitæ cap. 10.

Fam. Strada lib. 1.

§. 12. Multùm, ut ſæpiùs dictum, invidetur homini felici & fortunato, cui propriæ fortunæ placidus Zephyrus leni aſpiratu ſubblanditur: multum illi undequàque imminet periculi, nemini verò aut paucis invidioſus eſt qui ærumnis dejectus humi jacet. Qui ſeſe negotiis ſubducunt, qui noverunt à ſe removere pompam, & uſu rerum ornamenta metiri, ſpes effrænatas atque animum in futura eminentem velut ſub vinculis habere, inveniunt expertem publicæ privatæque curæ tranquillitatem; ſciunt tali otio quod unum præferri poſſit, nuſquam eſſe: ad publica negotia, ad gubernacula, ad honores, ad Rempublicam non accedent, cùm in Athenienſi Socrates damnetur, Ariſtoteles ne damnaretur fugiat. In Carthaginenſi fuerit aſſidua ſeditio & optimo cuique infeſta libertas, ſumma æqui ac boni vilitas, etiam adverſus ſuos hoſtilitas; in aulis denique Principum opprimat ſæpiùs invidia virtutes. Rectè Seneca: *Qui multa agit ſæpè fortunæ poteſtatem ſui facit, quam tutiſſimum eſt rarò experiri, cæterùm ſemper de illa cogitare, & ſibi nihil de fide ejus promittere. Negat*, idcirco alio loco, *navigandum in eo mari, in quo naufragia fieri ſoleant & frequenter ſubitæ tempeſtates ſint, quæ rectorem in contrarium rapiunt.* Satius eſt cum Simili & Carolo Quinto quietis portum eligere, quàm omni vitâ pendêre, inter ſpem metumque ancipitem hærere; ſicut illis contingit quos ad profeſſio-

De tranquill. animi cap. 13.

De otio Sapientis in fine.

nem ſpecioſam alligatos, & ſub ingenti titulo laborantes, in ſua ſimulatione pudor magis quàm voluntas tenet: quorum ſpecioſa tantùm ſunt nomina, vera diſcrimina; à quibus ſæpiſſimè ſua repetunt ſpolia & exuvias ſpoliati, non ſecùs quàm ab illo graculo Æſopico cæteræ aves ſuas plumas.

§. 13. Pauper & privatam degens vitam vix habet quod timeat, qui verò rebus fruitur ſecundis ſemper debet metuere,

Sen. Trag. in Thyeſte.

Illi mors gravis incubat
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur ſibi.

Attenta & ſeria horum meditatio Eremum replevit Monachis, Cælum Sanctis. Felicitas nocet nimia, *In virtute non eſt verendum, ne quid nimium ſit, quia in ipſa eſt modus. Non eſt bonum quod magnitudine laborat ſua.* Exteriora proindè tales contemnunt ſpectaculo ſui læti, curant ut ſibi ipſe animus hæreat, ſe colat, nihil alieni agat, nihil quod ad extraneum judicem ſpectet, Deo & ſibi ut placeat, ut vita æquali & uno tenore procedat; *Animuſque propitius ſibi ſit & ſua lætus adſpiciat: & hoc gaudium non interrumpat, ſed placido ſtatu maneat, nec attollens ſe umquam aut deprimens*: Ad illud aſſidua incumbunt ſollicitudine, illud votis omnibus à Deo expoſcunt. S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus concionabatur quondam in illa civitate die Aſſumptæ Virgini & Matri ſacrâ, monebatque auditores identidem ſacer Antiſtes, ut data occaſione, quâ ſolent ampliora gratiarum impetrari beneficia, ſecum Auguſtiſſimam implorarent Cælorum Imperatricem, quatenùs die inaugurationis ſuæ in Angelorum Reginam anniverſaria dignaretur liberaliore manu & pleniore ſinu divitias bonitatis ſuæ humano generi maximè neceſſarias ac proficuas in omnes effundere; atque imprimis dixit: *Oremus ut in proſperis ſit Protectrix.* Sciebat vir ſanctus quanta ſerenitate & tranquillitate frueretur pauper & ſuæ invigilans ſaluti contempta felicitate terrena: rursùs perſpectam habebat rerum humanarum conditionem, non ignorans quibus tempeſtatibus jactari, quibus procellis concuti, quantis obnoxii ſoleant eſſe periculis hi, quibuſcum proſperè agitur; quòd magna fortuna ſit magna ſervitus, eamque continui hoſtes ac metus varii obſideant: tempori igitur proſpero neceſſariam magis judicavit Beatiſſimæ Virginis opitulationem, *Oremus ut in proſperis ſit Protectrix.*

Sen. de Vita beata cap. 14.

Sen. de tranquill. animi cap. 2.

§. 14. Memorabile quiddam ex authoritate Phiſiologi de Turturibus narrat Petrus Berchorius: *Quando volant*, inquit, *verſus Aquilonem non habent rectorem: econtrà verò, ſi ab Aquilone verſus Auſtrum volaverint, tunc habent rectorem quem ſequuntur.* S. Gregorius

In reduct. moral. lib. 7. cap. 7 o. nu. 10.

rius Nyſſenus, Philo Carpathius, Juſtus Orgelitanus, Apponius in expoſitione illius Cant. 4. v. 16. *Surge Aquilo & veni Auſter*, aiunt, Aquilone propter vehementes flatus ſignificari adverſitates, Auſtro verò ob lenem & placidam ſpirationem denotari ſæculi hujus proſperitates: quòd Turtures tunc viæ ducem habent, quando Auſtrum petunt, qui ſignum eſt felicitatis, & abſque moderatore ad Aquilonem calamitatum ſymbolum pergunt, naturæ myſterio & magiſterio docemur, eos duce & directore plurimùm egere, qui opibus ac felicitate abundant, magnis utpotè & variis circumdati periculis. Hoc eſt quod magnus ille Theologus S. Gregorius Nazianzenus innuit, *Profectò*, dicit, *facilius eſſe videtur adverſam fortunam ferre, quàm ſecundam conſervare* Explicat ſe ipſum Berchorius, cujus ſunt iſta: „ Sic illi qui in Aquilone id eſt frigore adverſitatis habi„ tant, non egent rectore, quia vexatio dat intellectum; undè in „ illo ſtare poteſt homo, & ſe ſufficienter regere per ſe ipſum. Sed „ illi qui ad Auſtrum mundanæ proſperitatis anhelant, rectore „ provido indigent, qui ipſos regat, & manu teneat. In cacumine montis Thabor, quando tres diſcipulorum chariſſimi unà cum Domino JESU perfruebantur tantâ animi voluptate ex intuitu illuſtris gloriæ divini ſui Magiſtri, ut Petrus extra chorum ſaltans inenarrabili jucunditate ſui nullatenùs compos ibi ſedem figere, ne umquam interrumperetur, inſtantiùs poſtularet; Patris æterni vox ſonora cęlitùs delapſa clamans, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, impotenti huic deſiderio remoram non modò objecit, ſed & reliqui cum ipſo diſcipuli hanc cùm audirent, *Ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valdè.* Aliàs Chriſto baptizato à Joanne in Jordane ſimilis vox fuerat audita nihilque tale contigerat. Myſterium hujus rei ſic percunctatur Euthymius: *Atqui priùs*, inquit, *in Jordane vox facta eſt hujuſmodi, & nullus umquam tale paſſus eſt. Quomodò ergò nunc hi prociderunt in faciem ſuam?* In promptu illi eſt reſponſio, ex diſcrimine loci in quo utrique auditores erant cauſam diſparitatis conjectanti. Qui in Thabor Patris ęterni verba audiebant, in loco erant editiſſimo, *Duxit* enim *illos* Dominus *in montem excelſum.* Qui apud Jordanem audiebant in loco erant plano & humili: *Illi igitur in Thabor timuerunt*, inquit Euthymius, *quia in montis excelſi vertice conſtituti, illi apud Jordanem nihil formidârunt, quia in plano erant.* Sequitur vertigo prærupta cernentes.

Orat. 14.

Matth. 17. v. 5

v. 6.

Matth. 17. v. 5.

§. 15. In celſo gratiæ ac dignitatis apice poſiti non ad actum excitantur tantùm, ſed ad ſtrepitum, illoſque etiam & roſæ (quod dicitur) umbra quandòque terret; quemadmodùm aves inanis

fundæ ſonus territare ſolet, ita ad omnes oblatas rerum ſpecies timor iſtorum percutit animum cogens hunc quemlibet fortuitum motum ſequi; ad omnem vocem tremunt, dejici continuò metuunt; miſerè anguntur futuris, nec tormento ſeſe reſervant, ſed accerſunt ſibi miſerias. In humili loco quis ſecurè degit, extra ictum fluminis, extra invidiam, extra caſum, extra metum tempeſtatum & anxietatem fortuitorum. Revertebatur à cæde Godorlahomor ſpoliis & gloriâ onuſtus magnus Patriarcha Abraham & tunc apparuit ei Dominus dicens: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces magna nimis.* *Geneſ.15.v.1.* Quid ſibi iſta volunt? poteratnè eſſe timori locus pugnâ jam feliciter confectâ debellatiſque penitùs hoſtibus? ſi in procinctu ſtaret ad confligendum, ob incertos & varios belli exitus jure poterat conturbari. Imò verò vel ob id maximè dicunt Nicolaus Lyranus & Abulenſis quòd è prælio opulentus & triumphator redibat illi erat pertimeſcendum. Proſper rerum ſtatus, fortuna ex ſententia planè ſecunda propter inconſtantiam, fragilitatem, perfidiam, lubricitatem ſuam non ſolùm cauſat ſed & extorquet timorem. Gratum & amabilem fortunæ Zephyrum à favendo dictum volunt favonium, quem tamen ventum ſummoperè adverſum appellat Sanctus Anſelmus *Tom. 1. verbo felicitas.* apud Guillielmum Eboracenſem, ſic ait: *Felicitas ſæculi ventus eſt contrarius.* Quandò nullus renititur navigantibus ventus, quàm hilares curſum ſuum Nautæ conficiunt, quàm læti omnes aut celeuſma canunt aut ſecuri dormiunt; at cùm ventus exurgit contrarius maximè validior, qui conſilium omne & operam ſuperare incipit; quanta & quàm ſubita ingruit animis vectorum conſternatio, quanti curarum fluctus! adverſitas mare tranquillum eſt, pacatum, ſedatum. Verùm proſperitas & vitæ hujus felicitas ventus eſt contrarius. Quot turbines, quot motus non excitantur in mari cordis illius, qui gratiâ, opibus & potentiâ excellit! ſævis undique perturbationum atque ſollicitudinum fluctibus conquaſſatur, numquam illi alcedonia ſunt.

§. 16. Apud Veteres inſtabilitatis fortunæ memores conſuetudo obtinuerat, aſſerente Tertulliano, ut ovantibus idem ſeriò inculcaretur: ,, Hominem, inquit, ſe eſſe etiam trium- *In Apologet. adverſus gentes. cap: 33.*
,, phans in illo ſublimiſſimo curru admonetur. Suggeritur enim
,, ei à tergo Reſpice poſt te. Hominem memento te. Etiam
,, utique hoc magis gaudet, tantâ ſe gloria corruſcare, ut illi admoni-
,, tio conditionis ſuæ ſit neceſſaria. Philippus Rex Macedonum in mediis Aulæ deliciis puerum voluit indies ſibi acclamare hominem

te memento Philippe. Honores, dignitates, munia publica non tamquam hæreditaria poſſeſſione propria vindicari debent, ſed cenſeri ſolummodò concredita & commiſſa, ad nutum ſuperiorum aut certè fortunæ amovibilia. Ideò Regius Propheta illis imprecatur mala, *Qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Utque nihil inſtabilius eſſe demonſtret proſperitate impiorum, aptiſſimâ ſimilitudine deſcribit interitum illorum procedentem ex juſto Dei judicio: *Deus meus*, inquit, *pone illos ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Rota enim ſemper circumvolvitur cùm ruit in præceps, nec ad punctum temporis conſiſtere poteſt, & tandem tota confringitur. Sicut etiam ſtipulæ flante vento huc illucque jactantur, donec diſſipatæ non ampliùs compareant. Hic exitus nimiâ felicitate inſolentes plerùmque manet.

Pſalm. 12. v. 11.

v. 12.

§. 17. „ Sed & quotidiè adſtipulante D. Chryſoſtomo, in omni „ ætate contemplamur interitum, in cunctiſque ex rerum eventu „ inſtabilitas quædam exprimitur & ſignificatur, non hyems, non „ æſtas, non ver, non autumnus perpetuò manent, ſed decurrunt „ omnia, evolant & delabuntur. Dicet aliquis hominis illius magna „ eſt potentia, verùm duratura in poſterùm uſque diem, & paulò „ poſt interitura, quod ita eſſe ex longè olim potentioribus patet, „ qui nuſquam in præſenti apparent. Anima hæc tantùm quæ nobis „ ineſt, etſi neglecta, æterna eſt: at rebus quæ immutari poſſunt, „ tamquam perpetuis omni ſtudio & curâ incumbimus, illius verò „ nullam habemus in æternùm manſuræ rationem. *Puta*, inquit Seneca, *Deum dicere vobis dedi bona certa, manſura: quantò magis verſaveritis, & undique inſpexeritis meliora majoraque permiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecùs: bona veſtra introrsùs obverſa ſunt.* Cur ad hanc legem ac normam vitam noſtram non componimus? viæ ducem & præceptorem requirimus? Salomonem nobis offert D. Chryſoſtomus qui exactè hujus rei experientiam cepit. „ Hunc ſanè, ait, nemo umquam deliciis, „ gloriâ, ſapientiâ, dominatu, omniumque rerum ad voluntatem „ ſucceſſu anteivit, nihil tamen ex omnibus cepit utilitatis, quin „ ea omnia vanitatum vanitatem appellat, & vana univerſa cujus „ vanitatis non ſimplicitatem ſed exceſſum expreſſit; cedamus obſecro ei, qui rerum hujuſmodi experientiam conſecutus eſt, mo„ rem obtemperemus, inquam, illi, & his rebus incumbamus, in „ quibus nihil eſt inane: ſed vera omnia, certa ac ſtabilia ſunt, & „ cuncta lapide deſuper conſtructa, in quibus, inquam, nihil ſeneſ„ cit, nihil præterit, quin virent omnia & floreſcunt, neque quid„ quam vetuſtate confectum ad interitum tendit.

Tom. 2. ſerm. 22.

Lib. de Provid. cap. 6.

Tom. 2. ſerm. 22.

SYM-

SYMBOLUM XXV.



De ſera Num. Vindicta.

ADonidis in hortis nihil ſerebatur quod fructum proferret, ſed illa tantùm quæ oblectationi & deliciis eſſe poſſent. Undique viſebantur flores ſed brevis ævi, qui ipſum Adonidem referebant in primo ætatis flore præreptum. Non diſſimiles ſolebant eſſe mulierum horti quos, Plutarcho atteſtante, in teſtis quibuſdam alebant, curabantque futilia omnia & caduca, atque ad octo tantùm, ut Plato dixit, dies vernantia. Cum flore, qui citò marceſcit atque ultrò concidit etiamſi neque aëris violentia decutiatur, neque excidatur ferro aut decerpatur manu, breviſſimo tempore abſumitur omnis fragrantia, ſuavitas, color, decor, magni-

gnitudo, temeritas atque mollities. Undè Plutarchus: *Florum de-* Lib. 3. ſym-
tractatio vindemiæ cuidam eſt ſimilis, tantumque à nocendo abeſt, ut ii poſ cap. 1.
ultrò marceſcentes decidant niſi tempeſtivè demantur.

§. 1. De homine ait Job, *Quaſi flos egreditur & conteritur.* Cap. 14. v. 1.
Flos humanæ vitæ naſcitur mundo viſendus, atque in omnium oculos lucemque producitur, *& conteritur.* Propriè, præſciditur, conſcinditur, concidit, exciſus cadit. Septuaginta ſic habent, *tamquam flos efflorescens decidit*, id eſt in ipſa efflorescentia, ſimul atque egreſſus eſt carpi debet & ſumma cum feſtinatione, alioquin languet & defloreſcit. Videtur enim vigilare ac ſummo manè exſurgere mors ad carpendos flores, & expectare ut ſtatim ac ſe aliquis aperuerit illum falce demetat: tanta eſt humanæ vitæ brevitas, tanta inſtabilitas; imò decor ac gloria, quæ interdùm turgere videtur, atque ejus pulchritudo in hujus vitæ convallibus vernare & florere, quæ facilè caſu aliquo inopinato defloreſcit aut extinguitur. Quod elegantiſſimè exprimit Doctor Joannes de Montalvan in perſona alicujus Amarillidis, quæ ad brevitatem & fragilitatem florum alludens de pulchritudinis ſuæ conquerebatur occaſu:

Ayer una roſa uſana
Salió à la primera aurora
Con eſmaltes de oro y grana
Y oy el ſer de ayer ignora
Mirad que ſerà mañana.
Yo fui ayer lo que oy no ſoy
Y mañana ſegun voy
Lo que ſoy vendrè à perder
Porque es de ſer à no ſer
Lo que và de ayer à oy.
No os admire flores mas
Saber, que aveis de bolver
La pompa en cenizas frias
Que no ſer oy lo que ayer
Es achaque de los dias.

Tomad exemplo de mi
Pues ſin mirar lo que fui
Oy me piſan los paſtores
Y oygo dezir à otras flores
Que ayer maravilla fui.
Ayer de mi verde nido
De blancas hojas cercada
Sali rompiendo el veſtido
Con la camiſa bordada
Y el cabello bien prendido.
Y llegando à verme oy
Tan otra flores eſtoy
Que ya cantan por aì
Que ayer ſol del prado fui
Y oy ſombra mia aun no ſoy.

§. 2. Rectè poteſt humana felicitas dici flos abſque fructu, undè
Baldad Suhites quando dixit, *Numquid virere poteſt ſcirpus abſque* Job cap. 8. v. 11.
humore, an creſcere carectum ſine aqua? cùm adhuc ſit in flore, nec capiatur manu, ante omnes herbas areſcit; ſignificare voluit per florem ſcirpi quem Interpretes juncum aut papyrum reddunt, nihil ſtabile à fortuna datum eſſe, ejus omnia fluere aurâ mobilius, nullum eſſe fructum junci aut papyri præter flores teſte Plinio, qui ait de papyro
Semine nullo eſſe, aut uſu ejus alio, quàm floris ad coronandos Deos, Lib. 13.
omnem humanæ vitæ ſplendorem, dignitatem, gloriam, ſceptra, cap. 11.
diademata, inſignia Regalia his rectè floribus comparari; florere virereque ante alias herbas juncus aut papyrus videtur, ſed etiam

Ii ante

ante alias herbas depaſcitur à bobus & aliis beſtiis; aut cùm aruerit ante alias ad pabulum prębendum colligitur & avellitur à bubulcis. *S. Auguſt. in Pſalm. 102.* *Totus ſplendor generis humani honores, poteſtates, divitiæ flos fœni eſt: & ſicut vix annua eſt pulchritudo agri, & perexiguo tempore transeunt flores, qui ſunt virtutes herbarum, ſic & humana proſperitas.* Papyri nullum alium uſum eſſe dixit Plinius niſi floris ad coronandos Deos: Judices & Principes terræ à Domino vocari Deos aſſerit Regius Propheta in perſona Dei loquens: *Pſal. 81. v. 6.* *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes*, ob authoritatem & poteſtatem ipſis à Deo ſive immediatè, ſive mediatè communicatam. Videte undènam Regium Diadema deſumpſerit antiquitas; Ageſilaum narrat Plutarchus *Plutarch. in Ageſilao.* papyro coronaria delectatum fuiſſe, eamque diſcedentem à Rege petiiſſe & accepiſſe. Milites quoque in exercitu Pharnacis tumultuariâ *Lib. 3. c. 28.* coactâ manu, latiorem illi ſcirpum, dum ipſum in Regem aſſumunt, pro diademate dediſſe refert Alexander ab Alexandro. Non abſimilem jocum factum inſano cuidam Carabæ ab Alexandrinis in odium & ludibrium Regis Agrippæ ſcribit Philo his verbis: „ Miſe„ rum hunc in ſuperiori quodam loco ſtatuunt, ut ſpectari poſſit *Lib. in Flaccum.* „ ab omnibus, moxque capiti diadema imponunt papyraceum, „ pro paludamento corpori ſtoream induunt, pro ſceptro fructum „ arundinis humi ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic orna„ tum Regiis inſigniis, & in Regem transformatum, more hiſtrio„ nico adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipant pro ſatelli„ tio: tum alii ſalutatum accedebant, alii ſibi reddi jura petebant: „ alii conſulebant eum de Republica.

Matth. 27. v. 29. Joan. 19. v. 3. §. 3. Simillimam Chriſto Domino impoſuerunt perſonam milites illudentes ei, atque *plectentes coronam ſpineam, veniebant & dicebant: Ave Rex Judæorum.* Divinitati illius non floribus junci aut papyri, ſed acutiſſimis cuſpidibus ſpiniſque juncorum per ludibrium ſupplicare videbantur. Ludicra illa ſcena ſed maximè cruenta non vacabat myſterio; & verè per coronam ſpineam adumbrabatur Regium quodcumque diadema, quod licet pretioſiſſimis undique margaritis & adamantibus, aureiſque floribus reſplendere appareat, re ipſâ tamen hęc omnia meriſſimæ ſpinæ ſunt, quæ continuò tempora pectuſque lancinant. Benè attendit Seleucus Aſiæ Rex quòd curarum & inquietudinum ſpinis diadema Regium eſſet circumſeptum, quòd nullus in eo unio non eſſet ſudor, nullus rubinus non eſſet ſanguis, nullus adamas non quodammodò terebra; ideò dicere ſolebat: *Plutarch. an ſeni tractanda ſit Reſp.* *Si ſciret vulgus quàm laborioſum ſit legere aut ſcribere tot epiſtolas, Diadema ne humo quidem tollere dignaretur.* Quid prodeſt rerum Dominis tot provincias, dominia & prędia poſſidere

ſi

ſi die nocteque malè torquentur? Hieron apud Xenophontem in omnibus deterioris conditionis privatis Tyrannos eſſe fusè & per partes declarat. Illorum tantùm bracteata felicitas eſt, vera miſeria. Omnis illis libertas, vitæ jucunditas, familiaritas & amicorum dulce contubernium adimitur. Hieron utramque expertus fortunam cum Simonide de iniquitate ſortis Regiæ ita conqueritur: *Jam verò metuere turbam, metuere ſolitudinem, metuere ſatellitii abſentiam, metuere ipſos etiam cuſtodes, ac nec inermes illos velle habere apud ſeſe, nec armatos videre libenter, an non res miſera?* Quid juvant ædificia ſumptuoſa, lecti eburnei, lectiſternia ſerica vel aurea? ſi noctes dieſque inſomnes ducendi ſint? cibi delicati, aquæ diſtillatæ aut vina pretioſa non ſolùm amovent curas, ſed ne quidem leniunt. Xenophontis Hieron ſive Tyrannus.

§. 4. Damocli uni ex aſſentatoribus cùm Dionyſius Tyrannus fortunæ Regiæ periculum facere permiſerat, & collocari juſſerat in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili, magnificis operibus picto, abacoſque quamplures ornaverat argento, auroque cælato: tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſſerat conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, odores, epulæ; in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti juſſit, ut impenderet illius Beati cervicibus. Itaque neque pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam, jam ipſæ defluebant coronæ. Quid ni defluerent? cùm tam ſubitò mordaces curæ intercipiant gaudia, timor repentinus pallorem lividum inducat & flores marceſcere faciat; aut quia flores ipſi etymologicè juxta Iſidorum ſint quaſi fluores, quòd citò decidant, & citò ſolvantur, certè Cic. lib. 5. Tuſc. quæſt.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium, cytharæque cantus
Somnum reducent. Horat. lib. 3. Ode 2.

Deteſtatus eſt Damocles ob imminens vitæ periculum fortunam Dionyſii, & Maximus interfecto per dolum Valentiniano tertiò Auguſtus factus vehementer ingemuit quòd voti ſui compos factus fuiſſet, uſque adeò ut Imperii pondus petoſus ſæpè dixerit: *Felicem te, Damocles, qui Regni neceſſitatem non uno longiùs prandio pertuliſti.* Regnum Thebanum inter duos germanos Etheoclem & Polinicem erat diviſum hâc lege, ut quiſque alternatim regnaret. Primus utpotè natu major Regno potitur Etheocles quod Sigon. lib. 14. Imp. Occid.

ultra conſtitutum imò ſemper nitebatur retinere. Convolat ad arma Polinices jus ſuum ita vindicaturus; opponit ſe Etheocles. Jam ſtabat utrimque in pugnam directa acies, cùm Jocaſta mater amborum commotos filiorum animos ſedatura ſeſe interpoſuit mediatricem: & ad exulem ſuum Polinicem converſa nullo efficaciori argumento hunc à cœpto deterrere ſperabat, quàm demonſtrando regnare nihil aliud eſſe, quàm curis, laboribus & maximis difficultatibus implicari, quàm ultrò ſeſe inſerere ſuppliciis, ſic ait de Etheocle:

Sen. in Thebaide.

Ne metue, pœnas & quidem ſolvet graves
Regnabit, hæc eſt pœna. Si dubitas Avo
Patrique crede.

§. 5. Penitùs illud crediderim animo Godefridi Bullonii inſederat, qui expugnatâ Hieroſolymâ anno Domini 1099. ipſo die Paraſceves, quo Chriſtus in eadem paſſus fuerat; dum communi Procerum conſenſu primus è Chriſtianis crearetur & inauguraretur Hieroſolymorum Rex, aureâ Regum coronâ noluit coronari in eadem urbe, in qua eodem die aſſertor generis humani ſpineam geſtaſſet, neque Rex ſed Cuſtos & Protector S. Sepulchri voluit nuncupari. Verè in hoc Chriſtianæ pietatis exemplum Principibus reliquit, ſed & ſolidum documentum, Diademata Regum licet ex auro & lapidibus pretioſis fulgere videantur, reverà ſpinis eſſe referta imò nihil niſi coronas ſpineas. *Corona Domini*, ut ſubtiliter advertit Clemens Alexandrinus, *eſt typus fidei; vitæ quidem propter ligni ſubſtantiam: lætitiæ autem propter coronæ appellationem: periculi verò, propter ſpinam: neque enim citra ſanguinem licet ad verbum accedere.* Quàm congruâ & pulchrâ analogiâ illa ad Diademata Regum poſſunt referri? quæ ſub ſpecie coronæ lætitiam indicant, & per curarum ſpinas pericula, quibus capita coronata exponuntur, deſignant. Pacem ſinceriùs multò & puriùs guſtant privati quàm Principes, non enim illis ſol oritur umquam in ſtatu ſuæ innocentiæ, univerſum verò in ipſos belli pondus incumbit. Nec liberè nec ſecurè illis etiam naturæ conceditur vacare neceſſitaribus: obſidentur veriùs quàm cuſtodiuntur à ſuis; illis præſertim Monarchis omnis quies adempta eſt, qui diverſis nationibus, vaſtiſſimis Provinciis, iiſque longè diſſitis imperant; cùm neceſſe ſit ut in ſingulis quodammodo replicari exiſtant, ſicut anima rationalis quæ eſt tota in toto, & tota in ſingulis partibus: neque enim per providos conſiliarios & rectores negotia omnia rectè expediri poſſunt, cùm Princeps debeat eſſe anima quæ illos ſuo ſpiritu vivificet & regat. *Porrò*

Joan. Molan. in mult. ſac. a.

Lib. 2. Pedag. cap. 8.

hoc quoque ſignum eſt, (de corona ſpinea Chriſti loquitur Clemens *Ibidem.*
Alexandrinus) *rei à Domino benè geſtæ, cùm ipſe ſuo capite & principali parte corporis omnia mala noſtra portaverit, propter quæ pungebamur*. Diademate ſeu potiùs ſpinis redimitur caput Regium, ut oſtendatur, quòd principali parte corporis omnia mala ſubditorum atque pericula debeant excipere, pro illorum ſalute & ſecuritate ut boni Paſtores continuò excubare: Paſtoris enim nomine Reges donantur, *Qui dico Cyro Paſtor meus es tu*, & Homerus lib. 2. Iliados fre- *Iſa. 44.*
quenter vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν id eſt Paſtorem populorum: rectè Godefridus Bullonius Cuſtos ac Protector S. Sepulchri dici voluit; uti Reges cuſtodes & paſtores gregis ſui eſſe tenentur, pro quo etiam caput periculis objicere, ut illorum labores ſint gregis quies, pericula illorum populi ſecuritas, illorum vigiliæ hujus ſomnus. Præclarè Parmenio, cùm Græci ægrè ferrent Philippum Macedonum Regem per diem non nihil interquieſcere, ideoque ſe ad ejus colloquium non admitti, excuſans eum ait: *Ne* *Plutarch. in*
miremini ſi nunc dormit Philippus, nam cum vos dormitis ipſe vigilat. *Apotegm.*

§. 6. Tormentorum maximum habita eſt continua vigilia, undè Attilium Regulum Tubero citatus ab Aulo Gellio novis exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit. In atras, inquit, & pro- *Aul. Gell. lib.*
fundas tenebras eum claudebant: ac diu pòſt, ubi erat viſus ſol ar- *6. cap. 4.*
dentiſſimus, repentè educebant, & adverſus ictus ſolis oppoſitum continebant, atque intendere in cælum oculos cogebant, palpebras quoque ejus ne connivere poſſet, ſursùm ac deorsùm diductas inſuebant. Tuditanus autem ſomno diu prohibitum atque ita vitâ privatum refert. Cui Valerius Maximus aſſentit: Carthaginenſes, *Lib. 9. cap. 2.*
inquit, Attilium Regulum palpebris reſectis machinæ, in qua undique præacuti ſtimuli eminebant, incluſum, vigilantiâ pariter & continuo tractu doloris necaverunt. Auſim dicere continuam mentis negotiis maximis intentæ vigilantiam, inſomnem ſolertiam, numquam intermiſſam rerum agendarum præventionem, ſedulam circumſpectionem licet non ſtatim mortem inferat, æquè tamen intolerabile eſſe tormenti genus, ut Principes Reguli dici veraciter poſſint. Experti ſunt Ferdinandus Secundus & Tertius Romanorum Cęſares, quâ curâ & vigilantiâ opus fuerit, quibus Athlantis humeris ut ſuſtentaretur operoſa moles Imperii fatiſcens tàm ab externis quàm internis hoſtibus membratim à corpore divulſi ut vix oſſibus hæreret. Expertus eſt Philippus Quartus Rex Catholicus Princeps noſter & Dominus clementiſſimus illud Jobi: *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*. Sacra Pagina per aquas populos & gentes *Job. 26. v. 5.*
intelligit, per gigantes Principes, grandiori enim ac robuſtiori

opus habent ſtaturâ, ut valeant gubernandi onus humeris ſuis ſuſtinere. Gemere autem dicto loco, juxta Interpretes, idem eſt quod contremiſcere præ dolore in morem parturientium, aut parturire.

§. 7. Expertus eſt Monarcha ille potentiſſimus ob tantas & tam multiplices curas, quibus tot exurgentibus undique ſubditorum defectionibus, perfidiis, perduellionibus & in caput proprium ſtructis inſidiis, quòd ubi ipſe divinâ protegente gratiâ & virtute conſtantiæ invictus permanſerit, quilibet alius oneri ſuccubuiſſet; cùm plus ſemper virium requiratur in latore quàm in onere; oppreſſiſſent igitur alium onera, quia ferente majora fuiſſent. Adeò verum eſt regna & Reges à Deo dari, & cor Regis præ aliis ſingulatim à Deo fictum prudentiâ, ſapientiâ, tolerantiâ in adverſis, moderatione in proſperis ab ipſo præditum, ut tantæ dignitati ac muneri par foret. Multi hac de cauſa injuſti uſurpatores & Regni affectatores cum filiis Zebedæi ignorant quid petant, ad quid aſpirent: *Æſtimanda ſunt*, ut monet Seneca, *ipſa quæ aggredimur, & vires noſtræ cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandæ.* Quandoquidem vita Principum ſit circumferentia abſque quietis centro, quia illam perpetui curarum motus circumagunt, quia aſſiduè pro ſubditis ſacra illorum excubat ſolertia; hortatur nos Apoſtolus orare *pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus*: quod imprimis pro Rege noſtro Catholico facere tenemur, qui paternis viſceribus fovet ſubditos ſuos, cujus pietas verè Auſtriaca erga illos in promovendo Pacis bono etiam cum fortunarum ſuarum diſpendio hiſce temporibus omnibus fuit perſpicua: precantes vitam illi prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Regis vota ſunt.

De tranquill. animi cap. 5.

§. 8. Fingamus (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ) à Regio diademate ſpinas abeſſe, difficultates nempè, anxietates, pericula; nihil in illo (ut plerique ſibi perſuadent) niſi aurum, gemmas, & adamantes fulgêre, flores ridentes illud quin ac roſas undique ambire lenocinium, voluptates & delicias ſpirantes; neque propter id ſummoperè erit appetendum *Quemadmodùm radices aut herbæ proprias habent qualitates, ita etiam flores proprias habent qualitates, & has quidem utiles, illas verò noxias, alias autem periculoſas.* Sæpè autem color aut odor incautos fallit latente vi veneni: ſæpè imperiti, dum ſalutem à ſucco, non priùs explorato, exigunt, exitium trahunt. „Hedera itaque refrigerat, nux autem emittit „ſpiritum, qui torporem & veternum immittit, ut vel ipſa oſten„dit nominis etymologia. Narciſſus verò flos eſt gravis odoris: id autem

Clemẽs Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2.

Idem ibidem.

,, autem arguit nominis appellatio, ut qui nervis νάρκη, hoc eſt tor-
,, porem afferat. Uti in floribus, ita & in ſtatu Regali latentes periculorum cauſas & maximè infeſtas reperire eſt. Sit roſa venuſta, ſit majeſtatis plena, ſit terræ ornamentum, plantarum ſplendor, oculus florum, prati purpura, ſit, ut Anacreonti placet, θεῶν ἄημα, καὶ βροτῶν τὸ χάρμα Deorum ſpiritus, hominum voluptas; tribuatur ei monarchia florum ut corona ex roſis deſignet potentiam, regnum, imperium: eodem tamen penè momento, quo naſcitur, roſa ſeneſcit. *Hinc etiam dicunt roſam græcè ῥόδον fuiſſe nominatam, quòd odoris fluxum emittit ingentem, & ideò citò marceſcit.* Ob id Artemidorus aſſerit coronas è roſis ægrotantibus eſſe infauſtas, *Hos enim*, inquit, *occidunt*, id eſt morituros prędicunt. Impii apud Sapientem illud breve ætatis ver, quod roſæ datum eſt, cognoſcentes, ſummâ feſtinatione utendum eſſe judicarunt in illis carpendis: *Coronemus*, aiunt, *nos roſis antequàm marceſcant.* Hoc illarum eſt fatum. Uti de aliis floribus dicit Clemens Alexandrinus: *Uſus*, inquit, *illorum eſt noxius & celeriter præterit pœnitentiæ ſupplicio affectus*, uſus ſimiliter coronarum ex roſis eſt noxius, quia breve imperium & celerem pręnuntiat occaſum. Appoſitè ad rem noſtram Plinius de terra loquitur: *Flores*, ait, *odoreſque in diem gignit, magnâ, ut palam eſt, admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere.*

Clemẽs Alex. ibidem.

Sap. 2. v. 8.

Lib. 21. cap. 1.

§. 9. Naturalis conditionis eſt flores flacceſcere ac citò defluere; & nihil novi à ſolito rerum ordine: illud mirum herbam totam in vermes reſolvi. Illi ſceptrum nomen eſt, quia ſceptri figuram refert; lilio quoque non abſimilem dixerim de quo Plinius. Nulli florum excellitas major eſt, caule interdùm trium cubitorum, languido ſemper collo & non ſufficienti capitis oneri. Herba prædicta brevi tempore in vermiculos convertitur. Quod miramur in illa, non miramur in homine, talis equidem illum manet metamorphoſis cujuſcumque tandem conditionis ſit. Quod & aliqui ante mortem fuerunt experti, ut certum mortalitatis demonſtrarent argumentum. Arnulphus Imperator Caroli Craſſi ſucceſſor ita carnibus corruptus eſt totus, ut in vermes abierit. Sed graviùs accidit res Lucio Syllæ: cujus corpus ſe ipſum erodens ſcatebat ſtatim vermibus. Herodes Agrippa Rex Judæorum ſedens pro tribunali, regio cultu veſtitus concionabatur ad populum, quo acclamante Dei voces & non hominis, ſtatim percuſſus eſt ab Angelo, eò quòd non dediſſet honorem Deo, ſed ſibi tribueret, & conſumptus à vermibus expiravit. Quæcumque homini inhærent vel adhærent eamdem cum ipſo conditionem nanciſcuntur. Homo ſive Rex ſit ſive privatus ſecundùm corpus in vermes tranſit. Abeunt omnia eòdem

Theoph. lib. de Plant.

Baptiſta Egnatius.

Plin. lib. 7. cap. 43.

Act. cap. 12.

cum

cum illo; honor, majeſtas, corona, ſceptrum in vermes transformantur. Cujuſcumque potentiæ ac magnificentiæ

Huc refer exitum.

Hic terminus & meta præſcripta ambitioni. Nòn plus ultrà. Si qui fuerint humanæ fragilitatis atque mortalitatis obliti hic debent faſces ponere, & communem matrem agnoſcere, primordia generis humani. Ibi non ampliùs ſicut in mundo eſt regio diſſimilitudinis, ubi pompa & faſtus homines diſtinguunt: ad primævam ac ſimplicem reducuntur omnia originem, fitque homo qualiſcumque putredo & cinis. Coronas ſpondet imò dat mundus, ſed numquam incorruptas, numquam immarceſſibiles. Coronæ fluunt imò defluunt, ſceptrum cum geſtante in vermes & terram reſolvitur. Quanti nunc quæſo eſt imperii alicujus gubernacula tenere, excelſiùs omnibus regio in throno ſedere?

§. 10. Ignari tantùm atque inexperti Regiam extollunt fortunam, qui verò ſingula perpendunt, nihil miſerabilius illo judicant, qui multos regere debet, multos timere, quia illum multi timent; qui in eminentiori parte theatri hujus mundi & luce publicâ conſtitutus; imò qui ipſe eſt candela ſupra candelabrum, civitas ſupra montem poſita omnium oculos incurrit: ſuper cujus actionibus ſinguli fas ſibi putant criticam exercere. Arcana ſiquidem penetrare tentant adita & intimos cordis ſcrutari receſſus, ut indè poſſint eruere quod arguant. Magis in Principe exiguus etiam nęvus imperfectionis prominet, quàm notabilis in aliis defectus: ſicuti in facie viſibilior extat verruca aut macula quàm tuber in corpore. Capitis in Monarchia Princeps fungitur officio, & quemadmodùm in ſpeculo puellæ ſeſe comentes faciem ad momenta ſingula contemplantur, ita curiosè ſubditi inſpiciunt omnes actiones Principis, qui tamquam facies eſt Reipublicæ imò ſpeculum atque exemplar ad quod ſinguli ſe conformant, nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Propter eminentiam Majeſtatis ſuperbè ſeſe ſupra alios efferre nequaquàm debet, quia brevis eſt & ad ſolum uſum conceſſa. Quaſi precarium omne habendum imperium ac brevi tranſiturum. Quis Principum diuturnam aliquam durationem ejus certò ſibi polliceri valet? ferream atque immutabilem mortis legem nullus umquam effugiet;

—— *Scimus longas Regibus eſſe manus,*

Quas tamen multò longiores mors habere debet, cùm ad omnes indiſ-

indiſcriminatim illas extendat. Ne unicum quidem certum momentum ad reſpitandum Deus homini dedit, ſed econtrà potiùs in rebus omnibus indicia plurima poſuit brevioris vitæ. Sol ab ortu ad occaſum quaſi de cuna ad tumulum tranſit. Aër quos in momento ſuccendit ignes, æquè celeriter extinguit. Terra brevitatem, fluxumque ætatis repræſentat florum ſuorum juventute & canitie meſſium, aqua undarum fugacitate. Benè Horatius,

Immortalia ne ſperes monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris. Ver proterit æſtas Lib. 4. Carm. Ode 7.
Interitura: ſimul
Pomifer Autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.

Tranſeunt omnia cum vita pompa & faſtus, quæ accidentaliter tantùm fecerunt differre Reges ac Principes à cæteris hominibus: *Dormierunt ſomnum ſuum & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75. v. 6. Poſt illum univerſalem mortis ſomnum evigilantes nihil invenerunt in manibus ſuis, nihil omninò; non coronam aut ſceptrum vel aliquid ſimile. Nihil invenerunt divites potentes in manibus ſuis. Benè Seneca: *Nemo ex his quos purpuratos vides felix eſt, non magis quàm ex illis quibus ſceptrum vel chlamydem in ſcena fabulæ aſſignant.* Paucorum iſta felicitas eſt ut poſthumum Regni donum, ſicut Carolus Quintus fecit, præripiant fato; ut non modò viventem ex ſe, ſed & regnantem vivi aſpiciant. Multorum hæc calamitas ut ſceptra ipſis præripiantur: *Neſcit enim quieſcere fortuna, gaudet lætis triſtia ſubſtituere, & utraque miſcere. Itaque in ſecundis nemo confidat, in adverſis nemo deficiat. Alternæ ſunt vices rerum.* Sen. lib. 3. quæſt. Natur.

§. 11. Ideò dixi quòd intellectu poſſint ſeparari ſpinæ à roſis, quia per illum proprietates & dotes, quæ ſubjecto inſunt, poſſunt ab eo divelli. Nam conceptu præciſivo in pomo concipere poſſumus odorem non concipiendo ſaporem, in flore pulchritudinem non concipiendo fragrantiam. Sed neque reapſe natura roſas à ſpinarum ſatellitio disjungit, neque ratio curas, ſollicitudines, pericula à corona Regia. Congruè D. Ambroſius: *Irrutiles*, inquit, *homo licet ſplendore nobilitatis, aut faſtigio poteſtatis, aut fulgore virtutis, ſemper tibi ſpina proxima eſt, ſemper inferiora tua reſpice, ſuper ſpinas germinas, nec prolixa manet gratia, brevi unuſquiſque decurſo ætatis flore marceſcit.* Lib. 3. Hexam. cap. 11. Imò Poëtæ candidam volunt initio fuiſſe roſam, ſed à vulnere & cruore Veneris per dumeta Adonidem ſuum quærentis adrubuiſſe. Non diu aurea permanſerunt ſecula, non diu candida

pax floruit; in primæva rerum diviſione ferrum repentè dedit ſanguinem, bellis & cædibus ad coronas atq; imperia via fuit ſtrata relictis concordiæ ac ſalutis inſtrumentis. Sanguine rubent coronæ ex roſis quòd armis & ſanguine partæ. Veluti ſanguine tincta eſt Regum purpura, non ſolùm quia illum pro ſalute populi, ſi opus foret, fundere deberent; ſed quia plerùmque ſanguinis effuſi pretium eſt: deindè ſanguine rubent coronæ quòd bello ac ſanguine conſervatæ fuerint, aut iiſdem amiſſæ. Ita dicit Seneca: „ Concipienda „ eſt animo varietas, non privatarum tantùm domuum, quas le-„ vis caſus impellit, ſed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta „ ſupra imperantes jacuerunt. Vetera imperia in ipſo flore ceciderunt. Iniri non poteſt numerus, quàm multa ab aliis fracta ſint. „ Nunc cùm maximè Deus alia exaltat, alia ſubmittit, nec molliter „ ponit, ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias jactat. Romam caput orbis, ipſumque Romanum Imperium ita continua bella fœdarunt & conquaſſarunt, ut vix priſtinæ fortunæ forma aut veſtigium remanſerit. Regnum Italiæ quondam florentiſſimum Attilas flagellum & inſtrumentum juſtitiæ divinæ cum ſuis Hunnis miſerè devaſtavit, relinquens ubique dirutis potentiſſimis & munitiſſimis civitatibus, peremptis inquilinis, inſitæ ſuæ crudelitatis ac feritatis indicia. Quis crederet ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipſa ſuis populis & mater fieret & ſepulchrum? quod D. Hieronymus his verbis affirmat: Ecce ſubitò poſt Romam à Gothis captam diſcurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit: nam quod Attilæ veſanum furorem evaſerat Odoacris Principis Herulorum impetum nequiit effugere, ab illo captum Ticinum; miſerabilis clariſſimæ urbis eſt vaſtatio ſubſecuta, Placentia, Ravenna, ipſaque urbe Româ ſub ditionem redactâ. Odoacrem Theodoricus Gothorum Rex unà cum Italia ſubjugavit. De Hunnorum feritate hæc addit Hieronymus: „ Erupiſſe Hunnorum examina quæ perni-„ cibus equis huc illucque volitantia cædis ac terroris cuncta com-„ plerent. Inſperati undique aderant, & famam celeritate vincen-„ tes non Religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non „ vagientis miſerebantur infantiæ. Cogebantur mori, qui nondum „ vivere cœperant, & neſcientes malum ſuum inter hoſtium manus „ ac tela ridebant. Porrò exactis à Narſete Juſtiniani Imperatoris Duce Gothis; anno 568. Kal. Aprilis Longobardi Duce Alboino de Pannonia egreſſi regnum Italiæ invaſerunt. Quæ gens, quæ natio tot umquam fuit afflicta cladibus, toties mutare Dominos coacta? *Proh nefas!* exclamat Hieronymus, *orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Urbs inclyta & Romani Imperii caput, uno hauſta eſt*

Lib. 3. Nat. quæſt.

Car. Sigon. de Imp. Occiden.

In Epith. Fabiolæ.

Car. Sigon. lib. 1. de regno Italiæ.

Ep. ad Gaudentium.

eſt incendio. Nulla eſt regio quæ non exules Romanos habeat. Acceſſit malis acrius omnium malum peſtilentia, de qua D. Gregorius, quarto Kalendas Septembris ad populum in Baſilicâ S. Sabinæ concionem habuit: ita diſſerens: „ Univerſus populus cæleſtis iræ mu-„crone confoditur, cùm ſinguli repentè adeò moriantur, ut „ non languor impetum mortis præveniat, ſed mors ipſa lan-„ guoris tarditatem præcurrat, ac perculſus quiſque antè rapiatur, „ quàm ad lamenta pœnitentiæ traducatur. Quin etiam habitato-„ ribus promiſcuè pereuntibus domus vacuæ relinquuntur, filiorum „ funera parentes ſpectant, & quibus hæreditatem quæſiverunt, eo-„ rum ipſi hæredes evadunt.

§. 12. Imperium Byzantinum bellis inteſtinis, domeſticâ perfidiâ, mutuis Parentum Liberorumque cædibus plus quàm exterorum armis planè interdicit, Palæologâ, Catacuzenâ, Comnenâ progenie extirpatâ: ut Græci à Turcis & Barbaris in exoticam ſervitutem miſerabiliter redacti leſſum iſtum mutato ſolùm nomine canere jure potuerint, quem Hector Trojanus in medio quondam florentiſſimæ urbis ſuæ incendio lamentabiliter edidit dicens:

—— Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. Virg. lib. 2. Æneid.

Denique *Quod Regnum eſt*, verbis Senecæ utor, *cui non parata ſit ruina, & proculcatio & Dominus, & carnifex? nec magnis iſta intervallis diviſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium & aliena genua*: Ad quod calamitoſâ neceſſitate compulſa magni Hectoris conjux Andromache filium ſuum, ſolam & unicam ſpem jacentis Trojæ Aſtyanacta ſic hortatur: De tranquill. animi cap. 11.

——— Submitte manus
Dominique pedes ſupplice dextrâ Sen. in Troade.
Stratus adora: nec turpe puta
Quidquid miſeros fortuna jubet.

§. 13. Hæc eſt enim fortunæ inconſtantia, hæc vitæ præſentis alea, hæc regnorum mutabilis viciſſitudo, *Quod* (aſſerente ſapientiſſimo Eccleſiaſte) *de carcere, cateniſque interdùm quis egrediatur ad regnum: & alius in regno inopiâ conſumatur.* Joſeph è carcere ob ſapientiam & futuræ famis præviſionem evectus eſt ad principatum Ægypti: vice verſa Sedechias Rex Juda à Chaldæis captus, excæcatus, vinctuſque ductus eſt in Babyloniam. Nabuchodonoſor natus in regno, id eſt filius Regis nempè Nabuchodonoſoris ſenioris ultra triginta & plures annos in regno confirmatus, ob arrogantiam atque inſi- Cap. 4. v. 14. Geneſ. 41. 4. Reg. 2. Dan. 4. v. 30.

inſipientiam humanâ figurâ ſpoliatus in beſtiam mutatus fœnum tamquam bos comedit. Servius Tullius à ſervo (undè & dictus eſt Servius) Quartus à Romulo Romanorum Rex effectus eſt. P. Ventidium Cn. Pompeii magni pater ętate puberem in triumpho ſuo populi oculis ſubjecit. Hic tamen Ventidius è carcere Imperator exercitûs Romani prodiit; ac Romæ ex Parthis, & per Parthos de manibus Arſacidæ Regis Parthorum in hoſtili ſolo miſerabiliter jacentibus (juſſerat enim Craſſus ejus corpus feris ac alitibus devorandum exponi) triumphum duxit. Itaque qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate celebravit. In eodem etiam illud exiſtimari debet: quòd eodem anno Prætor & Conſul eſt factus. Quo tempore (ut refert Aulus Gellius in noctibus Atticis) à populo Romano, quòd eum meminerat curandis mulis victitaſſe, per vias urbis his verſiculis proſcribebatur: *Concurrite omnes Augures, Aruſpices: portentum inuſitatum conflatum eſt recens: nam mulos qui fricabat Conſul factus eſt.* Ejuſdem tamquam celebris de fortuna victoris ſic Epinicia canit Poëta Juvenalis:

Val. Max. lib. 6. cap. 10.

Lib. 15.

Si fortuna volet fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

Satyr. 7.

Cn. Cornelius Scipio Aſina ex conſule captivus, & ex captivo conſul factus eſt. Quod Valerium Maximum in admirationem rapit. *Quis crederet,* inquit, *illum à 12. ſecuribus ad Carthaginenſium pervenire catenas? quis rurſus exiſtimaret à Punicis vinculis ad ſumma imperii perventurum faſtigia.*

Lib. 6. cap. 10.

§. 14. Themiſtoclis adoleſcentiam eumdem piget attingere, ſive patrem aſpiciat abdicationis injungentem notam: ſive matrem compendio ſui finire vitam propter filii turpitudinem coactam: cùm tamen poſtea omnium Graii ſanguinis virorum, clariſſimus extiterit. Dionyſius majores natu ne quis nimis fortunæ crederet, magiſter ludi factus ex tyranno monuit. Quia fortunæ proprium eſt inter ornamenta & dedecora alternâ vice homines verſare; triſtibus læta, lætis triſtia ſubijciendo, nec bonis eos perpetuis frui, nec malis æternis ingemiſcere patiendo. Non ineptè hac de re Saccorum diem feſtum ſcribit inſtitutum Dio: quem ita deſcribit. *Accipiunt virum unum ex captivis ad mortem, collocantque in Regis thronum, & eumdem illi dant veſtitum Regium, & imperare ſinunt, ac vivere, & deliciari, & concubinis uti illis regni diebus, & nemo illum vetat quidquam facere,*

Orat. 4. de Regno.

quæ

quæ velit; poſt hæc autem exutum, virgiſque cæſum, ſuſpendunt. In hoc ſolum regreſſum fortuna non habet. Moris hujus & ritus cauſam affert dicens: *Cujus rei putas hoc eſſe ſignum, & quamobrem fieri apud Perſas? nonne ideo, quòd ſæpenumerò ſtulti homines & pravi talem poteſtatem & nomen adipiſcuntur; deinde aliquanto tempore viventes turpiſſimè atque ocyſſimè perduntur?* Inconſtantiam fortunæ & felicitatis humanæ ex quodam Rege à ſe devicto cùm didiciſſet Seſoſtris Rex Ægypti, fortunam reverenter habuit. Is enim curru aureo vectus juſſit illum trahi à quatuor regibus à ſe devictis; quorum unus oculos in rotas aſſiduè conjiciens, rogatus ab eo cur id faceret? *Miror*, ait, *rotam volvendo nunc in ſublime attolli, nunc ad ima deprimi.* De volubilis fortunæ conditione id dictum intelligens Seſoſtris, eamdemque ſibi ſortem obvenire poſſe conſiderans, ſtatuit, ne illi poſthàc currum traherent. Frequentior in aulis Principum caſus eſt & occaſus; undè & hi qui in illis degunt rectè calculis aſſimilantur in publicis conſiliis dari ſolitis; nam ut illi modò aurei, modò ænei dantur, ita Aulici pro Regis arbitrio nunc beati, nunc miſeri efficiuntur: quibus conſultum eſſet illud à Macrobio conſolationis gratiâ oblatum antidotum gratanter accipere. Sic habet Gnoma ex dictis Laberii deſumpta: Niceph. lib. 11. cap. 29.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni tempore,
Summum ad gradum claritatis cùm veneris Lib. 2. Saturn.
Conſiſtes ægrè, & citiùs quàm deſcendas, decides. cap. 7.
Cecidi ego: cadet qui ſequitur: laus eſt publica.

Uti mercatorum ſæpè hic ſolet eſſe exitus, ut bonis cedant, navigantium ut ſubmergantur; ita *Inter obſequia fortunæ non ſatis cauta mortalitas eſt*: ſed qui parvo temporis intervallo in excelſo faſtigio collocantur, iidem rursùs ad extremam miſeriam ac calamitatem rediguntur. Elegantiſſimo huic paragrapho epiphonemate colophonem addit Valerius Maximus his verbis: ,,Caduca nimiùm & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepidis ſunt iſta, quæ vires atque opes humanæ vocantur: affluunt ſubitò: repentè dilabuntur: nullo in loco, nullâ perſonâ ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos ſublimè extulerunt, improviſo recurſu deſtitutos in profundo cladium miſerabiliter immergunt: itaque neque debent exiſtimari, neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem deſiderio ſui duplicant. Curt. lib. 8. Lib. 6. cap. 10. in fine.

§. 15. Ex affluentiâ deliciarum ad duram pauperiem devenire, è culmine felicitatis regiæ in profundum verecundæ mendicitatis

præcipitem ruere, maximum & intolerabiliſſimum tormentum,quo homo excruciari poſſit, judicatur. Nemo tamen in præſentis vitæ proſperitatibus, nemo in Authoritatis magnitudine fiduciam collocet, cùm in ſacrâ paginâ dictum ſit, *Major ſerviet minori*. Eſau pri-
Geneſ. 25. v. 23. mus ex utero materno egreſſus, Dominus, & paternæ domus fortunarumque univerſarum ex aſſe hæres habebatur: poſthæc autem Deus ordinat ut primogenituræ gratiis ac privilegiis nudetur; hinc gravior illi dolor obvenit & acerbior pœna. Divitem Helluonem in picea vindicis flammæ fornace ardentis ſitis, quâ cruciabiliter torquebatur remedium his verbis depoſcentem pater *Abraham miſerere*
Luc. 16. v. 24. *mei*, nihil adeò perculit quàm illa reſponſio, *fili recordare quia recepiſti bona in vita tua*; recordare luxus tui, deliciarum tuarum, recordare intemperantiæ, cujus nunc pœnam ſine refrigerio luis. Miſericordianè fuit an ſeveritas quòd S. Patriarcha illum reprobum ac damnatum Ganeonem filium nominat? ab auſtero an ab amico & benevolenti animo iſta deſcendit appellatio? ideò appellare filium dicit S. Petrus Chryſologus ut acriores cruciatus & acerbiora redderet ſupplicia. Sic Abrahamum inducit loquentem. *Voco filium ait, ut te*
Serm. 123. *graviter doleas perdidiſſe quòd natus es. Adhuc voco filium, ut amariùs doleas perdidiſſe, quod gratia dederat & natura.* Ad exacerbandum dolores & tormenta ſuaviſſimo filii uſus eſt nomine, nam quòd excidiſſe ſe à fortunato filiorum ſtatu videbat, refricabatur illi memoria priſtinæ felicitatis; quia audiebat illam nominis tam ſuavis & glorioſi appellationem, quam habuerat propriam; nunc verò ex illâ ſublimitate in hanc viliſſimam delapſo humilitatem, ex beato miſerrimum ſe conſpicienti non poterat non continuò recrudeſcens inter flammarum incendia mirum in modum ingraveſcere doloris ſævitia.
Lib. 2. Comment. *Dii conſueverunt*, aiebat Julius Cæſar, *quò graviùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci volunt, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.*

§. 16. Arſinoë Ptolemæi Ægypti Regis filia poſtquam Lyſimacho Rege Macedoniæ viro chariſſimo orbata, Lyſimacho & Philippo filiis ex eo ſuſceptis per ſummum nefas contra juratos in ſolemniis nuptiarum Deos ac fidem datam à Cerauno fratre in conſpectu ſuo ſæ-
Boccacius de caſibus Illuſt. Vir. lib. 4. viſſimè trucidatis; exuta regalibus & ſqualidâ ſciſsâ triſtique ſemitectâ veſte, purpureo filiorum reſperſa ſanguine extra urbem ſuam Caſſandram lugubris clamanſque paſſo crine vultuque fœdo duabus tantùm ancillis ſociata, Cerauni Imperio ejecta & in Samothraciam relegata; cùm hinc ſplendorem priſtinum, magnificentiam Lyſimachi viri, formoſitatem filiorum ac ætatis florem quibus ipſa jamdudùm felix extiterat; atq; indè Lyſimachi caſum, regni amiſſionem, fra-

fratris fraudem atque ſævitiam, vulnera mortemque trucem filiorum animo revolveret, ſeque ex Regina plebeiam dejectam, & calamitatibus plenam exulem cerneret, numquam ſeſe potuit à querelis, lachrymis & mœrore temperare. Quid de altera Arſinoë Cyrenenſium Regina dicemus? quam illi fuiſſe mentem, quanto dolore repletam exiſtimare poſſumus, quando Demetrium juſſu filiæ Beronices juvenem vitâ ſibi chariorem in gremio ſuo transfoſſum conſpexit? quò ferventior fuerat dilectio & voluptas, eò fuit quoque intenſior doloris cruciatus. Reges ac Reginas miſerabile fatum conſequitur. Fortuna ſubitò permutat vices jure ſuo utens. Plenus eſt mundus dolentium concurſu & rumore flentium. In debitis verbis atque execrationibus laceratur fortuna: laſcivi quidem ſcelera non videmus, diſcoli adverſa non ferimus; & ſic dum nos cæcos non cognoſcimus, oculatam fortunam indebitè accuſamus. In Samo Ægei maris inſula Polycrates tyrannidem exercens fortunam adeò obſequentem habuit, ut eidem uberrimum ſuum pectus, ampliſſimos ſinus, nec non & quoſcumque ſuos ſecretiores aditus patefecerit. Succedentibus abſque interruptione proſperis, experiri voluit utrum immutabiliter ſibi fortunæ blandientis gratia adhæreret, Smaragdum gemmam ſignatoriam ingentis pretii in mare dejecit: quem continuò recuperavit capto piſce qui eum devoraverat. O latentes inſidiæ! numquam minus fiduciæ aſſumendum quàm cùm blanditur fortuna. Eum tot proſperis lætum ſucceſſibus, qui volens à fortuna turbari nequiverat, Orœtes Darii Regis Præfectus in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice juſſit in cruce ſuſpendi. Sic tormentorum atrocitate, præteritarum voluptatum memoriâ, ac gratulantium Samiorum invidiâ, & verecundiâ illati dedecoris poſitique dominii dolore, inter mœrores & lachrymas relictus infeſtis avibus lacerandus, qui in terris feliciſſimus vixerat, in aëre miſerrimus expiravit.

Idem ibidem.

Val. lib. 6. cap. 11. Herod. l. 3. Sabellicus l. 7. Enneadis 2. Boccacius lib. 4. fol. 37.

§. 17. Verbis ſanè luculentis affirmavit inclytus veritatis Martyr Severinus Boëtius *in omni adverſitate fortunæ infeliciſſimum genus eſſe infortunii, fuiſſe felicem.* Nulla videtur idcircò ex opinione Valerii Maximi immanior carnificina, aut cruciabilior pœna, quàm ſi quempiam per floridulum & apricum hortum, in horridam atque incultam ſilvam traducas, & primùm ad inſtructam menſam lautè dapſiliterque habeas; dein verò in magnam diræ famis neceſſitatem adducas, & ex ſupremo proſperitatis faſtigio in extremam infelicitatis abyſſum dejicias. *Optima vindex inſolentiæ varietas humanæ conditionis.* Commodiſſimus eſt tortor plectendę improborum licentiæ rerum humanarum viciſſitudo, pauperies carnifex affluentiæ, ſervitus tyran-

De Conſol. proſa 4.

Lib. 4. cap. 7.

tyrannus libertatis, dejectio lictor ſuperbiæ, exilium vindex authoritatis vanæ & ſuperciliosæ. In flagitioſam indulgentiam Heli ſummi ſacerdotis erga conſceleratos filios & plurimùm damnatam remiſſionem atque incuriam ſeverè animadvertere decreverat Dominus, eumque exuere tam ſublimis officii dignitate, eâque alium condecorare qui muneris ſui exactiorem rationem haberet, omneſque illius partes ſtudioſiùs accuratiuſque expleret: cùm ſubdit. *Verumtamen non auferam penitùs virum ex te ab altari meo, ſed ut deficiant oculi tui & tabeſcat anima tua.* Mitigandi doloris ergò crederemus hoc dictum à Domino quòd non eſſet remoturus omnes poſteros Heli ab officio altaris. Non ita cenſet Abulenſis: „ Sed quòd ego „ (ait Dominus apud ipſum) relinquam aliquos de filiis Heli mini- „ ſtrantes in altari, non eſt ad alleviationem pœnæ, ſed augmen- „ tum; nam cùm quis fuit in magna proſperitate incidens in ad- „ verſam calamitatem, duriùs hoc quàm mortem tolerat.

1.Reg.2.v.33

§. 18. Res omnes quæ vivunt & vigent ſunt viciſſitudini ſubjectæ. Naſcuntur, vivunt, moriuntur, nec umquam firmæ conſiſtunt: eaſdem naturaliter Monarchiæ patiuntur converſiones; fati namque maligna perpetua in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum velociùs quidem, quàm aſcenderunt, relabantur, vix moræ quidquam intercedit in inclinatione majoris fortunæ. Rectè Dei potentiam exprimit Pſalmiſta. *Conturbatæ*, inquit, *ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra:* ſtupendam illam orbis univerſi Monarchiam ultra annos duodecim nequiit Alexander magnus prorogare, quæ paucis totaliter corruit in quatuor diviſa principatus, & poſtea in plures. Cùm corporibus humanis cauſas videntur habere regna incrementi ſui pariter ac decrementi. Obſervavit Hippocrates ea quæ nec in melius verti, nec diu ſiſtere valent, in deterius dilabi reliquum eſſe. Lethalia ſunt regnantibus omnia ſeditionis ac rebellionis machinamenta; gens perfida regnis exitioſiſſima in ſui excidium, in communem necem nata, quæ minimo excita motu in bella apertè prorumpit; cujus ſi permittantur prava conſilia & vires adoleſcere effræna in publicum licentiâ debacchatur, ſpretâ Majeſtate regiâ, excuſſo omni ſubjectionis jugo. Multa ſunt quæ ſeditiones excitant ac fovent, varia quæ Imperiis & Monarchiis interitum afferunt. *Multæ conſpirationis*, dicit Ariſtoteles, *& invaſiones in Monarchas propter pudendas contumelias in corpus illatas factæ ſunt, propter contemptum etiam ſeditionis fiunt.* Et Spiritus S. oraculum eſt *regna de gente in gentem transferri propter injuſtitias, & injurias, contumelias, & diverſos dolos.* Accedunt & aliæ cauſæ, quas Salluſtius recenſet. *Ego ita comperi*, inquit, *omnia*

Pſ. 45. v. 7.

Lib. 5. polit. cap. 10. & c. 3.

Eccleſ. 10. v. 8.

omnia regna, civitates, nationeſque uſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt; ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupêre, poſt paulò imminutæ opes, denique ademptum imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt. Maximè tamen à nutu atque edicto ſummi Imperatoris, Regis Regum & Domini Dominantium, per quem *Reges regnant & legum conditores juſta decernunt*, qui manu ſuâ ſceptra diſtribuit, ut vita & mors hominis, ita regnorum felicitas aut infelicitas dependet; tametſi in illorum conſervatione aut amiſſione curſum ſuum relinquat propenſionibus naturalibus & cauſis naturaliter operantibus abſque ulla libertatis læſione, adeò ut nullum interierit abſque interventu imprudentiæ alicujus humanæ aut gravis culpæ. *Prov. 8. v. 15.*

§. 19. Non infimum à ſexu fragili petemus teſtimonium ad confirmandam fluxam & volubilem Principum fortunam. Anna Comnena Imperatoris Alexii & Irenes filia, Nicephori Cęſaris Bryenii conjux, nullo non culta diſciplinarum genere (ut de ſe ipſa teſtatur) quibus fingi ornarique mentes eleganter inſtitutorum ſolent. In prçfatione libri, quem de Patris geſtis concinnè & luculenter ſcripſit, ſuas calamitates in hunc modum commemorat: „ Ubi „ quis, inquit, exceperit naſcendi felicitatem, Auguſtos Parentes, „ & purpuram in qua reptare mihi contigit, cętera quidem noſtra „ ſi attenderit facilè agnoſcet; fortunam ſtatim à regiis illis, quas „ dixi, cunis ac faſciis, quaſi poſt modicum & perfidum arriſum, „ repentè obnubilato vultu in vitam deindè meam reliquam nihil „ niſi nimbos & procellas immiſiſſe. Orpheum ferunt, dum cane- „ ret, concitaſſe in motum rupes ac ſilvas, cæteramque naturam „ ſenſûs expertem. Thimoteum quoque Tibicinem ubi carmen, *In præfat. Alexiados.* „ quod Orthium vocant, coram eſſet Alexandro modulatus; ita „ imis ſenſibus permoviſſe Macedonem, ut is ad arma repentè ac „ gladium rueret: ego ſi calamitates explicare pergerem narrando, „ non equidem ad progreſſionem aut curſum, neque ad arma pu- „ gnamvè, ſed certè ad lachrymas ſperaverim me commoturam au- „ ditorem. Abſterge paulisper lachrymas Comnena, interrumpe luctum ac lamentationem, ſiſte calamum: mala veſtra ad funeſtum ac lachrymabile doloris, quod propoſiturus ſum, collata argumentum, præludere ſolummodò videbuntur majori cladi ut procemia rudimentaque miſeriarum.

§. 20. Perfidiâ Raymundi Comitis Tripolitani (non obſcurè Hiſtoriographi dicunt illum clandeſtinum cum Saladino fœdus iciſſe, quem & mortuum Veſpillones circumciſum invenerint) profligatis Latinorum copiis, captâ Hieroſolymâ & ſacro-ſanctâ

Cruce Domini: Guido Luſignanus Rex cum uxore Sybilla & quatuor liberis egreſſus Ptolemaidem obſedit. Mirum accidit Heraclius Cæſar de Perſis Coſroëque crucem recuperaverat, tunc Heraclio Patriarcha rursùs amiſſa eſt: Urbano Secundo Pontifice Maximo ſancta urbs recepta, Urbano Tertio recidit in ſervitutem. In obſidione Ptolemaidis Chriſtiani cum duobus conflictabantur, fame & hoſtibus undique circumcincti: hæc ſunt *mala divinitùs immiſſa fames & peſtis*. Indies lues illa eòuſque graſſabatur, ut tandem deeſſent ægris non modò qui viſerent, qui aſſiderent, qui opem ferrent, qui oculos contegerent, ſed qui efferrent, qui ſepelirent, qui mortuos à vivis ſecernerent. *Parvuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis.* Quis crederet? vili hoc mortis genere ſed durisſimo, quod plerùmque privatos tantùm ſolet invadere, corripitur Regina Sybilla uxor Guidonis, filia, ſoror, & neptis Regum Hieroſolymorum cum quatuor filiis. Non parcit regio generi inevitabile hoc neceſſitatis telum. Pallebant omnibus lurida ora jejuniis; materque toties videbatur mori, quoties ad filios & eorum calamitatem oculos reflectebat, quos lachrymis ubertim manare deſiderabat, ut illis vel ſic charorum vitam poſſet ſuſtentare. Quoties è cælo, è terra, è mari, ab hominibus opem lugubribus ſingultibus implorabat! quoties non dico ciborum lautitias, quibus abundare conſueverant, ſed vel panem unicum illis dari exoptabat! Et quia videbat ſe omni deſtitutam auxilio, pectus ipſum more Pelicani aperiri ſibi poſcebat, ut ſanguine proprio continuò morientium filiorum vitam conſervaret. Patheticè & pro more ſuo elegantiſſimè tragicam hanc ſcenam, matris lachrymas, ſuſpiria, vota, preces & amorem deſcribit Poëtarum Hiſpanorum Princeps in hunc modum:

Paul. Æmil. in Philip. 2.
Blond. decad. 2. lib. 7.
Philo de Vita Moyſis lib. 1.
Jerem. Thren. 3.

Hijos de mis entrañas, que hè llegado
(Tanto el tiempo veloz las coſas muda)
A verme y veros, donde à penas puedo
Daros mi ſangre de flaqueza, y miedo?
Si à un Ave es concedido abrirſe el pecho
Y dar ſangre à ſus Hijos patricidas,
Como no eſtà mi coraçon deſecho
Y os ſuſtenta el humor de mis heridas?
Si hambre, ſi dolor al paſſo eſtrecho
De la muerte reduce vueſtras vidas
(Fortuna para Reyes tan impropria)
Poned el pico en mi ſangre propria.
Veis à qui el pecho, aunque de ſuerte flaco
Que no podreis ſacar humor ninguno,
Pues à penas la voz tremula ſaco,
Para poder os dar conſuelo alguno!
Si el Cielo me caſtiga, y no le aplaco,
Por mas que ſus Eſtrellas importuno
Con ruego, que harè yo por vueſtra vida
Primero que la muerte nos divida?
Pero ſi ſon del Cielo zeloſias
Las Eſtrellas que bordan ſu azul manto.
Siendo tan grande las deſdichas mias
Que por èl no quepan, no me eſpanto:
Mas ſi las hàn cerrado mis porfias,
Y hà dado ſu rigor contra mi llanto
En viſta de mi mal tan cruel ſentencia
Apele à ſu piedad vueſtra inocencia.
Dezid que ſoys de nuevo Adan Abeles
Peregrino mortal del Parayſo,
En tierra deſtos Barbaros crueles
Mas que la Egypcia al pueblo circunciſo:
Mas como tantas Palmas y Laureles
Con loco amor os deſenlazo y piſo,
Si os preſenten à Dios tales Martyrios
Coronados de Roſas y de Lirios.

Lope de Vega en ſu Jeruſalem Conquiſtada lib. 4.

Qui-

Quiſiera de manjares exceſivos
Ver vueſtra meſa eſplendida ſervida,
Que ſoys del coraçon pedaços vivos,
Y yo viviera en Fe de vueſtra vida:

Antes que queren morir eſtos altivos,
Que no vivir nueſtra Ciudad rendida;
Pues tomad eſtas lagrimas en tanto
Si es de la ſangre quintaeſſencia el llanto.

Nequidquam hęc proferebat morti jam proxima Sybilla, quando Anſbertus natorum major imbibens maternas lachrymas experiebatur utrùm hoc alimento poſſet vitam ſuſtentare, ſed ad fletum verſus lachrymas, quas biberat, reddebat, & ſimiles voces. ,, Quid ,, prodeſt, ô chariſſima genitrix! regia poteſtas, majeſtas, ſceptrum ,, fame morituris? O diademata commodatò tantùm accepta, bo- ,, num fallax, donum periculis refertum! ſi Regina es, impera ut ,, nobis præbeatur vel unicus panis, ut ad horam prolonget miſe- ,, ram vitam. Quid juvat caput redimiri auro, ſi panis unicus, qui ,, etiam canibus ſupereſt, Regibus deſit? *Matribus ſuis dixerunt ubi eſt triticum & vinum cùm deficerent.* Thre. cap. 1. O dura neceſſitas! reſpondere non poterat Sybilla impotens & vix non exanimis: quod ſolùm poterat, debili ſpiritu tentabat animare ſpiritum filiorum, ſicut extinctam quis flammam candelæ flatu ſuo nititur reſuſcitare. Stringebant collum matris pariter queruli, oſculabantur illam crebriùs & poſcebant alimenta: implebatur in illis quod Iſajas dixit, *Cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Cap. 5. Obmutuit mater & jejuniis exſanguis obriguit. Adeſt Guido cum pane quem à Mendico acceperat, quem extemplò in fruſta dividit, quæ ſingulorum ori imponit: ſed jam fames illos totaliter extenuaverat, vitæ meatus intercluſerat. Irretorto patrem intuentur obtutu, qui nunc precibus, nunc oſculis, nunc blanditiis, nunc clamoribus & ſuſpiriis rogat, & importuniùs inſtat. Supplices ad cælum manus tendit, famem tenerrimè orat ut vel unum ſibi relinquat ſuperſtitem, ſed non exorat. Qui umquam vehementiam amoris paterni in filios expertus eſt, facilè quoque intelliget acerbitatem doloris paterni, inconſolabilem luctum Guidonis Regis Hieroſolymorum, Sybillâ conjuge amantiſſimâ & chariſſimis quatuor naturæ atque amoris pignoribus uno eodemque tempore orbati:

—— *Ineluctabile fatum!*

Qui veſcebantur voluptuosè perierunt in viis. Thren. cap. 3. Verè Pius Secundus Pontifex Carlotæ Reginæ Cypri opibus & Regno exutæ, *Inſtabile*, dixit, *regni ſolium eſt, nulla potentia longa: hos erigi, illos deprimi Deus permittit.* Lib. 7. Com.

§. 21. Dicebat Plautus apud Joannem Murmellium in librum 2. Boëtii de Conſol. Philoſoph. proſa 4. *Miſerum iſtuc verbum & peſſimum eſt habuiſſe & nihil habere.* Nullus adeò deplorandus quàm

is, qui dicere poteſt ac debet, quondam opibus & potentiâ florui, ſtipabant opulenti undique latus famuli & ſatellites, clarus ſubſelliis, ornatus honoribus, circumfluens deliciis; nunc verò abjectus vivo, ſtipem oſtiatim peto, opprobrium hominum factus & abjectio plebis. Sed longè ſævius tormentum eſt non ad extremam modò inopiam ſed ad calamitoſiſſimam & probroſiſſimam mortem deveniſſe. Quàm graviter eheu! infelix Conradinus nepos Conradini Romanorum Imperatoris, ultimus nobiliſſimæ Suevorum familiæ, quæ jam indè à Clodoveis Caroliſque Francorum in Gallia Regibus multos Imperatores, Reges, Duceſque produxerat, & Fredericus Auſtrius ultimus Auſtriæ è familia Leopoldi Dux expiaverunt juvenilem imprudentiam, & præcocem regnandi libidinem anno 1268. ſeptimo Kalendas Novembris Neapoli in foro capite plexi! nullus non in hoc facto ſævitiam & barbariem agnovit. Cæſus mox carnifex ne ſe regium ſanguinem fudiſſe umquam jactaret: ſecutæ in Carolum Andegavenſem à Petro Aragoniæ Rege & Roberto Flandriæ Comite diræ. Referunt funeſtum Conradini ſupplicium lugubri incognitoque habitu ſpectaſſe triſtiſſimam matrem. Carolus Sextus Galliarum Rex repentino caſu mente alienatus largam & funeſtam materiam ſchiſmatis inter primarios Regni proceres ſubminiſtravit. Movebat in Joannem Monfortium Ducem Britanniæ, cùm egreſſus Cœnomanorum urbe, æſtuoſiſſimo die, ferventi ſole, ſub meridianum tempus, obviam, uti dicunt, habuit, inſolitâ mirâque ſpecie Eremitam qui apprehenſis equi habenis dixit, *Quò miſer ruis? proderis.* Ad cujus aſpectum mentem illi immutatam narrant, continuâ tamen propinquorum ſollicitudine, ope medicorum & induſtriâ ita reſtitutus eſt animus, ut per intervalla timeretur reincidentia. Integrè tamen convaluiſſet, niſi mirum & inopinatum totum evertiſſet infortunium. Adulta virgo nubebat nobili & in aula gratioſiſſimo adoleſcenti, adlibuit Regi depoſitis Regalibus unà cum quinque ſociis nihilò ſanioribus larvatum tripudium exhibere. Igitur vultu in leonini oris imaginem perſonato, reliquum corpus pice delibutum, multoque lino depexo, ac in villos conſerto ita contexit, ut hiſpidi ac ſemiferi portenti ſpeciem ſpectantibus præberet. Illo habitu omnes in cœtum Principum, matronarum virorumque prodeunt, in orbemque reſte datâ choreas pedibus plaudunt, feſcennino carmine modulantes. Totâ ex Regiâ concurſus fit ad hoc ſpectaculum, Dux Aurelianenſis ſtudio clariùs viſendi arreptam facem propiùs admovit; ſcintilla ex ea in Regem ſortè incidens repentinum in omnes illos effuſâ flammâ conflavit incendium. Duo inopes auxilii conſiliique pertinaci conflagratione miſerabili ejulatu periêre

Bzovius tom. xiij. ſupplemen. ad Baron.

Rivius decad. 2. lib. 7.

riêre toſti fœdum exhalantes nitorem: duo inter manus elati poſt biduum expiravêre: unus ruens in propinquam promi cellam aqua vinoque ſe perluens ſalutem ſibi peperit, concurſu ad Regem facto uxor Ducis Biturigis, antequàm ad vivum flamma jam corpus lambens perveniſſet, caudata fluxaque veſte ſua illum involvit, ac ignem reſtinxit. Exindè Rex in confirmatum delirium incidit, ex quo longa malorum Ilias. *Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* certè *judicia Dei abyſſus multa*, ut tàm Reges quàm ſubditi humilientur ſub potenti manu Dei; non ſolùm Regem, qui erat caput, ſed & totum Regni caput flagellis afflixit. Hinc ſcient omnes quàm neceſſarium ſit bonum & ſanum regni caput ad gubernationem totius corporis, quod ſine eo nequit ſubſiſtere; quàm ardentibus & aſſiduis precibus à Deo poſtulandum ſit, ut illud muneri ſuo aptum & proportionatum reddere dignetur. Exploratiſſimæ veritatis fuiſſe experta eſt Gallia illam ſententiam,

Ad Rom. 11. v. 35.

Dum caput ægrotat cætera membra dolent.

Rege Carolo alienatæ mentis effecto natæ ſunt vehementiſſimæ fœminarum ambitiones; inter Patruos Regis Duces Aurelianenſem, Burgundiæ & Butirigum diſſidia & odia capitalia: in aula Regia gliſcentibus factionibus multiplices ſimultates, modò ſumptæ, modò in ſpeciem ac in breve tempus fuêre depoſitæ. Major deindè irarum moles inter patrueles, quàm inter patruum fratriſque filium: neutra pars neque domeſticis neque externis carebat clientelis. Exorta hinc anno cIↄccccvij. 21. Novembris horâ ſeptimâ veſpertinâ cædes Ludovici Ducis Aurelianenſis: in cujus vindictam multò pòſt tempore Monſtrolii ad Yonnæ & Sequanæ confluentes ſiti juſſu Delphini à Taneguyo Chaſtelleto parva ſecuri Joannes intrepidus Dux Burgundiæ cęſus fertur decimo die Septembris anno cIↄccccxix. decem Delphini Comitibus delectiſſimis cædem cæde expiatam prædicantibus ac manibus Aurelianenſis egregiè parentatum. Philippus occiſi Ducis filius acerrimus necis paternæ vindex extitit; à matre Eliſabethâ Bavarâ arma in filium ſumpta, quem cum ſuis complicibus proſcribit à ſpe Regni paterni excludens, datâ in conjugem Henrico Regi Angliæ Catharinâ filiâ his pactionibus, ut ſi Rex gener Carolo Regi ſocero foret ſuperſtes in Regnum Franciæ ſuccederet: convellebantur jura naturæ. Bellis inteſtinis atque exteris ardebat Gallia univerſa. Depopulabantur illam miſerrimè hinc Angli, illinc Burgundiones. In urbe Regiâ innumeræ patrabantur direptiones & cædes. Regum ac Principum diſſentiones omnia belli mala in privatos congerebant: cultu agrorum intermiſſo oriebatur

Paul. Æmil. in Carolo VI.

in agris vaſtitas, in urbibus inopia: & ad extremam famem miſeri compellebantur, ac armorum cædiſque aſſuetudine efferebantur mortalium animi. Donec extremâ neceſſitate compulſi à Philippo Bono ſuppliciter veniam & pacem petierunt, quam tandem Atrebati obtinuerunt. Hujuſmodi confuſionis diſſidentium Principum ſtudiis ſub imagine belli Trojani ſubjicit oculis paradigma Horatius, ita ſcribens:

Pont. Heut. lib. 4.

Antenor cenſet belli præcidere cauſam
Quid Paris? ut ſalvus regnet vivatque beatus
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Pelidem feſtinat & inter Atridem;
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant Reges plectuntur Achivi,
Seditione dolis, ſcelere atque libidine & irâ
Iliacos intra muros peccatur & extra.

Epiſt. 2. ad Lollium.

§. 21. Quantos paroxyſmos excitavit debilis nimiùm unius capitis conſtitutio! quàm ſubitò & levi exurgente causâ omnia vertiginem patiuntur! nec ſceptrum aut corona quemquam extra caſum conſtituunt; repentino motu conquaſſatur etiam ſublimiſſimum caput,

——— *Feriuntque ſummos*
Fulmina montes.

Pſalm. 38. Intellexit hoc Regius Pſaltes loquens de Deo, *Tabeſcere*, dixit, *feciſti ſicut araneam animam ejus*: talem feciſti omnium artifex vitam hominis, qualis eſt aranea: quæ ſi vel tangitur, citò frangitur, & mittit tabem. Talem reddidiſti humanam vitam merito peccati, ut de ea non incongruè dici poſſit: *Quid ſuperbit terra & cinis?* quoniam in vita ſua projicit intima ſua, ſicut aranea producendo intima ſua, id eſt amittendo rationalitatem quod maximum habet; ſtudet in tranſitoriis, in quibus citò moritur. Res tenerrima eſt ſceptrum, delicatiſſima herba, quæ à pleriſque *Noli me tangere* experientiâ teſte judicatur. Satis ſuperque illud declarat Joanna Suffolciæ Ducis filia, quæ regnaverat decem aut duodecim diebus, in turri Londinenſi capite plectenda: „Ream, ait, me non quòd Regnum affectaverim, ſed „quòd oblatum non repudiaverim, facit; exemplum memorabile poſteris præbituram, mentis innocentiam facta gravia „quæ in publicam perniciem vergunt non excuſare; abundè quippè ſceleris videri illum admiſiſſe quiſquis alienæ ambitioni & „libidini vel invitus ſervierit. Suæ tamen libidini morem gerens

Eccls. 10.

P. Math. liv. 6.

Sely-

Selymus filius natu minimus Bajazetis II. patre veneno per medicum Judæum ſublato Achomate & Coronthe fratribus, nepotibus omnibus ex Alenſciacho atque aliis ſuis fratribus anteà defunctis, crudeliter ſtrangulatis; ex tot cadaveribus gradus ſibi ad Imperii Turcici ſolium fecit anno 1512. Equo, cui quia unicolor abſolutâ nigricie Carabulo id eſt atræ nubi nomen fuit, poſtquàm tamquàm emerito vacationem dediſſet, mortuo ad Memphim Ægypti ſepulchrum condidit, qui necatos à ſe fratres ſepulturæ honore privavit. Nihil ei poſt tot cædes ac ſcelera nec publicè nec privatim adverſum: dormire videbatur cæleſtis Juſtitia, niſi quod in extremo actu ſe oſtendit, & peſte correptum extinxit, ipſo loco & vico ubi prima cum patre ſigna contuliſſet. *Paul. Jov. Selymus.* *Lipſ. in monit. polit.*

§. 23. *Regum interitus*, dicit Quintus Curtius, *ſi reputaverimus, plures à ſuis quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus.* An Betlehem Gabor adoleſcentiam in ſordibus impudicitiæ, juventam in libidinis egerit, vix dubium erit illi qui exactè perpenderit gradus quibus ad Tranſilvaniæ Principatum venerit. Dominum dejecit ut thronum ejus conſcenderet, exercitus quibus præfuit, legationes quas à Principibus Chriſtianis recepit, magni quoque in bello progreſſus, quos fecit, homicidii & adulterii fructus fuêre ac merces. Rerum terreſtrium Arbiter ac Dominus, qui libram in manu tenet, in hanc aut in illam lancem pondus adjici jubet & inclinat. O quàm mira, quàm inopinata ſæpè ab illa potentia! Henricus Sextus Anglorum Rex duodecimum vix annum egreſſus Patri Henrico Quinto ſuccedit. Britannicis autem populis per diſcordiam ad arma compulſis, ipſe in prælio à Comite Varvicenſe capitur. Haud multò tamen pôſt apud S. Albanum à Regina ejus conjuge amiciſque ſuperato Varvicenſe liberatur. Cæterùm cùm ad Londinum Henricus victor & ovans veniret, ortâ in populo Londinenſi ſeditione Comitibus Varvicenſe ac Marchiæ ſeditioſis opem ferentibus iterùm Henricus prælio ſuperatus capitur; regnumque ad Marchiæ Comitem poſteà Eduardum Quartum nuncupatum defertur. Exacto duodecimo Regni anno Varvicenſis Eduardum odiſſe cœpit, conjunctoque Georgio Clarenenſi Comite Eduardi fratre Henricum liberat, atque in Regnum reſtituit. Eduardus in Belgicam fugiens Caroli Burgundi ſororii auxiliis, poſt ſex menſes reverſus Henricum capit atque in carcere interimit. Quàm variâ & miſerâ ſorte contexta fuit vita Henrici! quæ tamen cum aliorum Regum Angliæ caſibus habuit aliquid commune: novum atque inſo- *Lib. 9.* *Fulg. lib. 6. cap. 11.*

inſolitum illud videri debet indè alicui provenire mortis ſupplicium undè patrocinium expectabat ; ab Eliſabethâ Reginâ Angliæ Mariæ Reginæ Scotiæ creatum periculum, à qua protectionem ſperabat, ubi auxilium invenire ſe exiſtimabat, ibi exitium reperiens. Pro Elizabetha captiva in turri Londinenſi & poſtmo-

P. Matth. liv. 6.

dùm in Oxonia ſub cuſtodia Henrici Bevingfild Equitis Rex Hiſpaniarum ſexûs atq;ætatis commiſeratione ductus apud Mariam Reginam Angliæ interceſſit, illique non modò vitam ſed & plenam obtinuit libertatem : & illa in Reginam conſanguineam ſuam nullo crimine ſed Catholicæ tantùm Religionis profeſſione

P. M. liv. 6.

apud Hæreticos ream, poſt datam fidem, oblatum azylum & omnimodam ſecuritatem, poſt tædioſam viginti annorum capti-

Flor. Remond. part. 2. lib. 2. cap. 19.

vitatem, quâ illi canos acceleravit, capitali ſententiâ animadvertit, nihil verita in ipſa imaginem Dei, illuſtres ſæculi natales, Regiam conditionem, nihil poſteritatem, quam timere de-

Philo.

bebat. *Non hîc cruciari malum, ſed æterno illo cruciatu dignum*

Adverſus Androtionem.

fieri. Undè Demoſthenes aiebat, *De iis rebus, de quibus leges nullæ extant, prorsùs nihil eſſe decernendum.* Attamen enormius quid in Rege ſuo legitimo Carolo nepote Mariæ ſubditi tentare ſunt auſi. Idcircò rectè Horatius monet:

Ep. 10. ad Fuſcum Ariſtium.

—— Fuge magna : licet ſub paupere tecto
Reges, & Regum vitâ præcurrere amicos.

SYM-

SYMBOLUM XXVI.



TRagœdiam fortunæ nondum abſolvimus, adhuc theatrum occupat; in hunc mortalium cœtum honores, divitias, gratiam excutit: „ quorum alia in diripientium manus „ ſciſſa ſunt, alia infidâ ſocietate diviſa, alia „ magno detrimento eorum, in quos deve- „ nerunt prenſa: ex quibus quædam aliud „ agentibus inciderunt, quędam quia nimis „ captabantur amiſſa, & dum avidè rapiuntur, excuſſa ſunt. Nulli „ verò, etiam cui rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti duravit in „ poſterùm. *Sen. Epiſt. 74.*

§. 1. Diverſa fulmina à Jove mitti opinatur Seneca, quorum alia placabilia, alia pernicioſa. Nomina fulminum, à Cæcinna po-

Lib. 2. quaſt. natur. cap. 49. ſita, perſtringit. Ait eſſe poſtulatoria, quibus ſacrificia intermiſſa aut non ritè facta repetuntur; monitoria, quibus docetur quid cavendum ſit. Peſtifera, quæ mortem exiliumque portendunt. Fallacia, quæ per ſpeciem alicujus boni nocent. Regalia, quorum vi tangitur vel comitium vel principalia urbis liberæ loca: quorum ſignificatio regnum civitati minatur, & cætera id generis; ex quibus colligitur non eodem modo omnia eſſe percutienda: quædam frangi debere, quædam elidi & diſtringi, quædam admoneri: *Prægrandia animalia Deus ferit fulmine, nec ſinit inſoleſcere: parva verò* Herodot. lib. 7. *nihil lædit; magna ſemper ædificia, magnaſque arbores fulminum tela percutiunt.* Hæc eſt vis fulminis, valentiora quia reſiſtunt, vehementiùs diſſipat, cedentia nonnumquam ſine injuria tranſit. Cum lapide ferroque, & duriſſimis quibuſque confligit: quia viam neceſſe eſt per illa impetu quærat. Teneris & rarioribus parcit, quamquàm & flammis opportuna videantur: quia tranſitu patente minus Sen. lib. 2. quæſt. nat. cap. 52. ſævit. Loculis integris, pecunia quæ in his fuerat, conflata reperitur, quia ignis tenuiſſimus per occulta foramina tranſcurrit. Quidquid autem in tigno ſolidum invenit, ut contumax vincit, in arbore quod aridiſſimum eſt, urit: quod ſolidiſſimum ac duriſſimum eſt, terebrat & frangit: vinum gelat, ferrum & æs fundit. Ad modum fulminis agit fortuna. „ Ipſa enim felicitas ſe niſi temperat, Sen. Epiſt. 74. „ premit, quiſquis fugaciſſimis bonis credidit, citò deſeritur; & ut „ non deſeratur, affligitur: paucis deponere felicitatem molliter li- „ cuit: cæteri, cum his quæ eminêre, labuntur, & illos degravant „ ipſa, quæ extulerant.

§. 2. Fatum autem, quod aliquandò cum fortuna coincidit, Lipſ. in exc. pol. l. 1. cap. 5. nihil aliud eſſe conſtat, quàm providentiam decretumque divinum· Deus enim qui omnia fecit, dirigit eadem, movet & ſervat: *Tamquàm auriga peritus currum hunc mundi firmans in ſe atque alligans ne* Triſmegiſtus cap. 15. *incompoſitè feratur.* Vis illa ſupera continuò *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, pro his reſervat fulmina placabilia, pro illis pernicioſa. Decem plagas tamquam fulmina monitoria in Ægypto præmiſit, quæ & peſtifera fuêre, antequàm ad totalem ruinam Ægyptiorum deveniret. Regali fulmine Imperium Romanum percuſſit de quo Nicetas Choniates: „ Tu inclytum, exclamat, Ro- „ manum Imperium & gentibus adoranda Majeſtas quos tyrannos „ pertuliſti? quales amatores te petierunt? quibus ſubſtrata, tui co- De Reb. Alex. Imp. „ piam feciſti? quales coronâ & diademate, & puniceo veſtitu exor- „ naſti? graviora utique tuliſti, quàm Penelope procorum illâ fre- „ quentiâ obſeſſa. Aliorum caſus, pericula, calamitates, neces, ſupplicia, fulmina pernicioſa ſunt aliis eorumdem criminum reis, quibus

quibus eadem prænuntiant mala; aliis verò ſunt monitoria, eoſque ne per ambitioſas & iniquas artes honorum culmina teneant, deterrent. Quin & ipſi in invidioſo faſtigio ſuo trementes & attoniti, longè aliam de ſe opinionem habent, quàm ab aliis habetur: „ Nam „ quæ alliis videntur excelſa, ipſis prærupta ſunt. Itaque exani- „ mantur, & trepidant, quoties deſpexerunt in illud magnitudinis „ ſuæ preceps. Cogitant enim varios caſus, & in ſublimi maximè „ lubricos. Tunc appetita formidant, & quæ illos graves, & aliis „ reddit, gravior ipſis felicitas incumbit. Sen. Ep. 94. Sed animus ad falſa proclivis, citò ſpecie, quò non oportet trahente, corrumpitur: fallacia per ſpeciem boni nocent fulmina, illorum fulgor perſtringit ac decipit oculos; læta & blandientia fortunæ munera incautos multos in errorem deduxerunt.

§. 3. Equum Sejanum, qui proverbio locum dedit, utpotè magnitudine inuſitata, cervice ardua, colore phœniceo, flava & comanti juba, omnibuſque equorum laudibus inſignem nemo non expetiit, nemo non maximum indè damnum expertus eſt. Quem tali extitiſſe fato & fortunâ memorant, ut quiſquis eum poſſideret, is cum omni domo, familia, fortuniſque omnibus ad internecionem deperiret. Res exemplis patet. Refertur, primùm ejus dominum Cn. Sejum à M. Antonio capitis damnatum miſerando ſupplicio affectum fuiſſe. Eodem tempore Cor. Dolabellam Conſulem in Syriam proficiſcentem famâ ejus equi permotum Argos divertiſſe emiſſeque eum H S centum millibus, ſed ipſum mox, in Syria bello civili obſeſſum atque interfectum fuiſſe. Aul. Gell. lib. 3. cap. 9. Deindè eumdem equum Caium Caſſium, qui Dolabellam obſederat abduxiſſe. Quem Caſſium poſteà ſatis notum eſt victis Parthis, fuſoque exercitu ſuo miſeram mortem oppetiiſſe: demùm Antonium poſt interitum Caſſii partâ victoriâ, equum illum nobilem Caſſii requiſiviſſe, & cùm eo potitus eſſet, ipſum quòque poſteà victum atque deſertum deteſtabili exitio interiiſſe. Hinc de hominibus calamitoſis manavit proverbium: *Ille homo habet equum Sejanum.* Magna & nimiùm proſpera fortuna equus Sejanus eſt: omnes illam deſiderant, & nullum ſeſſorem admittit quem non excutit. „ Pompeio cùm Caius vetus „ cognatus, hoſpes novus, aperuiſſet Cæſaris domum, ut ſuam „ cluderet, defuit panis & aqua: cùm tot flumina poſſideret in ſuo „ orientia, & in ſuo cadentia, mendicavit ſtillicidia: fame ac ſiti „ periit in palatio cognati, dum illi hæres publicum funus eſurienti „ locat. Sen. lib. de tranq. animi cap. 11. De alterius Pompeii capite pupillus & ſpado tulere ſenten- „ tiam; de Craſſo crudelis & inſolens Parthus. Caius Cæſar juſſit Le- „ pidum Decimo Tribuno præbere cervicem: ipſe Chereæ præſtitit. Idem Ep. 4.

„ Neminem eò fortuna provexit, ut non tantùm illi minaretur,
„ quantùm permiſerat.

§. 4. Non ſolùm, ut fusè anteà declaravimus, præterit figura hujus mundi, quod ex mente S. Theodori Studitæ eſt; labitur, prætereqnitat, nec vel diuturnam ſtabilitatem obtinens: „ Sed qui heri
Catech. 3. „ nitidus, hodiè ſqualidus, qui heri in re ſplendida, hodiè in miſe-
„ ria eſt; nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit, hic è pau-
„ pere fit dives, alius è divite pauper, milleque mutationibus atque
„ vicibus ærumnoſa noſtra ſubjecta vita eſt, nihil poſſidens conſtans. Non ſolùm dico fortuna variabilitate ſua crebras, mirandas, & miſerandas parit viciſſitudines; nunc hunc in altum extollens, nunc illum è ſublimi dejiciens, illum beans, hunc infelicitans: ſed etiam
Eccli. 10. v. 8. *memoriam ſuperborum perdidit Deus*, quam tamen immortalem reddere modis omnibus conantur, atque ad poſteros tranſmittere: hinc monumenta æternitati conſecrata, & nihilominùs obliterata ex hominum animis memoria illorum, ut herba ſolſtitialis, brevi tempore interiit. Inventus qui Dianæ Epheſiæ templum incendere vel-
Val. Max. lib. 8. cap. 14. let, ut opere pulcherrimo conſumpto nomen ejus per totum terrarum orbem diffèreretur: quem quidem mentis furorem eculeo impoſitus detexit. At benè conſuluerant Epheſii decreto memoriam teterrimi hominis abolendo. Quod confirmat Eccleſiaſticus his verbis:
Cap. 44. v. 9. *Sunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint. & nati ſunt, quaſi non nati.* Sempiternâ nempè oblivione ſepulti fuerunt, ſiquidem & communes auras hauſerunt, ſed non vixerunt, quia nihil in vita dignum vitâ egerunt: ideò Tullius in Catone Majore: *Sic vive ne fruſtrà te natum intelligas.* Accipiamus ipſorummet teſtimonium eo tempore prolatum, quo non potuit eſſe non veriſſimum. Dicunt enim in pœnis: *Sic & nos nati continuò deſivimus eſſe, &*
Sap. 5. v. 13. *virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere. In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.*

§. 5. Similes ſunt fluviis, qui dicuntur torrentes; hyemalibus aquis implentur: Poſt paululum tranſit, decurrit aqua, ad tempus perſtrepit, mox ceſſat. Cucurrerunt ſuperbi in rivis ſuis quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur. Nulla extat Gigantum, qui fuerunt potentes à ſæculo, viri famoſi: perierunt quaſi non fuerint omnes de ſtirpe Enacim de genere Giganteo; ſimiliter Idumæi poſteri Eſau, Ammonitæ, Moabitæ, Philiſtæi: nullus modò reperitur qui hac appellatione cenſetur,
Pſ. 9. v. 8. *Periit memoria eorum cum ſonitu.* Nulla eorum poſteritas ſupereſt, imo nec ulla memoria ſaltem glorioſa, ſed ſolùm ignominiæ notis inuſta. Sunt illi filii terræ quorum nomina in terris ſcripta non in cælis: ſolà

ſolâ infamiâ ſuâ remanent illuſtres ac facinoribus nobiles. Idcircò non ait Pſalmiſta nomen periiſſe, utpotè quod ad ignominiæ exemplum ad opprobrium & deteſtationem relictum ſit; ſed *Zecharam* quod nomen & maſculum & firmum mentionemque ſive memoriam ſignificat. . *Arias Montanus in Pſalmos.*

§. 6. *In memoria* verò *æterna erit juſtus*, quia numquam juſtitia oblivioni traditur; habent enim uberem mercedem pietates & opera miſericordiæ. De his, qui illa exercuerunt, dicitur: *Cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum*, cum poſteritate eorum, quæ præclara parentum facta æmulatur, quæ digna ſoboles eſt tantorum virorum, permanent bona: undè ipſorum nepotes ſunt hæreditas ſancta id eſt hæredes ſancti & Sanctorum. Dat hoc Deus ſanctitati patris ut ejus ſint ſancti nepotes: eſt enim Deus miſericors etiam in tertiam & quartam generationem: non ſolùm nepotes erunt pii, ſed eorum generatio in æternùm manebit. Abrahæ generatio durat; durat & Davidis in Chriſto & in Virgine. S. Baſilii Magni avus martyr fuit; Parentes Baſilius & Emmelia ſancti teſtante Martyrologio 3. Maii: frater quoque S. Gregorius Nyſſenus & ſoror S. Mactina. Tertio nonas Februarii in Africâ S. Celerini Diaconi natalis annua ſolemnitate celebrandus recurrit, cujus Patruus Laurentinus, Ignatius avunculus, Celerina avia martyrio anteà coronati fuerant. S. Pudens Senator filios habuit S. Novatum & S. Timotheum Presbyterum, filias ſanctas Chriſti Virgines Pudentianam & Praxedem: omnium domus in Eccleſiam commutata Paſtoris titulus appellatur. D. Gregorii amita Tharſilla & mater Silvia ſanctitate excelluerunt. D. Ambroſius, frater ejus Satyrus & ſoror Marcellina vitæ ſanctimoniâ inſignes. Leander & Iſidorus Epiſcopi, ſancti fuêre eorumque ſoror S. Florentia. S. Benedictus cum ſorore Scholaſtica; huic adjice diſcipulum ejus S. Placidum martyrem cum fratribus Eutichio, Victorino, & ſorore Flavia. Singulari divinæ bonitatis myſterio factum, ut SS. Medardus & Gildardus fratres eodem die nati, eodemque Epiſcopi conſecrati, ille Noviomenſis, hic Rothomagenſis, uno quoque die de hac vita ſubtracti ſimul in cælum migraverint. Tota ferè S. Brigittæ, ex revelationibus ei factis, progenies æternâ potitur felicitate cum S. Catharinâ filiâ ejus: de hoc Chriſtuſmet illi teſtimonium præbuit his verbis: *Dico tibi non ad laudem tuam, quòd generatio tua proceſſit de ſanctorum Regum progenie, & ipſi ſuis promeruerunt meritis, ut tecum manifeſtaretur gratia Dei.* Ut ſic juxta verbum Legiſlatoris *ad filiam tranſiret hæreditas*. S. Pipinus Landenſis gloria & decus Patriæ noſtræ primus Dux Brabantiæ, duxit Ittam fœminam non vulgari ſanctitate præditam, ex qua ſuſ-

Pſ. 3.

Eccli. 44. v. 11.

In Martyr. 20. Julii.

In Martyr. 8. Junii.

In vita ejus per Conſal. Durant.

Num. 27.

cepit S. Gertrudem & S. Beggam; hujus maritus fuit S. Anſigiſus filius S. Arnulphi & S. Odæ, frater SS. Clodulphi & Wandregiſili. Pater S. Arnulphi fuit Arnoldus Senator & Dux Auſtriæ ſuperioris, (quæ nunc Lotharingia dicitur) mater S. Oda. Avus Ansbertus Dux illuſtris Auſtriæ ſuperioris, genere Romanus, ex Imperiali ortus proſapia & Senator Urbis qui ex Blithildi filia Lotharii Primi Regis, vel ſecundùm aliquos Lotharii Secundi cognomento Magni, ſorore Dagoberti Primi, genuit præter Arnoldum natu maximum, S. Ferreolum, S. Modericum, & S. Carſiciam Virginem. Sororem habuit S. Pipinus Amalbertam uxorem S. Clodulphi Ducis Moſellanici, qui pòſt fuit Epiſcopus Metenſis filius S. Arnulphi, ex quibus procreata eſt S. Amelberga B. Witgero Comiti nupta, cujus filiæ S. Gudila, S. Reineldis, S. Pharaildis & filius S. Emebertus Cameracenſis Epiſcopus, Propinquitate quoque Pipinum attigerunt S. Aldegundis & S. Waldetrudis Comitiſſa Hannoniæ, uxor S. Vincentii, cujus filii S. Dentelinus, S. Landricus, S. Aldetrudis & S. Madelberta. His ſuccenturianda eſt S. Regina Pipini neptis mater S. Rigenfredis Virginis & Landrada Virgo neptis S. Pipini Carolomãni filii: S. Carolus Magnus Imperator, S. Itisberga Virgo ejus ſoror; S. Bavo S. Pipini propinquus, S. Carolomannus filius Caroli Martelli, S. Nortburgis Virgo filia Pipini Secundi ex Plectrude, S. Hubertus, S. Floribertus filius S. Huberti, S. Oda matertera S. Huberti; S. Trudo Presbyter & Comes, S. Adela Trudonis mater: horum omnium memoria in benedictione eſt, qui fulgent tamquam ſtellæ in perpetuas æternitates. *Generatio* enim *rectorum benedicetur.*

Ex M. S. Viridis Vallis.

Molanus. Item Miræus in faſt. Belg.

§. 7. At contrà memoria impiorum periit cum ſonitu. Inſtar ſplendoris ſunt, aut ſonitûs tormenti bellici, ex quo nihil omninò manet niſi ad exiguum temporis ſpatium teter odor; aut rectiùs, ni fallor, ut præſens Symbolum indicat, inſtar pyrobolorum, qui mira ſpectantium voluptate in ſublime feruntur, & per aëra diſcurrunt, ſed repentè cum ſonitu crepant omni extincto fulgore relicto ſolummodò quodam nidore. Multi omnibus blandientis fortunæ ſuffragiis uſi non deſinunt continuò extolli ad aliorum ſtuporem & invidiam, donec in ictu oculi, cùm jam in ſummo honoris faſtigio cernuntur fulgêre, in profundum ignominiæ barathrum detruduntur unâ ruinâ ſe ſuoſque involventes. Eò ſpectabat ingens illa & horribilis moles, quam Nabuchodonoſor vidit per ſomnium, ut Chriſti cognoſceretur poteſtas & humanæ poteſtatis infirmitas: ſtetit verò tamdiù, donec exiguus quidam lapis ſine vi cujuſquam aut artificio, ſed ultrò abſciſſus aut ſolutus à monte, qualem è loco movere ſolet vel ipſa aura ſi paulò fuerit concitatior, in teſtaceos pedes,

tam-

tamquam in vaſtæ illius molis fundamentum impactus aurea illa, argentea, & ferrea membra temporis momento ſtravit, ita diſſolvit atque comminuit, ut nihil ex illis reliquum fuerit. Regna quoque ex his membris, juxta interpretationem ſomnii præfigurata, quæ propter ſuam amplitudinem ac potentiam omni fortuna & caſu ſuperiora viſa ſunt levi quaſi lapilli colliſione perierunt, ex quibus nomen inane tantùm ſupereſt. Hinc Daniel Regi: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus.* Naſcente Chriſto (qui per lapidem iſtum ſignificatur abſciſſum de monte id eſt de Beatiſſima Virgine Maria) exiſtimari poſſunt totius orbis Imperia corruiſſe: quæ aurea cenſebantur, argentea, pretioſa, illuſtria, damnavit Chriſtus naſcens & moriens, pauper ac nudus, vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Ut ærea aut ferrea id eſt crudelia, vel ſanguinaria ceſſarent atque extinguerentur, fecit ipſe natus infans, in quo non fremitus, ſed vagitus, non iræ, non bilis, ſed pacis & miſericordiæ vox audiebatur. De quo Iſaias cecinit: *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus eſt nobis.* Ut contererentur pariter ferrum, teſta & æs, debebat lapis impingere in teſtaceos pedes, quod documento eſt nullam potentiam mundanam tam firmam & ſolidam eſſe, quin habeat fundamentum luteum ſeu fictile, quo corruente quandòque cætera ita collabuntur ut verè dicatur, *Nullus locus inventus eſt eis.*

Danielis 2. v. 34.

Cap. 9. v. 5.

Dan. 2. v. 35.

§. 8. Simile in materia non admodùm diſſimili profert Regius Vates: *Vidi*, inquit, *impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut Cedros Libani*; quæ Genebrardus ex Hebræo ſic reddi poſſe dicit: *Sicut lauri vigentes quæ ſolent latiùs ramos ſpargere.* Et Chaldæus vertit: *Sicut arborem tranſplantatam & abundantem foliis.* Quis non miretur tantæ pulchritudinis ſplendorem? quis verò tam præſtanti vigori, tam ſublimi atque inacceſſæ firmitati non applaudat? mox tamen adjunxit Rex ſanctus: *Tranſivi & ecce non erat, quæſivi eum & non eſt inventus locus ejus*; tranſivi & vidi omnem momento uno remiſiſſe vigorem, emarcuiſſe virorem, evanuiſſe pompam, illamque ruinam traxiſſe non ſine ingenti tumultu & fragore: quid mirum? „ Magnæ arbores diù creſcunt, unâ horâ extirpantur; ſtultus eſt, qui „ fructum earum ſpectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum „ ad cacumen pervenire contendis, cum ipſius ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo etiam aliquandò minimarum avium „ pabulum fuit: & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, „ cui non periculum ſit etiam ab invalido. Proindè fortunam tuam „ preſſis manibus tene: impone felicitati tuæ frænos, faciliùs eam „ reges.

Pſ. 36. v. 35.

Q. Curt. lib. 7.

„ reges. Hoc dabat Alexandro Macedoni conſilium ex Scytarum Legatis natu maximus. Lucifer, qui volebat eſſe ſimilis Altiſſimo & aſcendere thronum Dei, quomodò cecidit & quanto cum ſtrepitu in profundum abyſſi. Fuit primus ſuperbiæ typus ac pyrobolus maximè ſplendens, ſed citò evaneſcens cum ſuis complicibus teterrimum exhalans fœtorem. Senſit vindicem Dei manum Antiochus eo tempore quo Judæos ad internecionem delere meditabatur percuſſus inſanabili atque inviſibili plaga. Torquebat enim illum dolor dirus viſcerum & amara internorum tormenta, iſque qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbiâ repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere; humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemet ipſo conteſtans, ita ut de corpore impii vermes ſcaturirent; & qui paulò antè ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Ita homicida & blaſphemus peregrè in montibus miſerabili obitu vitâ functus eſt. Teſtis eſt Aman quàm ſomniata ſit humana felicitas, quid ſperari poſſit ab humana dextera, quæ eodem dejicit impetu è ſublimi loco, quo eumdem paulò antè ſuſtulerat, quodque aſpirante aurâ fortunatus ac potens nihil ſibi gratulari debeat, cùm inſtet à tergo horrida tempeſtas, & ridentis fortunæ ſubita atque luctuoſa converſio. Quid aliud fecit, dum honores captavit populares & Principis gratiam, quàm ut duriori affligeretur caſu, & ſua omnibus notior eſſet minuſque miſerabilis ruina. Potens opibus, filiis & clientelis abundans, maximâ apud Regem Aſſuerum gratiâ, magno Principes alios excellens intervallo, ſolus ad Reginæ convivium cum Rege invitatus nihil exiſtimare poterat fortunæ & gloriæ ſuæ deeſſe; cùm irruit ſuper eum repentina calamitas, & qui ſemper ad ſumma aſpiraverat, in ſublimi expirat.

Lib. 2. Machab. cap. 9.

§. 9. Mundus & Dæmon eodem planè modo deludit ærumnoſos mortales, quo Laban Jacobum. Cùm pro navatâ tamdiù ac diligenter operâ, pro omnibus exantlatis moleſtiis venuſtiſſimam & ardentiſſimè expetitam Rachelem conjugem Jacob expectaret (quæ illi ex ſtipulatione & pacto inito pro ſeptenni famulatu debebatur) Laban *veſpere filiam ſuam Liam introduxit ad eum*: quo tempore amariſſimorum laborum dulci fructu Jacob ſe fruiturum ſperabat, eodem à Socero ſuo graviter eſt deluſus; quo tempore Aman putabat ſe ad ſupremum felicitatis gradum perveniſſe, ignominioſo mortis genere è vivis tollitur. Benedictus Fernandius illam deceptionem & fraudem Laban ait factam *in typum Cacodæmonis, qui nobis aurum præripit, & lutum præbet, margaritas aufert & ſordes* inge-

Geneſ. 29. v. 23.

In cap. 29. Geneſ. ſect. 11. num. 4.

ingerit. In hoc conſilia & ſtudia inimici noſtri mortalis collimant, ut pro Rachele formoſiſſimâ Liam ſupponat, lippis oculis deformem, quidquid pretioſum nobis adimat, & vilia reddat, vitam auferat, inferat mortem: ſic & mundus arridendo bona promittit, reddit mala; ut ejus dilectores meritò poſſint dicere illud Iſaiæ: *Expectavimus lucem & ecce tenebræ, ſplendorem & in tenebris ambulavimus.* Quis Cræſo ditior? & is rogum ſuum & accendi vivus & extingui vidit, factus non regno tantùm ſed etiam morti ſuæ ſuperſtes. Ptolemæum Africæ Regem, Armeniæ Mithridatem, inter Cajanas cuſtodias vidimus ait Seneca. Alter in exilium miſſus eſt. Alter ut meliori fide mitteretur, optabat. Numquid aut tàm magnis quis, aut tàm inſperatis, aut tàm univerſis, quàm Sejanus functus eſt honoribus? *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diviſit: in quem quidquid congeri poterat, Dii homineſque contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret.* Fusè Sejani caſum narrat Dion: quem coronis antè univerſi dignati fuerant, ei vincula induxerunt, quem tamquam Dominum ſtipaverant, eum fugitivi inſtar cuſtodierunt, tegmenque obvelanti ſeſe detraxerunt alapis ingeſtis: quem antè prætextâ purpureâ veſte decoraverant, cui genua flexerant, ac ut Deo ſacrificaverant, eum ad mortem duxerunt. Populus omnes ejus ſtatuas dejecit, confregit, quaſi ipſum eâ contumeliâ mulctarent. Tandem decapitatus eſt, cadaver ejus in Gemonias abjectum, totum triduum jacuit & populus illuſit. Ex eodem Senatuſ-Conſulto in æde Concordiæ habito liberi ejus necati ſunt. Filia quam pactus erat Claudii filio conſtuprata priùs à carnifice quaſi impium eſſet virginem in carcere perire. Decretum, ne quis Sejanum lugeret. Feſtus dies ab omnibus Magiſtratibus & Pontificibus celebratus; & ille quo Sejanus pœnas luit annuis circenſibus ludis ac venationibus per quatuor Collegia Pontificum atque Auguſti Sacerdotes ritè ornandus fuit indictus libertatis effigie in foro erectâ.

Cap. 59. v. 9.

Lib. de tranquill. animi c. 11.

Idem ibidem.

Dion. lib. 58.

§. 10. Secundus ab illo prodit in ſcenam Ruffinus, qui à Theodoſio Imperatore gloriâ & opibus auctus, Arcadio quoque Tutor datus, cùm Dominum ſuum minorennem Imperio privare meditabatur, proditione compertâ, medio conatu à militibus Italicis eſt occiſus. Caput cum dextera præciſum ante ipſas Conſtantinopolis portas pependit, uxore ejus in exilium miſſâ. Hunc Claudianus duobus libris inſectatur acerbiſſimè: de quo & ejus ſimilibus ſcriptam reliquit hanc omnibus penè notam ſententiam:

Cuſpin. A. D.

——— *Tolluntur in altum*
Ut lapſu graviore ruant.

Opes Ruffini univerſas Eutropius poſſedit ei ſuffectus ne mundo deeſſet alter Ruffinus. Qui Conſul deſignatus atque Arcadii Imperatoris Sigon. lib. 10. cubiculi præpoſitus, potentiâ extraordinariâ nixus, auſus eſt in Imp. Occiden. Eudoxiam Auguſtam ſeſe contumelioſiùs gerere, & ab Arcadio nefarium in contumeliam Eccleſiæ petere edictum, quod & extorſit; ut ſi quis ad Eccleſiam confugeret, ab altari abreptus pœnas graviores perſolveret, improbante D. Joanne Chryſoſtomo ingenti magnitudine animi legem iniquiſſimam. Egit quod potuit acerrimus ac diſertiſſimus Eccleſiaſticæ libertatis atque immunitatis defenſor, Rom. 12. v. 19. vindictam Deo commiſit. *Mihi vindicta & ego retribuam dicit Do-* Pſ. 10. v. 2. *minus.* Qui non multo pòſt tempore oſtendit, quòd *Impii comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant*, quòd incidant in foveam quam fecerunt. Noluit impunes relinquere Arcadius contumelias Auguſtæ illatas, honore igitur, potentiâ, opibus & gratiâ impudentem ſpoliavit: qui, cùm ab Imperatore ad pœnam quæreretur, impunitatis cauſa ad templum ſe contulit, & contra legem à ſe promulgatam aram ſupplex amplexus eſt. Æquumnè judicabitur egregium hunc Legiſlatorem in aliquo relevari, qui, ut Juriſperiti loquuntur, venit contra proprium factum? cùm omnia jura clament, quod quiſque juris in alium ſtatuerit vel obtinuerit, eodem ipſo uti debere: quod edictum ſummam habere æquitatem, ac ſine cujuſquam Leg. 1. ff. quod quiſque juris. eſſe indignatione juſta Ulpianus ait; maximè enim conſonum judicatur (quemadmodùm in fine ſubjungitur) *Ut quod ipſe in alterius perſona æquum eſſe credidiſſet, id in ipſius quoque perſona valere patiatur.* Quamvis enim iniqua fuerit lex militans adverſus Eccleſiæ privilegia, in ipſum tamen æquiſſimè putabitur ſtatuta ut graviores pœnas, ſi ad Eccleſiam confugiſſet, perſolveret, qui abſque nefaria contaminatione aram tangere non poterat: excipiuntur ſiquidem crimina, ob quæ jus aſyli denegatur. Agnovit & laudavit pariter victricem Dei manum D. Chryſoſtomus videns impium ſub altari deliteſcentem; cui tamen ex intimis pietatis & miſericordiæ præcordiis dixit conſcenſo umbone: „ Abnegarunt te omnes amici tui, Tom. 2. Homil. 19. „ diſceſſerunt unuſquiſque in ſua, & nudum te atque inanem reliquerunt, nullus illorum vel propè accedere auſus eſt. Nos verò, „ non ita, ſed & tunc cùm difficilis eſſes, ac durus ad monita noſtra, non pertimeſcebamus: & nunc caſum tuum non perhorremus, nec deſerimus, ſed quantum poſſumus, ſublevamus; & „ Eccleſia quidem quæ à te impugnata eſt, apertis te gremiis ſuis ſuſcipit. Convenerant ad hoc ſpectaculum non ſolùm viri, ſed & mulieres, etiam illæ, quæ clauſæ ſemper domibus habebantur neglectâ domeſticâ curâ: virgines quoque proruperant de thalamis, nec

vere-

verecundia detinuit, quas Dei gloria invitavit. Convolaverat undique omnis ſexus, omnis ætas, omniſque conditio ut illum quem viderant altaris hoſtem, nunc captivum viderent altaris; ut perſpicerent judicia Dei, qui reſpicit terram & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant: ut videret omnis oculus ac ſuiſmet aſpectibus crederet, mortalium res quàm ſint fragiles, quàm caducæ: *Ità enim ſe rerum ſucceſſus & proſperitas habet. Hæc eſt hujuſcemodi converſorum virtus, ut quantò elatior priùs fuit, tantò nunc dejectior fiat.* Undè priùs ad omnem concionem ſic fuerat exorſus ſanctus ac pius Doctor potens in opere & ſermone. „Semper quidem, ſed nunc præcipuè competenter dicetur, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Ubi nunc eſt refulgens Conſulatûs ambitio? ubi reſplendentes ad invicem ſiderum toto orbe lampades? ubi equorum certamina? ubi diverſorum munerum pompa? ubi coronæ & varius totius orbis ornatus? ubi tubæ, & theatralis illa populi adulantis acclamatio? repentini ſpiritus flatu tamquam folia cuncta diſcuſſa ſunt, & arbor nuda derelicta eſt: & non ſolùm nuda, ſed & ab ipſis convulſa radicibus: tantâ enim vi ventus incubuit, ut ipſius arboris abſolverit nervos. Ubi nunc ſimulati illi amici? ubi variæ adulationum facies? ubi convivæ, & prandiorum cœnarumque aſſeclæ? ubi parapſides? ubi electa vina, & per totum diem tracta convivia? ubi coquorum exquiſitæ artes? ubi denique omnis illa potentia, & clientum greges ad gratiam cuncta loquentium? nox erant omnia illa, & ſomnium, & die exorto nuſquam comparuerunt. Umbra erat, & pertranſiit: fumus fuit & diſſolutus eſt, bullæ aquarum fuerunt, & diſruptæ ſunt: araneæ telæ erant & diſciſſæ ſunt. Propterea-que iterùm ſpiritale iſtud carmen canimus dicentes: vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hunc enim verſiculum, ſi ſaperent, qui in potentia verſantur, in parietibus omnibus, & in veſtibus ſuis ſcriberent, in foro, in domo, in janvis, in ingreſſibus; & ante omnia in conſcientiis ſuis, ut ſemper eum oculis cernerent, & corde ſentirent. Quoniam quidem multæ ſunt rerum facies, multæ imagines falſæ, quæ decipiunt incautos: iſtud oportet quotidiè ſalutare carmen, & in prandiis & in cœnis & in omni conventu unumquemque proximo ſuo canere, & à proximo ſuo libenter audire: quia vanitas vanitatum eſt & omnia vanitas.

Idem ibidem. *Ibidem.*

Quàm exactè, quàm ſummariè totum complexus eſt, quod integro volumine de vanitate potentiæ, divitiarum, & fortunæ inconſtantiâ poſſemus dicere. Talibus viris datum eſt ſapere ac rem penitùs explanare. Huc uſque fideliter ipſius deſcripſi exordium, ne

verbulum deeſſet tanti Doctoris, cui in veritate multum afficior ſicut & multum debeo, quemadmodùm ipſe D. Paulo, ac utrumque maximoperè ſuſpicio. Poſt hæc ſalutare lenitatis monitum omnibus dedit, & nihil aſſeruit hâc victoriâ clarius eſſe, nihil iſtâ virtute præſtantius, hoſti videlicet non cedere, miſero ſubvenire. Objiciebatur ei cur ad Eccleſiam confugeret, qui ſemper expugnaſſet Eccleſiam? Ità reſpondet. Propter hoc maximè: „ In his enim oportet glorificare Deum qui permiſit eum in id neceſſitatis adduci, „ ut per ipſum & virtus quæ ineſt Eccleſiæ, & miſericordia naſcere„tur. Virtus quidem ex eo, quòd impugnatorem ſuum ſupplicem videt. Miſericordia verò ex eo, quòd protegit ſupplicem, „ & ſub alis ſuis contegit, cujus dudum hoſtilia tela contempſit: „ quòdque immemor priorum malorum ſuorum ſinum ſuum cum „ pietate pandit ei, cujus vulneribus numquam ceſſit. Ignovit illi mitis Pontifex, ſed non ignovit Imperator. Eutropius itaque, nomine ejus ex faſtis exempto, ſtatuis & ſimulacris ejus omnibus abolitis in Cyprum deportatus; mox graviorum quoque criminum reus compertus, capite pœnas dedit.

Ibidem.

Sigon. lib. 10. Imp. Occiden.

§. 11. Similia ſimilibus componamus. Parthenio Regni Francorum à Theodoberto cura commiſſa erat; à Francis odio vehementi habitus, quòd Provincias expilaſſet, quòd tributis populum gravaſſet; ab illo peculatûs & repetundarum reus inquirebatur: ille verò in periculo ſe poſitum cernens, confugium ab urbe facit, & à duobus Epiſcopis ſuppliciter exorat, ut eum ad urbem Trevericam deducentes, populi ſævientis ſeditionem prædicatione ſuâ comprimerent. Quibus euntibus nocte, dum in ſtratu ſuo decumberet, per ſomnium, vocem magnam emiſit, dicens: *Heu, heu, ſuccurrite qui adeſtis, & auxilium ferte pereunti*: à quo clamore expergefacti qui aderant, interrogabant quid hoc eſſet? Reſpondit ille: *Auſanius amicus meus cum Papianillâ conjuge, quos olim interfeci, ad judicium me accerſibant, dicentes: veni ad reſpondendum.* Zelo enim ductus, ante aliquot annos, conjugem innocentem amicumque peremerat. Igitur accedentibus Epiſcopis ad antedictam urbem, cum ſtrepentis populi ſeditionem ferre non poſſent, eum in Eccleſiâ abdere voluerunt, ſcilicet ponentes eum in arcâ, & deſuper ſternentes veſtimenta quæ erant ad uſum Eccleſiæ; populus autem ingreſſus, perſcrutatuſque univerſos angulos Eccleſiæ, cùm nihil reperiſſet frendens egrediebatur. Tunc unus ex ſuſpicione locutus ait: en arcâ, in quâ non eſt inquiſitus adverſarius noſter, dicentibus verò cuſtodibus, nihil in ea aliud niſi ornamenta Eccleſiæ contineri; illi clavem poſtulant, dicentes, niſi reſeraveritis velociùs, ipſi eam ſponte confringimus.

Gregor. Turon. Hiſt. lib. 3. cap. 36.

Baron. tom. 7. anno 552. in fine.

Deni-

Denique reſeratâ arcâ, amotis linteaminibus, inventum extrahunt, plaudentes atque dicentes. Tradidit Deus inimicos noſtros in manus noſtras. Tunc cædentes cum pugnis, ſputiſque perungentes, vinctis poſt tergum manibus ad columnam lapidibus obruunt.

§. 12. Talionem à juſto judice aut in hoc ſæculo, aut in futuro juſti vident. Opprimitur ſæpè veritas & innocentia, ſed numquam ſupprimitur, in tempore ſuo emergit. Confidenter loquitur idcircò Regius Propheta de Deo, *non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Pſ. 54. v. 33.
De calamitate juſtorum & proſperitate impiorum apud Deum fuerat conqueſtus, neque ſatis æquum hoc ipſi videbatur: ſed finem atque interitum eorum perpendens agnovit ex occultiſſimis & ſecretiſſimis cauſis infallibilia Dei elici decreta. *Ecce*, dicit, *ipſi peccatores & abundantes in ſæculo, obtinuerunt divitias.* Et de ſe addit per Antitheſim. *Fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in noviſsimis eorum.* Oderant fratrem Joſephum fratres propter ſomnia viſa, retulerat ipſis ſomniaſſe ſe quod ligarent omnes manipulos ſecum in agro, & conſurgere manipulum ipſius ac ſtare; illorumque manipulos circumſtantes adorare manipulum ipſius. Ignorabant myſteria Dei, commenta credebant aut ambitionis irritamenta, quæ erant veræ atque infallibiles prędictiones. Eodem modo præmonuerat beatus Præſul Conſtantinopolitanus Eutropium. „ Nonne tibi, inquit, dicebam, cum me frequenter corriperes, & increpares vera proſequentem: quia ego te „ magis diligerem, quàm illi qui adulabantur: ego qui arguebam „ te, plus tibi profueram ſi audire voluiſſes, quàm illi qui aſſentabantur. Non meminiſti cùm dicerem tibi, quia meliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimicorum? ſi mea verba, „ quæ tunc vulnera videbantur audiſſes, numquam tibi oſcula adulatorum illum exitum peperiſſent. Quæ veriſſima fuiſſe calamitoſus eventus demonſtravit. Sed unuſquiſque plus ſibi credit quàm alteri, nemo ſe ita ſicut proximum judicat, omnes ſibi de juſtitiâ cauſæ propriæ applaudunt, aliorum vera ac ſana conſilia & pręſagia renuunt; cogitant vana eſſe atque inania quę ipſis dicuntur; econtrà ſua verba ſtaterâ ponderanda: dumque alios taxant ſinceriſſimi volunt haberi cenſores cùm nonnunquam toto cælo aberrent à pręoccupato rationis judicio per depravatum affectum dictamen requirentes. Vix tales effugient redargutionem Beati Judæ Apoſtoli. *Hi autem*, dicit, *quæcunque quidem ignorant, blaſphemant, quæcunque autem tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

Pſ. 72. v. 12. v. 14. v. 16. v. 17. Geneſ. 37. D. Chryſoſt. tom. 2. Homil. 19. In Epiſt.

§. 13. Irridebant (ut revertar undè digreſſus ſum) fratres Joſephum,

phum, eum delirare credebant, cui ab Omnipotente infuſa cæleſtis Sapientia uti Patri Jacobo *dedit ſcientiam Sanctorum*, quem Pharao Rex Ægypri *conſtituit Dominum domus ſuæ: & Principem poſſeſſionis ſuæ: ut erudiret Principes ejus ſicut ſemetipſum: & ſenes ejus prudentiam doceret.* Habuit tamen Joſeph fratres ſuos adoratores ut veritas ſomniorum probaretur, habuit illos teſtes omni exceprione majores & confitentes reos. Cum fames graſſaretur in terrâ Chanaan miſſi à Patre fuerant in Ægyptum pro alimentis emendis: & qui illum interficere cogitaverant, qui Iſmaëlitis vendiderant, ut exploratores *tradidit illos cuſtodiæ tribus diebus*: die tertio eductos dimiſit Simeone in vinculis retento, donec ſecum adducerent fratrem eorum minimum Benjamin. Teſtimonium tunc dicente conſcientia juſtæ retributionis ſententiam cognoverunt. *Meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* Vexatio dedit intellectum. Non peccavit Joſeph ob incarcerationem fratrum; judex enim fratrum ſuorum datus erat ex authoritate Dei: non privatam ſed publicam voluit injuriam perſequi. Magnum intulerant patri damnum & mœrorem, plagium commiſerant id eſt furtum liberi hominis furtim rapientes filium ejus: propter quod 23. annis continuò Joſephum pater luxerat. Nulla commiſeratione erga fratrem moti ut vile mancipium vendiderunt. Dum deprecaretur illos, cùm puer tenerrimus 16. annorum, recogitans quòd numquam ampliùs reverſurus eſſet in patriam ſuam, nec viſurus chariſſimum patrem ſuum, ſed inter alienigenas plurima incommoda & opprobria ſervilia toleraturus, clamaret cum lachrymis in hunc aut ſimilem modum. Nunc miſeremini mei dulciſſimi fratres mei. Miſeremini patris noſtri, qui tantâ teneritudine me diligit, ut anima illius ex meâ pendeat, ut jam ex nunc vita ejus cum gemitibus agenda ſit, & cum vehementi fletu ad inferos ei canities deſcenſura. Miſeremini ergò mei dulciſſimi fratres mei. Quando ipſi leonibus frementibus ſæviores, Hyrcanis tigribus ferociores, ſurdis aſpidibus truculentiores, & aſperiores urſâ raptis catulis, per tenerrimi Joſephi precantis imaginem, per cognatiſſimi jus & amorem ſanguinis, per tam dulcia verba nullatenùs flexi ſunt, ſed declinaverunt oculos ſuos ne viderent cælum, ne juſtorum judiciorum recordarentur. Nunquid meritò pro his omnibus capitalem ſubire ſententiam debebant? ſed vir Sanctiſſimus *jure mirandus qui hoc fecit ante Evangelium, ut læſus parceret, appetitus ignoſceret, venditus non referret injuriam, ſed gratiam pro contumelia ſolveret.* Voluit igitur ſolùm reducere eis ad memoriam male-

Sap. 10. v. 10. Pſ. 104. v. 21. & v. 22.

Geneſ. 42. v. 17.

Ibidem v. 21.

D. Ambr. lib. de S. Joſeph cap. 1.

maleficia antè patrata pius in hoc facto magis dicendus, quàm durus, atque in eo nullo modo peccaſſe, ſed magis virtutis, & juſti doloris ſpontaneæque pœnitentiæ fratribus materiam tradidiſſe. Unde Ruben ajebat reliquis, *nunquid dixi vobis nolite peccare in puerum & non audiſtis me, en ſanguis ejus exquiritur*, Deus requirit à nobis ultionem pro ſanguine fratris noſtri, exigit talionem. Exiſtimabant eum mortuum quòd puer tam tener, patriæ & patris amore ſimul ac dolore tabeſcens, duro inſuper ſervitutis jugo depreſſus citò mori potuiſſet: vel mortuum dicebant morte civili, quæ eſt amiſſio libertatis & æquiparatur morte naturali; ſic pronuntiat Juriſconſultus Ulpianus. *Servitutem mortalitati ferè comparamus.* *Toſt. in cap. 42. Geneſ.* *Geneſ. 42. v. 22.* *Leg. 290. ff. de Reg. jur.*

§. 14. *Suſpenſus eſt Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo*: in eodem ligno periit homo nocentiſſimus, in quod innocentem hominem agere ſtudebat. *Sed lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit.* Exemplum reliquit omnibus ſæculis inſigne ne quiquam ſperent in Principibus, atque in filiis hominum in quibus non eſt ſalus: neque putent peccatum ſuum adhuc in hoc ſæculo immune futurum à ſupplicio. Exactiſſimam juſtitiæ diſtributivæ (quæ in præmiis & pœnis largiendis verſatur) rationem oſtendit Deus in facto Lazari ac divitis Epulonis. „Qua in re, ait S.Gregorius, „ Dominus duo judicia explicuit, nimirum majorem divitis immi„ſericordis damnationem, & majorem Lazari miſeri probationem „ & remunerationem. Quantas namque hunc egenum & vulneri„ bus obſeſſum tentationes creditis in ſua cogitatione toleraſſe? „ cùm ipſe egeret pane, & non haberet etiam ſanitatem; atque ante „ ſe divitem cerneret ſalutem & delicias habere cum voluptate, ſe „ dolore & frigore affici, illum gaudere conſpiceret, byſſo & purpu„ râ veſtiri, ſe deprimi vulneribus, illum affluere acceptis rebus; ſe „ egere, illum nolle largiri? projectus erat & porrectus, extenſuſque antè fores divitis quaſi ſpirans cadaver quod ſe movere nequiret, cui canes feræ mites lambebant vulnera, quæ nullus dignabatur lavare vel contrectare. Jacebat ad januam ut videret eum dives, ejuſque miſeriam obſervare poſſet & exiens & revertens: in medio autem tam multorum jacens ebrietati indulgentium, ſuaviterque viventium, quòd à nemine vel vulgarem curam nanciſceretur, id reddebat ſenſum doloris duriorem, magiſque incendebat animi ægritudinem. Jacebat ad januam ulceribus plenus, non habebat unum ulcus, totum corpus ulcera erant, ut magnitudo pœnarum faceret magnitudinem miſericordiæ. „ Et inter tanta vulnera, non „ meminit doloris plagarum, ſed famis cupiens ſaturari de micis, quæ „ cadunt de menſa Divitis, quodammodò dicens ad divitem. Suffi- *Lib. Eſther cap. 7. v. 10.* *Pſ. 7. v. 16.* *Homil. 10.* *D. Chryſoſt. tom. 2. Homil. 15.*

„ciunt

„ ciunt mihi micæ menſæ tuæ. Quod projicis de menſa præbe Elee-„ moſynam, fac de damno lucrum. Amplectamur ambabus, ut aiunt, manibus ſalutarem beatiſſimi patris noſtri commonitionem. „ Divitis, ait, purpurati fuge, frater, exemplum, cujus ca-

S. Aug. ſerm. 227. de temp. „ nes pauper Lazarus ſuis vulneribus pavit, & micas cadentes de „ menſa Divitis non accepit. Sed poſt non longum temporis inter-„ vallum mutatæ ſunt vices. Pauper beatitudinem emit mendicita-„ te, & Dives ſupplicium facultate; ille in Abrahæ gremio de Angelis „ elevatur, dives verò ad inferni profunda perducitur. Adveniente certè morte, & ſoluto ſpectaculo hujus vitæ, omnes larvis egeſtatis ac divitiarum depoſitis ex ſolis operibus dijudicantur, quinam verè ſunt divites, qui pauperes. Et cum eſſet in tormentis; non dixit Sacer Textus in tormento, ſed in tormentis, (divitiæ & avaritia talia præmia ſuſcipiunt) ſupplex dives factus eſt pauperi, rebus brevi commutatis, & qui Lazarum cùm proximus eſſet præ-

Luc. 16. v. 24. teribat, nunc procùl abſentem invocat. *Pater Abraham*, dicens, *miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in*

S. Aug. ſerm. 110. de temp. *aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* „ Deſi-„ deravit guttam, à quo ille micam, & quantùm dilexit opulentiam,

Idem ſerm. 227. „ non invenit miſericordiam. O dives qua fronte quæris guttam, qui „ noluiſti porrigere micam? juſtè nunc exigeres ſi dediſſes. Juſto judicio vicem illi reddidit Deus, & quemadmodùm dicit S. Baſilius:

In Catena. *Condignum præmium redditur diviti, vice lyræ ſonantis gemitus, vice potûs deſiderium ſtillæ.* Ubi peccatum ibi & pœna. En juſtiſſimam

Luc. 16. Talionis legem ore Dei prolatam! *Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Quæ putabas bona recepiſti, non potes & in terra

S. Greg. Homil. 40. regnaſſe & hic regnare. *Mala Lazari purgavit ignis inopiæ & bona divitis remuneravit felicitas tranſeuntis vitæ.*

§. 15 His exempla prophana admiſceri poterunt, ſed non prophanè. Orodes Rex Parthorum cùm ſenuiſſet & in luctu ob Paco-

J. Lipſ. in Mon. Polit. lib. 2. c. 5. rum filium à Ventidio cæſum aquæ intercutis vitio laboraret, non longè à morte; quam tamen longum Pharaati filio viſum expectare, veneno eam maturat: quod motâ alvo in medicinam abiit, & totius morbi ſenem allevavit. Indignè id tulit filius & (nullâ adverſante etiam Numine ſceleris pœnitentiâ ductus) ad apertum parricidium ab occulto tranſiit, atque hominem palàm ſuffocavit. Nondum hic finis: catenata ſunt ſcelera, & poſt patrem fratres triginta, quaſi inferias adjecit. Illius finis planè fuit conſimilis. Inter alia dona à Cæſare Auguſto in pacis & fœderis teſſeram propter remiſſa ſigna Craſſo erepta pellicem inſigni formâ Italici generis

neris accepit, quæ prolem ei genuit Phraatacem, qui ut adolevit, conſcientiâ & opera matris patrem interfecit. Tulit quæ meruit, & quæ docuit: rediit in auctorem exemplum. Durante Imperio Byzantino crebra fuerunt ſcelerum ab ambitione exempla, & plura quàm in alia Europa tota. Solennia illa erant, necare, exſecare, excæcare: hæc patres in filios, item matres ipſæ, hęc filii in utroſque parabant. Etiam in levi ſuſpicione & minimo metu hæc facta quaſi per ludum aliquem ac jocum. Certè Solymanni uxor Roxolana, cùm in Bajazetum filium natu minorem pronior multò quam in Selymum, quem fata & pater ad Imperium promovebant, illum vi ac fraude per impoſturam falſi Muſtafæ ad ſucceſſionem impelleret, ſed re detectâ non tàm pro impoſtore convicto & confeſſo quàm pro filio metuens, auſa eſt callida, mariti ſui diu potens per receptum Turcarum morem & ipſiuſmet Solymanni factum excuſare filii veniamque deprecari. „Quid enim magni miri, inquit, „ſi in fratrem aliquid molitus eſt, non tàm ambitu quàm metu im- *Lipſ.* „pulſus? Leges ſive fata noſtræ gentis ſunt, unum non imperare *ibidem.* „ſolùm ſed vivere; & exordium novi principatûs eſt, fraternum „parricidium. Quid, inquam, mirum igitur, ſi fugere triſte hoc vo„luit? ſi vitam prorogare, naturâ impellimur, & te conſule. Non obſcurè patri innuebat de Muſtafa filio fratres omnes ætate & gratiâ apud militem anteeunte quem Solymannus ſuſpectum nimiæ ſpei interfecerat.

§. 16. Meræ impietatis & infixæ ac obſtinatæ ſupra omnia ambitionis exemplum refert Philippus Cominæus integerrimæ fidei Hiſtoricus, qui & huic tragœdiæ interfuit, in cujus narratione planè verificatur illud Ovidianum,

Filius antè diem patrios inquirit in annos. *1. Meta.*

Ægrè ferre cœperat Adolphus Egmondanus patris Arnoldi Geldriæ Ducis diuturnum imperium & vitam, patri ob id palàm bellum intulit, ſed viribus & cauſâ inferior in Oppido Venlonæ obſeſſus donec vicinorum Principum interventu pax coiret hâc lege, ut juvenis in Urbe Noviogamenſi ut ſuâ liberè & ſolus dominaretur. Exigua hæc eſt ei portiuncula viſa, reſiluit mox à fœdere & in patris contumeliam familiares quoſdam ejus laqueo enecavit. Vi fruſtrà in patrem tentatâ ad potentiam Philippi boni Ducis Burgundiæ & Brabantiæ fugit opem imploraturus, criminando patrem ſeſe excuſando. Sed apud verè boni Principis ſurdas aures nihil profecit. Hieroſolymam igitur properavit patris aſpectum fugiens, deſperatis auxiliis; non multò poſt rediit omnium inops, quò? niſi ad pa-

Oo trem?

trem? receptus amicè, pœnitentiam tamen & amorem ſimulans, fraudes atque inſidias patri ſtruxit. In multam noctem largiùs epulati ſunt & ſaltaverunt: ubi tandem cubitum ſeſe contuliſſet Dux, à Noviomago ſtatim adfuerunt cives armati, ab Adolpho clàm intromiſſi ad cubiculum patris, effractis foribus juſſerunt ſurgere & ſe conſequi, nec tantillum expectarunt ut tunicellam inferiorem aptaret, atque indueret, ne quidem tibialia ſumeret: ſed pater equitantem filium nudis pedibus & corpore, ſecutus eſt Buram uſque. Carceri tetro incluſus ſex annos totos ibi fuit detentus. Tandem improbitas querelas vulgi & Principum vicinorum minas excitans Carolo Audaci tota res commiſſa eſt, ad cujus mandatum ſe ſiſtere juſſi, adſuere pater & filius. Pro ſententia dixit Audax, *ut Arnoldus pater ſolus titulo Ducis uteretur; ſed filio oppida arceſque totius Geldriæ cederet, ſolâ Graviâ ſibi exceptâ. Acciperet in alimoniam de manu filii tria quotannis aureorum millia.* Optimæ fuerunt hæ conditiones. Relatum id ad ipſum à viris primariis & gravibus inter quos & Philippus Cominæus erat. At Adolphus reſpondit in hæc verba. *Malle ſe præcipitem dare parentem in puteum, ſe deindè ſuperjicere quàm ut in has conditiones paciſcatur.* Quàm meditatum, quàm diuturnum ambitionis ſcelus! quod non animo adhæſit tantummodò, ſed inſedit. Fugam averſione animorum cognitâ cum duobus Comitibus ad ſuos cepit omnia in reditu vi & armis occupaturus aut vaſtaturus, ſed captus ad Audacem reductus, primò Vilvordiam, dein Cortracum ductus in honeſta cuſtodia aſſervatus fuit. Donec poſt mortem Audacis Gandenſes pro ſuo tunc more turbas daturi; idoneum Ducem arbitrati eum ſolverunt, & bello in Tornacenſes prǽfecerunt. Ivit cum ſuis, adequitavit mœnibus, erupêre præſidiarii & miſer inter primos cecidit. Carcere punivit patrem, ipſe ſuſtinuit, mortem machinatus eſt, ipſe ſubivit.

§. 17. Juſtæ retributionis plurima nobis ſuggerunt libri Machabæorum exempla. Antiochus ex eminenti turri aggeſtum undique habente cinerem, quæ proſpectum habebat in præceps, in cinerem dejici juſſit ſacrilegum Menelaum, *Omnibus eum propellentibus ad*
2. Machab. 13. v. 8. *interitum. Et quidem ſatis juſtè: nam quia multa erga arcam Dei delicta commiſit, cujus ignis & cinis erat ſanctus: ipſe in cineris morte damnatus eſt.* Impii & blaſphemi Nicanoris lingua præciſa eſt, caput ampu-
Machab. lib. 1. cap. 7. v. 47. tatum cum dexterâ, quam extenderat ſuperbè contra ſanctam civitatem & à victoribus Machabæis ſuſpenſa pariter contra Jeruſalem. Immite fatum Brunechildem Athanagildi Gothi Hiſpaniarum Regis filiam, Sigiberti Metenſis Regis uxorem vexavit. Viro ac fratre ejus Childerico Gallorum Rege occiſo in exilium acta fuit & tandem juſſu

Clotharii

Clotharii Secundi nuda nudo ac macilento equo impoſita per tota caſtra ſpectanda circumducta, pedibus equo alligata, per ſaxa, per vepres ac dumeta tracta dilaniataque crudelem in modum expiravit, reddente ei Deo vices. Satius fuiſſet Philippæ Cathanenſi in aquis labore pauperiem ſuſtentare, quàm in deliciis majora per crimen appetere. Hæc quondam lotrix alienarum veſtium juvenis formâ & ſtaturâ decens ex viro piſcatore filium enixa Roberti Calabriæ Ducis filio nutrix data fuerat: deinde Raymundo de Campanis Æthiopi ſervo popinario vidua nupta vidit maritum regni Siciliæ Seneſcallum. Robertum filium item Seneſcallum & Sanciam neptem Carolo Comiti Marchonis conjugio junctam; nihilque grave, nihil arduum, nihil magnum agi à Joannâ Reginâ Siciliæ, vilipenſo Andrea Caroli Umberti Hungariæ Regis filio marito ſuo, niſi à Roberto, Philippâ, & Sanciâ approbatum. Cùm Andrea proditoriè trucidato: ex imperio Hugonis Comitis Avellini cui commiſſum erat in conſcios tanti ſceleris inquirere, carcere mancipati ſunt & torti. Et pro conſtanti habitum eſt hos in mortem Andreæ fuiſſe noxios. Itaque poſt dies aliquot nudis corporibus curribus impoſiti urbemque per omnem Neapolis tracti, concurrentibus conclamantibuſque eorum dedecus popularibus, nunc ignitis ſorcipibus torti, nunc acutis novaculis excarnificati, eò, ubi flammis reliquum erat auferendum, ultimò devênere. Inter tortorum manus præmortua exenterata à carnificibus Philippa eſt: & ejus cor cum omni jecore uni ex portis Neapolis appenſum diù teſtimonium atrocitatis exhibuit. Et indè cadaver reliquum flammis injectum. Sancia autem curru depoſita miſerabiliter alligata palo, viva exuſta eſt. Sic & Robertus. Quod cum non ſuffeciſſet ſpectantibus: ſemiuſta cadavera flammis erepta, præcordiis è pectoribus exertis, & ferali ritu à nonnullis comeſtis, injectis uncis corporibus per omnem denuò civitatem tracta ſunt cœno cloaciſque fœdata, & huc illuc diſcerptis partibus derelicta. Is igitur Philippæ finis; quæ ſi in aquis ſemper vitam pauperem retinuiſſet, illam in flammis nequaquam amiſiſſet; dum contraria ſeſe non compatiuntur.

Fulg. lib. 6. cap. 11.

Boccacius de caſ. illuſt. vir. lib. 9. ſub finem.

§. 18. Verè Propheta Regius dixit ex noviſſimis intelligi poſſe abundantes in ſeculo non eſſe felices, & Deum juſtum eſſe judicem. *Verumtamen*, inquit, *propter dolos poſuiſti eis, dejeciſti eos, dum allevarentur.* Verumtamen Domine in lubrico (ut D. Hieronymus legit juxta textum Hebraïcum) poſuiſti eos, dejeciſti eos in interitum: id eſt dum injuſtis dediſti magnas divitias, poſuiſti eos in loco, undè facilè labi poſſent in interitum; & quia non ſciverunt in lubrico cautè ambulare, lapſi ſunt juſto tuo judicio in interitum. Ulteriùs, quod

Pſ. 72. v. 18.

obſcurè dixerat, explanat, & admirans celerem ruinam iniquorum, quorum felicitas vix exorta areſcit, vix apparuit, & evaneſcit. *Quomodo*, inquit, *facti ſunt in deſolationem ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Videtur quidem proſperitas eorum diuturna eſſe dum permanet, ſed cùm finem acceperit, tunc ſentietur, quàm brevis & momentanea fuerit. Ad rem facit quod ſub fictâ perſonâ Zelauri (qui calumniis atque mendaciis amicum atque uxorem cum liberis in ſummum perduxerat honoris & vitæ diſcrimen) veram proponit Author Hiſpanus perfidiæ agnitionem & metum non ſimulatum de ſupremi judicis vindictâ. Zelaurus vulneribus conciſus à ruſticis, & ad palum alligatus præda ac pabulum feris ſilveſtribus, cogitationes omnes ac machinationes ſuas nihil præter cinerem & ventum fuiſſe veraciter declarat in hunc modum,

v. 19.

Lope de Vega en los embuſtes de Zelauro.

Fabricas de la tierra, polvo, nada,
Vano, mortal, caduco fundamento,
Eſperanças de viento, que en el viento
Parays al fin, en fin de la jornada
Machina de ſobervia levantada.
Alas del loco penſamiento,
Razon dormida, ciego entendimiento,
Señora, voluntad defrennada.

§. 19. Hic tamen eſt genius, hoc ingenium filiorum Adam, adeo efferri proſperis, illis efferveſcere, inſoleſcere, more ferocientium equorum quos nondum labor aratri edomuit, ut aliorum dictis factiſque non commoveamur, vindictæ exemplis & ſeveriſſimis divinæ juſtitiæ legibus nequaquam terreamur; quęcumque aliis aut evenêre aut eventura nuntiantur in riſum jocoſque convertendo. Inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam ſuo Chriſtus cruore diluere debuit, undè D. Ambroſius de matre filiorum Zebedæi dixit, cùm pro filiis à Domino dignitatis prærogativam poſtulavit; *Hæreditario mulier delinquebat errore.* Et tamen poſt impenſum redemptionis beneficium, poſt tot ſuperborum calamitoſos exitus, pertinax ambitionis malum ita hominum animis inſedit, ut nulla ratione aut vi ab iis expelli poſſit. Magno & ſubito crevit incremento Ancræi ac Galigayæ conjugis fortuna, ambitio & faſtus; prodigioſo quoque & crudeli decrevit occaſu. Duplici glande à Vitrio transfoſſus Ancræus, cadaver ejus injecto in collum fune in patibulariam furcam tractum, indè detractum & totâ urbe à ſæviente multitudine diſtractum, donec lixas inter & ganeones alioſque laniſtas divideretur & veniret populo in tributum Ancræus, quem tributo

Lib. 5. de fide ad Grat. cap. 3.

Gramond. lib. 2. Hiſt.

buto exhauſerat. Conjux deindè ipſius Galigaya capite plexa, quæ omnium calculis rea habebatur in majus marito, cujus nuper cadaveri adſtantes illuſerant effoſſo, laniato; excitavit miſericordiam in vulgus, aliàs implacabile. Hic conjugum imò ambitionis exitus. Fuerant apud ipſos prima Gallicarum rerum imperia, data pro ipſorum arbitrio & accepta promiſcuè ab omni ordine lex: quos triumphali curru vectos in byſſo & purpura cuncti viderant, non multò pòſt viderunt infami plauſtro traductos, tædiferos, membraque nudos. In momento ſucceſſere triumphis opprobria. Non diſpar licet mitius, paucis abindè annis fatum ſortitus eſt in Hiſpaniâ Rodericus Calderonius Comes Olivæ & ſeptem Eccleſiarum Marchio, Philippo III. ab arcanis conſiliis & graviſſimorum negotiorum primarius Miniſter, ac cohorti Germanorum Prætoriç Præfectus, in Auguſtinum Avilam & Franciſcum Ibaram cædis convictus anno 1621. Mantuæ Carpentanorum ſellæ ligneæ impoſitus & obvelatis oculis, more Hiſpanico ſecandum guttur carnifici præbuit. Succeſſit huic in Angliâ cædes Ducis Bucquingamii à Feltonio Scoto natione occiſo. Qui nequaquam multis lachrymis deploratus eſt, ad extrema procerum ac plebis odia magnitudine potentiæ evectus, dum illi æmulum atque obicem ſuæ apud Regem ambitionis, hæc tyrannum & novarum exactionum artificem juxtà averſantur. Infortunatorum agmen & ſcenam claudet Albertus Wenceſlaus Euſebius Comes de Wallenſtein, Meckelenburgii, Fridlandiæ Sagani ac Glogoviæ Dux indulgentiâ fortunæ ad ſupremum penè votorum ſuorum apicem provectus, ſupremæ Cæſareæ militiæ præfectus ob perduellionis crimen in urbe Egrâ haſtâ tranſverberatus. Hi omnes varianti fortunæ victimæ ceciderunt à furore aut rabie, ſeu juſtâ vindicis irâ litati: quorum memoria periit cum ſonitu, ingenti cum fragore, magnâ cum violentia relicto tantùm in ſempiternam ignominiæ notam deteſtabili omni ſæculo ambitionis monumento.

Myr. Pag. 24.

Lotich. lib. 24. cap. 3.

Vis conſili expers mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus: idem odêre vires
Omne nefas animo moventes.

Horat. lib. 3. Ode 4.

§. 20. Quantò altior aſcendentis gradus, tantò gravior eſt corruentis caſus, qui ut quempiam miſerrimum omnium faceret, omnibus antè beatiorem efficit; ut cùm quanta perdiderit penſaret, tantò illum majora conſumerent lamenta, tantò quoque major amiſſorum ſuccederet dolor, quantò major poſſeſſorum præceſſerat amor, & ſumma voluptatis gaudia, ſumma majoris terminaret

 triſtitiæ.

Serm. 6. de Exodo. triſtitiæ. Ideoque rectiſſimè S. Zenon aſſerit. *Commodius*, inquit, *puto miſero in ſuo ſtatu manenti, quàm beato in ultimas miſerias devoluto*: Quòd Iſraëlitis Dominus *dedit Manna ad manducandum,* Pſ. 77. v. 24. & v. 25. *& panem Cæli dedit eis; Panem Angelorum manducavit homo, cibaria miſit eis in abundantia*, non agnovit S. Veronenſium Antiſtes ſimplex hìc & merum beneficium, imò rem ad rationis trutinam diligentiùs expendens, ait, ſibi non ſolum beneficentiam videri ſed etiam auſteritatem, quòd Deus illos tàm lautè & opiparè habuit, quibus manna pro ſupplicio fuit, & è cælo tam delicatus cibus, non tantùm ut tener dulciſque ros, verùm etiam ut fulminaris radius deſcendit, neque clementiæ ſolùm faciem, ſed & indi- Serm. 2. de Exodo. gnationis vultum retulit. *Nam ad hoc*, ait, *Manna de cælo populus iſte guſtavit, ut cùm eſſet ad egeſtatem poſtmodùm devolutus, præteritorum bonorum recordatione acriùs torqueretur.*

§. 21. Frequentiſſimus licet ſit in rebus humanis hic alternatio- Tacit. in vit. Agric. nis modus, *Sicut in familia recentiſſimus quiſque ſervorum & conſervis ludibrio eſt, ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur*, dicebat Galgacus Dux Britannorum commilitonibus ſuis in aciem contra Romanos expeditis: Attamen adverſitatis tortor funem miſeriarum obtorquere & conſtringere arctiùs nequit, quàm ſi quempiam faciat ad ejus devolvi veſtigia, quem pedibus antè calcavit, fiatque extremum ejus mancipium & captivus, cujus nuper fuit ſuperbus ac tyrannicus Dominus; non poteſt magis augeſcere dolor, ampliùs ad acerbiorem torturam extendi fidiculæ, miſeriæ ſumere incrementa, nequeunt denique infelicitatum arma fieri cruentiora. Quando ſapientia Joſephum in Sap. 10. v. 14. vinculis non dereliquit, *Donec afferret illi Sceptrum Regni, & potentiam adverſus eos qui eum deprimebant*, quâ fronte tunc eum factum Principem Ægypti & Dominum ſuum aſpexiſſe (ſi adhuc in vivis erant) exiſtimabimus Putipharem ac Zephyram, quorum aliquando mancipium fuerat, & qui illum in vincula conjecerant? quid illis acerbius, quid probroſius poterat accidere? crediderim ſanè impium Amanum, qui jam Regnum aut Regni quoddam ſimulacrum animo conceperat, angore ſubito atque æſtu percitum vitam lubentiſſimè cum morte commutaturum fuiſſe, quâ ignominiam declinaſſet, ne Mardochæi de cujus jam capite actum ſperabat, illo die gloriæ adminiſter & præco fieret, quem cædi ipſius deſtinarat. Quo vultu credimus, cùm in tota facie appareret dolor & pudor, quâ voce de Mardochæo Regalibus induto, equo Regis inſi- Eſther cap. 7. v. 11. denti ipſe pedes apprehenſis habenis inſtar præconis clamavit, *Sic honorabitur, quemcumque Rex honorare deſiderat?* Quid illi in vita eveni-

evenire potuit vel tàm aſperum, ut non lene, vel tàm moleſtum, ut non leve, vel tàm amarum, ut non ſuave videretur cum illâ compoſitum infelicitate & cruciatu? Salomon Proverbiorum 25. verſu 21. & ex illo Apoſtolus Paulus ait: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* *Rom. 12. v. 20.* S. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 1. & S. Auguſtinus, *Congeres*, inquiunt, *ſuper caput ejus* (eum cibando) *carbones ignis, id eſt ignitos, non iræ ſed charitatis & amoris*, qui eum inflammment ad redamandum. *Serm. 168. de temp.* *Nulla enim eſt major provocatio ad amandum quàm prævenire amando*: Efficaciſſimum nimirum eſt philtrum, *Ut ameris ama.* *S. Aug. tract. de catechе. rud.* Longè aliter ſed percommodè in rem præſentem exponit verba ſuperiora S. Iſidorus Peluſiota; nullum ſublimius ait vindictæ genus eſſe, nullam aptiorem aut illuſtriorem vindicandi rationem ac illam, quàm ſupplicem videre illum, voce & geſtu pro victu fores meas inclamare, ſiti ſuæ levamen humiliter petere, ad genua mea accidere, qui me ſuis pedibus ſubſtratum, ſuumque mancipium eſſe cuperet, qui ſanguinem meum bibere, & perpetuò habere oppreſſum inſolenteque veſtigio tenere ſemper terræ affixum vellet. Genuina de hac re Peluſiotæ verba ſic habent. „ Cùm ille in tantam incidit neceſſitatem, ut ei opus ſit etiam inimici commiſeratione, id quavis calamitate, & quovis ſupplicio acerbius & gravius eſſe aio: atque ita vulgus hominum ſibi id perſuaſum habet cùm dicit: ne eò redigar, ut ab inimicis meis cogar ſtipem accipere. Quòd ſi igitur id quod dictum eſt ejuſmodi eſt, ut facientibus quidem optabile, iis verò qui patiuntur ſupplicii loco ſit, quid eſt quod mireris; maximè cum nec ſimplex ſit beneficium, ſed majus quoque afferat ſupplicium? Non eſt revera ſimplex beneficium, quòd quis aquam bibat ejus manibus propinatam, cujus pridem è venis exprompτum voluiſſet ſanguinem bibere; quòd ab eo proſtratus cibum capiat, quem ſuis habuit nuper affuſum pedibus: ſunt potius carbones congeſti ſuper caput inimici qui calorem ſuum, ignominiæ & pudoris ruborem non ad maxillas ſolùm evocant, ſed per totum corpus diffundunt: aut ſi omninò vocari beneficium debet, quod è talibus manibus venit, certè tam durâ moleſtâque penſione oneratum id eſt, quàm prægravari beneficium aliud quidpiam poſſit, *Cùm majus quoque afferat ſupplicium.*

§. 22. Permiſit Deus diviti epuloni ut haberet oculos liberos ad intenſiorem doloris cruciatum: ita de illo D. Chryſoſtomus. *Et in inferno elevans*, inquit, *oculos*: *Lazarus enim ſurſum erat, ille deorſum.* *Tom. 2. Homil. 15. in Lucam.* Quanta repente viciſſitudo! quanta fortunæ inclinatio! *Elevavit oculos ut illum ſuſpiceret, non ut deſpiceret. Elevans oculos ſuos, cùm eſſet*

eſſet in tormentis totus. In tormentis erat oculos ſolos liberos habebat,
Luc. 16. v. 23. *quod alius habuit. Vidit igitur Abraham à longè & Lazarum in ſinu*
ejus, jucundè quieſcentem, honoratum, gaudentem, ſinus enim
Abrahæ paradiſus erat pauperis. Vidit, *ut non tantùm naturâ ſuppli-*
D. Chryſoſt. *ciorum, ſed etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet*
Conc. 1. de *cruciatum.* Cauſam dat Euthymius; *Sicut enim Lazaro, cùm in tot*
Lazaro. *malis poſitus eſſet, calamitatum erat augmentum divitem intueri in tot*
bonis: ita nunc diviti degenti in tot miſeriis additio ſuppliciorum eſt,
videre Lazarum in tantis bonis, poſt mortem tamen eguit auxilio
Lazari, quem in vitâ contempſerat, egenus & mendicus Lazari jam
divitis ac beati effectus. Propterea *clamans dixit*: magnæ enim pœ-
næ magnam vocem reddebant. *Pater Abraham, miſerere mei, &*
mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret
Luc. 16. v. 24. *linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* Quanto pudore & confu-
ſione perfuſus credendus eſt illi factus ſupplex, quem ſuperbè ac
faſtidioſè à ſe repulerat? ad ſummum miſeriarum nonnè deveniſſe
dicemus? minimè, omni cruciatu magis torquet, quòd humiliter &
demiſſè petat ac repulſam patiatur. *Quia non fuit miſertus idcircò non*
S. Greg. Nyſſ. *exauditur, nec ejus vocibus miſertus eſt Abraham, imò nec Deus.* No-
luiſti cùm epulareris recordari Lazari, nec Dei, nec cæli, nec ge-
verſ. 25. hennæ, nunc ait Abraham, *Recordare quia recepiſti bona in vitâ tuâ.*
Recordare epularum tuarum, quæ te ad tartara duxerunt. *Ad pœ-*
nam ei & cognitio ſervatur, & memoria. Cognoſcit enim Lazarum
S. Greg. Homil. 40. *quem deſpexit, fratrum quoque ſuorum meminit quos reliquit; ut de viſa*
deſpecti gloria, & de pœna inutiliter amatorum ampliùs torqueatur.
O malum incurabile! ô pœna interminabilis! ardebit æternum
purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infun-
dat; *Voluit ſubvenire fratribus ſuis ſemper vecors, ſerò miſericors: nihil*
S. Aug. ſerm. 110. de temp. *omninò quod poſtulavit accepit.*

§. 23. Tres amici S. Job ex alto felicitatis ſolio deturbati, in vi-
li ac ſordido ſterquilinio jacentis, dum venerant ut conſolarentur
eum, pro eo ac deberent ut ſuâ præſentiâ dulcibus verbis & com-
miſeratione plenis durum atque moleſtum calamitatum ipſius onus
allevarent, aggravarunt illud magis, irritarunt ampliùs dolores,
exulcerarúntque vulnera onerosi ſimul & acidi conſolatores, dicen-
tes, graviſſimorum ſcelerum ipſum meritò à juſto ac recto Judice
Deo pœnas luere, ſeipſos perquàm ſanctos reputando & amicum
ſuum Job contaminoſiſſimum & flagitioſiſſimum peccatorem ipſis
modis omnibus inferiorem: cùm ſubſidente tempeſtate, redeunte
tranquillitate, ceſſantibus flagris & verberibus corripuit illos acriter
Dominus, quòd inter conſtantis & longanimi amici ſui ærumnas
incautè

incautè nimis ac imprudenter locuti fuiſſent, cujus veniam non niſi per interceſſionem preceſque beati Job eſſent impetraturi, hinc ait illis. *Sumite ergò vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis; Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* *Job. 42. v. 8.* Itàne Dominus ordinavit, ut is ſuorum familiarium patronus & advocatus exiſteret, cujus illi de honore plurimum detraxerant, famam obſcuraverant, vitamque omnem deſpicabilem habuerant? Itàne illi rurſùs, qui ſe beato Job vitæ ſanctitate & virtutum copiâ longè preſtare putabant, veſtigiis ejus ſupplices advoluti rogare obnixè debent, ut cauſam ipſorum apud Deum diligens & fidus ſequeſter agat? Debuit planè ità fieri, inquit S. Gregorius, ad punitionem arrogantiæ & incrementum pœnæ: *Illos* (de eo loquitur) *ad ſuam gratiam, per eum quem deſpexerant, reformat; valdè quippe elata mens retunditur, ſi ipſi ſuper quem ſe exaltavit, ſupponatur.* Liquidò hoc teſtatum reliquit Joannes Fridericus Dux Saxoniæ à Cæſarianis in pugna ad Mulbergam Vicum trans Albim captus, cùm ſiſteretur Carolo Quinto: Nulla profectò pœna ipſi cruciabilior videri potuit, nullum gravius ſupplicium, quàm quod captivus ad illius pedes ſe provolvere cogebatur, cujus ſe paulò antè cervicibus inſtare putabat; qui paulò antè Cæſaris appellatione per ludibrium ſuppreſſâ in litteris tabuliſque Carolum à Gandavo ſcribebat, qui falsò ſe Imperatorem jactaret: tunc verò neceſſitate ac calamitate non ſine gravi animi dolore & pudore compellebatur dicere; *Ego potentiſſime Cæſar me tibi captivum ſtatuo:* Ut ad hæc Cæſar reſponderit, *Nunc iſtâ me voce nominas, priùs non ità ſolitus. Valdè* certè *elata mens retunditur, ſi ipſi, ſuper quem ſe exaltavit, ſupponatur.* *Lud. ab Avila in lib. poſter. de Bell. Ger.*

§. 24. Exercituum Ductores diverſis mediis & variis argumentis (ut videre eſt apud Thucydidem, Titum Livium & alios Hiſtoricos) uti ſolebant ut milites ſuos ad conſerendum acriter manus & fortiter dimicandum acuerent: nihil ad hoc efficaciùs viſum eſt Philiſthæis procinctis in acie contra Hebræos, cùm intellexiſſent quòd validum ſuppetiarum auxilium cum arca in caſtra ipſorum veniſſet, quàm illud ne ſervi efficerentur eorum, quorum fuerant Domini. Talibus verbis invicem excitabant & confirmabant. *Confortamini & eſtote viri Philiſthym, nec ſerviatis Hebræis, ſicut & illi ſervierunt nobis, confortamini & bellate.* *1. Reg. 4. v. 9.* Quod motivum vincendi hoſtes benè expendit Abulenſis, hoc modo. „Reputabant enim Philiſthym peſſimam conditionem viri eſſe ſervitutem, nec aliquid pejus fortunam inducere poſſe, & cùm infeliciſſima ſors ità ſit, adhuc

In cap. 4. lib. 1. Reg.

,, huc infelicior eſt, cùm quis efficitur ſervus ejus, cujus antè erat ,, Dominus, quia iſta ſervitus eſt turpior: tantò enim aliquis vilior ,, eſt, quantò magis deſcendit; ſed nemo videtur magis deſcende- ,, re, quàm quòd efficiatur ejus ſervus, cujus dominus erat. Hunc ſeverioris fortunæ rigorem experti fuerunt non ſemel Iſraëlitæ. Expertus & Beliſarius Præfectus Juſtiniani Imperatoris, qui deletis Vandalis, acto de Perſis triumpho, Italiâ à Barbaris ſæpè liberatâ, ob proſperos ſucceſſus Imperatori formidoloſus & ſuſpectus factus eſt, ac propterea ab eodem oculis privatus. Quo facto, tuguriolum in via frequenti ſibi ſtatuit, ubi victum à prætereuntibus mendicabat his verbis: *Viator, da obulum Beliſario, quem virtus extulit, cæcavit invidia.* Paulò antè dives, glorioſus, victor, ovans, nunc pauper & mendicus ab ipſis etiam ſtipem petiit, quibus imperaverat; quin & ab æmulis & invidis. Supplicium tamen hoc beneficio fortuna compenſavit, quod illi oculos abſtulerit, ne pudibundus ac confuſus ſummum inſpiceret miſeriarum cumulum.

Procop. & Crinit. lib. 9 c. 6. Volater. lib. 23. Anthrop. Fulg. & Egnat. lib. 5. cap. 3.

§. 25. Hos fructus parit ſuperbia, hæc vendit ſollicitis amatoribus aula præmia & pretia. Quibus caſus gravior ingruit, *Ii laudant otium lene & ſui juris: odio eſt fulgor, & fuga jam à rebus ſtantibus quæritur: Tunc demùm videas philoſophantes metu, & ægræ fortunæ ſana conſilia.* Undè benè Horatius:

Sen. Epiſt. 94.

Lib. 3. Ode 19.

——— *Jure perhorrui*
Latè conſpicuum tollere verticem.

Quicumque in aula canuit, cùm in ea præſens cujuſque exiſtimetur conatus atque induſtria, gratiaque brevi ſeneſcat, deſpectui & ludibrio habetur, cui meritò quadrat hic verſus,

Greg. Richterus.

Κύκνοι, *qui ſenuêre, canunt* ᾠδὴν, *in aula;*

Aularum ſiquidem levia ſunt beneficia, præcipites injuriæ. Hinc benè & doctè Thomas Morus Cancellarius Angliæ, cùm Epiſcopus Roffenſis ei ſtatum atque ordinem in aula gratulatus eſſet: *In aulam,* ait, *invitus veni: & in eadem non minùs malè hæreo, quàm quiſquàm equitandi inſolens hæret in ſella.* Satius ducit ab immemoriali tempore juſtus quiſque, cujus ab aulicis deridetur ſimplicitas, (quia ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur) in valle aliqua reducta deliteſcere, honores magnique nominis umbram devitare, quàm tot ſeſe exponere caſibus & periculis; eligit à minimis incipere ut magnus fiat, ut magnam fabricam celſitudinis conſtruat de fundamentis cogitare humilitatis: ,, Sæpè contingit teſte ,, D. Gregorio, ut electus quiſque, qui ad æternam felicitatem ducitur

Thom. Staplet. in vita c. 7.

„ citur, continuâ hic adverſitate deprimatur, non hunc rerum abun- „ dantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem oſtendat, „ nulla hunc humanis oculis veſtium pompa componat: à cunctis „ verò deſpicabilis cernitur, & hujus mundi gratiâ indignus æſtima- „ tur: ſed tamen ante occulti judicis oculos virtutibus emicat, vi- „ tæ meritis coruſcat. Honorari metuit, deſpici non refugit. Hic gloriam ſuam non in ore hominum ponit; ſed intrà conſcientiam contegit, atque ignotus aliis ſibi notus ſuâ ſe virtute involvit. *Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.*

Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus, *Horat.*
In quem manca ruit ſemper fortuna. ——

Norma ergò vivendi atque agendi optima eſt omnibus etiam illuſtribus viris, & quantumvis magnis Regibus ac Principibus, arbitrari ſe minimos, & quod maximè arduum eſt, prò talibus ſe habere non tantùm collatos cum Deo, ſed & cum æqualibus ſuis, atque minoribus. Juxta Syracidis ſapientiſſimum conſilium: *Quanto*, inquit, *magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* *Eccl. 3. v. 20.* A minimis incipiendum: quia res maxima in minima eſt. Jordanes Brunus referens elogia minimi: „ Minimum, in- „ quit, ſubſtantia rerum eſt: quia maxima quæque ex minimo, „ & in minimo, ad minimum ſunt, per minimumque. Maxi- *Lib. 1. cap. 2.* „ mum non eſt aliud, quàm minimum iteratum, & multiplica- „ tum. Tolle ergò undique minimum: ubique nihil erit. Ex mo- „ nade incipit omnis numerus, creſcitque, & in monadem deſi- „ nit. Aufer undique monadem, nuſquam erit numerus, nihil „ numerabile, nullus numerator. Sic ergò omnis monas eſt eſſen- „ tia numeri, punctum lineæ, momentum temporis, atomus cor- „ poris & compoſiti. Nativitas eſt expanſio monadis & centri. Vi- „ ta eſt conſiſtentia ſpheræ, mors eſt contractio in centrum. Ex „ minimo incipit & creſcit omnis magnitudo, eademque rurſùm „ in minimum extenuatur, & deſinit, imò in nihilum. Hic finis ac terminus omnis majeſtatis, celſitudinis & poteſtatis.

SYMBOLUM XXVII.



PIè veraciterque dixit Apoſtolus: *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus.* Verè magnum lucrum eſt pietas, affert enim ſecum, quidquid homini ſatis eſt, opes videlicet confert, ſupernaturales & cæleſtes: in ipſa denique pietate magnus eſt quæſtus cum ſufficientia, ſi conjuncta nimirùm ſit animo ſibi ſufficienti, id eſt ſua ſorte contento, quem parit & gignit ipſa pietas. Taliter ſeſe affectum dicit S. Paulus, inquiens: *Ego didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe, ſcio humiliari, ſcio & abundare.* Pietas & animus ſua ſorte contentus inſtar opum omnium eſt. Hac ratione verè dives effectus

1. ad Timoth. 6. v. 7.

Ad Philipp. 4.

ſectus eſt S. Paulinus, cùm ſe ex opulentiſſimo pauperem feciſſet, ut cives ſuos redimeret, cùmque Barbari Nolam vaſtarent, ſic in corde ſuo Deum precabatur: *Domine non excrucier propter aurum, ubi enim ſint omnia mea tu ſcis. Ibi enim* (inquit S. Auguſtinus) *habebat omnia ſua Paulinus, ubi eum condere & theſaurizare Chriſtus monuerat.* *Lib. 1. de Civit. Dei cap. 10.*

§. 1. Quàm ſollicitè & paternè ſanctus legifer noſter ab omni proprietatis labe deterrebat ſuos, atque ad communem vitam cohortabatur. Deum proponebat ſancti propoſiti ſui ſectatoribus, qui eſt omnia in omnibus. Quid enim illi non ſufficiat qui Deum habet, qui eſt Saddai, id eſt ipſa ſufficientia? quid ampliùs ſperare aut optare poſſemus, quàm ut *commune nobis eſſet magnum & uberrimum prædium ipſe Deus?* Tàm copiæ, quàm inopiæ oppoſita communiter accipitur ſufficientia, pro rebus nempè neceſſariis & ſufficientibus. Ità non affluentia ſed neceſſaria, quæ vitæ tuendæ ſufficiunt Salomon poſtulavit à Deo: *Mendicitatem*, inquit, *& divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria.* Typus hujus ſufficientiæ erat Manna datum Hebræis, quod omnibus æqualiter ſufficiebat; nec plus aut minus quàm ſufficientia exigebat, colligebatur: ut ſcilicet doceret nos, inquit Nyſſenus, *unam eſſe communem omnibus edendi menſuram, Divinam ſufficientiam.* In Republica benè conſtituta ſervandam mediocritatem & ſufficientiam rerum neceſſariarum docuit Plato. Quod & in Sparta ſancivit Lycurgus, eam dictitans in mediocritate fore invictam, in affluentia perituram. Illam mediocritatem à præclariſſimis effectibus auream vocat Horatius, dicens: *Serm. 1. de Com. Vit. Cler.* *Prov. 30.* *Lib. de Vita Moyſis.* *Lib. 4. de Repub.*

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti; caret invidendâ
Sobrius aulâ. *Lib. 2. Carm. Ode 10.*

Ab hac magnas & ſecuras divitias profluere notavit Seneca: „ Magnæ, inquit, divitiæ ſunt lege naturæ compoſita paupertas. Lex „ autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit? non eſurire, „ non ſitire, non algere. Parabile eſt quod natura deſiderat & ex„ poſitum, ad ſupervacua ſudatur. Ad manum eſt quod ſatis eſt. Rectiſſimè alio loco: *An parum habet, qui tantum non alget, non eſurit, non ſitit? plus Jupiter non habet.* Illam proindè à nobis vocem magnis atque animoſis deſiderat. *Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.* *Epiſt. 4.* *Epiſt. 119* *Epiſt. 110.*

§. 2. Numquam parum eſt, quod ſatis eſt: numquam mul-

tum eſt, quod ſatis eſt. Quidquid naturam excedit ſciamus id precarium eſſe, non neceſſarium. Utrum eſurienti panis plebeius ſit, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet: illa ventrem non delectari vult ſed impleri. Utrum ſitienti aqua ſit ex proximo excepta, an ea quam multa nive eliſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam

Sen. ep. 119. nihil pertinet. *Illa hoc unum jubet, ſitim extingui. Utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an Murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes.* Egregiè ſe ad naturæ legem & formulam compoſuerat

Ibidem. Diogenes Cynicus: *Sapiens enim* (ex doctrinâ Senecæ) *divitiarum naturalium eſt quæſitor acerrimus.* Aquam è præterfluente rivo ſcutellâ hauſtam ſolebat bibere, videns poſtmodùm à pueris volâ manus aquam exceptam potari, ſcutellam ut ſupervacuam abjecit. Negavit Horatius ad ſitim ullatenus pertinere quo poculo aqua, aut quam eleganti manu miniſtretur inquiens

Num tibi cum fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula?

Nam ſi pertinere ad te judicas, quam crinitus puer, & quam lucidum tibi poculum porrigat, non ſitis.

§. 3. Id actum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura deſcripſit, ut ſalvi eſſemus, non delicati; qui juxta Lyranum, Arias, & Serarium, juſſit ut Gedeon illos eligeret commilitones ad de-

Jud. cap. 7. v. 5. bellandum Madian, qui linguâ aquam lambuiſſent; *Sicut ſolent canes lambere*, præ illis qui curvato genu biberant; quaſi temperantiores, tolerantiores ſitis, & expeditiores, utpotè qui toti ad certamen imminens intenti, obiter & curſim more canum aquam lambendo ſitim reſtinguerent, ideoque ad prælium aptiores. Qui ſimiliter in ſpirituali militiâ cenſentur aptiores juxta ſenſum tropologicum iſti

Thom. à Kemp. de Imit. Chriſti, lib. 3. c. 38. ſunt, *Qui ſtant ſuper præſentia & ſpeculantur æterna: qui tranſitoria ſiniſtro intuentur oculo, & dextro cæleſtia. Quos temporalia non trahunt ad inhærendum, ſed trahunt ipſi magis ea ad benè ſerviendum.* Qui in gradu virtutis perſiſtens erecto, ad res terrenas & corporeas flecti neſcit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus, ille ad virtutis paleſtram eſt aſſumendus: quod

Homil. 9. declarat Origenes. *Ille probabilis*, inquit, *ille electus eſt, qui poſteaquam ad aquas baptiſmi ventum eſt, flecti ad neceſsitates terrenas & corporeas neſcit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati ſitim ſternitur pronus.* Noverat Seneca naturæ beneficio omnia ad ſalutem parata eſſe & in promptu: deliciis verò omnia miſerè ac ſollicitè comparari, noverat ſupervacua delectum recipere, quidquid ex neceſ-

ſitate

ſitate deſideratur , ſine faſtidio ſumi. Idcircò omnia naturalibus deſideriis metienda dixit , quibus aut gratis ſatisfieret aut parvo: tantùm cavendum monebat, ne vitia deſideriis miſcerentur. Tenuit illum ſemper ſummus amor parſimoniæ , à luxu & pompa ſummoperè abhorrebat. Accipite menſuram votorum quam ſibi præſcripſit & metam deſideriorum. ,, Placet, inquit, non in ambitio-,, nem cubile compoſitum, non ex arcula prolata veſtis, non mil-,, le ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa: ſed do-,, meſtica & vilis, nec ſervata, nec ſumenda ſollicitè. Placet cibus, ,, quem nec parent familiæ, nec ſpectent, non antè multos paratus ,, dies, nec multorum manibus miniſtratus, ſed parabilis faciliſ-,, que, nihil habens accerſiti pretioſivè, ubilibet non defuturus, ,, nec patrimonio gravis, nec corpori, nec rediturus quà intrârat. En ſeverum Stoicæ virtutis exemplum , perfecta & exacta convenienter juxta naturam vivendi regula; ubi virtus perfecta illa & divina ad vivendum beatè non ſolùm ſufficit, ſed & ſupereffluit. *De tranquill. animi cap. 1.*

§. 4. Animosè tamen id dictum à te, ô Seneca! & liberè ſine oblocutore, ſine cenſore, ſed quarè fortiùs loqueris, quàm vivis? non præſtas quæ dicis, nec paria dictis agis. Calumniatoribus reſponde. ,, Qui, ut inquit Tacitus, variis criminationibus Senecam ,, adoriuntur, tamquam ingentes, & privatum ſupra modum eve-,, ctas opes adhuc augeret: quodque civium in ſe ſtudia verteret. *Annal. 14.* ,, Hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentiâ quaſi ,, Principem ſupergrederetur. Et Suillius apud eumdem modum etiam opum expreſſit: ,, Quâ ſapientiâ, quibus Philoſophorum ,, præceptis, intra quadriennium Regiæ amicitiæ ter millies HSS *Lib. 13.* ,, paraviſſet? Romæ teſtamenta & orbos, velut indagine ejus capi. ,, Italiam & Provincias immenſo fœnore hauriri. Is modus ex computatione Lipſii nobis eſſet ſeptuagies quinquies centena millia Philippicorum. Etiam Dio inter cauſas Britannici belli recenſet, quòd Seneca cùm quadringenties HSS magno fœnore Britannis crediſſet, univerſam illam pecuniam uno tempore repetebat: quin & ſupellex ipſius invidiam habuit, objicitque Dio quingentas menſas è cedro, cum eburneis pedibus, ſimiles omnes & æquales. Omnes illas calumnias egregiè diluit, cujus poſteà Apologiam audiemus.

§. 5. Interim illum judicat ingentis animi, qui divitias circumfuſas ſibi multùm diuque miratus, quòd ad ſe venerint, ridet, ſuaſque audit magis eſſe quàm ſentit. *Multum*, addit, *eſt non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus eſt ille, qui in divitiis pauper eſt: ſed ſecurior qui caret divitiis.* Plurima è divitiis manant incommoda, *Epiſt. 20.*

tene-

tenebras animæ offundunt, illiuſque lumen extinguunt: dedit enim nobis intellectum Deus ut ignorantiam fugemus è mentibus, ut rectum teneamus juſtumque judicium, & contra diverſarum impugnationum varios incurſus hoc quaſi quodam ſcuto uſi ac lumine maneamus innocui atque muniti. Tantum Dei donum temerè prodimus propter ſuperflua ac vana prorsùs. Bona vulgò dicuntur, quæ ſpinas redemptor noſter vocavit: undè S. Gregorius quaſi aliquid miri in medium allaturus ait, *Quis mihi unquam crederet, ſi ſpinas divitias interpretari voluiſſem, maximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent?* Homil. 15. in Evang. *& tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: & cùm uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Quæ & rectè, quia poſſidentem premunt, imò deprimunt, grave onus vocantur premens & ad inferiora incurvans; tripliciter onerans, labore, timore, dolore: cum labore pervenit ſiquidem homo ad eas, cum timore poſſidet, cum dolore amittit. Adjice, quod rem pretioſiſſimam homini adimunt nempè libertatem; „ Nam quod ad illos pertinet, ut argutè Seneca, apud quos Epist. 119. „ falsò divitiarum nomen invaſit occupata paupertas: ſic divitias ha„ bent, quomodò habere dicimur febrim, cùm illa nos habeat. „ E contrario dicere debemus. Febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt. Divitiæ illum tenent. Pondus huic addit Horatius his verbis.

Ep. 10. ad Fuſcum Ariſtium.

——Qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternùm, quia parvo neſciet uti.

Fallaces denique ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt: fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt; & cum iis omnia vota mortalium, omnia beneficia quæ dantur petunturque, nullum in beata vita habent momentum.

§. 6. Securior multò eſt qui caret divitiis,

Juvenalis. *Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Multam ingerit paupertas fiduciam, non habet undè injuriam patiatur vel lædatur: ſollicitum reddunt hominem divitiæ, non alia de cauſa, quàm quòd eripi & auferri ab eo poſſunt. Numquid ſine fiducia erat Helias & Joannes? nonne ille quidem Achab redarguebat, hic autem Herodem; qui dicebat: Marc. 6. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Helias verò loquebatur ad Achab cum fiducia. *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu & domus patris tui.* 3. Reg. 18 Dives, ſervus eſt obnoxius, extans damnis, tribuens omni volenti eum nocere. Verba

quæ

quæ ſubjicit ad confirmationem hujus veritatis S. Chryſoſtomus tantùm in ſe valoris continent, ut ſtaterâ ſint ponderanda: „ Pau-„ per, inquit, nummis parùm valens, & curis his omnibus carens, „ Leo eſt, ignem ſpirat, generoſo & forti animo adverſus omnes „ inſurgit, facilè omnia agit quæ prodeſſe poſſunt Eccleſiis, ſive „ opus ſit, ut arguantur aliqui, ſive ut increpentur, ſive ut Chriſti „ nomine ferantur parricidia & inimicitiæ. Quoniam qui ſemel „ vitam deſpexit præſentem, magnâ facilitate conficit omnia. Qui vitæ temporalis amorem & commoda à ſe abdicavit, is omnia pericula intrepidus adit. Turpis & ſcandaloſa iniqui Herodis cum fratris ſui Philippi uxore conſuetudo omnibus innotuerat: ad murmurandum nulli lingua deerat, ad arguendum verò ſoli Joanni animus ſupererat. *Dicebat enim illi Joannes, non licet tibi habere eam.* Quod præclarè exaggerat S. Chryſoſtomus. *Quot divites*, inquit, *erant tempore Herodis, quot potentes? & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpavit? quis contemptas Dei leges ultus eſt? divitum nullus.* In tanto numero nullus erat qui non clàm admorderet turpem ac obſcœnam illam familiaritatem, nullus tamen qui Regem adire & de crimine palàm objurgare auderet. Connivebant omnes, uti divitibus ſolitum eſt, ſibi & rebus ſuis metuentes. Hæc aut ſimilia quiſque apud ſe referebat. Clandeſtinâ ſceleris Regii execratione nullius rei jacturam facio, ſi verò Regem adeo, & flagitii ſui arguo, aut me vitâ & fortunis ſpoliabit, aut de ſtatu dejiciet, aut dignitate exuet, ſpe certè præconceptâ me totaliter fraudabit, bona fiſco addicentur, aut pro neglectâ obedientia me in judicium trahet, aut alio quocumque modo damnum inferetur. Non audebat Conſiliarius pro munere ſuo Regem admonere, ne ab officio removeretur, & ità illi facultas deeſſet collocandi in matrimonio filias liberoſque alios, vel cœpta ad faſtigium perducendi ædificia, vel opulentam fundandi primogenituram, aut non ità lautè & tam parvo vivendi. Cur verò quod omnes ſecretò damnabant, publicè præter Joannem nemo carpſit? nemo ſugillavit? Reſpondet Chryſoſtomus: *Qui neque lectum, neque tectum, neque menſam habebat, ille ſolus ac primus omni libertate tyrannum arguit, & præſentibus omnibus ac audientibus nuntiatâ ſententiâ eum damnavit.* Magna res rebus ac ſpiritu pauperem eſſe atque alienum ab ambitione, qui enim talis eſt, is potentiſſimo Regi & tyranno ſeſe objicere poteſt.

Tom. 4. Homil. 1. In illud Salutate.

Matth. 14. v. 4.

Ibidem.

Ibidem.

§. 7. Imperterritè poterat S. Apoſtolus Paulus arguere, obſecrare, increpare in omni patientia & doctrina etiam cum omni imperio (*Sunt enim quædam*, ut ſanè notat D. Chryſoſtomus, *in rebus humanis, quæ doctrinâ indigeant, ſunt item quæ imperio*) qui liberè &

Homil. 13. in cap. 4. & 5. epiſt. 1. ad Timoth.

& palàm omnibus proteſtabatur; *Argentum & aurum ac veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Dicit Thomas à Kempis: *Qui non appetit hominibus placere, nec timet diſplicere, multâ perfruetur pace.* Quis eſt hic niſi Apoſtolicæ paupertatis vir? quàm ſedulò in hoc imitatus eſt magnum ſuum præceptorem Paulum D. Chryſoſtomus eloquentiâ aureus & tolerantiâ ferreus. Audite quali voce tonet contra jurandi conſuetudinem, quàm acriter in hoc vitium invehatur, qualiter ſuos ab hoc nitatur avocare: in quo perſeverantes rigidè ab Eccleſiæ liminibus arcendos edicit. „Qui vult, „ait, rideat, qui vult ſubſannet, ad hoc poſiti ſumus, ut ſubſannemur, ut omnia patiamur: purgamenta mundi ſumus juxta „beatum Paulum. Si quis hoc mandatum præſtare negat, velut „tubâ quâdam per ſermonem prohibeo Eccleſiæ limina talem aſcen„dere, licet Princeps, licet ipſe ſit diademate redimitus: vel à Præ„ſulatu me dejicite, vel manentem periculis concludere nolite. Nihil omninò timebat, qui per omnia tàm dicta quàm facta velut alter Paulus clamabat, non quæro veſtra ſed vos. Ideò in eadem Homilia ſubjungit: „Donec in hac ſedebo Cathedra, nullam ipſius „juſtificationem omittam. Si quis detraxerit, jam inſons ero; ſed „donec obnoxius ſum, deſpicere non poſſum, non propter meam „pœnam, ſed propter veſtram ſalutem: vehementer enim veſtram „cupio ſalutem, & pro ea multùm affligor. Non dubito, quin amore paupertatis fretus auſus ſit S. Ivo ex Canonico Regulari Epiſcopus Carnotenſis ſeſe conniventibus reliquis Galliarum Epiſcopis opponere Regi Philippo, qui repudiatâ legitimâ uxore Bertâ Balduini Comitis Hollandię filiâ, Bertradam adulteram ſibi nefaria copulatione jungere nitebatur; illum ſui erroris per litteras reprehendit, nec ullis umquam vel promiſſis vel minis aut perſecutionibus adduci potuit, ut Regiæ voluntati vel in modico aſſentiret: invictâ conſtantiâ bonorum omnium rapinam & jacturam, carceriſque ærumnas tulit doctus, ne ad unguem à juſtitiæ tramite diſcederet, qui Decreta & Sanctiones Patrum in unum corpus redegerat. Salutaribus ad hoc monitis obfirmaverat animum ejus rerum mundanarum contemptus, nulliqúe placere appetebat, aut diſplicere timebat, niſi Deo.

Act. 20. *Lib. 3. de imit. Christi. cap. 28.* *Tom. 4. Homil. 26. ad populum.* *Ibidem.* *Paul. Emil. in Philipp. 1.*

§. 8. De Chriſto Redemptore noſtro multi Interpretum intelligunt illa verba Davidis: *Ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundavit in ſecula.* Quid ergo myſterii habet, quod Propheta aſſerebat, habitationis locum Meſſiæ talem fore, qualis eſt habitatio, quam ſibi unicornes conſtruere ſoleant? cur normam

Pſ. 77. v. 69

mam potiùs ab illo quàm alio animali mutuatus erat? de monocerote Hugo Cardinalis ſic ſcribit: *Notandum eſt, quòd unicornis non habet tectum, niſi cælum, & reclinatus ad arborem dormit.* Ità quoque Verbum divinum humanâ carne veſtirum ur unicornis fuit, neque domum habens, neque fortunæ bona aliqua, ut de ſe veriſſimè dicere potuerit. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*, tametſi caput ſit hominum & Angelorum. Hìc nunc illud indubitatum evadit, quòd omnis Chriſti actio ſit noſtra inſtitutio; qui verbis nos docuit, factis erudiit, miraculis informavit, ipſoque adeò ſilentio nos monuit. Salutare itaque monitum dedit Chriſti & unicornis paupertas, *Quòd Prælatus non debet ſibi ædificare palatia, nec ad domos alias anhelare, quàm ad cælum.* Curet ut ſit Chriſto & unicorni ſimilis. Sit illi tabula una pro lecto, pro tecto iſta cæli fornix, quæ omnia tegit, ne extruendis ſumptuoſis ædificiis, vel amplificandis domibus ſtudeat: meticuloſus alioquin erit, ſi opulentus, timebitque audacter loqui, ſi aut Princeps ſit admonendus; ſi objurganda Res quædam publica, ſi Magnatum quiſpiam increpandus, ſi diviti ſua errata aperienda, timebit palàm ac fidenter ſententiam edicere. Qui verò ab omni prorsùs honoris, opumque ambitu eſt alienus, ab omni temporalium bonorum amore vacuus, animoſè, quoties occaſio dicendi ſeſe offeret, quod ſentit, quodque res eſt, eloquetur; liberè pro veritate pronuntiabit: ut qui nec gratiâ Regis excidere curet, nec favores ambiat, nec minas potentium vereatur, nec bonorum jacturam, ab omni divitiarum copia nudus: Deum ſolummodò ante oculos habeat, cujus ſolius gratiam ſuſpiret.

In expoſit. Pſal. 77. — *Matth. 8. v. 20.* — *Hugo Card. in dict. Pſal.*

§. 9. Non facilè martyres factas eas mulieres indicat Tertullianus, quæ cultui corporis invigilabant, aut carnis delicias ſtudioſè conſectabantur. „Cæterum neſcio, inquit, an manus Spathalio „circumdari ſolita in duritia catenæ ſtupeſcere ſuſtineat. Neſcio an „crus de periſcelio in nervo ſe patiatur arctari. Timeo cervicem, „ne margaritarum & ſmaragdorum laqueis occupata locum ſpathæ „non det. Quarè benedictæ meditemur duriora, & non ſentie-„mus, relinquamus lætiora, & non deſiderabimus. Stemus ex-„peditæ ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Congruè hæc in alio ſenſu concionatori adaptari poſſunt, ut munere ſuo probè fungatur. Non enim debet ſuis ſtudere commodis quiſquis vult chriſtianâ libertate uti ad dicendum; non ædificare domos, non tradere ſe deliciis ac vitæ mollitiei: non habeat oculos fixos in gradum dignitatis ſublimiorem, exoccupetur ab omni terrenorum affectu animus, ejiciatur è corde omnis honorum & bo-

Lib. de cultu fœmin. cap. 13.

norum cupiditas, abjiciatur è pectore omnis reſpectus humanus, ſic enim quod res eſt, nudè, integrè & intrepidè dicetur. Non curet miniſter ſi è Regno in Regnum migrandum fuerit; ità non præteribit illum occaſio, quâ cum libertate chriſtiana ſuam proferre audacter ſententiam poſſit. Stemus expediti ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Quòd cælibes voluerit ſuos vivere Sacerdotes S. Eccleſia Sponſa Chriſti unam è multis rationibus adfert Joannes Raulinus; „Quia, inquit, mundanus timor faceret eos venerari majores, adulari mediis, & ſpernere minores.

Tom. 7. Ser. 2. de Matrim. „Et per hoc omnis correptio & prędicatio eſſet diſſimulata, & corrupta. Et propter hoc, ut dicit Gerſon, multùm expediret, „ut prędicatores nihil acciperent; quia eorum prædicatio magis reputaretur: quia ſæpè per hoc quòd prædicator capit ad omnes manus, diſſimulantur vitia, quæ debent impugnari.

§. 10. Nihil expetebat Elias prętet ſolam vilem, rudem ac tegendæ nuditati neceſſariam veſtem. Erat enim *Vir piloſus & zonâ pelliceâ accinctus renibus*: Huc tota illius ornamentorum temporalium concupiſcentia extendebatur. Præter honorem ac gloriam Dei aliud nihil ambiebat. Itaque qui illo in tempore audiebat nomen pauperis, pannoſi, laceri, tenuiter veſtiti, Eliam ſtatim intelligebat; illum Prophetarum ardentiſſimum, illum ad ſanctam iram propenſiſſimum. Elias fuit, qui tam multos Prophetas falſos unâ occiſione delevit, Elias, qui Regi Achab intrepidè reſtitit, Elias, cujus precibus è cęlo advocatus ignis quinquagenos milites ſemel & iterùm devoravit, Elias, qui Regi Ochoziæ ſuam idolomaniam exprobravit, Elias, qui cælum pro ſuo arbitrio nunc clauſit, nunc aperuit, Elias, qui terrori fuit ſummis infimis & toti mundo, Elias, qui Deum juramento conſtrictum triennio & ultrà tenuit, ut nullam interim è loco ſuperiore guttulam aquæ demitteret. Undè illi tanta audacia, tantum animi robur? S. Chryſoſtomus illud nobis dicet. *Nihil præter meloten poſſidebat. Nihil enim, nihil omninò ſic liberè loqui, & in rerum diſcrimine fiduciam habere, & contra captivitatem ſatis munitum & fortem facit, ut nihil poſſidere, & nullis ſecularibus obrui negotiis.*

4. Reg. 1. v. 8.

Tom. 4. Homil. 1. in illud. Salutate.

§. 11. Non tam expugnabilis eſt pauper, quàm dives, infinitas undique & diabolo & inſidiatoribus occaſiones præbens: timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat. Et qui multorum eſt Dominus, idem multorum ſervus eſſe cogitur. *Pauper igitur ſi philoſophari ſciat, nec ab ipſo diabolo expugnari poteſt. Job & ante hoc cùm fortis eſſet, poſtquam omnia amiſit, tunc factus eſt fortior, & claram contra diabolum victoriam reportavit.*

D. Chryſoſt. tom. 4. Homil. 2. ad Antioch.

portavit. Nemo enim noſtrûm ignorat, quòd, quemadmodùm dicit S. Gregorius: „ Quicumque ad fidei agonem venîmus, luctamen contra malignos ſpiritus ſumimus. Nihil autem maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident; nudi ergò cum nudis luctari debemus. Nam ſi veſtitus quiſquam cum nudo luctatur, citiùs ad terram dejicitur, quia habet undè teneatur. Non tàm nobis eſt lucta adverſus carnem & ſanguinem, quàm adverſus principes & poteſtates tenebrarum. Chriſtianus eſt Athleta & miles, ut Athleta, nudum in certamen ipſum deſcendere oportet, ut miles, armatum ad pugnam conſiſtere neceſſe eſt: utraque hæc ſimul eſſe poſſunt, nudum eſſe & non nudum, indutum & non indutum. Qui exuit vitæ negotia, Athleta factus eſt, qui induit arma ſpiritualia, factus eſt miles: quæ fiduciam bellandi præbet, animum & arma paupertas de cælo ſubminiſtrabit. Hæc eſt manuductrix quædam in via quæ ducit ad cælum, unctio Athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. *Homil. 32. in evang.*

§. 12. Abundare econtrà & timere licet ſyllabis plurimùm differant, in re ipſa conveniunt. Non meminit alicujus periculi Scriptura quod Patriarchæ Jacobo occurrerit, quando à patriis laribus profugus ad Laban avunculum contendit. In reditu verò ad patrem ſuum Iſaac quot non angores pertulit, quot non ſollicitudines, diurnos ac nocturnos metus! nulla fuit ſine diſcrimine dies, nullum ſine pavore iter, vix paſſum metu vacuus fecit. Diſcrimen hujus & cauſam ſtatûs utriuſque diſparitas adferebat. Ita ipſemet Jacob indicavit in oratione ſua ad Dominum quâ rogabat ut ab irati fratris furore ſervaretur illæſus, inquiens: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cùm duabus turmis regredior.* Quando à parentibus ad avunculum meum perrexi, tota fortunarum mearum ſumma in unico baculo poſita erat, quo & fulcro & comite utebar: nunc verò rebus omnibus circumfluens revertor, hinc turbâ hominum, illinc copioſo pecorum grege ſtipatus. Indè timores illi omnes haud dubium nati. In abitu ſimul & rebus aliis carebat & angore ac ſollicitudine, nihil formidans, quia nihil habens; in reditu verò animi inopem copia rerum ac meticuloſum abundantia faciebant. Undè accipimus quòd ex affluentia formido naſcitur; nec alium æquè trepidare, angi, pavere, ac eum, qui habet, quorum facere jacturam poſſit. An non ſpinæ divitiæ, quæ animum tot curis replent & pungunt, ut omnem ei requiem præripiant. Sigiſmundo Cæſari allata erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Cùm autem adveſperaſcet, eaque in thalamo Regio recondita fuiſſent; in cubiculum veniens Cæſar dum cogitat in quem uſum eam pecuniam convertat, *Geneſ. 32. v. 10.*

vertat, ſomnus eum deſtituit. Igitur excitatis cubiculariis omnes Conſiliarios Ducéſque militum accerſiri jubet: quibus præſentibus Imperator confeſtim apertâ arcâ, inter eos pecuniâ diſtributâ, *Ite*, inquit, *ut ſecurè tranquilleq́ue nobis dormire liceat, nam quod mihi ſomnum ademerat, jam procul aberit à cubiculo.* Quamvis non rarò ad Maximilianum Auguſtum ingens pecuniarum ſumma affereretur, tamen penes ſe eam numquam retinuit, ſed ad quæſtores referri juſſit, dicens: *Se regendis hominibus præpoſitum, nec auri ſibi cuſtodiam demandatam: quo ſi quis ſemel capiatur, mox è Rege ſervum futurum.*

Æneas Sylv. Lib. 5. Com. in res geſtas Alphonſi.

Jac. Spieg. in Ænea com. de reb. geſt. Alphonſi.

§. 13. Miles Luculli abundè docebit, quantùm acuat animos ad rem fortiter ſtrenueq́ue gerendam paupertas, quantùm dejiciat opulentia, & ignaviam foveat. Is rebus ſuis integrè ab hoſte ſpoliatus,

Horat. ep. ad Jul. Florum.

—— Vehemens lupus, & ſibi & hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer
Præſidium Regale loco dejecit, ut aiunt
Summè munito, & multarum divite rerum.

Plurimùm ob id in honore & pretio habitus, donis inſuper militaribus ornatus; cùm non multò poſt amplam materiem laudis atque honoris res obtuliſſet, ad illam amplexandam gnaviter, à Prætore incitabatur,

Verbis quæ timido poſſent quoque addere mentem.
I bone, quò virtus tua te vocat, i pede fauſto
Grandia laturus meritorum præmia. Quid ſtas?

Verùm mutatus in virum alrerum, proſperitas illum effœminaverat,

———— Ibit
Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

Appoſitè Lampridius: *Miles non timet niſi veſtitus, calceatus, armatus & habens aliquid in zonula.* Nulla res alia Romanis teſte L. Floro furores civiles peperit quàm nimia felicitas. In hunc modum ſcribit. „ Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica Pergameni Re„ gis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixerunt ſeculi mores, „ merſamq́ue vitiis ſuis quaſi ſentinâ Rempublicam peſſumdede„ runt. Jam ut ſpecioſiora vitia tangamus, nonnè ambitus hono„ ris ab iiſdem divitiis incitatus eſt? atque indè Mariana, indè Syl„ lana tempeſtas: aut magnificus apparatus conviviorum, & ſum-

„ ptuoſa

„ ptuoſa largitio, nonnè ab opulentiâ paritura mox egeſtatem? hęc „ Catilinam hoſtem Patriæ ſuæ impegit. Denique illa principatûs „ & dominandi cupido, undè niſi ex nimiis opibus venit? atqui hæc „ Cæſarem atque Pompeium furialibus in exitium Reipublicæ facibus „ armavit. Denique nihil aliud ſunt quàm onera atque impedimenta divitiæ. Anima his implicita neque magnum aliquid aut generoſum peragere, ſed nec intueri poteſt; terrenis rebus affixa, & ſerva facta ex liberâ, cæleſtibus bonis excidens numquam de ſublimibus cogitare valet. Sed pecunias jugiter uſuras, & fœnus ac lucra cogitur pertractare. Sententiosè idem exaggerat S. Auguſtinus inquiens: Obligata anima amore terreno, quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt: Mundata verò ab affectibus ſordidiſſimis ſeculi tamquam extenſis pennis volat: quò niſi ad Deum aſcendit volando quæ aſcendit amando? Corporis gravitate impediuntur grues quò minùs liberè ſeſe in auras erigere valeant; magnas extendunt & quatiunt alas, ſed corpus à terra ſuſtollere ægrè poſſunt: Sic dives quaſi quidam canis ad theſaurum revinctus, & tyrannide divitiarum omni catenâ tenaciùs alligatus mentem nequit cæleſtibus intendere, nihil ex utilibus audire, ſed adeuntes atque poſcentes latratibus ſuis infeſtans, unum idemque jugiter opus exequitur ut aliis repoſita conſervet. Spinis igitur, ut hunc paragraphum cum D. Chryſoſtomo concludam, divitiæ ſunt per omnia ſimiles. „ Nam „ quemadmodùm inquit, ſpinæ ſteriles ſunt, ita divitiæ. Quemad„ modùm illæ, quæ tangunt, lacerant; ita harum cupiditas: „ quemadmodùm facilè comprehendunt & odio habentur agricolis; *Homil. in* „ ita hujus ſeculi negotia. Poſtremò ut inter ſpinas feræ, viperæ, *Joan.* „ ſcorpij deliteſcunt; ita in fraudibus divitiarum.

§. 14. Sed Stoïcis iſta narranda ſunt, longè abſumus à ſenſu communi, alia nunc ſunt tempora, omnia promiſcuè homines utilitate metiuntur: nihil inviſius uſquam eſt, nihil execrabilius paupertate: undique conviciis ab omnibus penè & ſcommatibus proſcinditur; quilibet in eam tamquam peſtem teterrimam inſurgit, & non ſolùm à ſe, à domo ſuâ & commercio, ſed ab univerſo orbe proſcriptam deſiderat;

——— Quoad vixit: credidit ingens
Pauperies vitium, & cavit nil acrius, ut ſi *Horat. lib. 2. ſerm. ſatyr. 3.*
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior.

Quid enim? *Divitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, ſeparantur.* *Prov. 19. v. 4.* Omnes fugiunt pauperem & paupertatem,

tem, commodum enim divitiarum eſt, quòd multos conciliant amicos, incommodum paupertatis, quòd omnes eàm æquè ac pauperes fugiant. *Multi*, idcircò, *colunt perſonam potentis & amici ſunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper & amici receſſerunt ab eo.* Pauperes vilipendi commune olim fuit, undè Ovidius,

Ibidem v. 6. & 7.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias; pauper ubique jacet.

1. Faſt.

Etiamnùm eſt vitium imò corruptis hominum moribus familiariſſimum, nihil frequentiùs quàm impingere in id, quod D. Jacobus reprehendit in Epiſtolâ ſua canonicâ, quàm perſonarum acceptione peccare. In paupertate ignobilitas eſt, juxta ſenſum vanitatis, non veritatis, & timiditas ac ignominia vitæ: in conceſſibus, in conviviis, in comitiis publicis divites præferuntur pauperibus, hoc ſolo tantùm nomine, quia divites ſunt, quaſi dives tantò paupere ſit melior, quantò ditior. Qui in ſede primariâ vel altiore, pulvinari byſſino inſtratâ collocatur: dum pauperi dicitur, *Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum*, adeò vilis factus es, ut non ſis dignus, qui pedes meos, imò nec eorum ſcabellum tangas. Ibi ergo ſede, aut quaſi alter Alexius ſta in angulo, aut cum Lazaro quaſi canis procumbe ad januam divitis epulonis. Tam indigno ſæpènumero deſpectu à propinquis imò fratribus pauper afficitur. *Fratres hominis pauperis oderunt eum: & inſuper amici receſſerunt ab eo.* Omni deſtituitur ſolatio, auxilio & conſilio, nomen ipſum cane pejus & angue execrantur. Adventanti diviti obviam à longè proceditur, univerſa familia in publicum ſe prodit, quiſque alium antevertere ſtudet ut illi honorem ac reverentiam deferat: pauper ab omnibus deſeritur, vix eſt qui ipſum aſpicere dignatur; dum divitem omnes ſuſpiciunt. In locis piis ad uſum pauperum fundatis ubi certum inopiæ ſuæ patrimonium invenire ſe putant, major ac potior habetur reſpectus divitum, qui à quocumque feſtivè excipiuntur, lautiùs tractantur, in quos ſe obſequioſos ac benevolos omnes exhibent, nullâ fermè habitâ ratione & curâ pauperis.

Jacob. 2. v. 3.

Prov. 19. v. 7.

§. 15. Quid mirum Chriſti membra contemni, cùm mater ipſius cum ſancto Joſepho ob paupertatis notam non invenerint locum in diverſorio? omnia publica diſtribuuntur divitibus non pauperibus, qui ubique repulſam patiuntur.

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit. —

Juvenalis ſatyr. 3.

Omnes

Omnes exſibilant, explodunt pauperem, & quaſi peſte infectum devitant.

Quis gener hic placuit ſenſu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper ſcribitur hæres? Idem ibidem.
Quando in concilio eſt Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migraſſe Quirites.
Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Mirum denique in modum pauper opprimitur. Dives erat, qui ſibi ad menſam caput Prophetæ pauperis juſſit afferri; & aliud undè ſaltatrici præmium ſolveret, non invenerat, niſi ut pauperem juberet occidi. Teſtis inſtar omnium hujus allegationis nobis erit S. Ambroſius. *Vidi ego*, inquit, *pauperem duci*, *dum cogeretur ſolvere quod non habebat*, *trahi ad carcerem*, *quia vinum deeſſet ad menſam potentis*, *deducere in auctionem filios ſuos*, *ut ad tempus pœnam differre poſſit.* Tom. 4. lib. de Nabuthe. cap. 5. Invenit fortè aliquem qui in ea neceſſitate ſubveniret. Redit ad hoſpitium cum ſuis pauper diruta ſpectans omnia, nihil ſibi ad cibum relictum, ingemiſcens filiorum famem, redit ad conſilium, vendendi ſumit arbitrium. Hinc urgebat inopiæ injuria, illinc paternæ pietatis gratia, fames ad pretium, natura ad officium. Varium deducebant patrem neceſſitas & pietas, utrimque dubius fluctuabatur, quem de liberis priùs traderet: ità titubat ac pendet animo apud D. Ambroſium. „Quem offeram, inquit? quem frumenti auctionator libenter aſpiciat? primogenitum offeram? ſed primus me patrem vocavit. Sed juniorem dabo? aſt iſtum tenuiore amore complector. Illum erubeſco, hujus miſereor. Illius gradum ſuſpiro, hujus ætatem. Ille jam ſentit ærumnam, iſte ignorat; flectit me illius dolor, hujus inſcitia. Ad alia me conferam. Ille mihi plus blanditur, iſte plus verecundatur. Ille parenti ſimilior, hic utilior. In illo imaginem meam vendo, in iſto ſpem meam prodo. Me miſerum, non invenio quid faciam, non habeo quid eligam. Idem ibidem

Natura quanto vinculo patrem alligat!

Ignorat planè quomodò diſcernet affectum naturæ, quomodò obliviſcetur, quomòdo exuet patris mentem, quomodò filii auctionem conſtituet, quo ſermone paciſcetur pretium, quibus manibus tradet in ſervitutem filium, quibus factum excuſabit ſermonibus? patrem conſiderate, patrem cogitate. Quomodò aliquando poterit dicere: „Fili ego te pro cibo meo vendidi? funeſtior

„ ergò jam pauperis menſa quàm divitis. Ille adjicit alienos, ego „ meum vendo. Ille neceſſitatem imponit, ego affero voluntatem. Tandem ſubdit. „ Quo pudore regrediar domum? quomodò in-

Ibidem. „ trabo? quo habitabo affectu, qui mihi abnegavi filium, quem „ non morbus abſumpſit, non mors abſtulit? quâ conſcientiâ con- „ ſiderabo menſam meam, quam ſicut novellæ olivarum in circui- „ tu tot filii veſtiebant? O dura neceſſitas cui ipſa poſtremò pietas ceſſit! ô miſera pauperum ſors & conditio! Hæc divite præſente deplorantur, ſed ejus avaritia aurem obſtruit, nec mens illius facti miſerabilis horrore molitur. Eò mores redacti ſunt, ut paupertas maledicto probroque ſit, contempta divitibus, inviſa pauperibus.

§. 16. Quia verò divitiæ in pretio & in oculis omnibus ſunt, omnes pro iis vota nuncupant, ad Pluti aram ſternuntur ſupplices, audiunt illius encomia toto orbe celebrari. Has ſuſpiciunt, has ſuis optant, & velut rerum humanarum maximum Deo, cùm grati videri volunt, conſecrant. Carmina deindè Poëtarum affectibus hominum facem ſubdentia, divitias velut unicum vitæ decus ornamentumque laudant, nihil illis melius dari poſſe nec haberi: denique quod optimum videri volunt ſæculum, aureum appellant. Naturales defectus occultat aurum, & quamvis etiam monſtra ad univerſi integritatem ac naturæ univerſæ perfectionem faciant, uti ſimiæ & cercopitheci ad complementum ne quid deſit, ad ornamentum, ut pulchra per contrarii oppoſitionem magis eluceſcant; attamen quæ monſtra nunc putantur, aurum facit apparere naturæ miracula.

§. 17. Cùm adhuc

----- *Extarent veteris veſtigia recti.*

Una erat & ſimplex matrimonium ineundi ratio: formæ ac morum venuſtas; virtus, probitas totum in eo obtinebant momentum, & ſimul cum ipſis nuptiis omnium bonorum ſocietas inter conjuges contracta videbatur. Nunc verò mutata ſunt tempora, mutati adeò unà hominum mores, ut conjugii ſacrum in commercium abiiſſe, & res mancipii facta videatur: quotquot hodiè matrimonia, totidem ſordidæ ferè ſunt pactiones, auri trutina examinantur.

————————— *Omnis enim res,*

Horat. lib. 2. ſerm. ſatyr. 3. *Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris*
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & Rex,
Et quidquid volet.

In

In vitam & mores non inquiritur. Omnia divitiæ aut præſtant, aut ſupplent. Depravato judicio ut contagione homines inſaniunt, icterici ſunt, ſecundùm morbum judicant, omnia ipſis flavo colore repræſentantur. Celſus & Apuleius icteron, ſuffuſionem ſcilicet bilis flavæ vel nigræ per totum corpus vocant auriginem à colore auri, & hominem morbo hoc laborantem aurigenoſum, quo, monſtro ſimile eſt, aliquem hoc ævo carere. Nihil minùs ferè in puellis quæ nuptui traduntur, neque etiam in juvenibus ejus rei cauſâ ſpectatur quàm virtus & probitas, nihil magis quàm aurum requiritur. Quod nobis egregiè exponit Poëta Juvenalis ità ſcribens:

Da teſtem Romæ tàm ſanctum quàm fuit hoſpes Satyr. 3.
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam:
Protinùs ad cenſum, de moribus ultima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera, quàm multâ magnâque paropſide cœnat?
Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei.

Inſtruunt ludicris pueri ſenes, nec tamen diſciplinam ſectantur; cæcutiunt ubi de lucro aut re pecuniaria quæſtio movetur.

——— *Quærenda pecunia primùm eſt,* Horat. lib. 1. ep. 1.
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata ſeneſque,
Lævo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto.
Si quadringentis, ſex, ſeptem millia deſunt
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua fideſque;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si rectè facies.

Hem! ſenibus pueri quid præſtant; ſtulto intelligens! hi prudenti naturæ inſtinctu optimum eligunt, illi ſepoſito rationis dictamine propenſionis judicium ſequentes divitias virtutibus anteponunt: errorem indubiè agnoſcunt, ſed corrigere nolunt, quia ſibi & concupiſcentiis indulgent, quia ſplendidum approbant mendacium, quo homo incruſtatus auro, licet ſtupidus, ſtolidus ac planè inſcius, excellere tamen naturæ dotibus, & præ aliis eminere judicatur. Omnis ab illo nævus imperfectionis abſtergitur, huic liberè cęteris leges pręſcribere datum eſt, & omnes deſpicere; imperioſus ſiquidem eſt omnibus. Audi Horatium:

Horat. lib. 1. ep. 18. ad Lollium.

Quem tenet argenti ſitis importuna, fameſque,
Quem paupertatis pudor, & fuga, dives amicus
Sæpè decem vitiis inſtructior, odit, & horret:
Aut ſi non odit, regit, ac veluti pia mater
Plus quàm ſe ſapere, & virtutibus eſſe priorem
Vult; & ait, propè vera. Meæ, contendere noli,
Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga: deſine mecum
Certare.

§. 18. Nec apud Tragicos, affirmante Senecâ, deſunt, qui lucro innocentiam, ſalutem, opinionem bonam mutant, ex quibus illa deſumit:

Ep. 115.

Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.
An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus.
Non quarè & undè: quid habeas, tantùm rogant.
Ubique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.

Quam ævo ſuo corruptelam deprehendit, ſani rerum æſtimatores judicabunt utrum ad tempora noſtra non extendatur; liberrimè „dixit: „Hæc ipſa res tot Magiſtratus, tot Judices detinet, quæ Idem ibidem. „Magiſtratus, & Judices facit, pecunia; quæ ex quo in honore eſſe „cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoreſque & venales in- „vicem facti, quærimus, non quale ſit quid, ſed quanti. Ad mer- „cedem pii ſumus, ad mercedem impii. Honeſta, quamdiu ali- „qua illis ſpes ineſt, ſequimur: in contrarium tranſituri ſi quid ſce- „lera promittant. An vaticinium ſit ignoro, certè diù ab exceſſu Senecæ corruptio ſuffragia temperavit. M. Salvius Otho clàm & palàm militibus pecuniâ ſubornatis atque in Galbam armatis eum ſuſtulit, ſe immiſit, ſed Principem non diuturnum. Sordidè etiam Julianus ad Imperium pervenit. Poſt cędem Pertinacis cùm venale in Lipſ. in monit. polit. caſtris Prætorianis penderet Imperium, & Sulpicianus licitaretur: iſte pecunioſus & ambitioſus ſenex, eòdem aſpiravit: atque ad muros ſubiens modum pecuniæ certum promiſit: cumque illi ad Sulpicianum retuliſſent plus aliquid adjicientem, iterumque ad iſtum (prorſùs ut in ſolenni licitatione) tandem pervicit Julianus: finiſque fuit, ut vicena quina ſeſtertia, (ſunt ſexcenti viginti quinque Philippæi) viritim Prætorianis darentur.

§. 19. Quoniam cuncta venalia proſtare vident homines maximè ſeculares, aurum ſomniant, ad illud totis præcordiis anhelant, nihil

nihil ardentiùs à Deo poſtulant: Hebręorum benedictionibus, temporalibus videlicet, poſthabitis cęleſtibus & æternis, inhiant; nihil in Pſalmis ipſorum auribus plauſibiliùs reſonat quàm, *Gloria & divitiæ in domo ejus.* *Pſ. 111. T. Heb.* Quod illi de temporalibus tantummodo intelligunt, non ex mente Prophetæ de gloria interna, de bono conſcientiæ teſtimonio, de divitiis fidei, ut (quod eſt omnium feliciſſimum) non corrumpatur animus juſti, cujus ibi deſcribitur elogium, fortunæ bonis, ſed juſtitia ejus & probitas perſeveret uſque in finem; ideò additum eſt, *Juſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* *Ibidem. Vat.* Ubi ex voto omnia fluunt, lætantur, ut decet, Deum abundè laudant, ipſique gratias agunt; verùm ſi quæ adverſa contigerint, animum deſpondent, dejiciuntur benefactoris ſui immemores. Unum ex illis in medium producit Regius Pſaltes, de quo ait: *Anima ejus in vita ejus benedicetur, confitebitur tibi cùm benefeteris ei.* *Pſ. 48. v. 19.* Tum à Deo per beneficiorum temporalium collationem in hac ſolùm vita præſenti (quam ipſe tantùm credit vitam) anima impii benedicetur, tum ab hominibus per laudationes ſeu potiùs adulationes, quia ad cumulum miſeriæ non deerunt ipſi adulatores; ipſe viciſſim confitebitur Deo, laudabit illum & gratias aget, cùm benefecerit ei: ſin autem mali quippiam illi evenire permiſerit, continuò blaſphemabit Deum; non enim de illorum eſt numero qui dicunt, *Benedicam Dominum in omni tempore.* Hanc fiduciæ plenam & grati animi teſtem S. Theodorus, dum in eculeo coſtæ nudarentur, liberè emiſit vocem. *In vita ejus 9. Novemb. ut in Brev.* In ipſis quoque cruciatibus Sanctorum Proceſſi & Martiniani una vox audiebatur, *Sit nomen Domini benedictum.* *In vita 2. Iulii ut in Brev.* Non imitatur Malchum monachum captivum, qui paſcens oves heri ſui imaginabatur ſe ſimilem magnis illis & primis paſtoribus Abraham, Iſaac, & Jacob, atque ità internâ mentis dulcedine animum paſcebat. *S. Hieron. in ejus vita.*

§. 20. Nullatenus induci poterit talis, ut ſe ipſum relinquat, ſi ſe ipſum invenire deſideret, ut ſpem omnem ſecularem abſcindat, quò curis expeditus nudus nudum Jeſum ſequatur, cùm ne quidem ſua relinquere poſſit, niſi ubi meliora & lautiora relictis inveniat blandientis fortunæ lucroſæ ubique compenſationi intentus. *Quid eſt longinquius*, quærit D. Ambroſius, *quàm à ſe recedere, nec regionibus ſed moribus ſeparari, ſtudiis diſcretum eſſe non terris?* *In cap. 15. Lucæ.* plerique tamen lucri faciendi gratiâ ingentia maria tranſmittunt, pericula ſubeunt, nullos labores detrectant, nullis impendiis parcunt, tamquam animalia Amphibia tàm in aquis quàm in terris degunt, ut pecunias accumulent; nullam aut raram curam propriæ ſalutis gerunt, à ſe ipſis recedunt, & propter lucrum ſe à Chriſto ſeparantes fiunt exules cæleſtis patriæ, cives mundi. Videntur crebrò illud Davidicum repetere,

Pſ. 111. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, non ex vero & genuino ſenſu,ſed ex propria interpretatione intelligunt,cælum ſoli Deo dicatum ac reſervatum, terram autem hominibus ſui ſimilibus terrena dumtaxat ſapientibus jure perpetuo in poſſeſſionem traditam. Vilis certè ac tenuis ſubibat de vita æternâ cogitatio divitem quemdam cum faceto & omnium horarum comite ad thermas pergentem ut probè valetudini operam daret. Ex alterius conſilio ad ſummum crumenam impleverat. In viâ mendicum totaliter pannoſum & famelicum obviam habuit ab ipſo ſtipem propter Deum efflagitantem: cùm diù in crumenâ quæſitum denariolum ei dives largitur; ob id vehementiùs ſocius ſe fingens ſuccenſere de prodigalitate conqueritur, metuere ſe dicens ne ſumptus deinde ipſos deficerent. Adhæc dives rem ſeriò agi exiſtimans, dixit ſe miſero iſti denarium dediſſe quem ſibi ad regnum Dei acquirendum profuturum arbitrabatur. Tunc jocum in ſeria convertens,

——— *Ridentem dicere verum*
Quid vetat?

Cum intellexiſſet quòd pecunioſus iſte denario Regnum cælorum certò ſe comparaturum ſperaret, negavit ſibi rationes illius ullatenus placere, qui tantam pecuniæ ſummam corpori parùm recreando, Dei autem regno acquirendo denariolum ſolùm impendere vellet, illic ſemper, in thermis verò ad viginti ad ſummum dies manſurus.

§. 21. Hæc ſive hiſtoria ſive ſit fabula, in multis tamen verificatur. Quantâ curâ & ſollicitudine diſtringuntur ævi hujus Euclione s? ab aurora ad veſperum cubiculo incluſi, in quod lux non niſi per feneſtræ rimam ingreditur, continuò rationum libros revolvunt, computant, numerant pecunias; eumdem laborem indies repetunt, vix ab ipſo deſiſtunt ut diebus feſtis & Dominicis ſacro interſint, in quo tot patiuntur diſtractiones, ut in templo ſint corpore, animo vagentur extrà,

Mens tamen ad nummos & ſua lucra redit.

Quàm ſtrenuè, quàm ſedulò agunt ſalutis negotium dum opibus familiæ congerendis ævum conſumunt, & numquam ſibi ferias concedunt. Omnia tamquam mortales timent, omnia tamquam immortales concupiſcunt. Novæ occupationes nonnumquam veteribus ſubſtituuntur, ſpes ſpem excitat, pecuniam pecunia, ambitionem ambitio. Miſeriarum non finis quæritur, ſed materia mutatur.

Perſius *O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane!*

Neque

Neque Seneca, neque quiſquam ſanæ mentis approbare factum Turannii potuit. „ Is fuit exactæ diligentiæ ſenex, qui poſt annum „ nonageſimum cùm vacationem procurationis à C. Cæſare ultrò „ accepiſſet, componi ſe in lecto, & velut exanimem à circumſtante „ familia plangi juſſit. Lugebat domus otium domini ſenis, nec fi-„ nivit triſtitiam, quam labor illi ſuus reſtitutus eſt. *Adeòne juvat occupatum mori? idem pleriſque eſt animus: diutiùs cupiditas illis laboris quàm facultas eſt.* Nec eſt quòd putemus illos non intelligere damnum ſuum; certè audiemus ex his quos magna felicitas gravat, inter famulantium greges, inter aſſidua negotia, aut cæteras ſpecioſas miſerias exclamare interdùm: *Mihi vivere non licet.* Quidni non liceat? Ille qui à te mutuò pecuniam poſtulat, quot dies abſtulit ut ſors tibi & lucrum ſalva ſint? quot ille inſtitor? quot negotiationis ſocius? quot ille factus ad irritandam avaritiam tuam negotiorum geſtor? omnes illi qui te ſibi advocant, tibi abducunt. Omnes profectò occupatos illos vel bona vel mala reſpirare non ſinunt. *Vita illorum eſt ſine fructu, ſine voluptate, ſine ullo profectu animi. Nemo in conſpicuo mortem habet. Nemo non procul ſpes intendit.*

Sen. lib. de brev. vita. ſub fine.

Sen. ibidem.

§. 22. Omnis in eo negotiorum ratio & ſcopus conſiſtit, ut liberos poſt ſe relinquant non probos non doctos, non homines frugi, non muneribus publicis idoneos, ſed divitiis affluentes, quas ad benè beatéque vivendum per ſe ſufficere exiſtimant; quibuſcum omnes ſe naturæ & fortunæ dotes relinquere credunt. Quot filios, totidem cadaver expectantes vultures circum ſe habent: dumque tandem expectato fine ſupremum diem claudunt perſonato fletu nudi in terram abduntur. Eſt, quem accipiendis immorientem rationibus diù tractus longâ ejus vitâ, diù in ſpe, tandem voti compos riſit hæres, & lætas illi exequias fecit. Eſt ſanè, inquit Eccleſiaſtes, *Alia infirmitas peſſima quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui.* Diverſi diverſè illud vocabulum, *infirmitas*, exponunt. S. Hieronymo eſt languor peſſimus, Symmacho morbus malus, Olimpiodoro gravis & intenſus morbus, S. Ambroſio in Pſalm. 1. languor malus: qui convenientiſſimè ad rem noſtram ſcribit. „ Avaritiæ lan-„ guor, inexplebilis cupiditatis languor, iſtæ divitiæ ſunt, ut dicit „ Eccleſiaſtes: eſt languor malus quem vidi ſub ſole, divitias cuſtodiri „ in malum poſſidentis eas. Et quidem omnes dies ejus in tenebris, „ & luctu, & iracundiâ multâ, & languore & irâ. Quanta & quàm multiplex miſeria & afflictio! undè rectè concludit, *Malus ergo languor, qui bonam aufert mentis quietem.* Enucleatius idem alio in loco exaggerat, graphicè inquietum ac turbidum pectus avari ob oculos ponens. *Elementa*, inquit, *concutit, mare ſulcat, & terram effodit,*

cap. 5. v. 12.

In pſalm. 1.

Lib. 1. de Cain & Abel. *cælum votis fatigat, nec ſereno gratus, nec nubilo, condemnat proventus annuos, fœtuſque terrarum arguit.* Timotreon Græcus Poëta lyricus non aliâ putem de cauſâ in Plutum Deum divitiarum invehitur, ita canens. „ Utinam ó cæce Plute neque in terra, neque in mari, „ neque in continenti compareres, ſed tartarum habitares & Ache„ rontem! propter te enim omnia inter homines mala. Quàm difficilè eſt cuſtodire quod omnes appetunt, undique terrores & timores patitur miſer, quia undique inſidias ſuſpicatur, undè periculum ab extraneis, à domeſticis, ab ipſiſmet liberis. Litibus vexantur divites, opibus mulctantur, quin & propter eas occiduntur ſive à prædonibus ſive ab injuſtis judicibus & Principibus, uti Naboth interfectus eſt ab Achab. Auri pondere aut curarum ex eo manantium ſuffocantur opulenti, quemadmodùm Plutarchus narrat Brennum Plutarch. in parall. 30. Gallorum Regem rogaſſe milites ſuos ut in ſinum avariſſimæ virginis Epheſinæ (quæ ei & concubitum & Epheſi proditionem erat pollicita, ſi mundum ei muliebrem manuumque ornamenta traderet) aurum quod geſtabant, immitterent: ità fecit, ut ſub magna vi auri viva obrueretur.

Eccleſ. 5. v. 13. §. 23. Peſſimum ac feraciſſimum morbi genus *divitiæ conſervatæ in malum domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima*, vel vi, vel fraude, vel naufragio aliovè caſu auferuntur. Quod enim non capit Chriſtus, rapit fiſcus, & *avarus dum colligit, colligitur, dum vult eſſe* S. Aug. in Pſ. 38. *prædo, fit præda.* Certè non habere melius eſt, quàm rem deſideratam perdere. Avaro morte gravius tormentum eſt opes tàm vehementer amatas & tanto labore partas relinquere, nec quidquam ex eis poſſe ſecum vel ad viaticum efferre. Hinc gentiles olim morienti obulum dumtaxat in os inſerebant, ut eum pro naulo ſolveret Charonti, qui defunctorum animas per ſtygem & Acherontem fluvios devehit ad inferos, quo ſignificabant eum mori plenè nudum,

Omnibus exhauſtum propè cladibus, omnium egenum,

Ab omnibus deſtitutum, gementem & plorantem, omniumque injuriis expoſitum redire ad terram communem omnium matrem. Eccleſ. 5. v. 14. Hæc eſt miſeriæ humanæ neceſſitas. *Sicut egreſſus eſt nudus de utero matris ſuæ, ſic revertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo.* Ex conditione originis infertur conditio finis. Ex eo enim quòd homo nudus naſcitur liquet bona quæ mundus hìc ei miniſtrat, propria non eſſe, ſed commodata & ad uſum conceſſa. Opes omnes & pompæ exuviæ ſunt in morte exuendæ. *Quid ergò prodeſt ei quòd labora-* De cupid. divit. *vit in ventum.* Quàm congruè Plutarchus avaro improperat, *Tu verò*, inquit, *tantum negotii ſuſtines perturbans ac diſtorquens te ipſum,*

tùm Cochlea vitam vivas, ob animi ſordes ac parſimoniam omnia moleſta perfers, nullum indè fructum capiens. Quid ſi quis divitias congregans non eas ad pietatem confert, hæc ſubſtantia illi in perniciem venturo ſeculo ſervatur, quid prodeſt ei quòd ad illud laboravit? imò quantùm vexat & torquet; „ Quid enim pejus aut quid miſe-„ rius, ait S. Salvianus, quàm ſi quis præſentia bona in futura mala „ convertat, & quæ ad hoc à Deo data ſunt, ut paretur ex eis vitæ „ beatitudo perpetua, per hæc ipſa quæratur mors ac damnatio ſem-„ piterna? ex arte ſua chymicos non modò nihil compendii feciſſe, ſed facultates ſuas inſuper in fumo, ſitu ac pulvere miſerè conſumpſiſſe ipſi Alchymiæ auctores & fautores Geber ac Lullus aliique ſatis indicant. Sic & diviti nihil prodeſt quòd laboravit in ventum: opes inſtar ventorum fugaces ſunt, contrariæ, confligtantes, impetuoſæ, abeuntque illico in fumum & ventum. *Theſaurizat enim & ignorat cui congregabit ea*, ſi enim liberis ſit orbus miſerum eſt cenſum alieno hæredi nutrire, ſi verò liberis ſervat ac recondit opes, perindè tamen illi atque muribus accidit, qui vorant in metallis chryſitidem id eſt ſpumam argenti, quam non reddunt niſi mortui & diſſecti. Coacervat multa ut iis relinquat, & hi aliis deinceps: „ (non aliter quàm faciunt canales fictiles, quæ nihil ipſæ in ſe reci-„ piunt humoris, ſed omnes alia in alia transfundunt aquam) do-„ nec aliquis ſit qui totius generis ſceleratiſſimus omnia bona ſolus „ devoret.

Lib. 1. ad Eccleſ.

Pſ. 32. v. 7.

Plut. de cupid. divit.

§. 24. Sic non tantùm ſibi tàm cupidè, tam ſollicitè quæſitas magno cum animi dolore videt perire divitias, ſed etiam liberis; præſertim ſi celeriter rem fecerit, ac levi brachio lucrum injuſtum corraſerit, quod enim *malè partum, malè diſperit*: certiſſimam tradunt pragmatici illam juris eſſe regulam, unumquodque ut colligatum eſt, ità diſſolvi.

Plautus Pænulus.

Abſumet hæres cæcuba dignior;
Servata centum clavibus: & mero
Tinget pavimentum ſuperbum
Pontificum potiore cænis;

Horat. lib. 2. carm. Ode 14

Pecuniæ avidus ut evomat, tenaci patri filius ſuccedet prodigus, auri ſuccinum, quod etiam ſuis auferet ut ſcortis dare poſſit. Quàm malè dives moriens rebus ſuis quandoque conſulit, felicior ſanè ſi tam fœcundus non eſſet. Omni tamen modo, quoad vivunt, liberis proſpicere ſatagunt parentes, opibus, quas accumularunt, vix audent uti, fame & ærumnis miſerè tabeſcunt ut illis opes intactas conſervent. Recentia ſunt etiamnùm Catholicorum in Anglia

exempla, qui fortes ſteterunt in tormentis, à fide tamen defecerunt, ne bonis & nobilitate ſpoliati cogerentur filios pauperes atque ignobiles relinquere: durum pleriſque videbatur à filiis ac nepotibus jugiter audire, tui cauſâ ſumus miſeri, egeni, exules, ignobiles, perdidiſti & extinxiſti decus familiæ noſtræ, per te periit totius proſapiæ noſtræ nobilitas. Quàm immemores erant prædeceſſorum ſuorum, ut eorum intuentes exitum converſationis, imitarentur fidem. Magnanimus illorum Archipræſul S. Thomas Cantuarienſis conſtantiſſimus Eccleſiaſticæ immunitatis propugnator eò deveniſſe ſe dolens, ubi Deo placere non poſſet & Regi, ne illi daret, quod Deo adimeret, ingratus videri maluit quàm eſſe, libenter bonorum omnium atque amicorum, imò vitæ jacturam pro Dei cauſa ſuſtinens. Joannes Fiſſcherus Epiſcopus Roffenſis doctrinâ & vitæ ſanctitate conſpicuus pluris æſtimans veritatem quàm Principum gratiam, elegit potius capite carere quàm Henricum Octavum Eccleſiæ Anglicanæ caput agnoſcere, pretioſam mortem vitæ meritis comparans. Deo ſe natum credidit non mundo magnus ille Cancellarius Angliæ Thomas Morus vitæ lenimenta poſtponens egregio pro Chriſti Eccleſia martyrio; nihil appetens quod à Deo non acciperet, nihil habens quod Dei causâ non daret: uxorem & filiam unicam in ſumma paupertate reliquit, ut illas hæredes cæli poſſet efficere. Per quadraginta annos Regni negotia integerrimè adminiſtraverat, exindè ſerio cogitaverat quòd paucos & numerabiles ipſi Deus ad vivendum dies tribuiſſet; noluit igitur pro hujus mundi perituris divitiis atque oblectationibus maximum & eminentiſſimum Dei donum amittere. In magno mentis culmine erat Cardinalis Reginaldus Polus Regii ſanguinis juvenis, cùm propter eamdem cauſam, quam conſtantiâ & doctrinâ ſuâ meliorem effecerat, opibus, amicis, patriâ privaretur nobilis exul ubique patriam inveniens; qui pro veritatis patrocinio inconcuſsè perſeveravit, donec eum probata fides, virtus & prudentia ad diù præmeritam dignitatem poſtliminiò eveheret. Utinam ſępiùs mente pertractaſſent quàm fuerint in fide & propoſito conſtantes, rerum periturarum contemptores; quàm pulcher ac glorioſus fuerit eorum exitus imò triumphus, qui ità vixerant ut ſtrenuè mori mererentur, qui hominum effugêre ex oculis non ex animis. Immortalitatem ſibi pepererunt veritatis amatores ut annos veritatis adęquarent: eorum fortaſsè imitati fuiſſent fidem, conſtantiam, perſeverantiam, animi fortitudinem, & ęquè ac illi quidvis pro fidei & veritatis confeſſione perpeti voluiſſent. *Digna eſt his omnibus & majoribus præliis vita æterna.*

Florim. Remond. part. 2. lib. 2. cap. 3.

Th. à Kemp. lib. 3. cap. 47.

§. 25. Videamus nunc quàm benè ſint divitiæ liberis impenſæ, quàm

quàm proficuè apud ipſos collocatæ, quales parentibus pro tot beneficiis, pro tanto amore, curâ & ſollicitudine gratitudinis vices rependant. Fateor plerumque ſumptuoſo & magnifico funerum apparatu ipſis parentant, ſed *omnia iſta curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum magis ſunt vivorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum*: Imò magis adhibentur ad ipſorum oſtentationem & vanam gloriam, quàm ut aliquid parentibus conducant; qui ſi fortè in purgatorii ſint flammis conſtituti, nihil ex pompis iſtis remedii, nihil leniminis capere valent. Benè dicebat Ulyſſi de Aſtianacte ſuo Andromache:

S. Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 12.

Sen. in Troade.

Parvas habet ſpes Troia ſi tales habet:

Melius animæ poſſunt hęredibus ſuis objicere, nulla redemptionis nobis, ô liberi! ſpes affulget, ſi tantùm in his vanitatibus ſita ſit. Quid prodeſt defunctis quòd inſignia eorum per multos annos in illuſtriore domûs parte aſſerventur? nihil indè juvantur animæ, univerſæ illius magnificentiæ & ſplendoris gratia in vivos ſolummodò redundat. *Sic juvenes Hebræorum nobiles ſolebant ramenta auri capillis inſpergere ut ad radios ſolis caput micare & corruſcare videretur*, ut apparerent auricomi, ſoliſque inſtar radiare, mutuatum porrò ſplendorem non referrent ad ſolem undè illum deſumpſerant, ſed proprium efficerent: ità quoque liberi in funeralibus parentum nobilitate & gloriâ tamquam ſpoliis quibuſdam atque exuviis utuntur ad proprium extruendum condecorandumque triumphum. „Si „ aliquid prodeſt, inquit Sanctus Auguſtinus, impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis, aut nulla. Pręclaras exequias in conſpectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, ſed multò clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium „ prębuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt. Pia & ſalutaris parentes in purgatorio conſtitutos juvandi apud illos vigebit memoria, ſi debita, quæ contraxerunt, ſolvant creditoribus, ſi reſtitutioni obnoxios liberent, ſi legata ad pias cauſas, & ultimas illorum voluntates pro animæ refrigerio religioſè adimpleant, ſi per ſacrificia, preces & eleemoſynas illis ſuccurrere non deſiſtant.

Joſeph. lib. 8. Antiquit. c. 7.

Lib. 1. de civ. Dei cap. 12.

§. 26. Jure noviſſimo ſancitum eſt, quòd filius teneatur patrem è carcere liberare, cùm in eo detinetur propter debita quibus ſolvendo non eſt: quid pietas non exiget à filiis, quæ tale & tantum illis erga parentes conſtituit debitum, ut exhauriri non poſſit juxta Ariſtotelem reddendo illis æquivalens in eodem ſcilicet ordine & obſequiis ordinariis? quid gratitudo, quæ & beneficiorum ęſtimarionem,

Authent. ut cum de appell. cogno. §. Si unum de prædictis & gloſ. in capit. quinta vallis extra de jurejurando.

nem, gratiarum actionem, gratam commemorationem & beneficii relationem tamquam officia continet? multò ergò magis tenebitur filius parentes è teterrimo & duriſſimo purgatorii carcere liberare cùm in eo detinentur ob peccatorum debita. Sed proh dolor! ſufficit multis opima bonorum ſpolia & trophæa parentibus abſtuliſſe, iiſque familiam inſtruxiſſe, dum charorum, qui horribilibus dilaniantur tormentis, obliviſcuntur, ſimiles illis, *qui bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* Subſtantiam defunctorum devorant, in deliciis inſumunt, & non compatiuntur ſuper eorum contritione. Quid ſi hinc mater voracibus flammis circumdata, illinc pater in doloribus æſtuans, clament; miſeremini noſtri ſaltem vos ô filii! pauperes eheu! facti ſumus nimis & multis debitis obſtricti, ſed vincti ſumus, ideò nos ipſos adjuvare non poſſumus (*Mortui non habent ultra mercedem*, juxta Interpretes non habent ultra facultatem merendi) tota ſpes noſtra in vos recumbit, miſeremini noſtri ſaltem vos quos tam teneré in vita dileximus, tantâ ſollicitudine educavimus, viſceribus quodammodò noſtris & ſanguine nutrivimus: pro vobis tot triſtes & inſomnes noctes duximus, eviſceravimus nos ipſos ut vobis ſubſtantiam noſtram communicaremus, totâ vitâ laborando defecimus, ut vos divitiis, nobilitate, & copioſâ abundaretis familiâ; miſeremini noſtri ſaltem vos: perpendite veriſſimè dictum à Sapiente, *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus*, lumen mundi ipſi exſtinctum eſt, & *venit nox in qua nemo poteſt operari.* Vos in ſtatu eſtis merendi, vobis patent divitiæ bonitatis divinæ, vos largiſſimè pro nobis poteſtis ſatisfacere, ſic tenentur debitores opulenti miſeris creditoribus ſubvenire; ex multiplici capite debitores noſtri eſtis, ſit in amore reciprocatio, beneficium beneficio compenſetur, affectus affectui reſpondeat. *In referenda gratia* (dixit Ethnicus quidam ex ſententia Ethnici) *imitari debemus agros fertiles, qui plus multò adferunt, quàm acceperunt.* Quoties nobis non promiſiſtis, numquam ingratos vos, numquam immemores beneficiorum futuros, imo urgente neceſſitate vitam pro nobis antè profuſuros, quàm parentum & talium parentum obliviſceremini? nunc tempus eſt: manus Domini tetigit nos. Dixit Joſeph in carcere pincernæ Regis Pharaonis: *Memento mei dum benè tibi fuerit, & fac mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere*: mementote ſimiliter noſtri, jam benè vobis eſt, & facite nobiſcum miſericordiam, ut ſuggeratis Deo, ut educat nos de iſto carcere. Ad hoc jejunia, orationes, & eleemoſynas S. Eccleſia inſtituit, quibus ſuffragiis miſeriæ noſtræ ſublevari queunt. Etiamſi

Amos 6. v. 7.

Eccleſ. 9.

Eccleſ. 22.

Joan. 9.

Cic. lib. 1. de officiis.

Geneſ. 4.

quemquam

quemquam ex his mater in hunc modum vehementiùs adhuc interpellet: recordare fili laborum, quos pro te libenter ſuſtinui, novem menſibus te in utero tàm cautè quàm diligenter portavi, puriſſimo ſanguine meo pavi, tot anxietates & moleſtias ſubivi antequàm ad iſtum ſtatum te perducerem, ſæpiùs mihi & vitæ meæ ſubtraxi, quod in te liberaliter effudi; graviſſimis afficior pœnis, matris miſerere, veni, feſtina, celeriter opem fer, oſtende te filium; crucior enim nimis in hac flamma. Et pater ab alia parte junctis manibus & flexis genibus inſtanter clamet: Fili mi! quem pupillâ oculi chariorem habui, miſerere, agnoſce patrem; quarè faciem tuam abſcondis & arbitraris me inimicum tuum? intuere me diligenter, pater tuus ſum, & infelix pater qui miſerabiliter torqueor in hoc loco pœnarum. Deindè mater reſumeret: Fili! mater tua ſum, agnoſcis me? non moveris, non flecteris ferreum pectus? O crudeles liberi! quarè carnibus meis ſaturamini? itàne vobis refectio & voluptas eſt mei corporis cruciatus? eſtote his meis malis contenti & ſaturi, neque alios dolores ſuperaddatis, nec in me vexando per immiſericordiam veſtram vos inexplebiles exhibeatis, vultiſnè ut à me uſque ad noviſſimum quadrantem carnifices extorqueant? audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Nequidquam tamen tot & tàm flebilibus vocibus miſerationis gratia poſtulatur. Etiamſi plures à parentibus lamentationes audiant, quàm fecit Jeremias ſuper Jeruſalem, illorum tamen *Iſa. 1. v. 2.*

Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

Si conjugatus quis ſit undè poterit eleemoſynis parentes liberare? uxor illi imponet ſumptuum neceſſitatem, ut gemmâ bibat, in oſtro dormiat, in argenteâ ſpondâ recumbat, auro oneret manus, cervicem monilibus. Liberi deindè, ſi quos procreavit illum abducent à pio opere, illorum educatio pro conditione ſua ſumptus exiget, ipſe denique deliciis & luxu diffluens, quia ab omni miſeria remotus commiſerationis affectum exuet. O generatio perverſa & infideles filii, utinam ſaperent & intelligerent ac noviſſima providerent! quantò melius fuerat his parentibus bonos ac pios quàm divites generaſſe, ut fideles habuiſſent interceſſores ac patronos apud Deum, in amore conſtantes, in opere efficaces. Bona relicta filiis illis in mala ſunt commutata aut ſupplicii inſtrumenta. Melior plerumque in his eſt pauperum conditio, qui malorum non ignari parentum condolere miſeriis conſueverunt.

§. 27. Perverſa tamen viſûs deceptio adeò mentes divitum & poten-

potentium hodiè invaſit, ut apud eos nihili fiat, niſi qui dives vel ſaltem dives ſecundùm exteriorem ſpeciem æſtimatur. In ſcientiâ ſiquidem perſpectivâ probatur, quòd res viſa major quàm revera ſit, appareat oculo exiſtenti in medio rariori: Minor quàm à parte rei ſit oculo poſito in medio denſiori; undè elicitur neceſſe eſſe oculo exiſtenti in aëre rem viſam in aquâ collocatam majorem apparere, minorem verò oculo in aquâ defixo, & re visâ in aëre poſitâ. Ita & pauper in humili & arido paupertatis exiſtens, dum videt aliquem mundanis opibus affluere ipſum judicat eſſe magnum. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt* : econtrà qui divitiis tranſitoriis hæret immerſus videns pauperem longè ab his remotum, eum modicum & parvum judicat. Sed in utroque fallitur judicio viſus. „ Benè Seneca, nemo ex iſtis quos purpuratos vides, felix eſt, non magis quàm „ ex illis quibus ſceptrum & chlamydem in ſcenâ fabulæ aſſignant, „ cum pręſente populo elati inceſſerunt & cothurnati, ſimul exierunt „ excalceantur, & ad ſtatuam ſuam redeunt. Nemo iſtorum, quos „ divitiæ honoresque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt, quarè „ ergo magnus videtur? cum baſi illum ſuâ metiris. Non eſt magnus „ pumilio licet in monte conſtiterit: coloſſus magnitudinem ſuam „ ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo. Licet veri pauperes magni ſint coram Domino, in oculis tamen divitum minimi reputantur; ut pauperes jure dicere poſſint idem, quod exploratores miſſi à Moyſe dixerunt. *Filios Enachim vidimus ibi, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Aliter judicat D. Bernardus ad Eugenium Papam ità ſcribens, *numquid quia ſummus Pontifex, ideo ſummus?* Quidam Philoſophus, uti refert Stobæus ab ingreſſu curiæ Regis cujuſdam repulſus, conſiderans tandem illud Ovidianum,

Pſ. 143. *Epiſt. 76.* *Num. 13.* *Lib. 2. de conſid. cap. 7.*

1. Faſt. *Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,*

Pretioſis veſtibus ornatus admiſſus eſt. Ingreſſus coram Rege cœpit illicò veſtes ſuas venerabiliter oſculari: Rex admirans cur hoc faceret, inquiſivit? Reſpondit, ego me honorantem honoro: quia quod virtus non potuit, veſtis obtinuit. O, inquit, vanitas vanitatum, plus defertur veſtibus quàm virtutibus, plus venuſtati, quàm honeſtati! Nihilò nimis idem in admiratione olim & veneratione habitum eſt, & quiſque ex cenſu ac divitiis ſuis metiebatur, quæ conſuetudo noſtris temporibus plurimùm invaluit: ideo Juvenalis,

——— Purpura vendit
Cauſidicum vendunt Amethyſtina, convenit illis
Et ſtrepitu & facie majoris vivere cenſûs.

Reſpicit

Reſpicit hoc primùm qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, poſt te an ſit ſella, togati
Ante pedes; ideò conductâ Paulus agebat
Sardonyche, atque ideò pluris quàm Coſſus agebat
Quàm Baſilus. Rara in tenui facundia panno.

Controverſum quoque eſt inter Romanos utrùm Chriſtus in Deorum numerum eſſet referendus cum tantus eſſet thaumaturgus? Definitum tandem eſt negativè, quia non haberet cultores, cùm paupertatem prædicaret, quam omnes recuſant, quam quiſque contemnit. *Raymund. Jord. aliàs idiota de oculo myſtico, cap. 6.* Firmius & ſanius format Seneca judicium, quo vanas hominum opiniones condemnat, undè dicit: „ Quæ conditio rerum eadem & hominum eſt. Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta „ eſt, nec cui argenteum aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela *Epiſt. 76.* „ ebore cælata eſt, nec quæ fiſci ac opibus Regiis preſſa eſt; ſed ſtabilis „ & firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui „ vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, „ & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit quæritur. Inſpiciendum ſedulò, ut hominem ab illo bono commendemus, quod ipſi verè proprium eſt, non quod extraneum; id verò qui habet etiamſi aliis deſtituitur, laudandus eſt. Qui non habet in omnium aliorum copia damnatur ac rejicitur. „ Si quis, ait Seneca, omnia alia habeat, valetudinem, divi„tias, imagines multas, frequens atrium, ſed malus ex confeſſo ſit: *Ibidem.* „ improbabis illum. Item ſi quis nihil horum illorum quæ retuli, ha„beat, deficiatur pecuniâ, clientum turbâ, nobilitate & avorum pro„avorumque ſerie, ſed ex confeſſo bonus ſit: probabis illum. Hæc quidem ita ſe habent apud integerrimæ fidei judices, apud veritatis amatores qui ſinceram & ſanam de re quâlibet edicunt ſententiam.

§. 28. Invenies inter ſervos aliquem pecuniâ fortiorem: invenies dominum ſpe lucri oſcula alienorum ſervorum manibus infigentem. Non ergò fortunâ homines æſtimandi, ſed moribus. Quemadmodùm ſtultus eſt qui empturus equum non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte aut ex conditione, quæ modò veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat. „ Quid enim, interrogat D. Ambroſius, „ ſuperbis dives? quid dicis pauperi noli me tangere? nonnè ſic ute„ro conceptus, & natus es ex utero, quemadmodùm & pauper eſt *Lib. de Nabuthe, cap. 13.* „ natus? quid te jactas de nobilitatis proſapia? ſoletis & canum ve-

„ ſtrorum

„ ſtrorum origines ſicut divitum recenſere, ſoletis & equorum ve-
„ ſtrorum nobilitatem ſicut conſulum prædicare. Ille ex illo patre
„ generatus eſt, & illâ matre editus: ille avo ſuo gaudet, illis ſe
„ proavis attollit; ſed nihil illud currentem juvat. Non datur nobi-
„ litati palma, ſed curſui. Divitiæ ac nobilitas per ſe nullatenùs ſunt honorandæ, quia per ſe non ſunt fundamentum honorabilitatis, non enim efficiunt ſapientiorem, magis virtuoſum, digniorem & excellentiorem cæteris: conſiſtit verò excellentia, quam juſtus honor reſpicit, potiſſimùm in ſapientia & virtute ſeu ſanctitate & functionibus vel actionibus ab his procedentibus: hæc porrò propria hominis bona ſunt quæ laudem merentur. Cæterùm reliqua quæ vulgò in æſtimatione habentur, & ex quibus famæ gloria quæritur, non aliter verè laudabilia cenſentur niſi conſiderata ſecundùm habitudinem aliquam ad ſapientiam aut virtutem. Multò minus gloria Chriſti & Chriſtianiſmi ſita eſt in luxu veſtium aurearum & purpurearum, in ſplendore aulicorum ac famulorum, in pompa equorum & curruum (quamvis rectiſſimè, quod etiam D. Thomas innuit, dignitati & officio honor deferatur) ſolam tamen ſcholaſtici damnant perſonarum acceptionem, quandò non reſpectivè ſed ſimpliciter contemptis pauperibus ob divitias tantummodò & faſtum quis honoratur. Undè prudenter monet D. Bernardus Eugenium Pontificem, *Non ſit*, inquit, *in te acceptio perſonarum: non parvi te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum, non potiùs cauſas judicas meritorum.*

D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 3.

Lib. 2. de conſid. cap. 14.

§. 29. Totus eſt Seneca in epiſtolis ſuis ut Lucilio inculcet (quod creberrimè facit) unum bonum eſſe in homine, quod unum hominis bonum eſt, nempè rationem rectam & conſummatam; quæ & ab ipſo virtus ac honeſtum vocatur: cætera illi cum animantibus ſatiſque communia. „ Valet? inquit, & leones. Formoſus
„ eſt? & pavones. Velox eſt? & equi. Non dico, in his omnibus
„ vincitur. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum
„ voluntarium? & beſtiæ & vermes. Habet vocem? ſed quantò cla-
„ riorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobi-
„ lioremque luſciniæ. Nullo pacto induci potuerunt priſci Philoſophi ut aliquem præterquam de ſuo laudarent. Diogenes divitem indoctum, ſed ſplendidè veſtitum χρυσόμηλον quod eſt ovem auream, vel juxta alios χρυσόμαλλον id eſt aureum vellus appellabat. Planè ſimiliter Demonax cuidam purpurâ veſtito inſoleſcenti in aurem dixit, *Heus tu, hoc antè geſtabat ovis, & ovis erat*, verſutè ſtupiditatem illius notans, neque purpuram ei ingenium addidiſſe. Acidè perſtringit Ataxerxes Teribazum veſtibus ſuperbientem *tibi*, ait, *ut mulieri aurum*,

Epiſt. 76.

ut

ut inſano regium amictum, geſtandi jus concedo. Quid quæſo aliud ſunt veſtes quàm vermium penſa, aut arborum vellera, ut apud Seres Scytiæ Aſiaticæ populos? quid lanæ pretioſæ niſi ovium vellera? quid uniones, niſi concharum excrementa? Vulgare & notum eſt quòd bombyx primùm ſit vermis, deindè aſpera ex eo naſcatur eruca, poſt quam in tertia metamorphoſi innovetur papilio, quem nonnulli græcè appellant νεκύδαλον, ex quo longum ſtamen naſcitur, quemadmodùm ex aranea tela araneæ. Simplex veritas atque innocentia in ſe ſui pretium continent, ornatum extrinſecum reſpuunt. Undè veſtis in pœnam data eſt & tegumen peccati. Innocens Adamus creatus eſt nudus, & in prima ſua beataque ſorte nudus permanſit, donec peccatum illi erubeſcentiam injecit: hinc contexit ſe veſtibus conſutis ex foliis ficus. Sic divites ob ſplendidas veſtes erubeſcere deberent, cùm non ſint aliud niſi ſtigma peccati, velamen concupiſcentiæ, tegmen pudoris; ſicut Rex conjectus in carcerem licet aureis vinctus compedibus non honoraretur, ſed vilipenderetur: non deſinunt enim compedes, licet ſint aureæ, eſſe compedes, & illi in memoriam reducere priſtinum Regni decus, atque obtrudere præſentis calamitatis dedecus.

§. 30. Jure approbat Clemens Alexandrinus à Ceo Sophiſta virtutis & improbitatis aptè deſcriptas imagines: quarum hanc inducit ſuperfluâ quidem & variâ veſte indutam, alieno colore ac meretricio cultu exultantem (non ſecùs ac pictor ille qui cùm Helenam elegantem pingere non poſſet, pinxit eam veſte aurea gemmeaque ſpectabilem) illam verò ſolâ verecundiâ ornatam. Certè purpura & vaſa argentea (ut dicit comicus apud eumdem.) *Lib. 2. pedag. cap. 10.*

Multum tragœdis conferunt, vitæ nihil.

Vita autèm noſtra quidvis potius quàm pompa eſt exiſtimanda. Primæ veſtes quibus Deus contexit primum hominem ſimplices fuerunt ac nativæ ad neceſſitatem non ad ornamentum datæ, ad maxima ſcilicet frigora & vehementes æſtus propulſandos, ne nos læderet ambientis aëris immoderatio: hic uſus earum & ſcopus. Benè Clemens Alexandrinus: *Vetus, ait, homo, qui erat in paradiſo ramis & foliis tegumentum dimetiebatur pudoris: nunc autem cùm nobis oves ſint, ne ſimiliter ac oves ſimus inſipientes.* Laudat exindè & admiratur veterem Lacedæmoniorum civitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes & aurum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quòd ſolis meretricibus ſe ornare concederet. Judicat econtrà maximè ineptum ac indecorum, pepla, xyſtides, ephaptides, lenaſque ac tunicas ſtupere atque admirari: quæ *Ibidem.*

ut ait Homerus, velant circumquaque pudorem. Hinc merito exclamat: *Pudet me, ut verè dicam, cùm videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda.* Ad id quod verè pulchrum eſt atque ornatum contendebat Alexander Severus Imperator, cùm humili veſtitu incedens ob id reprehenderetur ab aulicis (penes quos eſt vana ſemper honeſti opinio, inanis gloriæ ambitio, error & adulatio) quibus reſpondit. *Imperatoria Majeſtas conſtat virtute non corporis cultu.* Non diſpar huic in dictis & factis Alphonſus Arragonum Rex: *Malo*, inquit, *moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.*

Ibidem.

Panormit. lib. 1. de geſt. Alphonſi.

Max. Tyr. ſerm. 15.

§. 31. Nemo pavones, quòd ex cunctis avibus, intuentium oculos maximè oblectent, cùm tamen ea pulchritudo parùm eis commoda ſit ad volatum in quo conſiſtit ävium robur, putat ob pulchritudinem beatos: Quin imò laudant tantùm,

Sic pueri Junonis avem ——

Quam rectè comparationem inſtituit D. Chryſoſtomus qui res ex ſpecifico & vero effectu dijudicat. „ Quid, inquit, ape utilius eſt? quid „ pavone pulchrius, quid formicâ ſapientius? & apis quidem dulcedi- „ nem in ſe habet & aculeum: pavo verò ſolummodò in pennis eſt, „ non in fructu decorus; formica verò contemptibilis hominibus, „ ſed magiſtra virtutum eſt. Si perdit aliquis pecunias, vitam ducit omni morte pejorem, dolet, lachrymatur, ſedet tremens & metuens, nec cogitat ſe à vinculis peſſimis & maximâ ſervitute liberatum. Quomodo divitiæ ſunt proprium hominis bonum cùm ab illo poſſint auferri, & ablatæ tantos generent cruciatus? ſeparabile utique fluxumque ac mobile eſt, quidquid externum eſt. Opes aliis donari, honores in alios transferri, nobilitas ad hæredes tranſmitti poteſt. Deriſit pavonem corvus pennis aureis undique ſpoliatum, pompoſum quondam & divitem apud Cyrillum in apologo aureis gnomis velut gemmis interſtincto. „ Ubi eſt, inquiebat, „ miris picta luminibus deſiderabilis tua penna? quònam abiit ala- „ rum ſplendentium gloria? quòve plumarum gemmantium fugit „ mirabilis ornatura? ad quæ cum pavo reſpondiſſet ſe ſpem illas recuperandi non perdidiſſe, adfuturam naturæ beneficio artem reparatricem verè liberalem; illum verò ſemper miſerum eſſe; cui corvus: „ in adverſis ut video calamitas tua calamitatibus non eruditur. Jam „ decaudatus es, & undè acciderit non vidiſti, depauperatus es, & „ undè damnum evenerit non ſenſiſti. Revera prædilecta penna tua „ odibilem te reddidit, & placida cauda te dehoneſtavit, atque adeò „ tua opulentia quid niſi paupertas fuit? etenim quia hanc habuiſti, „ perdidiſti, & iterum concupiſcis undè cum doloribus exſpolieris „ infe-

Homil. 1. in Pſalm. 50.

„ infelix : Hunc tandem ſub iſto cortice ſuavem ſanæ doctrinæ nucleum reperit, hoc epimythium velut totius apologi colligit; melius eſſe, non habuiſſe, quàm re deſiderata privari. „ Dignas, ſubdit, „ certè gratias lætus ago naturæ, quòd pennam mihi pauperem dederit, ac tali natura puto me eſſe divitem, nam hoc modo meus ſum, & nemini in prædam dilectus. Nigra penna illuſtrat me & pluma paupercula me ditat, ac ſpreta caudula tutatur. Verum te divitiæ tuæ pauperem faciunt; glorietates inhoneſtum, felicitates miſerum, & excreſcentiæ minoratum. Maledictæ igitur ſunt tales divitiæ, quæ ſuum depauperant, decaudant & vituperant poſſeſſorem. *Lib. 3. Apolog. Moral. cap. 16.*

§. 32. Sic Craſſus Romanorum opulentiſſimus cùm ad ſummam deveniſſet inopiam amarâ ſugillatione non caruit; cum egens ambularet dives ab occurrentibus ſalutabatur. Honeſta vice versâ res eſt læta paupertas, cui enim cum paupertate benè convenit, dives eſt. Nonnè propterea Adamum beatum dicimus, quoniam nullâ re indigeret, non victu, non veſtitu? quantò plura amplecteris, tantò magis derogas tuæ libertati. Vera namque libertas eſt nullâ re indigere qualis eſt in Deo, in ſecundo loco minimis, quam Angeli habent. Sancta mediocritas amplius prodeſt bonis quàm divitiæ malis ſacro atteſtante Prophetâ, *melius*, inquit, *eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas.* Hæc talem fiduciam ingerebat animo Tobiæ ſenioris (ut inter ſalutifera monita quibus rectè filium ſuum erudiebat) ſummâ cum mentis tranquillitate, & conſtantiâ illud protulerit. *Noli timere fili, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Nulla adverſitas invictum beati Jobi pectus conquaſſare valuit; ſed Deum in ærumnis honorans clamabat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Solidè, ut ſemper S. Gregorius loquitur, *ille pauper eſt, qui eget eo quod non habet: Nam qui non habens habere non appetit, dives eſt. Paupertas quippè inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſsionis: Nam cui cum paupertate benè convenit non eſt pauper.* Habet ubi ſe, etiam in privato lare explicet magnus animus, qui commonet hominem ne expectet, donec res ipſum dimittant, ſed ut ab ipſis ſe ipſum disjungat. Officia civis ſi amiſerit, hominis exerceat, nullum fortunæ in ſe jus tribuat. Adeò lætam & alacrem ducebat vitam S. Anianus poſtquam apud Alexandriam Ægypti naufragio bonorum jacturam feciſſet, & in loco ejuſdem, urbis Medion vocato calceorum veteramentarium ageret, quàm cum opibus & nobilitate præ multis floreret: qui à S. Marco, cùm in Eccleſia Alexandrina Clericos communiter viventes (qui poſtea dicti ſunt Canonici Regulares) conſtituiſſet, meruit inter illos

Pſ. 36. v. 16.

Tobiæ 4. v. 23.

Job. 1. v. 21.

Homil. 18. in Ezech.

 coopta-

cooptari, ſacerdotio ab eodem inſigniri, eique ſuccedere, ut ſe & alios cæleſtibus divitiis ornaret.

Prov.12.v.21. §. 33. Quàm præclarè dictum à ſapiente, *Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit.* Ingenioſè Hugo Cardinalis expendit illud verbum *acciderit*: quaſi dictum foret nullum accidens juſto dolorem inferre poteſt. Quidquid ei acciderit proſperum vel adverſum, non commovebit illius animum, non interpellabit quietem, non dejiciet de ſuo ſtatu. Logicorum ſchola docet accidens eſſe *quod adeſt & abeſt, abſque ſubjecti corruptione.* Quòd homo nunc ſit vivido colore, dein pallido, modò albo, poſthæc atro, parùm refert; Nec enim facit quin ſit animal rationale, & omnia habeat quæ ad naturæ ſuæ integritatem ſpectant. Ità & pannus ſive hoc ſive alio tinctus ſit colore, idem ſemper eſt pannus. Sic ex mente Salomonis dum non excidat ex gratia & amicitia Dei juſtus, alia omnia pro accidentibus habet. Paupertatem, divitias, ſceptrum regni, ſervitutem & quaſcumque alias ſeu felicitates ſeu infelicitates in rebus minimis & derìdiculis ponit: parùm illum angunt, parùm ſollicitudinis adferunt, neque hęc contriſtant, neque illa exhilarant. Novit cum S. Leone quod *chriſtiana paupertas dives eſt, quia plus eſt quod* *Serm. 4. de quadrag.* *habet, quàm quod non habet: nec pavet in iſto mundo indigentiâ laborare, cui donatum in omnium rerum domino omnia poſſidere.* Non ignorat malum eſſe abſque gratia Dei quidquid bonum æſtimatur, & bonum eſſe quod malum cenſetur, ſi modò ſit cum amicitia Dei conjunctum. Temporalium jactura juſtum non perturbat, quia Deum & cælum auferre nequit. Generoſè & chriſtianè Alphonſus Arragoniæ & Siciliæ Rex, (dum fœdus cum Principibus Chriſtianis *Lud. Mart. ſcal. de mir. Hiſp. lib. 11.* inire contra Turcas vellet) *Si vincemus*, aiebat, *terram: Si vincemur, cælum habebimus.* Idem ſibi perſuadeat invictiſſimus Romanorum Imperator Leopoldus cum ręliquis Principibus Chriſtianis, quomodocumque ſors ceciderit in bello ſacro contra Turcas, illuſtrem victoriam eſſe ſperandam. Sic quoque non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit, ſi à malis vexetur, vel eos vincet, & terram habebit ac pacem; vel vincetur, & cælum habebit: ſimilis Echino terreſtri, qui in cubili ſuo duas feneſtras facit, unam verſùs Auſtrum, alteram verſùs Aquilonem; quaquaverſùm futurum præcognoſcit ventum, eâ parte feneſtram obturat, alteram recludit, ità contra omnem tempeſtatem & ventum ſe munit. Habet & hoc, ut contra canum morſus in globum ſe convolvat, & aculeis undique munitus canum latratus ac morſus eludat: ità duas in corde facit feneſtras vir probus, verſùs terram unam, alteram, verſùs cælum. Si à terra oppugnetur, aperit feneſtram quæ reſpicit cælum,

&

& indè pacem ac quietem ſuam deſumit. Rurſùm contra impiorum latratus ac morſus ad conſcientiam ſuam ſe recipit, & virtute ſuâ ac patientiâ ſeſe involvens, quâ munitus velut æneo aut ſpinoſo thorace omnes adverſarios contemnit.

§. 34. Apis argumentoſa eſt juſtus, qui omnia in mel meritorum vertit, & peccator venenatus araneus toxicum damnationis ſuæ ex omni re conficiens. Præſens proſperitas, inquit Hugo Cardinalis, & tribulatio adeſt & abeſt juſto præter ejus corruptionem & conturbationem. Juſti tota ſubſtantia eſt gratia Dei, reliqua pro accidentibus numerat, quæ abeunt & adveniunt, nihilque illi vel mœroris vel ineptæ lætitiæ ingerunt. „ Quid enim, dic mihi, ait „ S. Chryſoſtomus, Helia pauperius? ſed propterea omnes divites „ vincebat, quoniam pauper hic erat: ipſam verò paupertatem ex „ mentis opulentia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum „ copiam animi ſui magnitudine eſſe putavit inferiorem, nec philoſo„ phiâ ſuâ dignam, ideò tantam pauperiem amplexatus eſt. Quòd „ ſi magna præſentia putaſſet, non tantùm meloten poſſediſſet; „ ſed ità vitæ vanitatem condemnavit, & tamquam lutum proje„ ctum aurum omne deſpexit, ut præter amictum illum nihil amplius poſſideret. An ideò S. Aſella deſpectior, quam laudat S. Hieronymus, quia idem ſemper illi habitus, neglecta mundities, & in cultâ veſte cultus ipſe ſine cultu? numquid indè minùs beata quia pauper erat ſibi S. Paula? de qua D. Hieronymus ſcribit hoc habuiſſe voti, *ut mendicans ipſa moreretur, ut unum nummum filiæ non dimitteret, & in funere ſuo alienâ ſindone involveretur.* Voti compos facta eſt, ut idem affirmat. „ Teſtis eſt, inquit, Jeſus, ne unum quidem „ nummum ab ea filiæ derelictum, ſed, ut antè jam dixi, dereli„ ctum magnum æs alienum, & quod his difficilius eſt, fratrum & „ ſororum immenſam multitudinem, quos & ſuſtentare arduum, „ & abjicere impium eſt. Numquid idcircò contemnenda beata Lea quia pauper videbatur & tenuis, cujus vita putabatur amentia? congruè illius obitum cum Conſulis deſignati confert S. Hieronymus, & quantùm diſtet unus ab altero declarat. „ Nunc igitur, in„ quit, pro brevi labore æternâ beatitudine fruitur, excipitur An„ gelorum choris, Abrahæ ſinubus confovetur, & cum paupere „ quondam Lazaro, divitem purpuratum & non palmatum conſu„ lem, ſed atratum ſtillam digiti minoris cernit inquirere. O quanta rerum mutatio! quis ex hoc S. Ephrem infelicem judicat, quia ipſe de ſe teſtatur: „ Nec crumena, nec baculus, nec pera mihi um„ quam fuit, numquam aurum, aut argentum, aut ullam rem „ aliam poſſedi. „ Nam bonum Regem ad ſuos dicentem diſcipulos „ audi-

Tom. 4. Homil. 2. ad Antioch.

Epiſt. 15. ad Marcellam.

In ep. ad Euſtochium.

Ep. 24. ad Marcellam.

S. Ephrem in teſtam. ſuo.

„ audivi in Evangelio, nihil in terra poſſideritis; quam ob rem nulla „ me rerum ejuſmodi cepit cupiditas? non erubuit ſuam candidè omnibus manifeſtare paupertatem in teſtamento ſuo, quod corpore atque animo ſanus manu propriâ conſcripſit & conſignavit Franciſcus Petrarcha: in quo ſub comminatione divinæ indignationis ſtrictè prohibet ne ſumptuosâ condatur ſepulturâ, illudque Ennii in ſe vult impleri:

Nemo me lachrymis decoret, neque funera planctu.

Ità de corpore ſuo diſponit. „Corpus hoc terrenum ac mortale, „ nobilium gravem ſarcinam animorum: terræ undè ſibi origo eſt, „ volo reſtitui: & hoc abſque omni pompa, ſed cum ſumma humi„ litate, & abjectione quanta eſſe poteſt; de quo hæredem meum „ & amicos omnes rogo, obſecro & obteſtor: & adjuro per viſcera „ miſericordiæ Dei noſtri, & per charitatem ſi quam umquam ad me „ habuerunt, nec falſi ſpecie honoris hoc negligant: cùm ſic omni„ nò me deceat, ac ſic velim; ita ut ſi fortè (quod abſit) contrafe„ cerint, teneantur Deo & mihi de gravi utriuſque offensâ in die ju„ dicii reſpondere. Poſt pauca ſubdit. „ De loco autem non ma„ gnoperè curo: contentor poni ubicumque Deo placuerit & his qui „ curam hanc ſuſcipere dignabuntur. Quo in loco divitiæ apud ipſum fuerint, exponit dum taliter ſcribit. „ Nunc accedo ad diſpo„ ſitionem earum rerum, quæ vocantur bona bonorum cùm po„ tiùs ſint ſæpè impedimenta animi. Egregius profectò animi candor, rara & ſingularis modeſtia, atque demiſſio in Poëta laureato & Cive Romano! quibus prærogativis decoratus fuit ab Urſo Comite Anguillariæ & Jordano de filiis Urſi milite almæ Urbis Senatoribus quinto Idus Aprilis ipſo Paſchalis ſolemnitatis die Anno milleſimo tricenteſimo quadrageſimo primo. Quivis fortaſsè alius tot ingenii dotibus ac gloriæ præcellens inſignibus, omni curâ & ſollicitudine (ut nunc ſunt tempora) de ſuperba funeris pompa, de magnifica ſepulchri ſtructura imò de Mauſoleo aliquo diſpoſuiſſet.

In teſtam. ſuo quod habetur in calce operum.

Ita ſonat tenor privileg. adjectus in fine operum.

§. 35. Sed horum omnium intelligunt & rident vanitatem veri ſapientes non in ſimilibus, *non in auratis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis eſt meritum. Laus iſta non hominum, ſed metallorum eſt, in quibus homines puniuntur.* D. Ambroſio aſſentiunt, qui integrâ epiſtolâ hoc demonſtrat paradoxum, quòd ſolus ſapiens, licet pauper ſit, dives. Virtutem enim ac doctrinam affixam adeò & infixam homini ſciunt, ut ab eo nullo modo avelli, aut ſeparari poſſit. Applaudit Seneca: *Indepravata, inquit, virtus eſt, & ſola permanet tenoris ſui; unum eſt bonum virtus: cui jam accidere ne ſit bonum, non poteſt.*

D. Ambr. lib. de Nabuthe, cap. 13.

Lib. 4. epiſt. Ep. 24. ad Simplic.

Ep. 76.

poteſt. Mutationis periculum effugit ſapientia. Statuendum igitur cum ſapientibus omne id quod aut datum nobis, aut in nos tranſlatum, aut ad nos tranſmiſſum eſt, proprium nobis, ac verum bonum non eſſe. Contentum rebus ſuis vivere placuit Ciceroni, certiſſimas eſſe divitias. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores prata ac areas quaſdam magni faciunt, quòd ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poſſit, quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporis permutatione mutatur? quâ præditi qui ſunt, ſoli ſunt divites; ſoli enim poſſident res & fructuoſas & ſempiternas. Corroborat thema noſtrum Apuleius. *Laudas*, inquit, *aliquem quia generoſus eſt, parentem ejus laudas: ſi verò quia dives, fortunæ hoc debetur: ſi eum laudas quia bonis moribus ſit, tunc ipſum virum laudas, non aliena.* Eleganti docet id Apologo Cyrillus dialogum inſtituens inter Burdonem & mulum, quorum prior alterum ſpernebat jactans ſe meliori patre genitum: (Burdo enim animal eſt ex equo & aſinâ natum) cum acumine rationis reſpondit illi mulus. „ Quidnam, inquirebat, tibi „ amplius eſt cùm ſis Burdo? bonum aut malum generationis ex „ aſſimilatis genitoribus exiſtit; ubi ergò hæc conformitas tollitur, „ nihil undè ſis, differre videtur. Nam de dracone, draconites pretioſiſſima gemma oritur, & de gallo ſerpentum nequiſſimus baſiliſ„ cus generatur: medicinalis roſa de ſpinâ producitur, & aurum de „ ſulphure gignitur, & de flammâ perlucidâ teter fumus ſuſcitatur. „ Sed quoniam ex patre extolleris, is te quaſi alterum aſinum con„ funditur genuiſſe. Igitur cùm vera nobilitas tàm in corporeis, quàm „ in ſpiritualibus non ſit aliud quàm virtus poſſeſſa, mihi pluris eſt „ equinâ fortitudine, quàm tibi tantùm generatione gaudere. Cæ„ terùm dum ex nobilitate carnis erigeris, mox dignitatem tam glo„ rificatam animæ ventoſâ vitioſitate perdis; & ſic ex pretioſitate vi„ lis, ex luce nubiloſus efficeris, ac de bonâ reus nobilitate vileſcis: „ accíditque tibi ſicut albedini, quæ argento denigratur, & flammæ „ luciditate fœdatur.

Lib. 2. Apol. Moral. cap. 19.

§. 36. Opprobrium eſt defuncto & hæredi degeneratio,

Dedecorant benè nata culpæ. Horat.

Adhibet idcircò hanc cautelam D. Ambroſius, inquiens. *Cave igitur dives, ne in te erubeſcant tuorum merita majorum, ne forte & illis dicatur: cur talem inſtituiſtis, cur talem elegiſtis hæredem?* feliciùs & rectiùs à Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, quàm à patre Leovigildo Viſigothorum Rege educatus S. Hermenegildus obedientiam parentibus quandòque negandam cælo arridente oſtendit, & longè melius eſſe contriſtare

Lib. de Nabuthe, cap. 13.

contriſtare parentes, quàm contriſtare Dominum Jeſum. Ob fidem itaque Orthodoxam ab ariano patre perfido ac barbaro in vincula conjectus, purpuram cilicio commutans, & carcerem in templum transferens magnanimus Rex, atque ideò veraciter Rex quia & martyr, *cœpit*, ut ſcribit S. Gregorius, *tantò ſublimiùs gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quantò & religatus agnoverat nihil fuiſſe, quod potuerit auferri.* Dum cæleſtibus, quà homini fas eſt, immiſceretur, dum animum ad divinarum rerum conſpectum tendentem in ſublimi ſemper haberet, quantum illius referebat quid calcaret? humilis & teter ille carcer, in quo detinebatur, cum ipſo virtutes omnes recipiebat: quid nì palatiis fòrmoſior atque illuſtrior cùm illic juſtitia conſpecta ſit, cùm continentia, cùm vera fides, cùm prudentia, pietas? *Nullus anguſtus eſt locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit: nullum exilium grave eſt, in quo licet cum hoc ire comitatu.* Illud ſolum auferebatur, quod in ſe conſtiterat deſpexiſſe, terrenum regnum & vita corporis. „ Quid enim prodeſt quemlibet hodiè auro, gemmis & purpurâ contegi, ſi cras contingat eum nudum & reum ad inferni ſupplicia pertrahi? quid juvat, ſi quis hodiè terram faciat ſub pedibus ſuis tremere, & cras mendicus & pauper de hoc mundo compellatur exire? Sanius igitur D. Proſper Canonicorum Regularium poſt S. P. Auguſtinum decus & ſplendor nobis ſuggerit conſilium. „ Illæ, inquit, nobis ſunt „ ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare pariter poſſunt & munire, quas „ nec acquirere poſſumus inviti, nec perdere, quæ nos contra hoſtiles „ impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos „ ſunt. Divitiæ noſtræ credendæ ſunt: pudicitia, quæ nos pudicos; „ juſtitia, quæ nos juſtos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; „ manſuetudo, quæ manſuetos; innocentia, quæ innocentes; puritas, quæ puros; prudentia quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes, & charitas quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutum potentes, ſæculi contemptores, ac bonorum omnium ſectatores. Hæc non ſunt omnium, ſed ſanctorum ſanctæ virtutes, non „ divitum ſuperborum, ſed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant niſi illi, qui illis carnalibus ex corde renuntiant.

Lib. 3. dialog. cap. 31.

Sen. in conſol. ad Helv. cap. 9.

S. P. Damiani, lib. 7, ep. 15.

Lib. 2. de Vit. contempl. cap. 13.

§. 37. Neque illud prætermittendum, quod in quibuſdam pauperes divitibus ſint pares, in aliis ſuperiores. „ Puta dives habet thaſium, & alia multa hujuſmodi medicata pocula, & cum multâ delectatione compoſita: ſed aquarum fontes omnibus propoſiti communiter ſunt, & divitibus & pauperibus. Fortè riſeris hanc au-

D. Chryſoſt. tom. 4. Homil. 74. ad Popul.

„ diens

„ diens æqualitatem. Igitur audi quantò dignior eſt omni vino „ aquæ natura, magiſque neceſſaria & utilis, tuncque temetipſum „ condemnabis, & veras pauperum delicias intelliges. Nam vino „ quidem ſublato non multum fuerit detrimentum, præterquàm „ ſolis ægrotantibus: ſi quis autem aquarum fontes reſtinxerit at- „ que ſuſtulerit elementum, vitam omnem noſtram ſubverterit. Ignis natura numquid numeroſis utilior theſauris & humanis omnibus divitiis? & hic quoque theſaurus utilitatis diviti pariter ac pauperi propoſitus eſt: quæ verò naſcitur ab aëre corporibus utilitas & lux ſplendoris non magis divitibus quàm pauperibus exhibetur,

——— *Uſus communis aquarum eſt* Ovid. lib. 6. Meta. fab. 4.
Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit.

In neceſſariis vitam noſtram continentibus pauper à divite non ſuperatur, ſufficiens enim modus ac voluptas eſt alimentum & ſanitas: plus autem pernicies & faſtidium & ægritudo. *Anima* ſiquidem *ſaturata*, teſte Sapiente, *calcabit favum*, *&* *anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Prov. 27. v. 7. Tàm corporis valetudo, quàm omnis alia bona habitudo pauperibus æquè ac divitibus communis eſt. Non ſemper morbis vexantur pauperes, neque ſemper divites ſyncerâ utuntur valetudine. In filiorum quoque procreatione non exceduntur à divitibus pauperes, ut illi lætâ gaudeant fœcunditate, hi verò triſti opprimantur ſterilitate: *Denique ad mortem ſpectantia* D. Chryſoſt. ibidem. *nonnè communia? nonnè tàm divitibus quàm pauperibus immaturæ mortes accidunt? &* *tàm his, quàm illis omnibus ſimiliter corpus diſſolvitur, favillaque fit, &* *pulvis; ac vermes gignit?* At funeralia, inquies, non ſunt ſimilia: ſed nulla, ut antè declaravimus, ex his ad defunctos pervenit utilitas. Et non rarò majus officium majoris illi fit turpitudinis occaſio, dum adversùs defunctum omnium ora reſerantur, atque innumeræ illi propter pompam & faſtum attrahantur maledictiones, ſuccendaturque vehementior avaritiæ accuſatio, ſingulis lacerantibus & ſuffocantibus defunctum ac maledicentibus, quod neque mortuus circa pecunias inſaniam diſſolvit: quin & illud idem furum oculos aperit. „ Qui vilia quidem accepit funeralia Idem ibidem. „ jacet, honorem conſervans, qui verò pretioſa, ſpoliatur, & affi- „ citur contumeliâ. Si verò nihil horum fiat, nec ſic diviti plus erit, „ niſi largiorem vermi menſam appoſuiſſe, & majorem fieri corru- „ ptionem.

§. 38. Verùm in ſupradictis magnam habent pauperes ſupra divites prærogativam. Multos enim divites cernere licet corporis valetudine propter divitias ortâ, ut plurimùm ab aquæ potibus abſti-

nere : pauper autem per omnem vitam his fluentis liberè utitur: tamquam ad mellis fontes ſic ad aquarum currit rivulos, indè ſynceram & puram hauriens voluptatem. Pauperes deindè quantò & efficaciores habent ſenſus, acutiorem oculum, & perfectiores quaſque ſuſceptiones, veraciorem quàm divites hauriunt voluptatem, & creationis contemplatione delectantur magis, ac perfruuntur: non ità ſuavis vini merique potus, ſicut potantis ſitis delectare ſolet; non ità placentas comedere, ſicut cum eſurie cibum ſumere. Pauperes autem cum neceſſitate & eſurie ad cibum veniunt; divites verò non exſpectant, undè legitimam & ſynceram voluptatem non capiunt. Optimum condimentum fames, id ipſum demonſtrans

Pſalm. 80. Propheta dicebat: *Ex petra melle ſaturavit eos.* „ Poſtquam enim ſi-

D. Chryſoſt. tom. 4. Homil. 2. ad Antioch. „ tientes, & indigentiâ defatigati frigidioribus aquis inciderunt, ex „ potu voluptatem aſſerere volens, mel aquam appellavit: non „ tamquam mutatâ in mel naturâ, ſed bibentium diſpoſitione fluen- „ ta illa melle jucundiora faciente. Accedit quòd ſomnus omnibus ſuavior deliciis, magis neceſſarius, omnique utilior nutrimento, pauperibus eſt quàm divitibus facilior, nec tantùm verò facilior, ſed

Eccl. 5. v. 11. etiam ſyncerior. *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat* „ Dulcis illi ſomnus, ſcribit D. Chryſoſtomus, non prop- „ ter lectum mollem; ſternitur enim humi, vel ſuper paleas: non

De virginit. cap. 70. „ propter libertatem, quia ne temporis quidem punctum ei liberum „ eſt, non propter otium, nam laboribus & ærumnis conficitur „ aſſiduè: ſed hi ipſi labores, & quòd coactus priùs neceſſitate ſom- „ no ſe dederit, ſunt in cauſa cur adeò dulciter dormiat. Tanta eſt laborum medicina & merces; hoc Dei benignitate fit, ut non auro atque argento, ſed labore, ærumnâ, neceſſitate & omni diſciplinâ voluptates emi valeant.

Horat. lib. 3. Ode 1.

——— Somnus agreſtium
Lenis virorum, non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Denique in jucunditate divitibus multæ ægritudines irruunt; pedum dolores & capitis gravedines ac remiſſiones, incurabileſque nervorum torturæ, & maligna cujuſque generis, corruptaque rheumata præſertim illos vexare conſueverunt, qui deliciis vacant, olent unguenta: pauperes verò à medicorum manibus immunes ſunt. Si verò nonnumquam & imbecillitatem incurrant, brevi ſe ipſos inſtaurant, mollitie omni liberi, & corpora robuſta habentes. Magna poſſeſſio paupertas ſapienter ipſam ferentibus, theſaurus qui ne-

queat

queat auferri, baculus firmiſſimus, inculpabilis poſſeſſio, diverſorium ab inſidiis tutum. Undè

—— Neque divitibus contingunt gaudia ſolis: Horat. lib. 1. ep. 17. ad Scævam.
Nec vixit malè, qui natus morienſque fefellit.

§. 39. In hac apologia pro pauperibus contra divites reſtat adhuc unum nullatenùs ſilentio involvendum, quòd ſuaviſſimum humanæ vitæ concentum divites, ſi ſint avari, dividere quærant commercium nempè vivendi, & ſimilium contubernium; quæ tamen ſocietas homini dominium omnium animalium dedit. „ Societas terris genitum in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & „ dominari etiam in mari juſſit. Hæc morborum impetus arcuit, „ ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit, hanc „ ſocietatem tolle, & unitatem generis humani, quâ vita ſuſtine- „ tur, ſcindes. Tales verò divites conſortem excludere, ſolique omnia poſſidere contendunt; injuriam ſuam putant, ſi quid pauper habet, quod dignum poſſeſſione ſuâ æſtimetur. Damnum ſuum credunt, quidquid alienum eſt. Invehitur hoc modo in divites D. Amboſius. „ Quid vos delectant naturæ diſpendia? univerſis crea- „ tus eſt mundus, quem pauci divites vobis defendere conamini. „ Non enim terrena tantùm poſſeſſio, ſed cælum ipſum, aër, ma- „ re, in uſum paucorum divitum vendicatur. Avis avibus ſe aſſo- „ ciat, denique ingentis plerumque agminis volatu cælum obtexi- „ tur, pecus pecori adjungitur, piſcis piſcibus, & quoddam muni- „ mentum ſolatio frequentioris ſocietatis affectant. Solus tu homo „ conſortem excludis, includis feras, ſtruis habitacula beſtiarum, „ deſtruis hominum. Inducis mare intra prædia tua ne deſint bel- „ luæ, producis fines terræ ne poſſis habere finitimum. Allegati diſcriminis in teſtimonium adducit Cyrillus Oraculum Apollinis quod in favorem pauperum controverſiam diremit. „ Non audiſti, „ inquit, olim Apollinis idolum paſtori Lydiæ Regi facto per Acha- „ tem ſciſcitanti, ſi quis eo in mundo felicior exiſteret? delicioſas „ ejus divitias confutans quid reſponderit? ipſi nimirùm ſuperbien- „ ti Arcadium ſenem pauperem prætulit, qui numquam agri ſui „ terminos exiverat, dixitque plus probari ſecuritate ridens tugu- „ rium, quàm curis & ſollicitudinibus triſtem aulam, paucaſque „ glebas pavoris expertes, quàm arva latiſſima metu referta, unum- „ que tutelâ facile jugum boum, quàm equitatum impenſis voraci- „ bus oneroſum.

Sen. lib. 4. de benef. cap. 18.

Lib. de Nabuthe cap. 3.

Lib. 3. Apol. mor. cap. 4.

§. 40. In his & ſimilibus ne corruptis mundi ſeducamur opinionibus, ſed ut potiùs vilem humanæ vanitatis affectum exuentes

tes contrarium diſcipulis Chriſti dignum induamus, & S. Hierony-
mi in judicando dictamen ſequamur. „ Neſcit, ait, Religio noſtra
Epiſt. ad Celantiam. „ perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpi-
„ cit ſingulorum, ſervum & nobilem de moribus pronuntiat. So-
„ la apud Deum libertas eſt non ſervire peccatis, ſumma apud Deum
„ nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus. Idem magis ſpecialiter alibi
Epiſt. ad Salvianum. repetit: „ Unuſquiſque, ſcribens, non hominum ſed rerum pon-
„ dere judicandus eſt. Nec diviti obſunt opes, ſi eis benè utatur:
„ nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes &
„ inopiam peccata non caveat. Hinc tria hominum genera Siraci-
Eccl. 24. v. 4. di mirè diſplicent, eò quòd vivant incongruè & difformiter ſuo
gradui ac ſtatui, adeòque pugnent cum natura conditionis ac vo-
cationis ſuæ. Inter quæ ponit pauperem ſuperbum, qui opibus
carens quibus ſuperbiret, ſi ſuperbit reipſâ, quaſi humili pauper-
tatis ſtatui contradicit; ubi verò ad pinguiorem fortunam deve-
nerit, ſi ſe ſuamque ſortem, ut plerùmque ſit, non capiat, ſed
velut emotæ mentis exiliat, limiteſque omnes tranſiliat, adeò
Prov. 30. v. 21 intolerabilis & odibilis redditur ac ſapienti ſervus cùm regnaverit:
hic enim cùm non agatur ratione ſed paſſione & concupiſcentiâ in
omnes impunè æquè ac imperioſè graſſatur contra humanam ſubdi-
tos regendi formam, qui politicè id eſt civili & humanâ ratione quâ
homines rationales non deſpoticè regi volunt. Regnavit ſanè ſervus
Jeroboam & tanta mala perpetravit, quanta nullus antè vel poſt ip-
ſum. Eutropius ſervus ſub Arcadio Imperatore tanto faſtu & inſo-
lentiâ imperium adminiſtravit, ut à furente populo ad necem ap-
petitus fuerit.

§. 41. Reſtat nunc, ut, veluti incorrupti judices, neque divi-
tias condemnemus, neque paupertatem nimiùm extollamus. Ha-
bet paupertas martyrium ſuum, & egeſtas benè tolerata facit mar-
tyrium, ſed egeſtas propter Chriſtum, non propter neceſſitatem:
cæterùm quot pauperes ſunt, qui divites eſſe deſiderant & ſcelera
1. ad Timoth. cap. 6. committunt? Rurſùs Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait, *Qui
volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Non*
Tom. 4. Homil. 14. in dictum locum. *dixit* (ut ſubtiliter advertit D. Chryſoſtomus) *divites autem: ſed qui
volunt divites fieri. Sunt & qui pecunias habentes, eas ritè diſpenſent,
ac aſpernentur, eaſque pauperibus dividant. Profectò non eos qui ſunt
hujuſmodi, ſed cupidos notat.* Nam foſſus humi cenſus non eſt homi-
nis, ſed telluris. Igitur cùm ad uſum opes proficiunt, tunc ha-
bentur. Uſus autem uſque ad finem ſufficientiæ extendendus eſt,
D. Bernard. non ultrà. Deindè *aurum & argentum & cætera hujuſmodi,
quantùm ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt nec mala: uſus tamen*

borum

horum bonus: abuſio mala, ſollicitudo pejor, quæſtus turpior. Res quælibet proprium & genuinum habet uſum, ars verò utentis rerum uſum diſtinguit. Priſcis mortalibus feræ damno fuêre, poſteriores etiam in ſuum commodum vertere cœperunt, carnibus veſci, pellibus veſtiri, felle medeti. Unius & ejuſdem herbæ apis florem ſequitur, capra fruticem, ſus radicem, bos folium, aves ſemen. Itâ quiſque pro ingenii modo utilia vel futilia ex re quâpiam colligit. Sunt, qui in paupertate abundent, & qui in divitiis egeant. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas, in divitiis ſimplicitatis ſuæ; divites autem eguerunt & eſurierunt: „ Puteus enim (quâ comparatione utitur S. Ambroſius),„ ſi nihil haurias, inerti otio & de-„ generi ſitu facilè corrumpitur: exercitatus autem niteſcit ad ſpe-„ ciem, dulceſcit ad potum. Itâ & acervus divitiarum cumulo are-„ noſus, ſpecioſus eſt uſu, otio autem inutilis habetur. Ab hujuſmodi divite ſciſcitatur Horatius nùm pecuniæ valorem & pretium intelligat? *Lib. de Nabothe cap. 12.*

Neſcis quid valeat nummus, quem præbeat uſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius. ------- *Horat. Satyr. 1.*

Undè rectè ſcribit Olimpiodorus: „ quibus legitimo honeſtatis jure „ opes atque divitiæ augeſcunt, multiplicantur etiam, qui illis „ utuntur, & pauperibus impertiunt. Nam quid prodeſt, impu-„ denti avaro, ac tenaci ſua turpis utilitas, quæ oculorum ſolo „ intuitu pecuniis uti permittit? ſolo namque intuitu principatum „ tenet in pecuniis. *Olimp. de liberalit.*

§. 42. Non in rebus ipſis bonum malumvè, non in divitiis commodum, ſive damnum poſitum eſt, ſed in bono aut malo earum uſu: res indiſcriminatæ ſunt. Si bonus uſus, honeſtæ erunt, ſi malus, turpes. Aurum, argentum, deliciæ, holoſericum, ſuccinum, electrum, odoramenta, pigmenta, gemmæ, adamantes in ſuâ ſubſtantiâ & naturâ non damnantur, cùm hæc omnia ſummus & optimus rerum opifex Deus creaverit, abuſus illorum ſolummodò cenſetur à magno Tertulliano reprehenſibilis. *Materiæ*, inquit, *ex Deo ſunt. Non ſtatim & hujuſmodi fructus latere in omnibus quæritur, & undè ſunt conchæ, & quâ diſpoſitione decurrant, & ubi collocentur.* Nullus adeò blaſphemus ut hoc inficiari audeat, Deum eſſe unicum & ſupremum rerum omnium conditorem. *Ipſa etiam idololatria ex rebus Dei conſtat, nec ideò idololatriam impunè faciet Chriſtianus.* Quis proptereà impunè tali ſe ſcelere obſtringet? non in rebus ipſis, ſed in earum uſu ſitum eſt malum. Hinc benè ſubjungit Tertullianus: *Sic ergò & circa actum materiarum cenſus à Deo deſcendens,* *Lib. de habitu muliebri.*

dens, propterea excuſatus. Deo extraneum ut reum ſcilicet gloriæ ſæculum. Ac ſi planiùs hoc modo dixiſſet, ingens rerum creatarum abundantia in magnificæ potentiæ Domini inſignem gloriam cedit, ſed earum abuſus ex vano & erroneo mundo cæciſque hominibus manat, qui in ſuam perniciem illas convertunt. Sic expoſuit hunc locum Tertulliani Interpres Cerda. Quod hinc patet, quòd aurum, gemmæ, lapides pretioſi de raritate & peregrinitate ſola gratiam poſſident, nec intra terminos ſuos patrios tanti habentur. „ Semper a-
Idem ibidem. „ bundantia contumelioſa in ſemetipſa eſt. Apud barbaros quoſdam „ quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtu-„ lis habent, & divitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò „ nocentiores. Vilior quoque eſt apud Tyrios purpura, quàm rubrica. Rectène tuo judicio facient qui vinum ob id intemperanter haurient, quòd Deus vitem, ex quâ illud naſcitur, creavit? minimè: videmus namque vinum à Deo, ejuſque manibus deſcendere, ebrietatem verò ac temulentiam ſemper damnari & execrari, quia juxta D. Chryſoſtomum: *Vinum Dei opus eſt, ebrietas opus Diaboli*, quòd ad eam malus dæmon magno ſtudio & ſollicitudine incitet. Uſus igitur bonas ac malas efficit res alioquin indifferentes, dum eas ſive in Dei gloriam, ſive in illius offenſam, aut in ſuum exitium aut commodum quiſpiam vertit. Cujus aſſertionis grave extat apud S. Cyrillum ſuffragium: ſic enim ſe habet. *Quæ in aris offeruntur, cùm naturâ ſint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur.* Virtus quoque ſic bonas facit, quibuſcum illa accedit, malitia verò noxias res & damnoſas, quibus adjungitur. Hoc ex Seneca deſumpſimus ſcribente, *Honeſta & turpia virtutis ac malitiæ ſocietas efficit.* Quòd barbara, inſulſa, incomptaque ſit aliqua ſententia dictionibus venuſtis ex ſe, elegantibus & ornatis conflata, non vocabulis ipſis imputatur, cùm ex hyporheſi nullum ſit non valdè latinum ac exactiſſimis, perpolitiſſimiſque ſcriptoribus uſitatum, ſed phraſis vitium poſitum eſt in nexu & conjunctione verborum, quæ cùm per ſe bona ſint ex inconcinnâ ſyntaxi & rudi copulatione efficiuntur barbara & ſordida. Tantùmdem in ſubjecta materia cum Seneca affirmandum eſt: *Honeſta* ſiquidem *& turpia virtutis & malitiæ ſocietas efficit.* Aurum, argentum, uniones, adamantes, & alia hujuſmodi ex ſe adiaphora ſunt, ſive indifferentia, quomodò ergò mala? quia malè vertuntur. Ut quiſque iis ſive rectè, ſive ſiniſtrè uſus fuerit, ſic vel commoda ſunt, vel damnoſa. Non enim in rebus ipſis bonum vel malum conſiſtit, ſed in uſu earum, nec in tugurio beatitudo poſita eſt, nec in palatio damnatio, neque ſolitudo ſalvat, neque communis vitæ conſuetudo cælo prohibet; ſed eorum uſus bonus

Homil. 2. ad popul.

Epiſt. 31.

aut

aut malus, eodem namque cultro, quo panis ad victum ſcinditur, vita innoxio adimitur. Pulchrè D. Auguſtinus cuivis diviti modum utendi pecuniis præſcribens: *Vtere*, inquit, *nummo quemadmodùm viator in ſtabulo* (id eſt hoſpitio. Hinc enim hoſpes vocabatur ſtabularius: ut patet Lucæ 10. v. 35.) *utitur menſâ, calice, urceo, dimiſſurus non permanſurus.*

§. 43. Audiamus porrò ipſiuſmet Senecæ juſtificationem adverſus invidos & obtrectantes. Cauſam ſapientum Stoicorum ſuam facit, ne in illum retorqueatur, quod de aliis ſcribit, aliud in pyxide, aliud in titulo: indecorum quippè eſt non præſtare quæ loquimur, nec paria dictis agere, quod in Seneca reprehendent, qui tantùm extimam rei ſuperficiem judicio ſuo delibare noverunt; neque penitùs cauſam inveſtigant aut penetrant. Divitias non damnat, neque enim ſe ſapiens indignum ullis muneribus fortuitis putat. Sed malè partas reſpuit, avaritiam & tenacitatem arguit, opes contemnendas ducit & habet, ſed ait contemni debere: non, ne habeat, ſed ne ſollicitus habeat. *Divitiæ apud ſapientem virum in ſervitute ſunt: apud ſtultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit: Stulti divitiæ omnia.* *Sen. de vita beata cap. 16.* Animum ſapientis non immutabunt. Ponatur in opulentiſſimâ domo, ponatur aurum argentumque in promiſcuo uſu ſit, non ſuſpiciet ſe ob iſta, quæ etiamſi apud illum extra tamen illum ſunt. Si effluxerint divitiæ, nihil auferent, niſi ſemetipſas: in ſublicium pontem transferatur, & inter egentes abigatur, non ideò ſe deſpiciet, quòd in illorum numero conſideat qui manum ad ſtipem porrigunt. Neque ſi omnes dies ex voto fluant, ob hoc ſibi placebit. Neque ſi hæc indulgentia temporis in contrarium mutetur, hinc illinc percutiatur animus, damno, luctu, incurſionibus variis, nulla hora ſine aliqua querela ſit: non ideò ſe dicet inter miſerrima miſerum, non ideò aliquem execrabitur diem, ſed totum fortunæ regnum deſpiciet. Aliquem locum apud illum habebunt divitiæ, ſed non ſummum, & divitiæ illius erunt, non ipſe divitiarum. Talem nobis deſcribit Seneca & producit in perſonâ ſuâ ſapientem Stoicum; proſequitur ſic.
„ Habebit Philoſophus amplas opes: ſed nulli detractas, nec alieno *De vita beata cap. 23.*
„ ſanguine cruentas, ſine cujuſquam injuriâ partas, ſine ſordidis
„ quæſtibus, quarum tàm honeſtus ſit exitus, quàm introitus, qui-
„ bus nemo ingemiſcat, niſi malignus, fortunæ benignitatem à ſe non
„ ſubmovebit, & patrimonio per honeſta quæſito gloriabitur, nec erubeſcet. Exemplo M. Catonis ſententiam confirmat, qui cùm laudaret Curium & Coruncanium ac ſæculum illud, in quo Cenſorium crimen erat pauci argenti lamellæ, poſſidebat quadragies ſeſtertium. Et ſi majores opes obveniſſent, non ſpreviſſet. Non in animum di-

vitias, ſed in domum recipit, nec reſpuit poſſeſſas, ſed continet, qui ità eſt diſpoſitus ut fictilibus ſic utatur quemadmodùm argento, & ſic argento utatur quemadmodùm fictilibus. *Infirmi eſt animi pati non poſſe divitias.* Materia ſapienti viro datur animum explicandi ſuum in divitiis, in quibus temperantia, liberalitas, miſericordia & ſimiles virtutes campum habent patentem; non amat divitias, ſed majorem virtuti ſuæ materiam ſubminiſtrari vult; nec ulli nec ſibi graves aut inutiles eſſe patietur, neque magnum bonum intra ſinum continebit: cur enim munus fortunæ, fructumque virtutis repudiabit aut excludet? hominibus prodeſſe natura jubet. Benè igitur illas collocabit, huic ſuccurret, hujus miſerebitur, illum beneficio ad majora impellet: habebit ad hoc ſinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat; numquam magis nomina faciet quàm cùm donabit. Ergò ſapiens non aliter vivit quàm loquitur, ſed multi aliter audiunt. *Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat, quem fœda ſcabies depaſcitur.*

Sen. ep. 5.

Sen. de vita beata cap. 27.

§. 44. Divites, qui ex cauſa lucrativa quidlibet obvenire ſibi cupiunt, attendant diligenter quem uſum & fructum divitiarum commendent SS. Patres; quid ſit eſſe divitem æternitati? quid ſit à Deo bonis ſubminiſtrari occaſiones beneficiorum, malos torqueri timore damnorum? quodque tres fortiſſimi & indefeſſi Eccleſiæ Catholicæ Athlantes S. Auguſtinus, Chryſoſtomus & Ambroſius firmiſſimè hanc ſuſtinent ſententiam, eleemoſynam eſſe artem omnium quæſtuoſiſſimam; ac imprimis S. Auguſtinus promiſcuè in operibus ſuis diſertis verbis pronuntiat, non in rebus ipſis, ſed in uſu vel abuſu earum reperiri malum & bonum; neque in res ipſas rectè in ſe ad laudem conditoris conditas, ad probationem bonorum malorumque ſupplicium, ullatenùs crimen malè utentium eſſe transferendum: alioquin, ſi propterea vituperetur aurum & argentum, quia homines avaritiâ depravati, neglectis præceptis omnipotentiſſimi Creatoris, in ea quæ condidit deteſtabili cupiditate rapiantur, vituperetur ſimiliter omnis Dei creatura, vituperetur etiam iſte Sol, quem tamquam ipſum creatorem Manichæi adorare non deſiſtebant. Cur tamen ipſum vituperant, cùm plerumque homines de uſu Solis & luminis in ædificiis ſuis lites etiam injuſtiſſimas concitent? licet de auro & argento ſæpè homines cupidiſſimi dimicent, & iniqui homines inexpiabili ſæpè diſcordiâ de poſſidenda Solis luce confligant, non idcircò debent aurum vel argentum accuſare, aut de terra in cælum, & de metallis fulgentibus in ſidera atque ipſum Solem accuſationes ſuas transferre. Meritò itaque apud Aggæum

gæ um Dominus ait, *Meum eſt aurum, & meum eſt argentum*, quia Aggæi 2.
illud largiſſimâ bonitate condidit, & juſtiſſimo adminiſtrat imperio, ut ſine ipſius nutu atque dominatu, nec mali ad avaritiæ ſupplicium, nec boni id poſſint habere ad uſum miſericordiæ. Ad quid crebræ illæ & moleſtæ querelæ? moleſta tempora, gravia tempora, miſera tempora ſunt. Neminem tamen læſit tempus. Ut quid dicimus aliquando ſtomachando? ô ſi non eſſet ipſum aurum! bonum eſt aurum, de bonitate tranſcendentali intellige, non enim aliquid mali creavit Deus; etſi ex eo naſcantur mala, rixæ, diſſentiones, bella, cædes, incendia aliavè hujuſmodi, non eſt hæc auri culpa aut argenti: *Non tollantur*, inquit S. Auguſtinus, *res de rebus humanis; ſint res, & adſit uſus rerum bonarum, alia enim ſunt bona, quæ non ſunt niſi in bonis: & alia ſunt bona, quæ ſunt communia bonis & malis.* Tom. 10. ſerm. 3. de S. Cypriano. Poſterioris generis cenſentur pecunia, honor, hujus ſæculi poteſtas, adminiſtratio, ſalus ipſa corporis. Mala faciunt de bono auro mali: bona faciunt de bono auro boni. ,, Tol- Idem ibidem.
,, lat malus, inopes opprimuntur, judices corrumpuntur, leges per-
,, vertuntur, res humanæ perturbantur. Quarè? quia aurum tulit
,, malus: tollat bonus: pauperes paſcuntur, nudi veſtiuntur, op-
,, preſſi liberantur, captivi redimuntur. Et alibi. Nonnè operante Idem. tom. 10.
,, miſericordiâ præbetur hoſpitalitas peregrinis, conſtruuntur Eccle- ſerm. 15. contra Manich.
,, ſiæ, reficiuntur laſſi, pacantur litigioſi, reparantur naufragi,
,, curantur ægroti, corporales opes diſpertiuntur in terra, ſpirita-
,, les reconduntur in cælo? Quis hæc facit? miſericors & bonus.
Undè facit? de auro & argento. Rectum bonorum temporalium uſum & juſtam diſpenſationem ipſe Dominus tamquam verus magiſter oſtendit dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16. Sic fit æqua copiarum terrenarum diſtributio, recta ordinatio, & prudens moderatio. Hoc modo divitiæ ſunt juſtæ, quia bonis meritis juſtiſque tribuuntur, & à ſapiente vocantur *Donum Dei.* Eccl. 5. v. 17.
Undè congruenter Thaumaturgus, ,, Non negaverim etiam opes
,, bonas eſſe, Dei donum eſt ſi homo lætè perfruatur laboribus ſuis;
,, modò opes illæ à Deo ſint conceſſæ. Talis enim benefico in om-
,, nes eſt animo, & in munere divino exultat, & omnem vitam
,, ſuam bonis operibus ac largitionibus adornat. Cùm enim donum
Dei ſint opes & ad uſumfructum non ad dominium homini conceſſæ, tamquam inſtrumenta & media quibus ſuam poſſit utiliter operari ſalutem, ut veris cæleſtibuſque divitiis, quæ ab omni liberant indigentiâ, frui meritò poſſit, priùs iſtis benè utendum eſt. *Illius eſt ergò*, ex Sententia S. Auguſtini, *aurum & argentum, qui novit uti auro & argento. Nam etiam inter homines, tum quiſque habere aliquid dignus* Serm. 15. contra Manich.

 eſt,

eſt, quando benè utitur. Nam quod juſtè non tractat, jure non tenet.

§. 45. Affirmat tamen D. Ambroſius quòd aurum materia magis offenſionis quàm commendationis gratia ſit, quòdque illud, in quo tanta illecebra erroris eſt, non tàm ſua gratia, quàm hominum pœna commendet: adeò ut à Sapiente ſolùm benedicatur dives, *qui inventus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit nec ſperavit in pecuniæ theſauris*; & quòd veluti talis incognitus lateret ſibi demonſtrari poſtulans ſciſcitatur, *Quis eſt hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita ſua*: „Fecit enim, ut loquitur ſacer Antiſtes, quòd mirari magis quaſi novum, quàm quòd quaſi uſitatum recognoſcere debeamus: itaque qui in divitiis potuerit comprobari, is verè perfectus & dignus eſt gloriâ. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Cuilibet nihilominùs diviti inculcat, ut ad imitationem S. Joſeph prudentiſſimi & optimi diſpenſatoris, qui idcircò ſalvator orbis vocatus eſt, diſcant potiùs de malis bona facere, quàm de bonis facere mala: cùm fœcunditas divitis totius orbis abundantia, omnium debeat eſſe fertilitas. Piam & ſalubrem adhibet exhortationem dicens: *Ei qui uti ſciat multa bona ſunt: ei qui uti neſciat rectè mala. Quid hoc melius bono ſi pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quâdam pietatis fœneratione conſtituas?* Magnus certè quæſtus talis eſt pietas, magnam habet remunerationem in hoc ſæculo & in futuro. Vide ô dives! quàm uberem fructum reportes miſericordiæ; tibi proficit quidquid inopi contuleris: tibi creſcit quidquid in pauperes erogaveris, gratia liberalitatis in authorem boni operis redit etiam cum fœnore. Scriptum eſt: *Qui miſeretur pauperi, fœnerat Deo.* „Eſto ſpiritualis agricola, „ſere quod tibi proſit; ſeminatur in terra, germinat in cęlo. Plan„tatur in pauperes, apud Deum pullulat.

Lib. de Nabuthe c. 13. *Eccleſ. 31.* *Lib. de Nab. cap. 7.* *Prov. 19.*

Quas dederis ſolas ſemper habebis opes. *Ovid.*

D. Ambr. lib. de Nab. cap. 12.

„Bona ſunt, ſi aperias horrea juſtitiæ, ut ſis pater pauperum, vita „egentium, oculus cæcorum, orbarorum infantium pater. Potes „& tibi & aliis abundare. Oſtendo tibi ubi meliùs tua frumenta cu„ſtodias, ubi benè ſepias, ubi fures ea tibi auferre non poſſint. In„clude ea in corde pauperum, ubi nulla tinea, nullus gurgulio „conſumat, nulla corrumpat vetuſtas. Habes apothecas inopum „ſinus, habes apothecas viduarum domos, habes apothecas ora in„fantium orphanorum. Iſtæ ſunt tibi apothecæ, quæ maneant in „æternum, iſta ſunt tua horrea, quæ fœcunditas futura non de„ſtruat. Suppeditant divitiæ occaſionem miſericordiæ, & charitatis opportunitatem. Qui theſauros magis terrenos quàm cæleſtes habere deſiderant, vitæ æternæ theſaurum obtinere non poſſunt.

„Hujuſ-

,, Hujuſmodi verò theſauros, aſtipulante S. Chryſoſtomo, quia *Tom. 2. Homil. 44.*
,, æterni ſunt & incorrupti, qui perire non poſſunt, per opera ju-
,, ſtitiæ, per pietatis ac miſericordiæ merita jubemur in cælo recon-
,, dere; in cælo enim reconditur, quidquid ſecundùm fidem Scri-
,, pturæ in uſum pauperum erogatur. Vim & naturam beneficii ſummoperè extollit Seneca, eò quòd beneficium ipſum non eripiatur, non eradatur, ſtabile ac immotum permaneat, licet domus, mancipium, pecunia & quidquid eſt in quo hæſit beneficii nomen eripi poſſit. Hinc M. Antonium apud Rabirium Poëtam, cùm fortunam ſuam tranſeuntem aliò videbat, & nihil ſibi relictum præter jus mortis, egregiè ſcribit exclamaſſe. *Hoc habeo, quodcumque dedi.* *Lib. 6. de benef.* Quanto potiori jure dives opes ſuas in ſinum pauperum conferens, ut ſapiens negotiator dicere poterit, *Hoc habeo, quodcumque dedi*, & Senecæ verbis uti, *Hæ ſunt divitiæ certæ, in quacumque ſortis humanæ levitate uno loco permanſuræ, quæ quò majores fuerint, hòc minorem habebunt invidiam*: *Ibidem cap. 3.* Quin miſericordiæ remuneratio reddet multipliciora, quæ dedero. Sanè qui amicum habet Deum, omnium ditiſſimus erit.

§. 46. Ex quo colligitur, quòd non mala res ſit divitiæ, ſed mala avaritia, mala cupiditas. Aliud enim eſt avarus, aliud dives: avarus non eſt dives, avarus ſiquidem multorum indiget, indigens autem multorum numquam dives eſſe poteſt. ,, Dives
,, erat Abraham ſed non avarus: non enim hujus domum conſide- *S. Chryſ. tom. 4. Homil. 2. ad Antioch.*
,, rabat, nec illius ſubſtantiam curiosè ſcrutabatur: ſed egrediens
,, contemplabatur num alicubi hoſpes, num alicubi pauper, ut pau-
,, pertatem reſarciret, ut peregrinum exciperet; non auro te-
,, ctum linivit, ſed apud quercum tabernaculum figens foliorum
,, umbrâ contentabatur, & tam ſplendidum ipſi erat diverſorium,
,, ut nec angelos apud ipſum manere puderet: non enim quærebat
,, domûs ſplendorem, ſed animi virtutem. Ità de magno illo Patriarcha D. Chryſoſtomus ſingula hæc legitimè ex iſto à ſe priùs allegato deducit axiomate. *Dives eſt, non qui multa poſſidet, ſed qui multa expendit.* S. Joſeph qui in egeſtate & divitiis dedit experimenta virtutum, qui & ſervus & dominus animæ libertatem docuit; poſt Pharaonem regiis ornatus inſignibus dives fuit, ſed non parcus, dives fuit, ut multorum ſublevaret inopiam: ſic Deo charus, ut ſuper omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret, ſic hominibus, ut ad ſalutem omnium à Deo miſſus, & Regno Ægypti præpoſitus diceretur, omniumque animæ ex illius & in illius ſpirarent. Ipſe quoque Dominus cui miniſtrabant angeli ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe legitur ſuorum neceſſitatibus,

 aliiſque

aliiſque indigentibus oblata tribuens. Congruam adhibet poſſeſſioni bonorum limitationem venerabilis Beda, videlicet *ne propter iſta Deo ſerviatur, & ob inopiæ timorem juſtitia deſeratur.* Non parum inordinationis habet Dei famulatui ſe addicere ob commodiorem & lautiorem victûs rationem, & quod in ſeculo habere non licuit, inter Domeſticos Dei requirere, ibique ſeculi cupiditates reſumere, ut hic ſit primarius vitam commutandi ſcopus aut prætextus. Undè veraciter dicit Beda, „ quod theſaurus boni operis, ſi commodi terreſtris occaſione condatur, facilè corruptus intereat; at ſi cæleſti ſolùm „ intentione congeratur, non exterius hominum favore, non intus „ inanis gloriæ valeat labe maculari. Fur enim de foris rapit, tinea „ ſcindit interius. Fur abſtulit divitias eorum de quibus Dominus „ ait, receperunt mercedem ſuam. Tinea corrumpit veſtes eorum, „ quos Pſalmiſta redarguens ait, quoniam Deus diſſipat oſſa hominum ſibi placentium: oſſa enim virtutum robur appellat.

Lib. 4. in cap. 12. Lucæ cap. 54.

Ibidem.

§. 47. Quàm proficuum ſit benignè faciendi ſtudium documento fuit Titus Veſpaſianus, amor & deliciæ generis humani, nil niſi bonitas & lenitas, verus patriæ ſed magis egentium pater, qui recordatus quondam ſuper cœnam quòd nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam meritòque laudabilem vocem edidit. *Amici, diem perdidi.* Pro ampliſſimis Eccleſiæ theſauris neſciebat fideliores depoſitarios quàm pauperes, ut in cæleſtes transfererentur, magnanimus ille Hiſpanus S. Laurentius: de quo meritò canit Eccleſia, *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.* Ad talem liberalitatem & munificentiam, quâ cæleſtis hæreditas paratur (quæ non ab inſomni dracone ut mala aurea hortorum heſperidum, ſed ab ipſo Domino vigilantiſſimo cuſtode ſervatur) exhortatur avarum imò totaliter inſtigat his verbis D. Ambroſius. „ Quid quotidiè „ metiris, & numeras, & obſignas? Quid aurum trutinas, argentum „ ponderas? quantò melius eſt liberalem eſſe diſpenſatorem, quàm „ ſollicitum cuſtodem? quantum tibi prodeſſet ad gratiam multorum pupillorum patrem nominari, quàm innumeras ſtateras in „ ſacculo obſignatas habere? ad illud toto niſu contendit S. Joannes ab innato largitatis affectu dictus eleemoſynarius, qui tamquam Dei quæſtor in terris effectus ſe conſcio neminem gemere, neminem egere permiſit; plura appetendo quo plura daret, idque ſolùm ratus ſe habere quod effudiſſet; numquam ſiquidem cùm omnium augeret ærarium, diminuit ſuum. Nudus quoque eſſe malens quam parùm pius S. Martinus adhuc catechumenus divinam beneficentiam ſua provocavit, dum chlamydis parte totum emit empyreum. Quem S. Ægidium dicam ægris datum an ægris Deum, ubi à paupere tunicâ

Sueton.

Pſal. 111.

Lib. de Nabuthe cap. 8.

ſuâ

ſuâ illum contegendo morbum depulit? numquam felicius ſceptrum tractare potuit Oſvaldi Anglorum Regis dextera, quàm in pauperes extendi, ut incorrupta perduraret; juxta votum benedictionis quam deſuper fudit Aidanus Epiſcopus. Cùm enim die Paſchæ ſancto ſimul menſæ aſſiderent, poſituſque in mensâ eſſet diſcus argenteus regalibus ferculis repletus, & ſubitò indicatum Regi eſſet ab eo, cui inopum cura fuerat demandata, multitudinem pauperum ſedere per plateas eleemoſynam à Rege expectantem. Dapes ſibimet appoſitas Oſvaldus mox deferri pauperibus juſſit, diſcumque confringi atque iiſdem minutatim diſtribui. Quo facto pietatis adeò Pontifex eſt delectatus ut apprehensâ ejus dexterâ, dixerit, numquam veteraſcat tam larga in dando manus. Res votum comprobavit. Interfecto ſiquidem illo in pugnâ, manus hactenus integræ repertæ à cætero corpore reſectæ, loculoque argenteo incluſæ in urbe Regiâ quæ cognominabatur Debba fuerunt aſſervatæ. *Beda Lib. 3. Hiſt. Angl. cap. 6.*

§. 48. Si divites quotieſcumque manum extenderent Chriſtum pauperem cogitarent, caverent, ne mendicante Domino Deo ſuo alienas divitias augerent; ſed nudum veſtirent, eſurientem cibarent, ægrotantem viſitarent: audirent beatum prædicari qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Monitum D. Ambroſii citiſſimè, ni fallor, arriperent, quod ad unumquemque illorum dirigitur. *Vende potiùs*, inquit, *aurum & eme ſalutem. Vende lapidem & eme regnum Dei, & eme tibi vitam æternam.* *Lib. de Nab. cap. 14.* Laudat D. Hieronymus Nebridium ex imperatoria familia natum, quòd conjunctionem ſanguinis Regalis, affluentiam divitiarum, atque inſignia poteſtatis materiam habuerit virtutum dicente Eccleſiaſte: *Sicut protegit ſapientia, Sic protegit & pecunia.* *cap. 7.* Quidquid Imperatoris largitio, & honoris infulæ dederant, in uſus pauperum contulerit. „Quæ vidua non hujus auxilio ſuſtentata eſt? quis „pupillus non in eo reperit patrem? totius Orientis Epiſcopi ad „hunc miſerorum preces & laborantium deſideria conferebant. „Quidquid ab Imperatore poſcebat, eleemoſyna in pauperes, pre„tium captivorum, miſericordia in afflictos erat. Undè & ipſi Prin„cipes libenter præſtabant, quod ſciebant non uni, ſed pluribus in„dulgeri. *In ep. ad Salvinum de ſerv. viduit.* Paulam quoque à clementiſſimo in cunctos animo & bonitate etiam ignotos mirificè commendat, à qua nobilis & amplæ domûs & quondam opulentiſſimæ omnes penè divitias ſcribit in pauperes erogatas. „Damnum putabat, ſi quiſquam debilis, & eſu„riens cibo ſuſtentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter objur„gantes propinquos, majorem ſe eis hæreditatem, Chriſti miſeri„cordiam, dimittere loquebatur. *Ad Euſtoch. Epitaph. Paulæ.* Non reticet quàm pronâ fuerit

in omnes munificentiâ Fabiola; ,, Diſpenſationem pecuniæ, & cau-
Epiſt. 30. ad Oceanum. ,, tam diſtributionem genus infidelitatis vocabat. Non aliis diſtri-
,, butionem eleemoſynarum tribuere, ſed ſuis pariter effuſis, ipſa
,, pro Chriſto ſtipes optabat accipere. Non ex neceſſitate hoc faciebant, ſed ex voluntate, ut ipſa præmium conſequeretur; ſcientes hilarem datorem à Deo diligi: neque partem ſubſtantiæ, (ne timor penuriæ infidelitatis occaſio foret, & cum Anania & Saphira perirent) ſed univerſa, quæ poſſidebant, egenis diſtribuebant, partem ſacrilegii exiſtimantes rem pauperum, quam talem pietate effecerant, non dare pauperibus. Nonnè rectiſſimè Amadæus Sabaudiæ Dux optimos & ſagaciſſimos canes venaticos ſe habere reſpondit Legatis Principum, dum illis, in aula ampliſſima magnam turbam pauperum, quos alebat quotidiè, oſtendit? hæc ſubnectens. *Canes religioſæ venationis videtis, quorum odoris precibus in ſaltus uſque cæleſtes venando indies excurro.*

Ægid. Corrozetus de dict. & fact. mem.

§. 49. Nullatenùs latebat hos omnes, felices eſſe, qui Chriſtum fortunis ſuis emunt, hancque negotiationem eſſe præſtantiſſimam, quâ brevia & fragilia bona cum ſempiterna gloria commutantur: inſuper parvo conſtare regnum cælorum (duobus enim minutis: quæ Marci 12. miſit inGazophylacium, vidua quædam illud emit) vili pretio tantam poſſeſſionem proponi; proponitur quippè in terrâ quod poſſideant in cælo, proponitur in tempore, quod poſſideant in æternum. Chriſtus, ait S. Auguſtinus, *Regnum cælorum venale propoſuit & pretium ejus calicem aquæ frigidæ eſſe voluit.* Proindè S. Ambroſius verè divitem illum aſtruit, qui in conſpectu Dei poteſt dives videri. *Sed ſolùm illum Deus divitem novit qui ſit dives æternitati, qui non opera ſed virtutum fructus recondat.* Didicerant rectâ diſpenſatione eſſe miſericordes, ut theſaurum non deficientem haberent in cælis; *ubi omnes poſſident, nec minuitur hæredi: manet emolumentum integrum, & eò magis ſingulis creſcit, quò pluribus fuerit acquiſitum.* Libentiſſimè cibis ſuis paſcebant egenos, ut in felici illâ cæli jucunditate & jucundâ felicitate viciſſim paſcerentur deliciis æternis. In hoc ſæculo typum exhibuit futuri vidua Sareptana, ipſa cum filio nocte moritura, Prophetam pavit eſuriens,& mirum in modum capſace completo, qui alendus venerat, illos aluit. Libentiſſimè nudos veſtiunt, ut virtutum ſibi veſtem acquirant, *Quam non tantùm tinea, ſed & mors ipſa lædere nequit. Et meritò: non enim hæ animæ virtutes ex terrâ originem trahunt, ſed ſunt fructus ſpiritus.* Longè abeſt ut aliquandò pauperes deſpexerint, quos in vitâ ſuâ cum S. Joanne eleemoſynario ut dominos venerati ſunt, quòd illi ſoli poſſent eis opem ferre, ut à Chriſti regno non exciderent propter multos interceſſores & multorum

Homil. 13. in Matth. — Lib. 4. epiſt. 24. ad Simplic. — S. Ambr. in Pſ. 118. — 3. Reg. 17. — S. Chryſoſt. homil. 47. ad popul.

preces quas impoſſibile eſt non exaudiri: quia ut dicit S. Chryſoſtomus, *Eleemoſyna aſtat tribunali, non tantùm patrocinans, ſed & ipſo judici perſuadens, ut reo patrocinium præſtet, & pro eo ſententiam ferat.* Homil. 33. ad popul. Idcirco D. Thomas inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent 22. q. 30. art. 4. cenſet potiſſimam eſſe miſericordiam, nam ſupplere defectum alterius eſt ſuperioris & melioris. Quâ virtute homines Deum non ſolùm imitantur ut S. Gregorius Nazianzenus teſtatur, *Eris ſi beneficus, imitaberis Deum. Fac ſis benignus ut benignum habeas Deum.* In monoſtichis. Sed veluti Deum induunt, quod alibi idem dicit, *eſto calamitoſo Deus:* Orat. 16. de cura paup. Meritum & fructum beneficentiæ accuratè recenſet S. Petrus Chryſologus his verbis: *Manducat Deus panem in cælo, quem perceperit pauper in terrâ. Da ergò panem, ſi Deum debitorem, non judicem vis habere.* Serm. 42. *Miſericordiam neſcit divinus ignis exurere.* Damnant proindè cum D. Baſilio avarum qui dicebat in Evangelio, deſtruam horrea mea; & pariter ſententiæ illius conſonant, ubi dicit: „ At tu nonnè ſpoliator „ es, qui diſpenſanda recepiſti, propria reputas? eſt panis famelici, Orat. in illud deſtruam horrea. „ quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conſervas; diſcal- „ ceari calceus, qui apud te marceſcit; indigentis argentum quod „ poſſides inhumatum. Quocircà injuriam tot pauperibus facis, „ quot dare valeres. Noverunt in communi neceſſitate, de ſuperfluis ad ſtatum eſſe pauperibus erogandum; ubi nimirum fumant patinæ & phalides aves lentis vaporibus decoquuntur, ubi argenti pondus, ubi ferventes burici manni, comatuli pueri, pretioſæ veſtes, picta tapetia: in maximâ vero de ſuperfluis ad vitam eſſe largiendum, idque ſine tumore vel jactantiâ, ne perderent mercedem ſuam; ut pleriqúe, *cum manum egenti porrexerint, buccinant: cum ad agapem vocaverint, præco conducitur.* S. Hier. ad Euſtoch. de cuſt. Virg.

§. 50. Ex his liquidò demonſtratur verus & legitimus divitiarum uſus ideòque non dixit Apoſtolus Paulus (ſicuti ſuperiùs innuimus) illos incidere in tentationem & laqueum diaboli qui ſunt divites, ſed *qui volunt divites fieri*; 1. ad Timoth. 6. v. 9. in quo juxta mentem S. Auguſtini *cupiditates accuſavit, non facultates: avaritia enim eſt velle eſſe divitem, non autem divitem eſſe.* Homil. 13. inter. 50. Cupiditatem iſtam notavit Theodoretus ineſſe magis iis, qui pecunias ſuo labore comparant quàm eorum hæredibus aut ſucceſſoribus. Rationem allegat Plato libro primo de Republicâ: quòd illi qui ſuâ induſtriâ opes accumulant, magis illas diligunt tamquam fructus & fœtus proprio ſudore partos; qui verò eas hæreditario jure poſſident minùs erga illas afficiuntur tamquam fœtus non propriæ, ſed alienæ induſtriæ: *Nam & poëmata, inquit, ſua amant poëtæ magis, quàm aliena, & proprios filios parentes magis amant quàm alienos.* Juſtè D. Paulus cupiditatem reprehendit quia illam.

illam radicem omnium malorum eſſe in incontinenti ſubdit. Duo agnoverunt priſci Philoſophi malorum elementa ἀπληστίαν & φιλοδοξίαν inexplebilem ſcilicet opum cupiditatem & gloriæ appetentiam. Non prohibentur divitiæ, ſed hæc ſolummodò damnantur ex teſtimonio

Pſ. 61. Pſalmiſtæ dicentis : *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* „ Ille igi-
„ tur qui non habet, non ambiat, is qui habet, non ſuperbiat, &

Gloſ. S. Aug. ſuper Pſ. 61. „ non dicit nolite habere, ſed cor apponere. Non enim damnat „ divitias, ſed cor appoſitum; quod ſcilicet non expendit, ſed re-
„ condit. Tobiæ dormientis oculis ex nido hirundinum calida ſtercora inciderunt, quæ illum excæcarunt. Ingenioſè notat S. Anto-

Feria 4. Hebdom. 4. in quadrag. ad Philip. 3. v. 8. nius de Padua ſtercora, niſi ſint calida non excæcate, item illo ſtercore quod homini ſenſum principem adimit divitias, opum facultates, & bonorum hujus vitæ caducorum theſauros temporales intelligi; ſic illa nominat Apoſtolus ſcribens : *Omnia arbitror ut ſtercora*, gemmas nimirùm, aurum, argentum, & hujuſmodi quæ miſerè deluſus mundus ſummoperè veneratur : re autem verà *ſtercus pre-*

Orat. 17. *tioſum ſunt, ſic enim divitias appellare ſoleo*, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Quòd ergò ſacer Textus ait Tobiam calido ſtercore excæcatum fuiſſe, tantumdem eſt ac ſi dixiſſet (ſecundùm expoſitionem S. Antonii Paduani) non in divitiis commodum ſive damnum ſitum eſſe, ſed in modo quo eis rectè aut perperam utimur; quippè & ſtercus tunc ſolùm lumina extinguit, cùm calet, non cùm frigidum alget aut tepet: *Sic divitiæ niſi cum ardore diligantur, non offendunt*, niſi earum intemperanti amore flagres, non officiunt viſui, niſi turpi probroſâque aviditate illas anhelus conſecteris, non incommodant oculis, non contaminant animam, neque tenebras menti offundunt, ut propterea Pſalmographus monuerit, *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Tunc non nocebunt, non oberunt, imò proderunt, magnorumque meritorum occaſionem ex ſe miniſtrabunt, ſi in egenos erogentur, ſi pauperibus impertiantur. Aptiſſimè idem declarat parabola evangelica ſeminatoris : ubi ſic habetur de parte ſeminis infeliciter & infructuosè jacti quæ in corda hominum opulentorum incidit. *Quòd autem in ſpinas cecidit, hi*

Luc. 8. v. 14. *ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus & divitiis & voluptatibus vitæ ſuffocantur, & non referunt fructum.* Pulchrè illum locum explicat magnus Bulgarorum Archiepiſcopus Theophilactus. „ Vide,
„ inquit, cùm de his qui ſuffocantur loquitur, non dicit, quòd à
„ divitiis ſuffocantur, ſed præ curis divitiarum & ſollicitudine; non
„ enim divitiæ nocent ſed ſollicitudines earum, multi enim magna
„ commoda ex divitiis percipiunt, illas in pauperum ventres projicientes. Non in divitiis conſiſtit omne malum, nec bonum om-

ne

ne in paupertate, uti nec quemquam beat ſaccus, neque byſſus aliquem damnat; ſed modus quo talibus rebus utimur. „ Inſidiæ ſunt „ in divitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtiis. Illæ „ elevant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tractat ſanitas, „ tentat infirmitas, & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. Laqueus eſt in ſecuritate, laqueus in timore. Non intereſt, utrùm animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis: cùm par morbus ſit, vel ſub vana delectatione „ languere, vel ſub anxia ſollicitudine laborare. *S. Leo in ſermon.*

§. 51. Quarè ità movemur rebus quæ foris ſunt, quæ nos tantummodò circumſtant? aurum, argentum, omnis pecunia, veſtis, clientela, familiæ, pecora, honores foris ſunt. Cur eximus à nobis exules facti pectoris noſtri? inſtanter etiam cum lachrymis dicimus, pater meus, Deus meus da nobis divitias. Unumquemque alloquitur D. Auguſtinus his verbis, *Quia petiiſti, accepiſti: fac indè benè: antequam haberes humilis eras: habere divitias cœpiſti, & pauperes contempſiſti. Quale bonum eſt, undè pejor factus es?* Peſſimum eſt divitiis cor apponere; *Ubi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, quod vi & virtute quâdam transformativâ in rem amatam tranſit: fit aurum, argentum, caro, lutum, terra juxta naturam & conditionem eorum quibus per cupiditatem inhæret. Non inconcinnè idem præſenti Emblemate poteſt exprimi; nam uti pueri inter ludrica ſua corio madefacto ſolent lapidem elevare, qui tamdiù illi cohæret donec vi ſuâ & naturali propenſione ad ima, quæ ſunt centrum gravium, deſcendat; ità cor avari eò uſque terrenis conglutinatur, donec pulvis in pulverem revertitur & locum originis ſuæ repetit. Valdè conſequenter D. Bernardus interrogat, *Aurum & argentum nonnè terra eſt rubra, & alba, quam ſolus hominum error facit (aut magis reputat) pretioſam?* Dilucidius totum S. Chryſoſtomus per interrogationem explanat: „ Candore, in„ quit, lucentis margaritæ attraheris? cogita maris eſſe aquam, & „ in ejus ſinibus antè jacuiſſe dejectam. Rapit animum auri fulgor, „ & nitor argenti? cogita terram ac cinerem ea priùs fuiſſe & modò eſſe. Aſtruit Tertullianus aurum & argentum principes materias cultus ſæcularis terram eſſe planè glorioſiorem; „ Quoniam in ma„ ledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata „ nomen terræ in igne reliquit, atque exindè de tormentis in orna„ menta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli „ refuga mutatur. Pro hujuſmodi tamen terra quot non labores ſuſcipiuntur, quæ non pericula adeuntur? homo terrenus omnem movet lapidem pro terra. Inſidis ſe committit Oceani fluctibus, ut glebulam

Serm. 3. de S. Cyp.

Matth. 6. v. 21.

Serm. 4. de adventu.

In cap. 6. ep. ad Timoth.

Lib. de habitu muliebri.

terræ iſtius domum reportet, implicat ſe pro exiguo lucro periculoſæ & quandoque injuſtæ negotiationi, continuò veluti ſerpens terræ inhiat, aut ſicut talpa terrâ ſatiari nequit: ità cenſus iſte terrenus, à quibus vitiosè diligitur, non eſt voluptatum materia, ſed dolorum. *Quis tamen*, quærit S. Ambroſius, *contentus eſt ſuo? cujus non inflammat divitis animum vicina poſſeſſio? non igitur unus Achab natus eſt, ſed quod pejus eſt, quotidiè Achab naſcitur, & numquam huic ſæculo moritur*: Una cupiditas ex alterius fine nectitur, & multis fortuna dat nimis, nulli propemodùm ſatis; adeò ejus quod ſemel tranſiit modum, nullus eſt terminus. „ Vidiſti aliquando, inquit „ Seneca, canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis apetto ore „ captantem? quidquid excepit, protinùs integrum devorat, & „ ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis. Quidquid expe„ ctantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate demittimus ſta„ tim ad rapinam alterius erecti & attenti.

Lib. de Nab. cap. 1.

Epiſt. 72.

§. 52. Avaritia proindè malum eſt quod ſtare neſcit aut quieſcere; ſed ignis naturæ ſimile, nam mora ignis, cum ligna, quæ conſumit, acceperit, accreſcit; & undè videtur ad momentum flamma comprimi, indè paulò poſt cernitur dilatari. *Quin igne vehementior eſt, omnia continuando finibus ſuis occupat? ea quæ ſunt vicini ſibi aufert: mox ubi alium ſortitur vicinum, & quæ illius ſunt ad ſe rapit.* Majora cupit, quò majora venerunt, multòque concitatior eſt in majorum opum congeſtu collocata. Plerumque acceſſione patrimonii accedit cupiditatis augmentum. Inflammatur lucro avaritia, non reſtinguitur: deeſſe ſibi arbitratur quidquid ab aliis poſſidetur; dives, quod ſuum eſt, quaſi vile faſtidit, quod alienum eſt, quaſi pretioſiſſimum concupiſcit; obiraſcitur fortunæ de ſæculo querens, & in angulos ſe retrahens, ac pœnæ incubans ſuæ dum aliena poſſidere nequit. Quemadmodùm pueri, luſoria plurima licet quis illis dederit, ſi unum atque alterum modò auferat, reliquis omnibus per iram ac indignationem abjectis plorant; ſic avaro, vel unum aliquod, quod concupiſcit, ſi obtineri non poſſit, magna commoda injucunda atque inſipida ſolet reddere. Evidentiſſimè divitum talium conſuetudinem exprimit D. Ambroſius his verbis: „ Con„ triſtantur ſi aliena non rapiant, renunciant cibo, jejunant: non „ ut peccatum minuant, ſed ut crimen admittant. Videas illos „ tunc convenientes ad eccleſiam officioſos, humiles, aſſiduos, ut „ effectum ſceleris impetrare mereantur. Quòd ſi totum orbem terrarum poſſiderent, adhuc egerent, quia eorum non capit mundus cupiditates. Ecquid deindè commoditatis ex tanta congerie ſunt habituri, ſi illa utendo ſua non faciant? de reliquis nihil habituri

S. Baſil. Homil. 15. de avarit.

Lib. de Nab. cap. 10.

turi præter ſolum aſpectum ; quam voluptatem æquè de alienis ac de ſuis capere nihil vetat. Igitur qui ad vota vivit, numquam dives eſt. Quanta inſania eſt iterùm ſub terras referre, quæ malè quis egeſſerat, aurum videlicet in metallis latitans omni diligentiâ in lucem proferre, ac ex humo recludere, deindè ſemel effoſſum rurſùs in terra occultare? Hinc non ineptè Plutoni inferorum Regnum à Poëtis eſt aſſignatum, quia πλοῦτος id eſt opes ex imis terræ viſceribus eruuntur, & avaros in infernum ad Proſerpinam Plutonis uxorem deducunt. Pluto ab his Dis vocatur ; cujus dat cauſam Tullius: *Terrena vis omnis*, ait, *atque natura Diti patri dedicata eſt : quia & recidant omnia in terras, & oriantur à terris.* Adeò tenaciter adhæret corio madefacto lapis ſurſùm attractus, ut illud non relinquat donec ſit arefactum, tum demùm pondere ſuo ad ima vergit: ſimiliter tam arcto concupiſcentiæ viſco cor avari copulatur divitiis, ut niſi totum ſit vi mortis, quæ omnia vincula diſſolvit, exſangue & exſiccatum ad primævam terræ conditionem tendens, illas nullatenùs à ſe dimittat. Quàm verè de ipſo dicitur, Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Quod S. Ambroſius confirmat hoc modo, *Multi defoſſo auro incubant : aurum eorum ſub terra, & cor eorum ſub terra : cave ergò ne & tu cor tuum terræ vivus infodias.* Lib. 2. de nat. Deorum. Lib. de Jacob. & vita beata cap. 7.

§. 53. Notavit S. Chryſoſtomus pecunias græcè dici χρήματα à χρᾶσθαι id eſt uti, quòd iis utendum ſit, illæque expendendæ in noſtram & aliorum utilitatem. Avaris tamen pecuniæ non ſunt χρήματα, ſed κτήματα ἀχρεῖα poſſeſſiones inutiles. Imò rectè cenſet Feſtus aurum dici à cuſtodiendo, quòd ſcilicet ſe cuſtodiat, & cuſtodiatur ab avaris ; græcè enim ἐρύειν cuſtodire dicitur, undè & theſauri nomen, undè & avarus cuſtos vocatur divitiarum ſuarum, ſervus etiam, mancipium aureum. Quem ſic increpat S. Ambroſius, *Cuſtos es, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis : miniſter utique ejus non arbiter.* Cauſam reddit. *Quia aliena cuſtodit ut famulus, non tamquam dominus ſuis utitur. In hujuſmodi ergo affectu dicimus, quòd vir divitiarum ſit, non divitiæ viri.* Quomodò enim earum habet poſſeſſionem, quarum nec uſum nec fructum cum libertate habet? Lib. de Nab. c. 14. Ibidem c. 15.

„ Faciliùs, inquit S. Chryſoſtomus, alicui ex propriis carnibus,
„ quàm ex defoſſo auro communicaret. Velut enim quodam man-
„ dante & jubente nihil de repoſitis tangere, ſic cum omni diligen-
„ tia ea ſervat & continet, à ſuis tamquam ab alienis abſtinens, &
„ quippè ſunt aliena: quæ enim aliis erogare numquam pateretur,
„ neque neceſſariis impendere, etiamſi infinitas ſuſtineret pœnas ;
„ quomodò hæc eſſe propria putare poſſet? De ſimili loquitur Horatius,

Lib. 1. ſerm. ſat. 1.

————— Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tamquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudêre tabellis.

Dum implevit domum, timet latrones, dum acquiſivit aurum, perdidit ſomnum. Nam quomodò poteſt dormire, qui ſollicitam auri exercet cuſtodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui uſuras computat? qui hypothecas numerat? Avaro vigiliæ, curæ, ſollicitudines, cruciatuſque animi quietem excludunt: poſſeſſio divitiarum timoris, amiſſio plena doloris invenitur; amor vero inſatiabilis longè ampliùs deſiderio torquet animam, quam refrigeret uſu ſuo, quia cupiditate plus ſitit. Depauperat illum propterea avara voluntas, exinanit cupiditas, expoliat ſitibunda tempeſtas. Accedit miſeriarum cumulus quod miſerabilem cæcitatem mentis incurrat; amor ſiquidem divitiarum pupillam mentis quaſi quidam malignus humor influit, denſamque adeò nebulam illi obducit, ut juſtitiæ quoque ſole ſplendidè coruſcante noctem continuam nihilominùs patiatur, & quia talparum naturam induit, pœnam juſtè à natura illis inflictam ſuſtinet. Quodque olim natura reſpondit talpæ illam incuſanti, quòd oculorum uſum, viſumque ſibi denegaſſet; rectiſſimè ipſi poterit convenire. „ Latebras (inquiebat „ natura talpæ) incolis, & terrena totaliter dilexiſti, nec non amo- „ re terreſtrium, perdidiſti cæleſtia, & diligendo odibiles tenebras „ lumine caruiſti. At neſcis, quòd avaritia monſtroſa quia adama- „ vit terreſtria, perdidit cæleſtia, & habet oculos & non videt? „ nam ut cæca dimiſit vera pro falſis, fixa pro fluidis, cæleſtia pro „ terrenis; ſic & infinita maximaque bona pro minimis, glorioſa „ pro miſeris, ſecura pro dubiis, ſancta pro peſſimis, & gaudioſa „ pro afflictis commutavit. Et poſt pauca: „ Quin & vorat ut evo- „ mat, amat quo pereat, acquirit quod perdat, curat quod do- „ leat, & ſe onerat ut velociùs in abyſſum deſcendat. Vides nullam avaritiam ſine pœna eſſe, quamvis ſatis ſit ipſa pœnarum. „ O quan- „ tum lachrymarum, ô quantum laborum exigit! quàm miſera de- „ ſideratis, quàm miſera parris eſt. Adjice quotidianas ſollicitudi- „ nes, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant. Majore tor- „ mento pecunia poſſidetur quàm quæritur. Quantùm damnis in- „ gemiſcunt, quæ & magna incidunt, & majora videntur! deni- „ que ut nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, „ damnum eſt. Primus homo avaritiâ occæcatus paradiſo deliciarum mox ſpoliatur. Nam cùm animus à Deo averſus apparentium tantùm cupiditatem concepit, illicò mentis lumen intùs perdidit, &

Cyrill. lib. 3. Apol. mor. cap. 2.

Sen. ep. 115

Gen. 3.

& foris talpeis oculis reſeratis nuditatis ſuæ dumtaxat pauperiem videt. Quin etiam Saül contuitu rationis orbatus dum pecora concupivit, Regni gloriâ caruit. *1. Reg. 15. v. 9.*

§. 54. Venerabilis P. Joannes Rusbrochius primus Canonicæ noſtræ Marianæ Prior, vir rectitudine mentis, vitæ ſanctimoniâ, morum candore, & contemplationis eminentiâ celebris, ideóque à nonnullis Doctor myſticus appellatus, nativis depinxit coloribus naturam avari, quem congruenter dæmonis unguibus & inferno compatat ob inſatiabilem cupiditatem atque tenacitatem. „Quò, „inquit, magis caducis abundat bonis, eò plus appetit. Et licet „habeat multa tamen contentus non eſt: deeſt enim illi quidquid „alienum aſpicit. Quæ autem habet, parva aut nulla illi videntur; „poſſet quidem haud ineptè dæmonis unguibus compatari, nam „quæcumque apprehendit, deſerere non poteſt, ſed ad extremum „uſque ſpiritum mordicùs retinet, quæcumque etiam dolo & frau„de adipiſci valet. Tùm verò, velit, nolit, amittit omnia, mox„que excipit eum dolor æternus, & dignè quidem cùm inferni ſi„milis ſit, qui quantumvis multos recipiat damnatos, numquam „tamen dicit, ſufficit, & licet devorarit plurimos, non tamen „propterea melius habet; quotquot autem apprehendit, firmiter „retinet, & ſemper hoſpites tartareos hianti ore expectat. *Libello de ſeptem amor. grad. cap. 2.* Quantæ contagionis ſit cupiditatis peſtis vel ex hoc liquet quòd res naturâ & uſu ſuo optimas omninò inficiat atque corrumpat. Filiis Iſraël in deſerto ex manna viventibus, magnis ac parvis, divitibus & pauperibus eadem cunctis cæleſtis edulii menſura dabatur: nec collectum plus inveniebat avarus, nec minus qui fuerat pigritatus: nimirùm quia una eſt ſufficientia omnibus, & univerſalis proviſor eamdem hominibus opulentiam neceſſitatis largitus eſt. „Tenta„verant aliqui tamen plus quàm opus fuerat colligere, & nullum „avaritiæ ſuæ fructum accipiebant: & quamdiù æqualitatem cole„bant, manſit manna quod manna erat; poſtquam autem avari „plus habere deſideraverunt, avaritia mutavit manna in vermem. „Nam tametſi neminem alium injuriâ affecerunt, tamen ſibi ipſis „maximè nocuêre hoc colligendi modo avaritiæ ſtudentes. *S. Chryſoſt. tom. 5. ſerm. in dictum Apoſtoli Nolo vos.* Undè veriſſimè dictum: *Qui aurum diligit & res terrenas poſſidet, non niſi venenum edit mortiferum, & aquam bibit æterni mœroris. Et quantò plus bibit eò ſitit vehementiùs.* *Rusbroch. ubi ſuprà.* Semper qui cupit, pauper eſt. Ille probatur divitiarum modus, primò habere quod neceſſe eſt; proximè quod ſat eſt. Quod & in aliis uſuvenit: quoniam ſi ultrà quod ſatis eſt comedas, natura mox evomet, & ſi plus quàm requirit neceſſitas indueris, gravatus ſuſtinere non potes.

§. 55. Reſecanda ſunt itaque ſuperflua atque inutilia, excitandus è ſomno & vellicandus eſt animus, admonenduſque nobis minimum conſtituiſſe. Neque proindè paupertas aut divitiæ improbandæ; in utriuſque mens æſtimanda eſt, inſpiciendumq́ue utrùm quis paupertati, an divitiis indulgeat. Alioquin leve argumentum eſt bonæ voluntatis grabatus, aut pannus, niſi appaiuit aliquem

S. Hieron. ad Pammach. ſuper obitu Paulinæ.

iſta non neceſſitate pati ſed malle. „ Neque ſatis eſt perfecto viro „ opes contemnere, pecuniam diſſipare, & projicere, quod in momento & perdi & inveniri poteſt. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit & Antiſthenes, fecerunt plurimi quos vitioſiſſimos legimus. „ Tibi non ſufficit opes contemnere, niſi Chriſtum ſequaris. „ Ut Pythoclea locupletem non publicâ nec ancipiti viâ faceret, nobili illâ ſententiâ Epicurus adhortatur. *Si vis*, inquit, *Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt.* Voces has non Epicuri ſolùm ſed publicas eſſe Seneca judicat, neque de divitiis tantùm hoc dictum exiſtimandum, ſed quocumque transferatur, idem poſſe.

Ep. 21.

„ Si vis Pythoclea honeſtum facere, „ non honoribus adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. „ Si vis Pythoclea eſſe in perpetua voluptate, non voluptatibus adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Si vis „ Pythoclea ſenem facere, & implere vitam, non annis adjiciendum eſt, ſed cupiditatibus detrahendum. Plus tamen debent Chriſti diſcipuli præſtare quàm mundi Philoſophi, gloriæ animalia, & popularis auræ atque rumorum venalia mancipia. Debent eſſe Philoſophi non verbis, ſed factis, nec veſtitu ſapientiam ſed veritate præferre; virtutum magis conſcientiam quàm jactantiam noſſe; non magna loqui, ſed vivere quaſi ſervi & cultores Dei. Convenit illis imitari ſanctos Apoſtolos, qui, cùm cibos manu & arte quærerent, atque in tantum eſſent pauperes quòd retia emere non valebant ad capiendum piſces, ſed vetera conſuebant, liberè tamen confidenterq́ue dixerunt Redemptori: *Ecce nos reliquimus omnia*:

Matth. 19.

Quod ingenuè fateri potuerunt, quia cupiditates & deſideria habendi reliquerant; majus datum noverant mentis, quam Deo conſecrabant, eſſe quàm muneris: exteriora enim relinquens rem extra ſemetipſum relinquit. Sint igitur pauperes in arca, divites in conſcientia, pauperes in domo, divites in animo, propter humilitatem exaltati, & propter paupertatem locupletati. Dulciter illorum influat auribus Sanctæ Eccleſiæ deſiderium ut ibi fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. *Ubi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.*

Matth. 6.

Serm. 3. de S. Cypr.

„ Audis quotidiè, ait S. Auguſtinus, homo fidelis, ſurſum cor: & „ quaſi contrarium audis, tu mergis in terram cor tuum. Migrate. „ Ha-

,, Habetis undè, facite benè. Non habetis undè, adverſus Deum ,, nolite murmurare: audite me ô pauperes! quid non habetis, ſi ,, Deum habetis? ſint divites in operibus bonis, pauperes in patientia & in egeſtate beati; nudi ſubſtantiâ, ſed & injuſtitiâ, nudi malis omnibus, bonis verò omnibus induti, juſtitiâ veſtiti, ſanctitate circumdati, charitate ornati, miſericordiâ & bonis operibus coronati. Tunc penſabunt homines propter homines, nec ſola quæ circumſtant hominibus conſiderabunt: naturam aſpicient, & honorem Dei in hominibus agnoſcent. Tunc omni ſtrepitu humanarum ſilente cauſarum liberè poterunt in aula mentis divinæ vacare contemplationi. Dicent cum D. Patre Auguſtino. ,, Taceat quæſo ,, tumultus carnis. Conticeſcant phantaſiæ terrarum, aquarum, ,, aëris, & poli: taceant ſomnia, & imaginariæ revelationes, om- ,, nis lingua, omne ſignum, & quidquid tranſeundo fit. Sileat ſi- ,, bi & anima, & tranſeat ſe non cogitando ſe, ſed te Deus meus, ,, quoniam tu es reverà tota ſpes & fiducia mea. Ad omnes generaliter S. Salvianus ſermonem dirigit hanc periodum ſententiosè concludens: ,, Si vis, inquit, tibi eſſe conſultum, ſi vis æternam ,, habere vitam, ſi cupis videre dies bonos; relinque ſubſtantiam ,, tuam indigentibus, ſint facultates tuæ alimenta miſerorum, ſit ,, opulentia tua pauperum vita; ut illorum refrigeria præmia tua ,, ſint, ut illorum refectio te reficiat: ſi enim illi de tuo edent, tu ,, ſaturaberis; ſi de tuo bibent, ſitis tuæ æſtum ardoremque reſtin- ,, gues; te illorum veſtitus veſtiet, te illorum apricitas delectabit: ,, qui Chriſtum facit hæredem, in Chriſto omnia poſſidet.

In Manuali cap. 12.

SYM-

SYMBOLUM XXVIII.



Humanæ ſocietatis vinculum quamvis mutuis benevolentiæ & beneficentiæ contineatur officiis, nihilque æquè ſecundùm naturam ſit, quàm juvare conſortem naturæ, præſertim cùm ubicumque beneficio locus detur; nullâ denique re magis ad Dei naturam accedamus, quàm beneficentiâ: beneficium tamen accipere minùs commendationis, plus verò obtinet contagionis.

Act. 20. Aurea planè Domini ſententia eſt ab Apoſtolo relata. *Beatius eſt magis dare quàm accipere.* Primò quia ſic Deo magis aſſimulamur, cui maximè competit dare creaturis tàm eſſe naturæ, quàm eſſe gratiæ & gloriæ: non autem convenit illi accipere, quia bonorum noſtro-

noſtrorum non eget. Deindè dans acquirit in donatione bonum honeſtum, at recipiens non acquirit in receptione niſi bonum utile, quod utique minus eſt bono honeſto. Tandem quod ad dantem pertinet agere, ad recipientem pati, excellentiùs porrò eſt agere quàm pati.

§. 1. Hinc liberalis etiam dandi cauſas quærit atque inveſtigat; nihilque antiquius habet quàm dare beneficia non reditura. Largitas exhibita Theodoricum Regem ad ulteriora majoraque provocabat beneficia, ut penè obſtinationis quædam ſpecies in ipſo eſſet gratia & liberalitas. *Amamus*, dicebat apud Caſſiodorum, *noſtra beneficia germinare, nec ſemel præſtat largitas collata faſtidium, magiſque nos provocant ad frequens præmium qui initia noſtræ gratiæ ſuſcipere meruerunt: novis enim judicium impenditur, favor autem ſemel placitis exhibetur.* Malunt ſemper Principes alios agnoſcere debitores, quàm ſeſe tales fateri: hoc enim ipſis minùs honorificum. Dignus profectò eſt decipi, qui de recipiendo cogitaret, cùm daret, eò quòd nullatenùs ſit beneficium quod in quæſtum mittitur. Penè omnes nihilominùs omnium dulciſſimum judicant accipere. *Lib. 2. ep. 2.*

Munera crede mihi capiunt homineſque Deoſque, *Ovid.*
Placatur donis Jupiter ipſe datis.

Potentes illecebræ! ſuaviter enim illabuntur munera, nihil his inexpugnatum, nihil invincibile. Si juſtos in fraudem atque injuſtitiam poſſunt impellere, exoculare ſapientes, quæ vis illis non cedet? quod Divinum nobis pandit Oraculum. *Munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Hinc alliciat æquitatis decor, illinc auri fulgor, hic plerumque altiùs ferit pectus, & profundiùs in animum demittitur. Uti peſſima ſine præceptore diſcuntur, virtus autem longâ & ſtrictâ opus habet pædiâ; ità ferè noxia in ſuadelam potentiora ſunt, optima quæque magnis rationibus egent ut exorent, nullis ſtimulis indigent illa, nullo verborum lenocinio, ultrò admittuntur. Non ſemel pulſare mentem virtus conſuevit admitti poſtulans: vitio reſerantur ultrò fores, totis oſtiis, expanſiſque brachiis excipitur. Quanto robore opus eſt auro repellendo cùm ultrò involat, quantâ conſtantiâ, cùm ſponte ſua venit! ſanè *Deut. 16.*

——— *Pauci, quos æquus amavit*
Jupiter

ex hac aurea luctâ victoriam retulêre. Quilibet hâc tempeſtate manus habet ad largiendum contractas, ad recipiendum porrectas. Neque ideò quòd nonnulli de munerum corruptela copioſè graviter-

que ſcripſerunt, eos prorsùs incorruptos argentanginâ caruiſſe judicandum; familiare namque eſt politicis modernis (ne audiant, *Medice cura teipſum*, ne illis objiciatur abſurdum eſſe in alio velle corrigere, quod in ipſis vigere conſpicitur) callido artificio vitia perſtringere quibus maximè obnoxii tenentur. Sic ambitioſi & ſuperbi humilitatem, impudici continentiam, tenaces largitatem, diſſoluti modeſtiam deprædicant; larvam honeſtatis induunt ne comprehendantur in conſiliis quibus cogitant.

§. 2. Non in totum xeniis abſtinendum, ſed modus adjiciendus, ut neque moroſè in totum abſtineatur, neque avarè modus xeniorum excedatur: Uti elegantiſſimè Severus & Antonius Imperatores epiſtolâ ſuâ ſunt moderati juxta vetus proverbium, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus, *Nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnia avariſſimum.* Appellatione doni vel muneris non continentur xenia per interpretationem; pertinent tamen ex verbi ſignificatione; ideòque latius duxerim viro cui æquitas & probitas cordi eſt excutere manum ab omni munere, quod ſacra Pagina ſuadet: & in citata lege inſinuat Juriſconſultus ubi ait, *Sed nec xenia perducenda ſunt ad munerum qualitatem.* Quid mirum? à muneribus cæcitas naſcitur, & ſola munerum ſpes à bono rectoque avertit, caligatione quâdam nimius illorum ſplendor offuſcat oculos mentis ne in magnum juſtitiæ ſolem intendere poſſint, aut non niſi quaſi per obſcurum noctis. Quomodò ſe in libertatem vindicabit qui aureis detinetur compedibus? leviora ſint licet aurea vincula ferreis, fortiora tamen ſunt & tenaciora. Quod de fortuna ſcribit Seneca, non inconcinnè de muneribus dici poteſt. ,, Omnes, inquit, cum ,, fortuna copulati ſumus. Aliorum aurea catena eſt, & laxa: alio,, rum arcta & ſordida. Sed quid refert? eadem cuſtodia univerſos ,, circumdedit: alligatique ſunt etiam qui alligaverunt. Alium ho,, nores, alium opes vinciunt: quoſdam nobilitas, quoſdam hu,, militas premit. Quibuſdam aliena ſupra caput Imperia ſunt, qui,, buſdam ſua: Quoſdam exilia uno loco tenent, quoſdam ſacer,, dotia. Omnis vita ſervitium eſt. Nulla hoc ævo pura ſimplexque ſolet fieri donatio, ſed antidoralis, aut quæſtuoſa in beneficiis negotiatio: quòd non ſolùm propter notam ingratitudinis, ſed ex neceſſitate beneficium ſine uſura non debere reddi exiſtimetur. Hinc qui beneficium acceperunt cum ipſo copulati ſunt, alligatique ſunt etiam qui alligaverunt ob ſpem lucri & remunerationis. Omnis denique vita alteri obſtrictorum ſervitium eſt, grave jugum, dura ſervitus, inglorium terris cæloque nomen, cùm & benefactori ani-

L. ſolent ff. de offic. pro conſ.

De tranquill. animi cap. 10.

mam

mam debere quandoque dicantur. Sciunt homines quòd officia feræ quoque ſentiant, uti patuit in Leone Andronici, ideòque modis omnibus ingratitudinis vitium evitare ſatagunt: maledicta quippè cuncta dixeris cùm ingratum hominem dixeris; malum grave nimis atque intolerabile quod diſſociat homines. Hinc, quandoquidem altiùs injuriæ quàm merita deſcendant, & nullæ graviores ſint, nullæ atrociores quàm ex ingratitudine manantes, etiam per fas nefaſque cogitant ſeſe ad talionis vicem benefactoribus teneri.

§. 3. Incantamenti proindè genus videtur beneficium, præſtigiorum quoque vim habere, ne virtutis decor, juſtitiæ ſplendor dilucidè cernatur; ſed falſâ mens deludatur imagine. Quandoque ex parte dantis (aſt ferè ſemper ex parte accipientis beneficium eſt maleficium) munera ſunt improba, impia, injuſta, venena etiam & ferrum licet in patriam, in parentes ſtringendum: quia ſuaviter illaqueant, ideò pernicioſa, quia blanda, ideò fallacia; nemo abſinthio miſcuit aconita, dulcibus ferè ſolent miſceri, electilibus venena temperari: lethale, quo inficit & conficit animam diabolus, rebus gratiſſimis Deoque acceptiſſimis conſuevit imbuere. Cleopatra Symbolo huic anſam atque materiam præbuit à parvula ad nequitias, libidines & luxum facta. Tyrocinium poſuit in Julio Cæſare, poſtmodùm in Antonio: ad quem per Q. Dellium Senatorem ad cauſæ dictionem evocata venerum ac formæ conſcia Cydno fluvio molliter deferebatur navi auratâ, remigio argentato, velis purpureis, ad modulos tibicinum & citharædorum, ſub cælo aureo recumbens gemmis diſtincto. Pueri formoſuli habitu cupidinum adſtabant & miniſtrabant, quidam ventulum ei facientes. Virgines & ancillæ, inſtar Nympharum, per foros ac tabulata diſponebantur. Sic Venerem ad Bacchum venire commeſſatum paſſim & obviè clamabatur. Gravitate Quiritium relictâ ſubmiſit faſces Antonius, ultrò ad eam venit, cœnat, edit, ac bibit amorem, quem illa non tàm vultu quàm verbis & ingenio inſpirabat. Cum rea ſua in Ægyptum hoc eſt in caſſes, in carceres omiſſo bello omni ſponte abiit, dominam ibi & arbitram expertus, apud quam fatalem ſervivit ſervitutem. Attamen apparatu belli Actiaci gratificationem magnificam illius timens, nec niſi prægustatos cibos ſumens, venuſto licet aſturo tamen Cleopatræ ingenio diffidebat: cujus pavore Regina luſiſſe fertur extremis coronæ floribus veneno illitis, ipſâque capiti impoſitâ, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ità timeret inſidias? Ergò concerpta in ſcyphum incipienti haurire, oppoſitâ manu, *En ego ſum*, inquit, *illa*,

Plin. lib. 21. cap. 3. *care Antoni, quam tu novâ prægustantium diligentiâ caves: adeò mihi, ſi poſſum ſine te vivere, occaſio aut ratio deeſt.* Indè eductum è custodia bibere juſſit, qui illicò exſpiravit. An non meritò poterat timere Antonius? notæ fraudes, notæ technæ, nota erat manus. Quid ſi non detinuiſſet? vitam certè in munere reliquiſſet. Non erat illud ſecundùm ſe beneficium, ſed maleficium. Quæ vaferrimis ſuis machinationibus fratri ſuo Ptolomæo regnum & vitam eripuit, non adeò videri poterat amica quin inimica brevi fieri poſſet. Negare non poſſumus merum fuiſſe maleficium poculum illud à Maſiniſſa dono miſſum Sophoniſbæ, cui non inerat amatorium ad conjugalis fidei vinculum arctiùs firmandum, ſed lethale toxicum:

——— *En quos ſervatum munus in uſus!*

T. Liv. decad. 3. lib 10. Quod & mox Sophoniſba detegens, *Accipio,* inquiebat miniſtro, *nuptiale munus, nec ingratum, ſi nihil majus vir uxori præſtare potuit. Hoc tamen nuntia, meliùs me morituram fuiſſe, ſi non in funere meo nupſiſſem.* Nec locuta ferociùs acceptum poculum nullo trepidationis ſigno dato impavidè hauſit. Fatale erat munus, non tamen clandeſtinum, ſed probè à recipiente cognitum. Sicut illud quoque poculum, quod Alboinus Rex Italiæ Roſimundæ uxori ex cranio patris Chunimundi Crepidarum Regis confectum porrigi juſſit; atque ipſam, ut hilariter cum patre ſuo biberet, invitavit. Quæ vox atrocitate plena impotentem mulieris animum ad paternæ necis vindictam pariterque mariti contumeliam inflammavit concitatis in

Sig. de Reg. Ital. lib. 1. in fine. perniciem Regis Helminge & Peredeo ejus familiaribus. A quibus vir fortiſſimus multarumque gentium victor, incautus ac ſomnum capiens eſt trucidatus. Verùm blanditiis aſtuque muliebri donum erat circumdatum, quod Roſimunda Helmingi ſecundo viro è balneo exeunti obtulit, dum illi peſtiferum poculum pro ſalutari porrexit. Fugienda ſunt igitur ſtillicidia mellis de poculo venenato, nec tanti facienda munera, quanti periculum nominis & animæ. Benè Laomedon apud Maronem omnia ſuſpecta habebat præcipuè munera, undè dicebat:

Æneid. 2. ---- *Timeo Danaos, & dona ferentes.*

Quid ſi per manus conjugis ad viros fuerint delata accedentibus blanditiis, lachrymis, precibuſque auro gravidis: nonnè ab his periculum æquitatis quoque ſummè amantibus & quibus virtus altè ſedet animo ne tot auxiliaribus callidæ fœminæ tamque potentibus ſubnixa copiis omnem virilis roboris labefactent conſtantiam? mutant enim juſtorum verba, mores, animum non ſolùm accepta, ſed & ſperata munera.

§. 4. In

§. 4. In multis ô Seneca! te ſuſpicio libenter tecum ſentiens: prudentiam tamen, quam in dandis muneribus obſervari ſuades, non ſatis perſpectam habeo. Cavendum ſcribis ne munera ſupervacua mittantur. *Æquè ex contrario*, dicis, *circumſpiciemus, ne dum grata mittere volumus, ſuum cuique morbum exprobratura mittamus: ſicut ebrioſo vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit eſſe non munus, in quo vitium accipientis agnoſcitur.* *Lib. 1. de beneſ. c. 11.* Non gravatè dictis annuam, neque munera largienda eſſe diffitebor; modò cum hac etiam præcautione nihil mali creent accipienti: ſi præſtent, quòd non vendat ſuam libertatem, nullumque in ipſo cauſent vinculum obligationis; quâ inductus fidem ſuam & operam (ut benè merenti proſit, aut vices rependat) illicitis quoque aſtringat. Licet enim à viro probo ac juſto longè ſit alienum quemquam ad malum per munera vel beneficia pellicere; per hoc tamen ex animo ſpinoſa non evellitur cogitatio, quâ quis putet (ut notam & vitium ingratitudinis effugiat) ſeſe omnimodè ad præſtanda quæcumque obſtrictum. Si Scriptura dicat, quæ mentiri neſcit, neſcit fallere, *Non accipies munera quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum*; *Exodi 23. v. 8.* Ubi loco *prudentes*, Textus Hebraicus *videntes* habet, quaſi qui mentis oculos habent apertos id eſt ſapientes: quid non in aliis operabuntur? profectò non exoculabunt tantùm illos, ſed periment. Quòd declinaſſent filii Samuëlis poſt avaritiam & accepiſſent munera; ideò ſignanter dicit ſacra Pagina, *Perverterunt judicium.* *1. Reg. 8.* Thebis, Plutarcho atteſtante, judicum imagines ſpectandæ proponebantur ſine manibus, oculiſque conniventibus; quòd juſtitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Areopagitæ quoque judices æquiſſimi ac ſeveriſſimi noctu judicabant in tenebris, ne perſonas acciperent, vel reorum moverentur aſpectu. *Alex. ab Alex. l. 3. cap. 5.* Judicavit Phocion illos, qui Rempublicam adminiſtrant, tamen à capiendis muneribus non temperant, nec bonos eſſe viros, nec tales haberi debere: cùm enim Alexander Macedo centum illi talenta dono miſiſſet, eſſetque percontatus eos, qui pecuniam adferebant, *Quid itâ, cùm eſſent Athenienſes permulti, ſibi uni ea mitteret Alexander? illis reſpondentibus, quoniam unum te judicat virum & honeſtum & bonum*: Subjunxit, *Ergò ſinat me talem & haberi & eſſe.* *Plutarch. in Apopht.*

§. 5. Laudabilis plurimùm viget apud quoſdam conſuetudo ut miſerabilibus perſonis, afflictis nempè, captivis, viduis & orphanis patrocinium gratis impendant, eorumdemque cauſas totis viribus ſuſtineant. In quo maximè enituit S. Ivo viduarum & pupillorum antonomaſticè dictus patronus, & S. Elzearius Comes Ariani

memorandum omnibus ſæculis reliquit exemplum. Nam cùm videret pauperum cauſas atque negotia in aula negligi, miſeratione commotus acceſſit ad Carolum Roberti Galliæ Regis filium, qui Neapolitanum Regnum pro patre adminiſtrabat, ſummoperè petens, ut ſe pauperum advocatum conſtitueret? potitus voto, eâ procuratione tamquam regno adepto lætus munus omni ſtudio exequebatur. Audiebat miſeros diligenter & ſedatè, etiam cùm plerique multa admiſcerent ſupervacanea: tantuſque ad eum quotidiè fiebat ſupplicantium concurſus, ut ægrè poſſet cum ſua familia oſtium domus ſuæ præ eorum multitudine ingredi. Quandoque lotis manibus ad menſam accedenti pauper quidam domum intrans importunè ſe ingeſſit, ſciſcitans, quid de ipſius libello ſupplici feciſſet? perbenignè reſpondens, ſuſtinere parumper jubet: è menſa ſurgit, in curiam properat, confectoque negotio reverſus cùm pauperi ſatisfeciſſet, tum demùm pranſurus reſedit. Aliis ob longam moram ſe ſuſtentare non valentibus neceſſaria ipſe præbebat: atque ità manu, linguâ, animo, Chriſto in membris ſuis ſerviens triplex in ſingulis Deo gratum ſacrificium offerebat, veluti alter Paulus omnibus omnia factus. Tantâ prærogativâ cælo judice dignus habebatur, quia planè integer, planè candidus, ſciens munera excæcare oculos accipientium ab omni munere non manus tantùm, ſed & animum excuſſit. Hinc in cubiculo nonnumquam dicebat: *Tu mihi Domine Deus, in paradiſo debes centum auri uncias & duos pannos coccineos*: Quæ cùm Domina Alaſia monialis in cubiculum caſu ingreſſa audiret, cauſam horum verborum inquiſivit: cui ille reſpondit: *Hæc munera ego hodiè habere potui, ſed pro Chriſti amore contempſi.* Secretò quoque dicebat ſanctæ ſponſæ ſuæ Delphinæ complures non raro in id incubuiſſe, ut donis & muneribus ipſum corrumperent. Quarè Principes Iſraël (de quo tam graviter conquerebatur Iſaias Propheta) cauſas pupillorum atque viduarum negligebant? quia diligebant munera. Hinc dicit: *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones: pupillo non judicant, cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Quantum periculum corruptionis inſtat judicibus non à receptione tantùm ſed & ab amore munerum!

In vita ejus apud Sur. 27. Septemb. cap. 27. & 28.

cap. 1. v. 23.

§. 6. Rectiùs mihi proindè Seneca alio in loco cenſuiſſe videtur, quod generaliter quibuſcùmque muneribus poterit applicari. Sic ait de illis, quæ largâ manu fortuna tribuit: *Et fera, & piſcis ſpe aliquâ oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt. Quiſquis noſtrûm tutam agere vitam volet, quantùm plurimùm poteſt, iſta viſcata beneficia devitet: in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur,*

Epiſt. 8.

limur, *habere nos putamus*, *&* *habemur*. De quibuſdam etiam ità ſcribit Plinius : *Quos ego viſcatis hamatiſque muneribus non ſua promereputo*, *ſed aliena corripere* : Qui dant ſub ſpe majoris lucri, qui donis eò uſque homines ineſcant, ut eos in ſuam ſententiam facile inflectant; imò juſtitiam tractabilem, ſicut aurum ductile, faciant illam ſuæ opinioni conformando : quam modò per pedes, modò per capillum viâ non ſuâ in domum ſuam cogunt. Videtis quòd primò munera mentem excæcent, deindè linguam & ſententiam pronuntiandam immutent? inclinant nimirùm affectum, qui inclinat & obnubilat rationem atque judicium : hâc ſurreptione ad ferendam ſententiam in gratiam dantis ratio impellitur. Quâ fronte negabit pro illo litem decidere à quo dona accepit? difficilia multùm in jure impoſſibilibus æquiparantur : in quorum numero cenſeri poteſt, munera admittere, nec in munerum partem flecti; in quo duplex reperitur iniquitas, duplex ingratitudo, duplex impudentia, pretium accipere, rem non exhibere, datamque fidem fallere; privatim adjudicare, palàm abjudicare ; ibi laudare, hìc damnare; an non hoc eſſe bilinguem, verſipellem, bis ludere, bis circumvenire, bis injuſtum eſſe? viſcata ſunt talia beneficia. Cauſam eleganter reddit B. Petrus Damiani in hunc modum : „ Acceptis quippè „ muneribus, ſi contra datorem quid agere volumus, mox in ore „ noſtro verba moleſcunt, locutionis acumen obtunditur, lingua „ quâdam pudoris erubeſcentiâ præpeditur. Mens quippè percepti „ muneris conſcia, debilitat judicialis cenſuræ vigorem, reprimit „ eloquentiæ libertatem. Nam etſi judicii rectitudo funditùs non „ adimitur, judicandi tamen auctoritas enervatur. Expertus eſt illam munerum efficaciam Demoſthenes, qui cùm adversùs Mileſiorum Legatos acriter in concione dixiſſet, obſiſteretque, quò minùs impetraturi poſtulata viderentur; cauſâ in diem poſterum rejectâ, Legati Demoſthenem ipſum adeuntes magnâ pecuniæ ſummâ, ne contra eos diceret, redemerunt. Poſtridiè collo lanâ & faſciis diligenter obligato in concionem prodiit, fingens ſeſe συνάγχην, quod eſt, anginam pati, idque impedimento eſſe, quò minùs ex more diceret. Quiſpiam tum è populo ſimulationem ſubolens, exclamavit, eum non συνάγχην anginam videlicet, ſed ἀργυράγχην, id eſt argentanginam pati. Jocus hic in illos, qui non audent liberè, quod ſentiunt, eloqui, proverbio locum dedit: uti & de illo, qui pecuniæ causâ taceret, dicebatur, *Bos in lingua*; Idcircò quod Athenienſium numiſma quondam bovis obtinuit figuram. Illud Julius Pollux non Athenienſium, ſed Deliorum aſſerit fuiſſe proprium. Valebat autem duabus Drachmis Atticis: proindè in Deliacis ſpectaculis (ſi cui mu-

Lib. 19. epiſt. 30.

Lib. 2. ep. 2. ad S. R. E. Cardinales.

Plutarchus in Demoſth.

nus dandum erat) præconem pronuntiare ſolitum, tot Boves illi dabuntur.

§. 7. Xenia & dona non tantùm linguam obſident, ſed priùs excæcant oculos Judicum, & avertunt correptiones eorum, qui ſuggerendi locum apud aures obtinent principales. Ne malum hoc experiretur Ephialtes (licet pauperrimus) ab amicis decem talenta ipſi dono data non accepit, addens, *Hæc me cogerent ſiquidem reverenter vos haberem, aliquid præter jus concedere: ſin minùs vos obſervarem, ingratiſſimum haberi.* C. Potitius audiens Romanos acceptis muneribus, priſtinum nomen & decus amiſiſſe: *Utinam*, inquit, *ad illa tempora me fortuna ſervaſſet, & tunc eſſem natus quando Romani dona accipere cœpiſſent! non profectò paſſus eſſem eos imperare diutiùs.* Sentiit munera non eſſe accipienda quæ Legibus ac Reipublicæ obeſſe ſolent. Alcamenes Telecri Filius Spartanus ideò munera à Meſſeniis oblata reſpuit hoc reſponſo dato, *Quia ſi accepiſſem, cum legibus pacem habere non potuiſſem.* Si edicta cum contemptu excipiantur, ut vix executioni mandari poſſint, tamquam Oracula Sibyllina in foliis conſcripta ventiſque tradita; ſi per quempiam ſtet quominùs remedia quæ præſcripſit effectum habeant, aut debitè applicentur; quî fieri poteſt ut cum Legibus pacem habeat? Pacem, fateor, omnes paſſim & æquè deſiderant nec tamen impetrant, quia quæ ad illam faciunt, minimè curant; non adhibent operam ut cum legibus, cum juſtitiâ pacem habeant. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Hinc in Scriptura ſacra toties jungitur pax cum juſtitia; uti in Pſalmo prædicto & Pſalmo 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis.* Iſaiæ quoque 33. capite: *Erit opus juſtitiæ pax.* In promptu ratio eſt; quia qui benè, qui juſtè vivit, Deum imprimis ſecum ac pro ſe habet, neque cor ipſum reprehendit: proximus verò talem metuit & reveretur. ,, Fac juſtitiam, monet S. Auguſtinus, & habebis pacem, ut oſculentur ſe invicem juſtitia & pax. ,, Si enim non amaveris juſtitiam, pacem non habebis. Amant ,, enim ſe duo iſta, juſtitia & pax oſculantur ſe, ut qui fecerit juſtitiam inveniat pacem oſculantem juſtitiam. Duæ amicæ ſunt, & ,, tu fortè unam vis & alteram non facis. Nemo enim eſt qui non ,, vult pacem, ſed non omnes volunt operari juſtitiam. Thomas Morus Angliæ Cancellarius cum legibus pacem ſemper habere ſtuduit, lites mirâ celeritate terminavit, diſſentiones dextrè compoſuit, munerum & opum ſummus contemptor: ut cùm à prima ætate magnis in Republicâ eſſet perfunctus muneribus ultra ſeptuaginta aureos annuos cenſum annuum non auxerit. Quadam vice oblatum ei poculum aureum à vidua Vagham, cui litem adjudicaverat

Ælian. lib. 11. de var. hiſt.

Cic. lib. 2. Offic.

Plutarch. in Laconic.

Pſalm. 84.

In pſalm. 84.

verat, hilari vultu accepit quidem, ſed vino replens ei præbibit & reddidit. Cùm judicis officio fungeretur dicere ſolebat, nihil apud eum inter amicum & inimicum intereſſe: quod gener ejus Ægidius Heron fuit expertus; quem, cùm litem injuſtam ſuſtineret, Morus admonuit ut à lite deſiſteret, quod cùm negligeret, tulit contra eum expeditè ſententiam. Alias, cùm inimici cauſa coram illo verteretur, judicem ſe quaſi æquiorem ſolitò præbuit. Cauſam ſciſcitatus reſpondit, *Hoſtis capitalis quantumvis læſerit, non committam ut ea res illi fraudi ſit in judicio, quod omnibus æquè patere debet.* Nemini dubium quin illi conditiones omnes requiſitæ à Jethro cognato Moyſis ad bonum judicem infuerint: ut verè dixerit Imperator Carolus Quintus, *In Moro Henricus Rex totius Angliæ caput præcidit.* Noverat Henricus ſingulare viri ingenium, doctrinam excellentem, ſummam integritatem, ut pluris omnino æſtimaret unum Thomam Morum in ſuas partes attrahere, quàm dimidiam Regni partem voluntati ceu voluptati veriùs, obtemperantem habere. *Sander. lib. 1. ſchiſm. Angl.*

§. 8. Summo æquitatis jure poterat Moyſes cum Dathan & Abiron eorumque rebelli congregatione judicio contendere (puras tollens ad cælum manus ne ſacrificia eorum reſpiceret Deus) cùm auderet liberè palamque profiteri, *Tu ſcis Domine quòd ne aſellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.* Undè liquidò patuit quàm iniquè ambitûs ipſum, tyrannidis, & duri dominatus accusârint. Rationem univerſæ adminiſtrationis ſuæ cùm redderet Iſraëli Samuël (quod apud viros juſtos Sanctoſque in more poſitum erat, ſic enim ante ipſum fecerant Moyſes & Joſue) coram Deo ac Rege integritatem ſuam in hoc potiſſimùm declarat, quòd ultrò etiam ac ſponte oblata munera recuſarit. *Loquimini*, inquit, *de me coram Domino & coram Chriſto ejus, utrùm bovem cujuſquam tulerim aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi: & contemnam illud hodiè, reſtituamque vobis.* Quis modò ut Samuël ultrò ſeſe arguendum nullis accuſantibus offeret? quis auderet dicere, *Ecce præſto ſum, loquimini de me?* In culmine regiminis conſtituti actus ſuos ægerrimè patiuntur à ſubditis diſcuti, quid dicam reprehendi? De faſtu hoc graviter conqueritur B. Petrus Damiani: „Quis, inquit, „hic arrogantiæ tumor? quis elationis faſtus? quæ denique tanta „ſuperbia? ut liceat Epiſcopum ad propriæ voluntatis arbitrium vi„vere, & quod inſolenter exceſſum eſt, à ſubjectis ſuis dignetur „audire. Beatus, inquit, Job dicit, *Si contempſi ſubire judicium* „*cum ſervo meo.* Et tu dicis: abſit ut digner ad examen venire cum

num. 16. v. 15

1. Reg. 12. v. 3.

Lib. 1. ep. 12

Job. 31. v. 13.

„ clerico meo. Deus omnipotens per Iſaiam clamat. *Venite &*
Cap. 1. v. 18 „ *arguite me*. Is qui judicat omnia non dedignatur à ſervis ſuis ar-
„ gui: & tu ſervus utique cum ſervo in judicium venire faſtidis? Daniel quoque, cùm Rex Balthaſar ei munera offerret, liberè & ma-
Dan. cap. 5. v. 17. gnanimiter dixit: *Rex munera tua alteri da*. Quærit hic S. Chryſoſthomus, *& quod erit interpretationis ſuæ Danieli præmium?* reſpon-
In Pſalm. 95. det: *à Deo merces veniet: quin potiùs hoc ipſum mihi veritatis præmium, interpretari veritatem, ac puritatem, quæ infamatur, vindicare*. Generoſi ſanè pectoris intemeratæque probitatis eſt, nullam quàm à conſtanter prolatâ veritate, à ſyncero æquitatis judicio expetere mercedem poſthabito omnis turpis negotiationis aut aſſentationis quæſtu: ad illud occultâ quâdam vi amatores virtutis conſtringuntur. Optio data fuerat Reginaldo Polo Eboracenſem aut Vintonienſem Epiſcopatum deligendi, modò Regis Henrici Octa-
Sand. ſchiſm. Angl. lib. 1. vi voluntati faveret: cùmque jam præmeditatus veniſſet ut ità ſuam temperaret ſententiam, ne aut conſcientiam læderet aut Regi manifeſtè adverſaretur repentè obmutuit; ut vero facultas loquendi ipſi reſtituta eſt; aliud omnino ſecuſque dixit ac inſtituerat liberrimus veritatis aſſertor. Quòd cum exceptione dubia Clerum Anglicanum (quem apertè & diſertis verbis, uti faſſus eſt, docere debuiſ-
Idem ibidem. ſet) ad Regi juramentum præſtandum impuliſſet Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, uſque adeò illius pœnituit ut non niſi ſanguine proprio hanc maculam expiari poſſe crederet. Tantus ineſt viris ſanctis cum æquitate conſenſus. Cur autem ab illa deficerent, quibus ſufficiens aliundè conſtitutum eſt ſtipendium, omniſque exindè corruptionis anſa deberet eſſe ſublata? Fusè docuerat S. Paulus Corinthios vix quemquam ſuis ſtipendiis militare, neque plantare vineam & de fructu ejus non edere; neque gregem paſcere & de lacte gregis non manducare; deindè qui arat in ſpe arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi triturare; neque magnum eſſe carnalia metere, qui ſpiritualia ſeminarunt: denique qui in ſacrario operantur, illos qui de ſacrario ſunt edere, & qui altari deſerviunt
1. ad Cor. 9. v. 15. cum altari participare. Attamen ſubdit: *Ego autem nullo horum uſus ſum*. Generoſus Apoſtolus, verus Chriſti diſcipulus, ſummæ integritatis vir munera non modò gratis oblata, ſed etiam ſtipendia jure naturæ legeque Dei ſibi debita repudiavit; imò declaravit ſe potiùs mori malle, quàm ea ob labores prædicationis acceptare. Hoc ipſum erat illi veritatis præmium, veritatem evulgare, ac puritatem Evangelii, quæ infamabatur, vindicare. Sufficiebat ipſi, quòd omnibus eſſet omnia factus ut omnes faceret ſalvos. Samuëlis juſtitiam atque modeſtiam ad vivum referre ſtuduit S. Gregorius Nazianzenus

zianzenus. Audite, quàm integrè ſe populi judicio ſubmittat. „Quid, inquit, populum hunc per avaritiam circumvenimus? „numquid privatis utilitatibus conſuluimus? numquid Eccleſiam „moleſtiâ affecimus? nihil profectò, quantùm mihi conſcius ſum. „Purum minimeque adulterinum ſacerdotium cuſtodivi. Non ſiſtit hic, ſed id ipſum graviori contentione perurget. „Quòd ſi Prin- *Orat. 32.* „cipatus, aut ſublimium thronorum ſtudio ductus ſum, aut Im„peratorum aulas calcare appetii; numquam aliud quidquam ſplen„doris conſequi mihi contingat, aut ſi conſecutus fuero, ſtatim illud „projiciam atque amittam. Agnoſcitis per hoc dicendi ſchema in typo ſuo Samuëlis prototypon verè ac genuinè adumbratum? ad hunc Lydium lapidem ſi rectè actiones, ſi intentionem explorarent qui præſunt, diligerentur ut parres, timerentur ut domini; colerentur ut ſancti: exactionibus parcerent, munera non amarent, nec omnem quæſtum pietatem exiſtimarent. Quotieſcumque etenim aliquid præter gloriam Dei ſubditorumque ſalutem quærunt, aut propriæ incumbunt utilitati, aut honoris & gloriæ cupiditate impulſi ſpecioſos excogitant prætextus; diverticula ſolummodò quærunt longè ab hoc virtutis tramite recedentes, neque illud Pſalmi, quod crebrò verbis declarant, moribus ullatenùs exprimunt, *Teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum juſtificationes tuæ.* *Pſalm. 11.*

§. 9. A Moyſe, Samuele, & à ſanctiſſimis prædeceſſorum ſuorum exemplis plurimùm deſciverunt poſteri tempore Machabæorum. Non tunc veritatem in lucem agebat & adducebat dies, ſed avaritia, ſacrilegium & ambitus in Democriti fundo deliteſcere cogebant. Ludebat aurum in cognato ſanguine; nihil illi inacceſſum, nihil illæſum; non frater, non ſoror, pater, mater: nihil intactum, nihil ſacrum, non thalamus, non uterus, non ubera, non ſacra, non prophana, non Deus ipſe in ſanctorum fœderum teſtem vocatus. Proſtabant omnia venalia: Regale illud & maximum ſacerdotium, templum ipſum omni terrâ ſanctius, quin juſtitia & veriras (quam Hippocrates depingebat quaſi mulierem pulchram, magnam, ſimpliciter ornatam, illuſtrem ac ſplendidam; cujus oculorum orbes puro lumine nitebant, ut aſtrorum ac ſtellarum fulgorem imitari viderentur) injuſtæ rei pretio cedebat. Onias vir integerrimus quòd Menelaum de ſacrilegio arguiſſet, illius ſuaſu ab Andronico peremptus eſt. Menelaus apud Regem Antiochum accuſatus intercedentibus donis eſt abſolutus neci deditis innocentibus ejus accuſatoribus. Ad pedem litteræ hiſtoria venit explicanda. „Cùm ſuperaretur Menelaus promiſit Ptolomæo multas pecunias *Machab. lib.* „dare ad ſuadendum Regi. Itaque Ptolomæus in quodam atrio *2. cap. 4.*

„ poſitum quaſi refrigerandi gratiâ Regem adiit, & deduxit à ſen-
„ tentia. Er Menelaum quidem univerſæ malitiæ reum criminibus
„ abſolvit: miſeros autem, qui etiamſi apud Schytas cauſam dixiſ-
„ ſent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit.

Galterus lib. 1. Alexandreidos.

A norma recti munus diſtorquet acumen
Judicis, & tetrâ involvit caligine mentem.

Illinc liquet quòd apud tales neque de teſtimonio conſcientiæ aut veritatis, neque de morum venuſtate ſit confidendum, niſi via munere præcedenre ſit præparata.

Cùm ſemel obtinuit vitiorum mater in aula
Peſtis avaritiæ, quæ ſola incarcerat omnes
Virtutum ſpecies, ſpreto moderamine juris
Curritur in facinus, nec leges curia curat.

Congruentiſſimo idem conſtat experimento ex ſcientia perſpectiva deſumpto; ut, ſi quis oculo ſupponit digitum, & à ſitu debito pellit eum; propter motum factum in oculo, unum ſibi videbitur eſſe duo. Sic decipitur oculus mentis acceptione munerum quæ à loco Cap. 59. iſtum dimovent. Hi ſunt digiti, de quibus Iſaias: *Digiti veſtri pleni ſunt iniquitate.* Ideò non eſt mirum, ſi faciunt rationis oculum ab æquo judicio declinare. Tria enim præ cæteris ſolent pervertere judicium; credendi facilitas; acceptio perſonarum; amor munerum. In hujuſmodi, qui, ut ſe repleant, exinaniunt alios, cadit Pſal. 27. hoc Pſalmi, *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Inſurgant licet potentis imperia in rem injuſtam, in innocentis oppreſſionem, in Nabuthæ ſanguinem; non ſunt obliviſcenda Jeſabel & canes.

§. 10. Diſſimili planè ratione cauſæ in diſtricto ſupremi judicis examine terminantur: advertit id Thomas à Kempis, *In omnibus*, inquit, *reſpice finem, & qualiter ante diſtrictum ſtabis Judicem, cui nihil eſt occultum, qui muneribus non placatur, nec excuſationes recipit.* (De Imitat. Chriſti lib. 1. cap. 24.) Graviter prudenterque admonet Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi. „ Cùm æterni tribunal Judicis illum reum non ha-
„ beat, quem injuſtè Judex condemnat; teſtante Prophetâ: *Nec* (Pſal. 36. v. 33.)
„ *damnabit eum cùm judicabitur illi.* Caveant Eccleſiaſtici Judices &
„ prudenter attendant: ut in cauſarum proceſſibus nil vendicet (Cap. cum æterni de ſent. & re jud. in ſexto.)
„ odium, vel favor uſurpet: timor exulet: præmium aut expecta-
„ tio præmii juſtitiam non evertat: ſed ſtateram geſtent in mani-
„ bus: lances appendant æquo libramine: ut in omnibus quæ in
„ cauſis agenda fuerint: præſertim in concipiendis ſententiis & ferendis

,, rendis præ oculis habeant ſolum Deum. Corruptos proindè judices famæ ſuæ prodigos & proprii perſecutores honoris Pontifex nominat. Congruè quoque ab Iſaia vocantur ſocii furum : *Quia dum furtiva dona ſuſcipiunt, etiam à comminiſtris ſuis & ſodalibus deprehendi velut in furti crimine perhorreſcunt.* Hanc ob rem fugiebat S. Anſelmus acceptores munerum ut deteſtabiles : quibus ipſe quoque dicebat, *Prehendere* & *pendere* non differunt niſi unâ litterâ tantùm. Impio proditori Judæ aſſimulat tales D. Gregorius : *Quis*, inquit, *non erubeſcat dicere, quid mihi dabis, ut tibi juſtitiam faciam, Nonne ſimile eſt, acſi dicatur : quid mihi vultis dare, ut abnegem? Officium perdam, ut Deum vendam?* In multis curiis inveniuntur janitores Cerbero duriores. Unum ſolummodò tricipitem Cerberum apud inferos eſſe perhibent Poëtæ : ibi tot ſunt Cerberi quot oſtiarii. Totam familiam aut mordentem invenies, aut latrantem. *Si quis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eum prælium:* Verùm mox

B. Petrus Damian. lib. 2. Epiſt. 2.

Lib. 12. Moral.

Mich. 3. v. 6.

> *Audito nummo, quaſi viſo Principe ſummo*
> *Diſſiliunt valvæ, nihil auditur niſi ſalve.*

Quanta vis munerum? quibus faciliùs pervertitur animus, quàm gratiæ laudiſque favore. Benè appellavit Caſſiodorus oblationem muneris, tineam regiminis. Hinc judices qui ſequuntur retributiones *quamvis munificis ſuis auxilium quod poſtulantur, impendunt; reatûs tamen maculas non evadunt: quia dum beneficii ſui talionem recipiunt, fructus æternæ mercedis amittunt.*

B. Petr. Damian. ubi ſupra.

§. 11. Xenia aut Xeniola, ut ſunt eſculenta vel poculenta minoris momenti, quæ die uno alterovè conſumi ſolent aut poſſunt, judicibus accipere jura permittunt. *Agebat tamen*, Cicerone teſte, *auſterè & ſtoicè M. Cato, negans verum eſſe allici benevolentiam cibo, negans judicium hominum in Magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergò ad cœnam ſi quis vocet petitionis cauſâ, condemnetur.* Ex hoc judicabimus utrùm illi xenia aut xeniola, congiarium, ſportula, erant cognita. Magnæ frugalitatis atque integritatis viros habuit Græcia. Cùm plura magnaque munera Socrati dono miſiſſet Alcibiades ambitione quâdam munificus; Xantippe uxor Socratis admirans donorum amplitudinem, illa cupiit eum accipere, cui Socrates dixiſſe fertur : *Imò nos certemus liberalitate cum Alcibiade, & ea quæ mittuntur ab ipſo non capiamus quâdam magnificentiâ.* Profundè illâ erat imbutus ſententiâ μεγαλοφρονέστερος ὢν τοῦ δόντος ὁ μὴ λαβών celſiore eſt animo qui non cepit, quàm qui donavit. Cùm Cæſar ducenta talenta attuliſſet Demetrio Cynico, illa Philo-

Cap. ſtatutum §. adſuper in 6. & l. ſolent. §. ult. ff. de offic. proconſ.

Cic. pro l. Mur.

Ælian. lib. 9. de Var. Hiſt.

Ælian. lib. 3. cap. 5.

 ſophus

Bruſſ. lib. 1. cap. 9. ſophus ridens rejecit; *Si tentare*,inquit,*me conſtituerat, toto illi fui experiendus imperio.* Habuit & Roma Fabricium ingentem virum, quem nec Rex donis nec contra Regem promiſſa flexerunt boni exempli tenacem:quod difficillimum eſt,in bello innocentem.Sic illum admi- „rans commendat Seneca,, Fabricius Pyrrhi Regis aurum repulit,ma- „juſque regno judicavit,regias opes poſſe contemnere.Idem, medico

Epiſt. 120. „ Pyrrhi promittente venenum ſe Regi daturum, monuit Pyrrhum „ caveret inſidias. Ejuſdem animi fuit auro non vinci, veneno non „; vincere. Qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſte nefas: qui in ſum- „ mâ paupertate, quâ ſibi decus fecerat, non aliter refugit divitias quàm venenum. Excellit tamen inter omnes magnus Patriarcha Abraham, quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare: minùs eſt enim quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit; majorque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides. Viri illius acerrimi & contra omnia naturæ deſideria pugnantis magnitudinem animi numquam ſatis potero admirari, quando liberè Regi Sodomorum reſpondit, illudque jurejurando confirmavit, *à filo ſubtegminis*

Geneſ. 14. v. 23. *uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt*: cauſam ſubnectit, *ne dicas: ego ditavi Abram.* Inſignem hìc animum demonſtrabat terrena omnia parui pendentem, omnem ſpem atque fiduciam in Deo (qui plus valet quàm cuncta mundi bona)

Lib. 3. de Imit. Chriſti cap. 31. collocantem. Hunc approbat Thomas à Kempis dum quærit *quid ſimplici oculo quietiùs? & quid liberiùs nihil deſiderante in terris?* noluit Abraham (quod caput erat) ullatenùs obnoxius eſſe Regi ſpolia offerenti *ne dicas ego ditavi Abram.* Non hominem largitorem

Jacobi 1. v. 6. ſed Deum volebat *qui dat omnibus affluenter & non improperat.* Beneficii quippè exprobratio eſt tinea nec non ærugo liberalitatis, quæ omnem ejus gratiam exſugit, omnem venuſtatem ejus & ſpeciem deformat. *lacerat animum* teſtante Senecâ,. *& premit frequens me-*

Lib. 2. de benef. cap. 10. *ritorum commemoratio.* Nihil magis conſuevit ingenuas aures offendere quàm aſſiduè illis inſtillare, tu in meo es ære, ego te facultatibus meis juvi; ad cœnam vocavi; lautè excepi; equum commodatò dedi; in te immerentem beneficium contuli; plura dedi quàm merebaris: magna infelicitas eſt ubi hæc vox auditur, vellem non feciſſe. Quid eſt hoc aliud quàm in odium beneficia perducere? quorſum inanis jactatio? quid opus arrogantiâ vultûs? quid tumore verborum? cur dicendum quòd tribuerimus? qui admonet,

Sen. ibidem cap. 11. repetit. Cur inſtandum, cur memoriæ revocandum? *admonitio tædium facit, exprobratio odium.* Dicetur, jactanti beneficium ſuum, illud ſæpè & multis locis recepiſſe, id eſt quoties & ubicumque narravit. Beneficia inſolentiâ perduntur; non tantùm ingra-

ingratum eſt, ſed inviſum ſuperbè datum. Detrahenda eſt muneri pompa & jactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Undè ſapienter monet ſapiens Eccleſiaſticus cavendum *ab amicis de Sermonibus* *Eccli. 41.*
improperii, *& cùm dederis ne improperes.* Sic à ſtulto non eſt acci- *v. 18.*
piendum beneficium cùm potiùs ſit maleficium: *exigua* enim *dabit* *Ibid. 20. v. 15.*
& multa improperabit, *& aperti oris illius inflammatio eſt*: dicet ſe tibi immerenti vel ingrato contuliſſe tot & tanta munera aſperè, durè, cholericè: longè ſiquidem latèque ſpargit ac prædicat beneficia à ſe collata, ſicuti flamma ſe longè latèque ſpargit & diffundit; undè Græcus textus habet *aperiet os ſuum ut præco.* Ubique præconizabit ſuum beneficium, & tuam indigentiam vel ingratitudinem. Libet itaque interrogare inquit Seneca de hujuſmodi; *Quid tantopere te ſupinet*, *Lib. 2. de be-*
quid vultum habitumque oris pervertat, *ut malis habere perſonam, quàm* *neſ. c. 13.*
faciem? beneficium dediſſe qui dicit, petit. Quidam triumvirali proſcriptione ſervatus à quodam Cæſaris amico exclamavit cùm „ ſuperbiam ejus ferre non poſſet: *Redde me Cæſari.* Quouſque di-
„ ces: *Ego te ſervavi*, *ego te eripui morti?* iſtud ſi meo arbitrio memi- *Idem ibidem*
„ ni, vita eſt, ſi tuo, mors eſt, nihil tibi debeo; ſi me ſervaſti, ut ha- *cap. 11.*
„ beres, quem oſtenderes quouſque me circumducis? quouſque obli-
„ viſci fortunæ meæ non ſinis? ſemel in triumpho ductus ſum. Liberè profectò, verè & animosè! quis enim æquis auribus tot indigna & probroſa quotidie excipiet? quis infortunii ſui rememorationem, quis doloris refricationem, quis paupertatis erubeſcen-
„ tiam? O ſuperbia magnæ fortunæ! ô ſtultiſſimum malum! ut à
„ te nihil accipere juvat? ut omne beneficium in injuriam conver- *Idem ibidem* *cap. 13.*
„ tis? ut te omnia nimia delectant? ut te omnia dedecent? quo-
„ que altiùs te ſublevaſti hoc depreſſior es, oſtendiſque te non ag-
„ noſcere iſta bona, quibus tantùm inflaris. Quidquid das, cor-
„ rumpis. Democriti ſpiculum non effugies imprecantis *malè pereas*,
„ *quia gratias Virgines meretrices effeciſti.*

§. 12. Non ſolùm agnovit D. Nicolaus, jucunda eſſe beneficia quæ humanâ fronte, certè leni, placidâque tribuuntur, & ea dare quæ non tantùm accipere, ſed etiam accepiſſe delectet, nec exiguum dilatando, nec per imputationem doni gratiam deſtruendo; ſed illa, quæ occurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ, tacitè eſſe danda: ut nota ſint ſolis quibus proſunt. Interdum & ipſum, qui juvatur eſſe fallendum, ut habeat, nec à quo acceperit, ſciat. Pataræ in Lyciâ viro genere nobili ſed ad ſummam egeſtatem redacto, illamque diſſimulanti; quo tempore impium & atrox facinus animo volvebat ut tres filias corporis formæque venuſtate & morum elegantiâ longè præſtantes Virgines omnes, jamque nubiles alienæ

libidini proſtitueret; cùm clam ſuccurrendum judicaſſet: (uſque adeò vir Dei ab omni humanæ laudis deſiderio abhorrebat, ut quantùm cæteri ſua maleficia, tantùm ipſe beneficia ſua celare ſtuderet) noctis intempeſtæ ſilentio domo egreſſus clanculum, miſerandæ familiæ domum tacitus adiit, & Lunæ ſplendentis beneficio feneſtram apertam paululùm advertens, auri haud mediocre pondus ſacculo bellè inſutum per illam immiſit: ut homo verecundus, quod deſiderabat, inveniret potiùs, quàm acciperet. Idque cùm tertiò feciſſet; honeſtis nuptiis omnes filias ſuas Pater tradidit. Hoc genere dare, ut ſummè Chriſtianum eſt, ita accipienti maximè profuturum. Demus, & Deo teſte contenti ſimus. Si velimus, ut quis ſciat, quis auctorem cognoſcat; debitorem quærimus, & ſic non benè facere delectat, ſed videri benè feciſſe. An hominem (quemadmodum S. Nicolaus) non ſervabimus in tenebris, quandò adjuvari illum & oportet & pudet? ſi quod præſtamus offendit, niſi abſconditur; beneficium in acta non mittendum. Uti nihil beneficii publicatione & exprobratione inſolentiùs; ità quoque nihil hoc ævo frequentiùs. Numquam ſine teſte, numquam ſine arbitro tribuitur. Multiplici prædicatione commendatur, quod ambitione pravâ tamdiù differtur, donec diù multumque roganti pudor ſuffundatur, ut quis ſuperbiæ ſuæ ſpectaculum excitet. *Nulla certè res cariùs conſtat, quàm quæ precibus empta eſt*: cumque tantùm gratiæ dematur, quantùm moræ adijcitur; adhuc poſt hujuſmodi tædium & tormentum alicui obtruditur quid quantumque receperit. Beneficium non eſt, cujus ſine rubore meminiſſe non poſſimus. Quid ſi adijciatur aſpera ingratitudinis querela? non erit illud liberalitas, cenſura erit, non auxilium erit, principale tributum erit, non beneficium, ſed maleficium. Cujuſmodi illud Cæſaris exiſtimabimus, cùm dedit vitam Pompeio Pernio, cui gratias agenti porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem, illud beneficium judicabimus an veriùs maleficium? an hoc non fuerit Rempublicam calcare & invenire aliquid infra genua, quò libertatem detruderet, cùm in os Senatoris ſenis ſummis uſo honoribus in conſpectu Principum ſupplici ſocculum ingeſſit?

Sur. in vita ejus 6. Decemb.

Sen. lib. 2. de benef. cap. 1.

§ 13. Miror ſummoperè, quod ab aliquibus tanto beneficia extorquentur ambitu, ſi numquam illibata aut integra ad eos perveniant, ſed in probroſa convertantur maleficia & convicia? quid juvat illos, qui tamquam mures ſemper alienum comedunt panem, lautè opipareque haberi; ſi tam indigna pati cogantur ſcommata, nempè ſubſannationes, deriſiones, contumelias, quin & opprobria magis quàm cibum devorare? paraſitos Cochleis & canibus venati-

naticis Plautus comparat. Hinc Diogenes Ariſtippum Philoſophum vocabat regium canem, quòd Dionyſio Siciliæ tyranno adularetur. Cujus tamen cauſam Horatius defendit, quia & ipſe paraſiticam ſplendidè exercebat.

Si pranderet olus patienter, Regibus uti
Nollet Ariſtippus. Si ſciret Regibus uti, Epiſt. ad Sævam.
Faſtidiret olus, qui me notat.

Ità proſequitur.

——— *Audi*
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia. Namque
Mordacem Cynicum ſic eludebat (ut aiunt)
Scurror ego ipſe mihi, populo tu, rectius hoc, &
Splendidius multò eſt, equus ut me portet, alat Rex.
Officium facio.

Verùm eſtne otium, & cibus alienus tanti, ut propter illum Sycophanta quis, ridiculus, ſcurra audiat. Poëtæ paraſitos κόλακας appellarunt ἀπὸ τοῦ κόλου quod κόλον id eſt cibum ſignificat. Apud Comicum Philemonem dicebatur ψωμοκόλαξ, quaſi offularum captator: non minùs rectè aliis κόλαξ videtur dictus paraſitus ἀπὸ τῆς κοιλίας à ventre nimirùm cujus eſt mancipium, qui tantùm mutatione unius litteræ vocabitur κόραξ id eſt corvus: Undè Diogenes ille Cynicus dictabat, melius eſſe incidere in κόρακας quàm κόλακας id eſt in corvos quàm in paraſitos, quòd illi mortuos tantùm, hi devorent vivos: aut ut Antiſtheni placuit quòd hi viventis animum corrumpunt, illi ſolùm mortui. Ingeniosè Plautus nomina paraſitorum excogitavit, illi *Curculio* nomen eſt paraſiti proprium, quaſi gurgulio dictus à verme edaciſſimo frumenti. Alius ab ipſo vocatus *Saturio* per antiphraſim à ſaturitate veluti qui numquam expleri poſſet; tum *Artotrogus* à devorandis panibus, *Peniculus* quoque quòd tamquam ſpongia menſam, ità ipſe omnes ciborum reliquias devoret. Sub nomine Menii & perſonâ omnium ſcurrarum paraſitorumque mores venuſtè depingit Horatius his verſibus.

Menius ut rebus maternis atque paternis Lib. 1. ep. ad Valam.
Fortiter abſumptis, urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret:
Impranſus non qui civem dignoſceret hoſte,
Quælibet in quemvis opprobria fingere ſævus,
Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli,
Quidquid quæſierat, ventri donabat avaro.

Plautus lepidè ſcurras urbanos aſſiduos cives vocans, illos artem divinatoriam profiteri ſcribit; jactare ſeſe omniſcios, pro libitu ſuo quemquam aut laudare aut vituperare: tales Megaronides ſenex apud illum talibus exprimit.

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt.
Quod quiſque in animo habet, aut habiturum ſciunt.
Plaut. in Trinummo. *Idque quod in aurem Rex Reginæ dixerit,*
Sciunt: quod Juno fabulata eſt cum Jove,
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen ii ſciunt.
Falſòn' an verè laudent, culpent quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, ſciant.

Sen. de brev. Vita cap. 19. Eorum præterea miſerrima conditio eſt, *Quia ne ſuis quidem occupationibus laborant. Ad alienum dormiunt ſumnum, Ad alienum ambulant gradum, ad alienum commedunt appetitum; amare & odiſſe res omnium liberrimas, jubentur.* Adjice his quàm ſæpè convivis torique familiæ riſui & ludibrio exponantur.

———— Pulſandum vertice raſo
Præbebant quandoque caput, nec dura timebant
Flagra pati.

Lamprid. in Heliogab. Heliogabalus Imperator licet plurimùm conſuetudine paraſitorum delectaretur, illis tamen in ſecunda menſa frequenter ceream cœnam, ſæpè ligneam, nonnumquam vel marmoream etiam vel lapideam exhibebat: ità ut omnia illis exhiberentur videnda de diverſa materia quæ ipſe cœnabat; cùm tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lavarent. Eoſdem quoque in tricliniis verſatilibus oppreſſit violis ac floribus, ſic ut animam quidam efflaverint, cùm eripi ad ſummum non poſſent. En quàm miſeris, quàm indignis paraſitos accipiebat modis. Stuckius in antiq. convival.

§. 14. Demus tamen nihil horum obvenire illi, qui nidore delectatur alienæ culinæ, qui ſectari quempiam ſolet cibi gratiâ: rarò equidem exprobratio beneficii deeſt. Quod maturè perpendens Juvenalis ex oppoſito contrariam Horatio Ariſtippum laudanti ſententiam amplectitur ab hoc ſtudio amicum taliter deterrens.

Si te propoſiti nondum pudet, atque eadem eſt mens
Satyr. 5. *Ut bona ſumma putes alienâ vivere quadrâ,*
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet,
Quamvis jurato metuam tibi credere teſti.

Poſt

Poſt ſimilia ad rem noſtram proximè accedit, oſtendens quam mercedem officiorum reportet

Fructus amicitiæ magnæ cibus, imputat hunc Rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat.

Vix invenies qui puram, qui ſinceram gratiam præſtet, qui beneficio omnem adiiciat humanitatem, bona verba rebus bonis, argumentum amicæ voluntatis, familiarem querelam, quòd cùm quiſpiam aliquid deſideraſſet, non olim datorem hoc ſcire voluerit; quòd nimis diligenter rogaverit; quòd quemquam adhibuerit; quòd ſibi gratuletur quòd experiri animum ſuum libuerit; quòd poſtmodum quidquid deſiderabit, ſuo jure exiget. Cujus benignitas magnum Ducem Conſalvum de Cordua imitabitur? is nemini ſeſe magis debitorem affirmabat, quàm cui donarat. Quis accedet ad benevolentiam Comitis de Ureña? à quo cùm Dominus Petrus de Guzman tempore ſterilitatis ſupplicaſſet ſibi aliquòt modiis tritici ſubveniri, eique mille juſſiſſet tribui, ubi legit ab eo qui ipſi à ſecretis erat Procuratori domùs ſcriptum, *Tribues Domino Petro mille modios tritici quos illi gratificor*, ſuccenſens acriter increpabat hominem impingendo illi alapam, *erraſti ſtupidè*, ſubintulit, *ſcribere debueras omnimodè mihi gratiæ apponi quòd Petrus modios iſtos à me dignetur accipere*. Magnum Lucrum ſe feciſſe exiſtimabat, quòd donaſſet. Certè ille animus pluris erat faciendus, quàm illud quidquid erat ad quod alter petendum venerat. Sed quis ita ſe temperabit ne beneficium umquam exprobret, imò ne admoneat quidem? id permovit S. Patrem Auguſtinum perſeveranter inſiſtentem veſtigiis D. Ambroſii ne uxorem cuiquam umquam poſceret; ne militare volentem ad hoc impelleret, ne in Patriâ ſuâ petitus iret ad convivium. Ne gratiam lingua diceretur reddere, neve libera oris calamique præpediretur licentia, liberè effatus eſt S. Hieronimus: *Ubi vile oluſculum, & cibarius panis, & cibus potuſque moderatus, ibi divitiæ ſupervacuæ, ibi nulla adulatio, quæ vel præcipuè fructum reſpicit. Ex quo colligitur fidele eſſe teſtimonium, quod cauſas non habet mentiendi*: ob id maximè Ariſtoteles Cyren oblata ab hominibus munera non accipienda eſſe putavit, quòd munerum acceptorum moleſtias habiturus ſit, ut rependat; aut ſi non referat in ingratitudinis repræhenſionem facillimè incidat. Quin etiam Socrates accerſitus ad Archelaum Regem multa illi pollicentem, reſpondit, ſe nolle ad eum venire, à quo acciperet beneficia, cum illi reddere paria non poſſet. Gratia enim gratiam parit χάρις χάριν τίκτει multi ſiquidem, cùm retribuendi facultas ipſis deſit, perpetuâ ignominiæ notâ ob

S. Poſſid. in ejus vita c. 25

Ad Salvin. de ſerv. viduit.

Ælian. lib. 10. de var. Hiſt.

Eraſm. Roterd. lib. 3. apopht.

ingratitudinem laborare coguntur, multi quoque quod dederunt datum nollent, eò quòd benefacta malè collocata malefacta cenſenda ſint; alii ſe & accipientes fædè contaminant, ut datum non ſit utriſquè beneficium ſed maleficium. Idcircò Tridentinum omninò Epiſcopis interdicit, „ Ne ex reditibus Eccleſiæ conſangui-

Seſſ. 25. cap. 1. de reform.

„ neos, familiareſve ſuos augere ſtudeant. Cùm & Apoſtolorum „ Canones prohibeant ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſan„ guineis donent; ſed, ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus di„ ſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cau„ sâ: imò quàm maximè poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut „ omnem humanum hunc ergà fratres, nepotes, propinquoſque „ carnis affectum, undè multorum malorum in Eccleſiâ ſeminarium „ extat, penitùs deponant. Decretum hoc ad quoſcumque beneficia Eccleſiaſtica, tàm ſæcularia, quàm regularia obtinentes extendit inſuper ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales; diſtrictiùs quoque inhibet Pius quintus Pontifex maximus in Bullâ, quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ Dei.* Promulgatâ Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1568. Kalen. Aprilis. „ Ne Epiſcopi aut alii collatores de be„ neficiis & officiis reſignandis, aut ſuis, aut admittentium con„ ſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem cir„ cuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere. Quod ſecùs factum fuerit declarat id totum viribus & effectu carere: contravenientes autem in eo quo delinquerunt puniendos cenſet: à beneficiorum nimirum & officiorum collatione, nec non electione, præſentatione, confirmatione, & inſtitutione (pro ut cuique competierit) tamdiù vult ſuſpenſos remanere, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere. Iiſdem quoque pœnis talia beneficia vel officia recipientes vult ſubjacere. In eos denique, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, preſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint, excommunicationis quò ad perſonas, quò verò ad capitula & conventus, à divinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgat; à quibus etiam nullus alius quàm ipſe Romanus Pontifex, ſive abſolutionis, ſive relaxationis, gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Gravia ſunt iſta fulmina & meritò pertimeſcenda: ſæpiſſimè tamen prævalet caro & ſanguis ut qui negaverit contrariam conſuetudinem adverſus iſtas prohibitiones non fortiùs invaluiſſe dici poſſit in ipſâ meridianâ luce cæcutire.

§. 15. Damnabile inſuper judicant S S. Patres & canonicâ ultione compeſcendum dona Dei, gradum vel gratiam in Eccleſia ſpiritualem non ſimplici intentione, ſed cujuſlibet humanæ causâ retributionis exercere, & de impenſo officio ſanctitatis nummum expe-

tere

tere favoris. Hinc munus in triplici conſtituitur differentiâ. Undè cùm virum juſtum Propheta deſcriberet, ait, *Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere.* „ Non dixit ſolùm à munere, ſed ab omni „ munere: quòd aliud ſit munus ab obſequio, aliud à manu, aliud „ à lingua. Munus ab obſequio eſt ſervitus indebitè impenſa. Mu„ nus à manu pecunia eſt. Munus à lingua favor. Contagioſum eſſe intelligitur quando res muneribus agitur, vel prece, vel pretio, vel gratiâ: quod S. Gregorius ità explanat. „ Tres ſunt, inquit, „ acceptiones munerum ad quas ex fraude feſtinatur: munus nam„ que à corde, eſt gratia captata à cogitatione, munus ab ore eſt „ gloria per favorem: munus ex manu eſt præmium per dationem. „ Sed juſtus ab omni munere manus excutit: quia in eo quod re„ ctè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, „ nec à manu recipere donationem quærit. Talis omnibus juſtè ad imitandum proponitur S. Apoſtolus Paulus qui verè ac ingenuè Deum teſtificari poterat his verbis, *Neque enim aliquando fuimus in Sermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt: neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Quàm ſincerum pectus! quàm integer Sacri Evangelii Miniſter! ſummatim juſtitiam ſuam & innocentiam hîc demonſtrat, quod neque umquàm uſus fuerit Sermone adulatorio, neque avaritiæ ſuæ prætexuerit Evangelium, neque humanam gratiam requiſierit. Qui Eleazarum legit juvenilis animi ſenem propter modicum corruptibilis vitæ tempus ne ſimulare quidem volentem ut in gratiam amicorum carnes porcinas ediſſe videretur; qui Thomam Morum tantæ virtutis æmulum Aloyſiam conjugem redarguentem quòd veluti inſipiens mercatrix illi cum viginti annis, quibus Regis favore poſſet frui totam æternitatem commutare ſuaderet; qui Joannem Fiſcherum Cleri totius Anglicani ætate ſua gemmam, nec pecuniæ, nec gratiæ nulliusque dignitatis avidum, cùm eſſet omnium capax ne vel ad latum unguem ab æquitatis tramite recederet: nonnè continuò ex his ſibi vivendi normam præſtituet? nonnè ad iſtam mores ſuos efformare conabitur? unum aliquod nihilominùs ex tribus muneribus ſuperiùs recenſitis homines neceſſarium paſſim judicant ad amicitias comparandas, ſic ubi ſunt opes, eò convolant egeni & paraſiti. Multis nomen pauperis occaſio avaritiæ eſt; hi enim adoraturi manè ad ædes divitum quaſi ad Sanctiſſima Templa curſitant, bona petituri ab illis quaſi numinibus. *Mel Muſcæ ſequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ, prædam ſequitur iſta turba, non hominem.* Multi pecuniæ, non hominis cognati ſunt, exulare candorem & ingenuitatem volunt, fucum atque fallaciam Civitate

Iſa. 33. v. 15.

Cauſ. 1. q. 1. can. Sunt nonnulli.

Lib. 9. moral. c. 26.

1. ad Theſ. 2. v. 5. & 6.

Libr. 2. Machab. cap. 6.

Sand. lib. 1. Schiſm. Angl.

Sen. lib de remed. fortuit.

ſuâ donant, ne blanditiæ imponant, fraudes aut corruptelæ præſtant. Incautos ficta humanitas deludit germano dum affectu caret, quidquid ſumit aut inſumit, imputat; hactenus blanda ut obligaſſe videatur: non amor hic ſed fucus eſt. Vultus riſu & pellaciâ amœni malignitatem tegunt, dicis aut moris non amoris cauſâ longis promiſſis obſequium ſuum adornabunt. Tam ſuave lucri compendium eſt, ut in quæſtum totius amicitiæ teſſera veniat, uſus ejus & fructus pereat. *Iſidorus* *Non ſunt* tamen *fideles quos munus, non gratia copulat, nam citò deſerunt niſi ſemper accipiant.* Non perſonas, ſed fortunas amant, non veri, ſed ollares & perſonati amici; quia *amicitia, quæ tempori ſervit, negotiatio & mercatura cenſetur.* *Baſil. Imp. in exhortat.* Rectè idcircò Seneca amicitias hujuſmodi *temporarias* à populo ſcribit appellari; temporibus videlicet aptas, cum iiſdem manentes, & abeuntes: uti Curtius *temporaria ingenia* dixit, quæ conſilia & ſeſe pro temporibus mutant; qui ſe ſpectant ac propter hoc ad amicitiam veniunt: quemadmodùm cœperunt ſic deſinent, Hirundinum inſtar, quæ in æſtate ad calidas regiones advolant, hyeme aufugiunt; ſic iſti ad opes advolant, ab inope devolant, in omnibus ſe amant, amicum non amant. Ut rebus ſuis conſulant, nudatum ſuis amicum vellent. Exuatur omnibus, modò illis totum accedat, quod decedit illi, præclarè res acta eſt; nec quantum quis donet, ſed quantum ipſi accipiant, intuentur.

§ 16. Divitiæ ergo addunt amicos plurimos, eo modo, quo popinæ carnium nidore plurima muſcarum examina advocant & alliciunt; ceſſante autem nidore avolant: ita divitiæ ſpe lucri (cujus ſuavis ſemper odor) omnes ad divitem invitant, ſed ſpe per pauperiem evaneſcente, illicò dilabuntur univerſi. *Prov. 19. v. 6.* *Multi colunt perſonam potentis & amici ſunt dona tribuentis.* Ob munera certè & liberalitatem Principes amantur paſſim, non ſic ob Regias animi dotes. Hac de cauſâ omnes pœnè aulici ſunt novitatis avidi; pertæſi diuturnæ dominationis Regis ſui, ad ſucceſſorem, juvenemque ſe convertunt, eò quòd juvenes ſenibus eſſe ſoleant liberaliores. Hic ergò eis videtur novus beneficuſque Jupiter, hic oriens liberalitatis ſidus; etenim à juvene noviter regnante, nova & majora expectant, quàm à Rege ſene, à quo jam ditati plura non ſperant. Sol oriens poſt longas noctis tenebras gratiſſimum intuentium oculis lumen exerit; ideoque plures adorant ſolem Orientem quàm Occidentem, Regem juvenem, quàm ſenem. Hi circumaguntur cum Principibus novis, ſicut Heliotropium ſeſe convertit cum Sole: id innuit Timotheus, *non cano*, inquit, *vetera nova ſi quæ ſunt, eadem & meliora. Jupiter, qui juvenis eſt, regnat: olim Saturnus imperabat.* *Apud Athenæum lib. 3.* Multiplicia

Los Principes y grandes Señores por la potencia que tienen ſon temidos, y por lo mucho que dan ſon amados, que al fin nadie ſigue al Rey porque es bien acondicionado ſino por penſar que es dadivoſo, *D. Ant. Guevara.*

à lin-

à linguâ & obſequio munera prodigunt, ut quædam à manu valeant aucupari. Candidè Galba Piſoni filio adoptivo, „ Irrumpet, inquit, adulatio, blanditiæ, peſſimum veri affectus venenum, „ ſua cuique utilitas. Et jam ego ac tu ſimpliciſſimè inter nos hodiè „ loquimur, cæteri libentiùs cum fortunâ noſtrâ, quàm nobiſcum. „ Nam ſuadere Principi quod oporteat multi laboris, aſſentatio erga Principem quemcumque ſine affectu peragitur. In ore ſententiæ natant, in animo nutant, à ſtudiis mores diſcrepant nec dicendo pariter ac vivendo boni ſunt; ab adulatoribus veritas ſemper Principibus celatur, ut noviſſimi mala ſua norint. In malam illas conſuetudinem inducunt nihil contra voluntatem audiendi: difficilis quoque & indomita natura blandientem feret, cùm nihil aſperum tætrumque blandienti ſit. „ Pro bonis mala am„ plectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota no„ ſtra cum votis, conſilia cum conſiliis. Adulatio quàm ſimilis eſt „ amicitiæ? non imitatur tantùm illam, ſed vincit & præterit: „ apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, „ eo ipſo gratioſa quo lædit. Aſpidi ſimilem quemquam faciunt ut aures obturet ad ſalutaria monita audienda, quibus ad honeſtiora poſſet impelli. Amara fateor ſolet eſſe veritas, & à quibus proponitur opus eſt labra calicis dulcedine aliquâ illinire, ut avidiùs eam quis hauriat: attamen *habent hoc naturale blanditiæ: etiam cùm rejiciuntur, placent: ſæpè excluſæ, noviſſimè recipiuntur.* Quid ſi ſemel per eas malitia honores promereri poſſit? *Invenit etiam æmulos infelix nequitia, quid ſi floreat vigeatque?* quis virtutis viâ ad eoſdem graſſabitur? munera Reipublicæ in hominem improbum conferre eſt optimo cuique vires adimere, roburque malitiæ addere, præſertim ſi iis præficiatur muneribus in quibus improbitatem ſuam exercere valeat, *Nam qui magnam poteſtatem habent, etiamſi ipſi nullius pretii ſint, multum nocent.* Quiſquis malitiæ pedes addit aut alas, hoc agere videtur, ut currat illa aut volet: alas tamen pedeſque ſolers ac provida rerum diſpenſatrix natura venenatioribus animantibus denegavit, ne multum detrimenti adferre poſſent. Egregiè falluntur Principes plerique & alii in poteſtate conſtituti, quòd malorum potiùs quàm bonorum uti operâ velint, ut qui videantur præ iſtis ſagaciores; quia malitia ſapientia non eſt, nec clarum ſincerumque judicium eſſe poteſt, ubi virtus non eſt. Ea res movit Leonem Imperatorem ut filium ſuum his præceptis imbueret: „ Maximi, „ inquit, pendito veracem te eſſe, & veraces homines in familiaritatem tuam admittere: ità enim firmus & conſtans in omnibus „ dictis & factis exiſtimaberis, ac veram & non ſuſpectam tuorum „ erga

Tacit. lib. 1. Hiſtor.

Sen. ep. 45.

Sen. lib. 4. quæſt. natur. cap. 1.

Tacit. lib. 4. Hiſt.

Ariſt. lib. 1. polit. cap. 9.

Exhort ad filium cap. 29.

„ erga te benevolentiam obtinebis. Si autem in vanitatis & mendacii ſuſpicionem veneris, indigna agere Imperatoriâ Majeſtate, „ quâ auctus es, convincêris, efficieſque ut Subditi ſemper formidoloſi rerumque omnium incerti & titubantes vacillent.

§. 17. Hujus tamen rei inopiâ laborant magna faſtigia, & hoc omnia poſſidentibus deeſt, ſcilicet ille, qui verum dicat, qui hominem inter mentientes ſtupentem, ipſâque conſuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam rerum perductum vindicet à conſenſu falſorum, ab adulantium mentiendi facilitate, à falſa ſui rerumque ſuarum opinione. Querebatur Ludovicus XI. Franciæ Rex rem unicam Palatio ſuo deeſſe veritatem nimirùm. Hæc quia ſeverior eſt, ac blandimento caret, (licet ſolido mentem gaudio afficiat) inſuavis & exoſa habetur. Nimis modeſta eſt, nec apta ad mores aulicorum, qui variâ boni ſpecie faſcinant oculos, & decipiunt aures Principum ut illi attendere nequeant; neque ſuſtinent, ut ab erroribus ſuis convaleſcant, erroris enim agnitio filia eſt veritatis, hæc verò aſſentationis inimica: in aulis deindè minimè ſecura eſt præſertim apud aures ſuperbas, & offenſioni proniores; cùm vix extra ſe nata admittant Principes conſilia; candore verborum, factorumque ſimplicitate inſtrui renuunt, ne videantur actiones eorum incuſari, ipſi judicio ac probitate aliis cedere; communiter etenim ſibi perſuadent actiones ſuas ab omnibus probari: dum putant ſe ad culmen ſapientiæ & prudentiæ perveniſſe, multa *Lib. de tranquill. animi c. 1.* in ſe diſſimulant, multa apertis oculis tranſiliunt. *Non eſt enim* (ut rectiſſimè notat Seneca) *quòd nos magis alienâ judices adulatione perire, quàm noſtrâ. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium blandientiumque poſitus greges plurimum tamen ſibi ipſi aſſentatus eſt?* In hâc parte ſolet amor proprius tam cæcus eſſe, ut adulationem haud agnoſcat, ſed capi ſe ſinat ſuis laudibus, quæ ſuavem neſcio quam in ſenſus exercent tyrannidem, adeò ut nulla tam exorbitet quam ſuis Principes non credant deberi meritis; ubi ex remiſſâ quâdam & ſegni bonitate aſſentationis damna non ſatis expendente benigna accedit interpretatio, quæ illam ſubmiſſionem & affectum optimum judicat. In evitando hoc malo plurimi fruſtra *Lib. 4. natural. quaſt. in præfat.* laborant. „ Eâ maximè quiſque patet, quâ petitur. Fortaſſè enim „ ideò, quia patet, petitur. Sic ergo formare, ut ſcias non poſſe te „ conſequi, ut ſis impenetrabilis. Cùm omnia caveris, per orna„ menta feriet. De adulatione Sermo eſt Senecæ. Adulationis turpitudinem ſatis agnoſcimus omnes, in quam authores, dum ſeſe occaſio fert, ſtilum glomeratim ſtringunt; ſcimus illam ſervilis ac fæmi*Eccli. 7. v. 6.* nei ingenii, *melius* quoque eſſe *à Sapiente corripi, quam ſtultorum adu-*

adulatione decipi: Nullum animantium genus aſſentatoribus pernicioſius, nullum quod citiùs in præcipitia viventem deducat. „Hi „ſunt, qui vitia tradunt, & alio aliundè transferunt. Peſſimum ge„nus hominum videbatur, qui verba geſtarent: ſunt quidam qui „vitia geſtant. Horum ſermo multùm nocet. Nam etiamſi non *Sen. ep. 123.* „ſtatim officit: ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos etiam „cùm ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſteà malum. Non ignoramus quòd ſola labia & frons amicum loquantur, intùs odia æſtuent; imò labia mentiantur amicum, hoſtilia pectus claudat. *Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt*: Quòd adſint la- *Pſalm. 11. v. 3.* tentes hoſtes amico velamine tecti; quòd ſub oris varietate labiiſque blandientibus forma mentiatur meretriciâ verſutior; quòd lateat ſub oſculo Joabi ferrum: boletum Claudii, venenum Druſi & Germanici ſub electilibus cibis. Nullam peſtem novimus certiorem eſſe, nulla venena adulatore nocentiora: monetarum quoque adulteratoribus criminoſiores eſſe aſſentatores quòd illi quidem monetarum leges violent, hi verò eas quæ vitia prohibent, faciantque ut virtutis ſpeciem induant: omnium ferè in Regibus ſcelerum cauſam eſſe adulationem, quæ illos magis improbos reddit, quàm malitia. Vix improbus eſſet Princeps niſi Miniſtri eſſent adulatores; demas laudatores, approbatores, Conſultores tales, crimina propè omnia à ſceptris & purpurâ excluſeris. Laudaſſe crimen, impuliſſe in illud & majora eſt. Alitur creſcitque improbitas laudibus, ad paria aut deteriora laudatio quaſi manu ducit. Funeſtum Cæſaris exitum adulatoribus Plutarchus adſcribit; qui & Commodum Imperatorem juvenem perdiderunt teſte Hero- *S. Cyprianus.* diano. *Nam qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem adminiſtrat, nec comprimit delicta ſed nutrit.* Aptiſſimas tamen & patulas aures habemus ad concentum iſtum adulationis muſicum, ad Syrenum voces laudes laudibus ingerentium; claudere his aures nihil nobis curæ eſt, nec ſurdos nos amantiſſimis præſtare, cùm tamen hæ voces non ex uno ſcopulo, ſed ex omni parte terrarum circumſonent, quæ non amantium ſunt ſed odientium; plus enim fortiùſque damnabunt abſentem, quàm laudarunt præſentem.

§. 18. Fidem in hoc luculenter firmat dictum Caroli Quinti Imperatoris, qui cùm Pariſiis non ſine magnâ laudum præfatione à quodam Eccleſiaſtico ſalutaretur, à quo præcedenti anno in Angliâ multis conviciis per abſentiam petitus fuerat: *Utinam*, inquit, *nuper cùm in Angliâ perorares, minùs me vituperaſſes, & hodiè minùs laudaſſes; utrumque tibi conſultius, mihi verò gratius futurum fuiſſet.*

Numquid hoſtilia ſunt præſentem laudare, damnare abſentem, coràm dicta factaque probare, ubi abſis improbare? ex eodem poculo muſtum & toxicum propinare? quis negabit duos eſſe hos rivulos ex eodem fonte prolabentes? ,, ſed quemadmodùm qui audierunt ,, ſymphoniam ferunt ſecum in auribus modulationem iſtam ac ,, dulcedinem cantûs, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria pa-
Sen. ep. 123. ,, titur intendi: ſic adulatorum & prava laudantium ſermo diutiùs ,, hæret quàm auditur: nec facile eſt, animo dulcem ſonum excu- ,, tere. Proſequitur & durat, & ex intervallo recurrit. Quidquid in nos adulatio etiam enormis ſine pudore congerit, tamquam debitum pendimus; venenatâ illâ dulcedine adeò demulcentur aures, ut citra omnem fidem optimos nos, eruditiſſimos, nobiliſſimos hyperbolicè affirmantibus lubentiſſimè aſſentiamur: omnis hujuſmodi nobis pedaria ſententia eſt, quia tales nos eſſe putamus, ut jure laudemur; nec modicâ laude contenti, majorem venamur. Quod non leve ſolet eſſe propriæ inopiæ argumentum. Si conſcientiâ rectefactorum eſſemus freti, ſi domeſtica non deeſſent, in honorem noſtrum pleroſque mentientes non exciperemus; non ambiremus aliena, niſi deeſſent noſtra. Veridicum quemque, zeloſum, ſeverum & ſerium, qui ingenuè veritatem proloqui audeat, qui non fictis ad ſpeciem laudibus conetur decipere, nec ea velit laudare quæ voluptati ſunt potiùs, quàm honori, ea quæ magis commoda ejus propria ſpectant, quàm bonum publicum: non errores & vitia excuſare, ſed paratus ſit ſuadere quod decet; nec erubeſcat commonere ſi quid indecens & perſonâ ac munere indignum com-
2. Reg. 22. v. 8. mitti videat, hunc non minùs execramur, quàm Rex Achab Michæam Prophetam inviſum habuit, eo ſolùm nomine, quòd non vaticinaretur ipſi bonum ſed malum. Adulationi decernuntur præmia, veritati ſupplicia. Sinceritati & conſtantiæ non ſtat ſua merces, ſed quò quis promptius habet in adulationes ingenium, hoc ad majora provehitur. Penè omnium promiſcuè hæc vox eſt, *Loquere nobis placentia.* Tales conſcientiarum ſuarum arbitros, tales concionatores deſiderant, qui prædicent & dicant ſolùm, quæ ipſi
In ep. cath. S. Judæ. v. 11. volunt, non quod Deus inſpirat. Hinc nonnulli, *Qui errore Balaam mercede effuſi ſunt*, linguam mercenariam habent, quia animam venalem. Undè D. Hieronymus eos coarguens, qui plauſum populi captant ut opes & epulas acquirant, ab Eccleſiaſte dicit
Cap. 10. v. 19. ,, accuſari illos qui loquuntur in Eccleſiâ, & docent populos, ſed ,, ea docent, quæ populum audire delectet; quòd peccatores pal- ,, pent in vitio, & ſtrepitus concitent audientium. Nonnè quando ,, in Eccleſiâ laſcivit orator, & beatitudinem & regna Cælorum

,, mul-

„ multitudini pollicetur, videtur tibi in riſu facere panem, & vi-
„ num ad lætitiam miſcere viventium? ſive quòd ipſi qui docent,
„ divitias, & cibos & opes per delectabilia promiſſa conquirant; ſi-
„ ve quod Eccleſiæ panem, qui panis lugentium eſt & non riden-
„ tium, (beati quippè lugentes quoniam ipſi ridebunt) in lætitiâ gau-
„ dioque conficiant. Patet qualiter munera mutos elingueſque alios reddant ut piſces, alios garrulos ut poëtridas picas: quibus honeſta, atque inhoneſta, proba atque improba laudare mos eſt.

Quid quòd adulandi gens prudentiſſima, laudat Iuvenal. Sa-
Sermonem indocti, faciem deformis amici, tyr. 3. lib. 1.
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Placere ſtudent, offendere verentur; ut gnari phyſionomici frontem intuentur illius, cui aſſentantur, ad cujus indicia ſe ſuoſque ſermones accommodant; ex nutu aliorum toti pendent. Ex illorum grege prodit in ſcenam aſſentator ille, de quo ſcribitur.

——— *Rides? majore cachinno*
Concutitur: flet, ſi lachrymas aſpexit amici, Idem ibidem.
Nec dolet: igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit Endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergò pares: melior qui ſemper, & omni
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum.

§. 19. Quin & fallacibus blanditiis adulator, oſculis, amplexibus odia velare didicit, mentiri, fallere, aliud mente velle, aliud vultu polliceri: quod palàm nequit, aliâ viâ molitur; aut cuniculis occultis, aut inſertis etiam cuneis per calumniam virtutem nititur opprimere. Multùm ab his technis & artibus ſemper abfuit S. Thomas Cantuarienſis veritatis imperterritus Athleta, cadere poterat, à vero & recto flecti non poterat: tantùm à fuco aberat, quantùm abeſt vir à fœmina; qui ſatius judicavit carere magnis, quàm alieno à virtute tramite illis inſiſtere, optatiùs quoque exui gratiâ Principis quàm Dei, aulâ excludi quàm cælo; ſpoliari fortunis quàm regno cæleſti. Hoc animo, hoc infracto pectore nec dignitatum jacturam, nec exilia, nec Regis indignationem, nec mortem ipſam timuit; adulatorum ſiquidem gladiis inter aras maluit occumbere, quàm adulator in aula regnare. Papinianus juris aſylum (quemadmodùm Spartianus ipſum vocat) ac doctrinæ legalis theſaurus, Præfectus prætorio in trigeſimo ſuæ ætatis anno tantæ apud populum authoritatis fuit, ut nequitiam Principis facilè potuiſſet emen-
 dare,

Spartianus in Caracal. dare, & ſuſpectum Imperatorem populo conciliare: elegit tamen vir optimus mortem oppetere, quàm delictum Principis excuſare. O rariſſimam probitatem! ô fortitudinem inauditam! ubi plerumque in adminiſtratione publicâ pro crimine habetur privata innocentia, ubi juſtitiæ rigor parùm à contumaciâ abeſt, eâdemque ſemper probitate curare Rempublicam apud Politicos nonnullos pro improbo audit. Objiciant modò aliqui Principibus verum diſplicere eloquium; meritò diſplicebit veritas quam nùmquam ferè audire conſueverunt, & delectabuntur mendacio qui inter adulatores, inter fucos, inter vultures ac corvos perpetuò ſedent. Ea fuit temporum labes ſub Henrico octavo Anglorum Rege, ut quemlibet illius exemplum ſecutum puderet non eſſe impudentem. Vitia pro virtutibus invaluerant; adulatio toto ſuo comitatu in Regiam irrepſerat, quæ pronis auribus excipiebatur, veritati nulla erat fides. Exindè ſeveriores quoque in aulæ vitia degenerabant capti hamo Stoici quo capiuntur aulici. Lenones, adulatores atque Hæretici quòd animadvertiſſent *Sander. l. 1. ſchiſm. Angl.* in prandio Regem ſæpiſſimè inebriari, nihil ei præterquam pomeridiano tempore, aut ſuggerebant in aliorum perniciem, aut quod ex re ſua futurum erat commendabant. Alii quidem obſervabant momenta, quibus alvum copioſius oneraverat, quòd tunc hilarior eſſet: alii in luſu aleæ ſpontè ſibi ab illo damnum fraudemque inferri patiebantur ut cùm viderent illum ob victoriam nimio gaudio perfuſum occaſionem arriperent ſub prætextu jacturæ, quam ſimulabant, vel innocentis alicujus bona, vel plumbum quo Monaſterium aliquod tegeretur, vel alicujus Eccleſiæ campanas aut ſimile quippiam maximi pretii emendicandi. Alius ob porcellum egregiè aſſatum (quo genere cibi libentiſſimè veſcebatur) alius ob exedram Regiam commodiori ab igne diſtantiâ dextrè locatam, non beneficio ſolùm ſed honore quoque augebatur. Omnibus verò modis libidine aſſentandi infringebatur veritas, illudque Henrici crudelitas effecerat, ut nemo illam aperire, nemo fidele dare conſilium, nemo ſui pectoris ſenſa patefacere auderet. Sciebant multos neci datos eſſe, qui priùs aut Regi, aut Cromvelo, etiam juſſi, liberè quod ſentiebant locuti fuiſſent. Itaque tunc etiam quando de reconciliatione cum Sede Apoſtolicâ cogitans unius ex Epiſcopis ſententiam deſuper expoſceret, ab inſidias ſuſpicante reſponſum fuit Regem omnibus viris ſapientiorem eſſe, illum divino Conſilio Pontificis Romani primatum abdicaſſe. Rectè Themiſtius Philoſophus, videns Joviniani Imperatoris aulam aſſentatoribus *Nicephor. lib. 10. c. 42.* refertam, ex moribus deprehendi ait Purpuram eos magis, quàm Deum colere.

§. 20. Aliud

§. 20. Aliud planè judicaſſet, intrando Palatium Alexandri Severi Imperatoris, in quo Dominus ſuâ ſponte ita ſe gerebat, qualem, ſi privatus fuiſſet, propter leges foris ſe geſſiſſet; qui parentes & amicos ſi malos reperiebat, aut puniebat; aut ſi vetus vel amicitia vel neceſſitudo puniri non ſinebat, dimittebat à ſe, dicens: *His charior eſt mihi Reſpublica.* Generoſa eminebat in ipſo ſinceritas quâ ſe capi aſſentatione indecorum duceret, & deſpectum arbitraretur; rerum enim veritatem intelligentiâ comprehendendo honores vanos contemnere didicerat: omne proindè adulatorum genus procul arcebat, & pro iis habebat delectum doctiſſimorum Virorum boniq́ue publici amantium, qui non propriæ fortunæ ſed publicæ ſtuderent tranquillitati; non corrupti prece vel pretio, amore vel odio fracti bonum malum dicerent, & malum bonum; qui attenderent merita cauſarum, non merita perſonarum, vitam, non munera, juſtitiam non pecuniam; qui perſpicerent quod ratio dictat, non quod voluntas affectat, quod lex ſancit, non quod mens cupit: qui inclinarent animum ad juſtitiam, non juſtitiam ad animum, ut quod licet hoc libeat, non ut liceat hoc quod libet. Qui pauperum cauſam non negligerent & divitum cum inſtantiâ promoverent, ne in illis rigorem oſtenderent, cum iſtis ex manſuetudine diſpenſarent; ne illos cum difficultate reſpicerent, iſtos favore tractarent; illos negligenter audirent, iſtos ſubtiliter auſcultarent. Ne juſtitiam tantùm differrent, quod litigantibus pluſquàm totum auferrent, dum major eſſet ſumptus expenſarum, quàm fructus ſententiæ. Hos omni metu & verecundiâ liberabat ob oculos eis ponendo obligationem, quâ veritatem eloqui tenerentur. Inter quos fuêre Fabius Sabinus Sabini inſignis viri filius Cato ſui temporis, Domitius Vlpianus juris peritiſſimus, Ælius Gordianus Gordiani Imperatoris Pater, & ipſe revera vir inſignis, Claudius Venatus orator ampliſſimus, Pomponius, legum peritiſſimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martinianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celſus, Proculus, Modeſtinus. Iſti omnes Juris Profeſſores Diſcipuli extitêre ſplendidiſſimi Papiniani, Alexandri Imperatoris familiares ac ſocii (uti ſcribunt Acolius & Marius Maximus) quorum ſemper aliquis fidus & individuus Achates lateri Principis adhærebat. Deindè Catilius Severus cognatus ejus vir omnium doctiſſimus. Ælius Serenianus omnium vir Sanctiſſimus, Quintilius Cajus Marcellus, quo meliorem ne Hiſtoriæ quidem continent. Iſti ſunt qui bonum Principem ſuum fecerunt; & iterum amici mali qui Romanos peſſimos etiam poſteris tradiderunt, ſuis vitiis laborantes. Hæc Lampridius. Quæ ſi cor Principis cujuſq́ue &

Superioris penetrarent ad Imaginem Alexandri ſeſe profectò ad virtutes juſtitiamque niterentur componere. Juvenis quidem ille inſignium ac bonorum virorum Sanctâ amicitiâ, operâ & conſilio continuè uſus; optimi Principis & Rempublicam optimè moderantis exemplum cæteris immortale reliquit. Salubriter præmonet Eccleſiaſticus, *Fili ſine conſilio nihil facias & poſt factum non pœnitebis*, inconſulta enim levitas eſt, nimia credulitas temeraria, damnabilis inertia. „ Non eſt levitas à cognito & damnato errore diſcedere: & „ ingenuè fatendum eſt: *Aliud putavi*: deceptus ſum. Hæc verò „ ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: *Quod ſemel dixi, qualecumque eſt,* „ *fixum ratumque ſit*. Non eſt turpe cum re mutare conſilium. Sed turpe nimium in quâlibet vacillare ſententiâ, & fœmineâ mobilitate animi in quocumque negotio occurrenti leviter variare mentis decretum; nimis quàm incautum ab ore cujuſque pendere cui impoſtura vel dolus ſubeſſe poteſt, ad alicujus ſuggeſtionem aut inſtigationem, cenſuram, æſtimationemq; ſibi in re non plenè cognitâ vindicantis, ſed juxta externa quædam veſtigia decernentis procedere ſine diſcuſſione cauſarum aut progreſſuum. Incircumſpectum omnibus fidem adhibere, alteri omnia committere circa res agendas ſupinâ deſidiâ laborare; cum ſemper ad omnia vigilias eſſe ſalutares nemo ignoret: nulla etenim ars, nullum opus, nullum tempus, nulla poteſtas, nullum officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit. Debet Rex in procinctu pervigil callidi hoſtis præcavere & evitare inſidias. In caſtris miles ſupervenientes nocturnos impetus cautâ pernoctatione propellere. Nauta vigilando diffuſi itineris incertas vias intrare, calles tranſire invios, ut veſtigio furtivo ad lucroſi portus votivam perveniat manſionem. Paſtor adjungere noctes diebus, & totum ſibi tempus denegare dormiendi, ne qua lupis ſuffragante ſomno graſſandi in gregem præbeatur occaſio. *Priuſquam* igitur *aliquid facias, conſulito: at ubi conſulueris, maturè facto opus eſt*. Sacra quædam res eſt conſilium, nec exigui momenti beneficium ſuo adventu ſupplens quod deeſt prudentiæ. Undè per Salomonem dicitur: *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*. „ Palpebræ „ quippè greſſus præcedunt cùm operationem noſtram conſilia recta „ præveniunt. Qui enim negligit conſiderando prævidere quod fa- „ cit, greſſus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, ſed „ prævidendo ſibimetipſi non attendit: atque idcircò citiùs corruit, „ quia quò pedem operis ponere debeat, per palpebras conſilii non „ attendit. Non renuit Antipater, qui vivo mortuoque Alexandro Macedoniam & Græciam gubernavit, à filiâ ſuâ Phile, quòd nativâ quâdam prudentiâ, viſa fuerit excellere, uſu jam & tractatione

Eccli. 32. v. 24.

Sen. lib. 4. de benef. cap. 38.

Saluſt.

Prov. 4.

Rabanus.

ne

ne rerum peritus conſilia petere atque audire. Quæ, cùm jam uxor Demetrii Regis eſſet, cui varium ingenium & in vitia proclive, novit mirâ temperie maritum flectere, ne dicam regere, calumnias ſupprimere, iras mitigare, juſta & honeſta inſerere. Hæc populi verè Mater tenuiorum filias dotibus datis elocabat; afflictos à fortunâ relevabat, bonos provehebat: quin & milites alloquebatur, erigebat tantâ auctoritate vel gratiâ, ut ſola tumultuantes repreſſerit & in ſeditionem lapſos revocarit. Theodoſius junior ſeptuennis ferè à Patre Arcadio relictus ſororem Pulcheriam morum habuit & inſtitutionis magiſtram: quæ ſe Imperio undique concuſſo fulcrum rebus labentibus præbuit, reparationem jam lapſis. Fratrem Theodoſium ſecordis ingenii & alterum Claudium in fœminarum aut effœminatorum poteſtate videbat & dolebat, temerè libellis ſæpè ſubſcribere, & nec lectis: alienâ commendatione aut fide, ut fit, nixum. Dolum bonum ad emendandum ipſum commenta, libellum concepit atque obtulit: quo Eudociam conjugem ejus petebat ſibi mancipari in ſervitutem. Capit & ſubſcribit: ex indè ſcenæ inſtruendæ causâ Eudociam apud ſe aliquamdiù habet: Miranti & evocanti negat miſſuram, & ſuam eam utique optimo maximoque jure eſſe. Profert manum & ſubſcriptionem, confuſo jam illi, neſcio an emendando. Poterat certè his artibus ad ſanitatem & meliorem frugem redire, ſed impedimento erat eunuchorum & paraſitorum turba quæ magis indies ignaviam Principis alebat.

§. 21. Hinc prodeunt cæcæ præſcriptiones, inconſulta conſilia, quæ re non integrâ ponderantur ab eventu peſſima fuiſſe, factiones, ſeditiones, machinationes, fraudes, calumniæ: corvi etenim oculos evellunt, ſed non niſi cadaveribus quæ viſu non egent: adulatores verò Principibus falſas opiniones ingerendo ipſos excæcant; deteriores ſanè in eo corvis quòd vivos adoriuntur, qui viſu indigent, atque illos Principes quos maximè omnium convenit eſſe oculatos. Commodum Imperatorem tradunt eò perductum ab adulatoribus & calumniatoribus, ut nulli non calumniæ fidem adhiberet. Neminem amicum adjungebat, cui virtus aliqua adeſſet, ſed à cunctis rectis ſtudiis mentem evocabat neminemque non à limine tamquam inſidiatorem ſubmovebat, quem aut probitas aut diſciplina illuſtraret; ſcurras verò & qui turpiſſima repræſentabant, quaſi addictos ſibi habebat. *Sæpè noxia concupiſcimus, nec deſpicere quàm pernicioſa ſint licet, quia judicium interpellat affectus.* Aures mendaciis aſſueti veritatem faſtidiunt, per has cor præoccupat adulatio, quia blandè influit & omne ſanum excludit rationis judicium; *Ibi errat oculus, ubi errat affectus.* Hac de cauſâ non ſophiſticè ſed verè Lucianus Sophi-

Sen. lib. 2. de benef.

S. Ambr. cap. 9. de bono mortis.

ſta

ſta virtutem, ac potiſſimùm veritatem ad cæleſtis palatii fores excubantem inducit, continuoque ſed fruſtrà pulſantem; dum interea Rex Jupiter in terras delapſus de aquâ cucurbitis dividendâ, de lite inter papiliones, & veſpas pro numero alarum componendâ multùm diuque ſe vexat. Dùm patulæ cucurbitis, aſſentatoribus dico, qui tantummodò ſunt vanitatibus repleti, probitate vacui, præbentur aures; crepundiis puerilibus, rebus nihili tempus inſumitur: exulat virtus & illius ſoror comeſque individua veritas; ſi res urget perfunctoriè ſolùm auditur, habeturque pro caducâ veritatis ſententia vel minimùm ab aliorum placitis diſcrepans. *Omnia ſub ſole vanitas, proindè ſuper ſolem veritas.* Aulicorum ſcientia eſt ſcire augmenti vel decrementi modum ut linguâ fiunt, per quam mendaciis & fuco ſubſiſtunt. Amant Reges aſſentatiunculas, amant audire quæ grata auribus. Idcircò Caliſtheni Philoſopho, cùm is Alexandrum magnum adire, & in ejus gratiam ſe inſinuare vellet, ſuaſit Ariſtoteles: *Loquere illi aut quàm rariſſimè aut quàm jucundiſſimè.* Ex talibus deliriis affligitur populus quòd nemo mirabitur niſi aulam penitùs ignoret. Quantùm callida verborum lenocinia, & conſutos dolos abominaretur infenſus ſemper impoſturæ atque impoſtoribus S. P. Auguſtinus, lucidè monſtravit in Epiſtolâ quam ſcripſit ad Bonifacium Comitem: inter quem & Caſtinum Conſulem Romanum non modicæ interceſſerant ſimultates; quas terminandas S. Auguſtino commiſit Bonifacius, modò Conſul juramento illi proderet animi puritatem omni dolo vacuam. Fecit id Caſtinus. Sed cùm poſtmodùm reſciviſſet Beatiſſimus Præſul illum ſibi mentitum fuiſſe, ac impudentiſſimè pejeraſſe. Bonifacium his verbis ad arma concitat. *Gravi de pugnâ conquereris, dubites nolo, utile tibi tuiſque dabo conſilium: arripe manibus arma, oratio aures pulſet Creatoris, quia quando pugnatur Deus apertis cælis ſpectat, & partem quam inſpicit juſtam, ibi dat palmam.* Odioſa eſt veritas ei, cui blanda ſunt vitia, & ſuave cum aſſenſione mendacium; nam quamdiù blanditur iniquitas & dulcis eſt, amara eſt veritas. Illa propriæ laudis mancipia facit, peſtiferum inanis gloriæ virus, execrandam omnibuſque modis fugiendam amoris proprii ſcabiem pectoribus ingerit, altamque ſui æſtimationem, quæ mirabiliter hominibus imponit ab iis humanæ prudentiæ ac virtutis metas ſupergreſſas oſtendens, dum cæcutientes hærent in primo limine, dùm in obvia quæque impingunt, nihilque niſi reſciſſioni obnoxium, aut juſtificari quoquo modo, vel certè excuſari poſtulans, in medium producitur, Ne aula, ne Reſpublica, ne communitas ſit tamquam cometes, malorum omnium prænuntia, ac veluti contagioſiſſima peſtis quæ in

S. Paulinus Epiſt. 4.

Sen. lib. de irâ.

Blond. Flav. Decad. 1. lib. 2.

in cognata membra, imò quocumque ſe applicat, imprimendæ malitiæ cladem vomit, & virus longè latèque diffundit. Nullum præſentius adhiberi poterit remedium, quàm ſi in locum adulatorum ſimiliumque pernicioſorum hominum boni conſiliarii ſurrogentur: ne in ea probus quiſque opprimatur ampliùs, & peſſimus promoveatur, ne ſimplices irrideantur, juſti vim patiantur, audaces & impudentes erigantur; ne illic diutiùs proſperentur ſuſurrones, detractores, renunciatores, calumniatores, ſycophantæ, pſeudoli, famicidæ, ſupplantatores. *Magnum*, inquit Tacitus, *ornamentum Principi corona ſenum & cordatorum conſiliariorum cinctum eſſe.* Quorum reverentia adverſariis metum incutit, ſubditis obedientiam imprimit. Iſabella Ferdinandi Regis Hiſpaniarum conjux exoſa mimos, ſcenicos, ludiones, totum hoc levitatis inſtrumentum & nec privatim aut publicè audire ſuſtinens, vel ſpectare, eorum vicem viros graves & matronas ſerias apud ſe habere voluit, ſicque juſtitiam reſtituit potentiorum injuriis exulantem; aulam verò nil niſi palæſtram honoris & virtutis effecit. Ad id deligendi ſunt ſpectatæ integritatis viri, quales à Socrate commemorantur apud Xenophontem, qui privatis commodis publica præponant, qui mediocria poſſidere quàm virtutem deſerere malint, qui voluptatibus non vincantur, injuriam privatam negligant, publicam vendicent, neque ambitioni neque largitioni obnoxii. Qui nihil nebuloſum, nihil fallax, nihil ſimulatum, nihil denique improbum aut malevolum fucatumvè referant. Syrach docet in conſilium adhibendos, qui earum rerum, de quibus deliberandum, periti ſint: Obſervavit id cumprimis Alexander Imperator: cùm de jure ac civilibus negotiis tractaret, doctos Juriſconſultos adhibuit; non qui linguam & conſilia venum exponerent, ſed qui omnia, quæ à jure civili proficiſcuntur, ad facilitatem æquitatemque referrent: ſi de re militari, milites veteranos conſuluit locorum peritos, bellorum, hiſtoriarumque non ignaros.

§. 22. Æqualis tamen periculi eſt conſiliis egere, & penes unum alterumvè cuncta rerum arbitria relinquere, non pro capite ſe gerere ſed ab alterius nutu totum pendere; ubi nec prudentia vel leviter deſudat, nec ingenium ſuo ſungitur officio, ſed inutilibus occupatur. Olim in Gallia ad Præfectos palatii, qui Majores domûs eâ ætate vocabantur, ſpectabat ſumma imperii, cùm Reges præter inane vocabulum, & perſonam crine barbâque veſtitam, in ſolio reſidentem, & Legatos audientem, nihil reliqui haberent. Undè maxima bono publico nata ſunt detrimenta, bella inteſtina populis ſæpiùs ex privata ipſorum ambitione derivata, plerùmque odiis ipſo- *Regin. L. 2.*

rum, aut amoribus debita calamitas publica, cui ſæpè falsò obtenditur Regium nomen. Quid, quòd Principum vita à nimia miniſtrorum potentia non ſit ſecura? Majonem natione Apulum, patriâ Bareum, humili ortum genere, quippè cujus pater oleum Bari vendere ſolitus fuit, Guillielmus primus hujus nominis Siciliæ Rex primò in Curia, poſtmodùm gradatim Cancellarium ac demùm magnum Regni Admiratum conſtituit. Vigebat in eo ingenium ad omnia verſatile, facundia non diſpar, ſimulandi atque diſſimulandi mira facilitas. Adeò tamen agebatur in venerem præceps ut ſtupro virgines fœdare laudi ſibi duceret. Erat ex illo genere hominum qui cum novo honore mutatis moribus omnium quæ retrò ſunt obliti, & in anteriora tendentes, priora ſua contemnunt, ulteriora concupiſcunt, ſummis muneribus vulturum inſtar ſemper inhiant, undecumque prædam vel ex ipſis faucibus, uti Harpyæ Phineo obſonium, prærepturi. Nihil eſt ambitioni modicum, mediocribus nequaquam continetur, altiora ſemper affectat. Jam totius Regni adminiſtrationem habebat, Regemque (cum quo ſolus *Majol. in dieb.canic.* Regni negotia, cæteris proceribus excluſis, tractabat) voluntati aſſentientem; quando fortunæ ſuæ opificem viribus propriis ſubſtiturum ſe præſumens eum non ſolùm ſpernere, ſed etiam in regnandi cupiditatem prolapſus, de tyrannide occupandâ, ipſoque interficiendo conſilia agitare inſtituit. Nec jam clàm, ſed palàm quoque in ſuam ſententiam amicos juriſjurandi religione adigebat: cujus machinationes Matthæus Bonellius, quem in generum aſciverat, prævertit, ſocerum ob affectatum regnum ſaluti publicæ Rege approbante immolans. Abſit tamen hinc metus: per miniſtros tamen ad ſumma evectos plerùmque ſtat, quominùs mala ſua Principes ſciant, dum Reipublicæ vitia vicinis canentibus innoteſcunt.

§. 23. Neque verò ità crudè atque inſulsè proponenda veritas ut nauſeam & horrorem pariat: quando enim nec tempus nec modum ſervat, malitia dicenda eſt potiùs quàm zelus, audacis juxta ac ſiniſtræ magis intentionis ſpecies, quàm admonitio. Ad quid tam nudè illam quidam eloquuntur, quorum pedes adeò pruriunt, ut ſint malorum nuntiorum auctores & bajuli? amaræ pilulæ, ne ab ægrotis reſpuantur, melle aut ſaccharo illinuntur; ſic bono & ſincero affectu, nec non animo ab utilitatis propriæ cupiditate, omnique aliâ paſſione libero cum prudentia & ſuavi moderatione ſententia noſtra eſt manifeſtanda: quam convenit multis antea præſervativis, multis etiam viam præſternentibus, multis demùm in mitigationem ſequentibus veſtiri, ut & offenſio vitetur, & ex fide conſilium præbeatur. Artem hanc mirabilem apprimè calluit, & pro-

ptofeſſus eſt vir in omnibus admirandus Manlius Totquatus Severinus Boëtius, temporibus Theodorici Regis per calumniam oppreſſorum, pauperumque aſylum, & veritatis defenſor acerrimus. Uti ſub Odoacre Principe, ità ſub Theodorico ſæpiùs Conſul, [a] rarâ felicitate, ut ſine offenſione virtutiſque contaminatione, quia ſine affectatione & jactantiâ, ſed ſervando illibatam exiſtimationem Domini, in gratia Principum ſibi invicem adverſantium valuerit perſeverare. Conſilia ſuggerebat Theodorico cum libertate animi gratioſa, demiſſa, ſincera, abſque periculi ullius metu, abſque ambitione, quâ zeloſus haberetur ſolùm & in opinione ſua contumax: ſed inoffenſo Majeſtatis Regiæ decoro, ad augendam Principis amplitudinem ac gloriam, prudentiam ſuam & intelligentiam judicio illius moderando, veritati patrocinabatur; afflictis ſubveniebat; in omnibus rectè atque integrè ſuo fungebatur munere. [b] Adhibebat prudenter grana ſalis, quæ Principis benevolentiam conſervarent, monita inſuper ad errores vitandos, & corrigendos mores. Eatenùs ſua & Principis commoda eadem eſſe ducebat, quatenùs neque conſcientiæ neque bono publico officerent: indè ſilentium ei opportunum, ſi utilitas poſtulaſſet, verba ptompta & expedita, ſi opus fuiſſet. Suos illi errores ac defectus cum modeſtia exponere non metuebat; neque ideò, ſi periculum conſulenti ex fide immineret, offenſam aut indignationem verebatur. Infracto & inconcuſſo ſempet animo: gnarus ad tempus gratiam aliquid pati, ſed agnito tamen poſteà errore convaleſcere. Rex ipſe Theodoricus ſinceritatem illam ac moderationem in quodam ſuo familiari collaudavit. *Sub genii noſtri*, inquit, *luce intrepidus quidem ſed reverenter aſtabat, opportunè tacitus, neceſſariè copioſus.* Quamdiù æquabili auctoritate & gratiâ à ſævis adulationibus animum Theodorici in melius flexit, illumque prudentiâ & eloquentiâ lenivit ne contumaciâ aut faſtu potentiæ famam fatumque provocaret; ſummâ laude digniſſimus melioribus, quos anteacta tuliſſent ſæcula, Principibus Romanis æquari meruit: Verùm poſtquam ad perditorum hominum ſuggeſtionem monitorem ſuum moderatoremque occidit, tum demùm non modò omni præteritâ virtute & gloriâ excidit, ſed in calamitoſiſſimum quoque exitium incidit; quodque pro monſtro habetur, permanſit Boëtii lingua veritatis index ac impietatis vindex etiam in mortis tranſitu libera: [c] eo namque inſtanti quo caput tortor ſeparabat à corpore, qui per ludibrium à Boëtio requirebat, quiſnam ipſum percuſſiſſet? impios clarâ voce fuiſſe dixit. Hæc ab æmulis, ab aſſentatoribus veritas paſſa eſt, qui dum vitia in Theodorico laudarent, & virtutum nomine veſtirent, habe-

[a] No ay deſtreza ni maña que merezca ſer mas alabada de un miniſtro que ſupo ſin hazer offenſa à la virtud mantenerſe en igual eſtimacion y credito en los tiempos paſſados y preſentes de differentes y contrarios Principes y validos: *El Marques de Aytona en la vida de Boeçio num. 17.*

[b] Boeçio acudia à todo con la modeſtia que ſe deve tratar con el poder no limitado ni con la razon, ni con las leyes, con lo ſuave de ſus coſtumbres, y ciencia meſclava lo aſpero de profeſſion con que Teodorico le eſtimava, le amava, y le creya. *Idem ibidem num. 26.*

Caſſ. lib. 5. ep. 3.

[c] Al tiempo que la eſpada dividiò la venerable cabeça de aquel cuerpo le preguntò el verdugo por eſcarnio, quien le avia herido? Reſpondiò con aſſombro de los oyentes que les impios. *El Marques num. 45.*

nas iis laxavêre, ut tantò committerentur liberiùs. Princeps igitur amiſit fidelem miniſtrum per ſuas artes triumphante malitiâ. Propriæ libertati, fortunis, & vitæ bonorum malè conſulitur, quando injuſtam Principum potentiam familiares eorum conantur extendere ulteriùs, ſuppeditando iis media, quibus indomitas ſuas cupiditates expleant. *Nero* (adſtipulante Cornelio Tacito) *poſtquam cuncta ſcelerum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam.* Immanitatem ſuam pro juſtitia cernens ad illam fractis omnibus verecundiæ repagulis licentiùs prorupit.

Lib. 18. Annal.

§. 24. O conſuetudo peccandi quantum habes jucunditatis in improbis atque audacibus, cùm pœna abfuit ac licentia conſecuta eſt; imò cùm non ſolùm fautores, ſed patronos undequaque nacta eſt impudentia! Nerone longè pejor evaſit Henricus Octavus poſtquam à fortunæ mancipiis ratum haberi divortium, adulterium approbari, effrænatas libidines commendari perſpexit; nihil jam tam ſanctum, quod ſceleribus obicem ponere valeret: hinc aula ipſius nihil aliud erat, quàm famoſorum nebulonum collegium, theatrum peſſimorum ſatellitum, morum corruptiſſimorum ſchola, & execrabilium ſcelerum aſylum: ubi ſuperbia, faſtus, tumor, hæreſis, rapacitas, libido, luxus, livor, ira, crapula, violentia, impietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, crudelitas plenario jure dominabantur. Sacra omnia contemerabantur; Religioſi utriuſque ſexus ſpreto ſolemni voto ad nuptias pelliciebantur; theſauri Eccleſiæ, vaſa, ſupellex diripiebatur; bona Eccleſiaſtica violenter occupabantur; Monachi paſſim ad ſupplicia rapiebantur, ex quo Thomas Cromvelus homo nequiſſimus juxtà ac crudeliſſimus, Lutheranâ hæreſi infectus, ſummus tàm in temporalibus quàm in ſpiritualibus Regis Vicarius fuit conſtitutus. Hic nefaria Henrico quotidiè ſuggerebat conſilia, deteſtanda ſacrilegia: qui illi contradicebant extemplò plectebantur; undè reliqui connivebant. Impotentiâ erat nocendi qui ipſi credebatur aſſenſus: ſæpè enim pro benevolentia vulgatur, quod eſt neceſſitas. Quidquid videbat, quidquid audiebat, quidquid agebatur conjectare in deteriorem partem aſſuetus, ſibi ſoli fidebat, ſe ſolum amabat, ſibi ſoli ſapiebat, nullius fidei aut amicitiæ credebat, pro oraculis ſententiam ſuam haberi volebat. Hic aulæ ritus eſt, conſilium quamvis fidum & prudens, quod non ipſe proferas, arguis. Quandoque recta improbantur odio in authores aut æmulatione. Doctorem Villſonum virum primarium, & Samſonem Epiſcopum Ciceſtrenſem, eâ ſolâ de causâ quòd in Catholicos quoſdam pauperes in cuſtodiis propter negatum Eccleſiaſticum Regis primatum detentos eleëmo-

Sand. lib. 1. Schiſm. Angl.

eleëmoſynam feciſſent, conjiciendos in arcem Londinenſem curavit. Joannem Nevellum Equitem auratum tùm ob Fidem Catholicam, tùm ob gratiam, quâ apud populum valebat, odio habens, Regi ut ſuſpectum detulit; eumdemque aleâ cum Henrico ludentem (ſicut priùs cum Rege convenerat) ad cœnam invitavit, à cœna in carcerem abduci juſſit, de carcere gladio feriendum mandavit. Quid tàm inauditum, quàm nocturnum ſupplicium? animadverſiones, quò notiores ſunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt. Timuit, ſi lucem expectaſſet, ne aliquam liberiorem vocem extremus dolor emiſiſſet, ne quid, quod nollet, audiviſſet. Sciebat autem innumerabilia eſſe, quæ objicere illi nemo, niſi periturus, auderet. Itâ C. Caligula eodem die Paſtorem ſplendidum Equitem Romanum ad cœnam invitavit, quò filium ejus (munditiis & cultioribus capillis adoleſcentis offenſus) duci juſſit. Adeò ferociſſima hæc bellua impatiens fuit differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas ſine dilatione poſcebat, ut in xyſto maternorum hortorum, qui porticum à ripa ſeparat, inambulans cum matronis atque Senatoribus, quoſdam ex equitibus & Senatoribus Romanis ad lucernam decollaret. Bonorum felicitate torquentur invidi; virtutem omnem contemnunt; aliorumque laudes diverſis ſententiis frangunt; æmulorum machinatione dejiciuntur aulâ ex improviſo æmuli; hæc aulicis paſſim exercitatio, retinendo, vel occupando invicem loco, inter quos decretoria eſt victoria ex captato opportunè momento, quo vincunt, aut vincuntur; æmulorum calamitatibus gaudent; nullius malo compatiuntur; nulli promiſſa ſe debere putant, niſi pro ſua libidine; nulli gratiam referunt, ſed omnes pariter aut beneficio indignos judicant, aut negligentiâ prætereunt; nonnullos odio compenſant, ſed in odio gratiam fingunt, & diſſimulant iram. O infelix invidia, quæ ob gratias & incrementa aliena contabeſcis! ô vulpina malitia, quæ ſub ſpecie recti graviùs noces, quàm infeſtus es hoſtis! quàm noxio artificio mentes diſcipulorum imbuis! doces eos vota ſua & deſideria etiam cum illuſione ac exitio Principis promovere, optimè meritos de gratiâ illius favoribuſque deturbando, ſuæmet auctoritatis (quâ pollent) beneficio, aut interjectis inter Principis oculos & miniſtri actiones, invidiæ & æmulationis fluctibus, ut eas pro obliquis habeat, aut parùm fidelibus, cùm de ſe rectiſſimæ ſint, non niſi ad obſequium illius ac commodi publici augmentum ſuſceptæ. O grandem malignitatem, gratiam, quam virtutibus haud promerentur, malis publicis aucupari! pro momentaneo aliquo favore (undè alteri infamiam parant, ut indè gloriam ſibi recipiant) ſuam prodere patriam, meraſque

Sen. lib. 2. de ira cap. 33.

Idem lib. 3. de ira cap. 18.

que tyrannides in Regnum invehere! Sub prætextu boni publici,quo nequitiam amoris proprii velant, clandeſtinè totum Reipublicæ aut communitatis alicujus ſtatum ſubvertere! calumnias ſic adornare atque inſtituere, ut cùm ſint accuſationes, laudes tamen eſſe videantur! rariſſimè tamen cuiquam benè ceſſit Reges aut in fraudes aut ſcelera impuliſſe, Regibuſvè illicitis obſequiis faviſſe. Cromve-
Sand. lib. 1. Schiſm. Angl. lus Henrico author fuit legis ferendæ, ut ſi quis impoſterùm etiam abſens atque indictâ causâ læſæ Majeſtatis damnaretur, non minùs ritè damnatus haberetur, quàm ſi per duodecimvirale judicium (in Anglia imprimis ſolemne) condemnatus fuiſſet. Conſilium fuit conſultori peſſimum. Secundùm legem, quam ipſe rogârat, abſens atque indictâ causâ damnatus, ſecuri percuſſus eſt. Non multò poſt Thomas Havardus, Dux Norfolciæ magnus Regi Mariſcalcus qui ipſum Regis nomine comprehendit, quo fuerat uſus Henricus non ſolùm in omnibus bellis ac Reipublicæ negotiis, ſed etiam ad divortium ſuum non nihil promovendum, ad Roffenſem Morumq́ue Judicio condemnandos; omnibus jam peractis ex aula ejectus fuit, perpetuiſq́ue carceribus mancipatus filio ejus primogenito Surriæ Comite ſecuri percuſſo. Quis credat tàm citò obliteratum illorum nomen, quorum memoria ad perpetuitatem aſpirabat. Ità habent rerum humanarum vices, mutantur in momento affectus Principum ob immenſam hominum copiam, qui ipſorum gratiam
Sand. Ibid. ambiunt. Diſcant tamen hinc mortales juſtitiam colere, & Principum voluntates mandatis Dei non anteferre.

§. 25. Cognitum hebebat perſpectumq́ue adulatorum inge-
Nicephor. lib. 8. cap. 54. nium Conſtantinus Imperator, & peſſimum judicabat inimicorum genus, laudantes: ideòq́ue eos tineas & ſorices palatii appellare conſuêrat. Sigiſmundus quoque Imperator intelligens adulatoris lau-
Æneas Silv. lib. 2. de geſtu Alfonſi. des non aliò ſpectare, quàm ut majus damnum ſuò accerſant tempore, adulatori alapam dedit, dicentiq́ue, cur me cædis Imperator? Reſpondit: *Cur me mordes adulator?* Benè tales cavendos mo-
cap. 2. v. 6. nuit Propheta Ezechiel., ubi ait: *Subverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Quorum *cauda ſemper in ictu eſt, nulloq́ue mo-*
Plin. lib. 11. cap. 25. *mento meditari ceſſant, ne quando deſint occaſioni.* Unà cùm ætate, fortunâ, ſpe commodi, damni metu, & paſſione animum immutant. Non patitur tot continuò fluxus & refluxus Euripus quot illòrum pectora varietates. Beneficia inſcribunt in cera, injurias acceptas in marmore, & quas aliis inferunt in ære incidunt. Nullum obſequium eorum gratuitum eſt, ſodalitatem nullam, niſi lucri causâ, colunt; commodum proprium omnibus præferunt; amicos, hoſpites, propinquos, ſocios, quicumque lucrum non adferunt,

adferunt, tamquam ſteriles arbores, deſpiciunt; priſtinos ſodales, ſi quis eorum occurrat, prætereunt, quaſi ne norint quidem. Ideò non abs re futurum exiſtimo, ſi mores & technas illorum ad cautelam prolixiùs deſcribam, nam juxta Tacitum nec virtutes ſileri, neque vitia ſilentio ſepeliri par eſt. Indoles eorum & conſuetudo familiaris potiſſimùm ſe prodit quo tempore premuntur neceſſitate, verſantur in anguſtiis opis alienæ indigi; vel quo beneficium aliquod ſive gratiam ambiunt. Quantùm ſe ſubmittunt, quàm moleſti & infeſti, ut obtineant ad quod ſuſpirant! quàm anheli & turbulenti loca omnia percurſitant, ubi ſpes aliqua potiundi affulget! inviſunt eos & comitantur, quos ſperant patronos; appetunt manus eorum, eaſque blandè diſſaviantur; nullum humillimè obſervantiæ genus prætermittunt; officioſis etiam oblationibus & grandibus promiſſis illos ſibi devincire ſatagunt; mancipia ſeſe pro beneficio ſempiterna offerunt. Ut Canonicatum aſſequantur, ut piſcentur Mitram, ut Purpuram obtineant Cardinalitiam, quàm magnifici ſunt ſponſores! aſt votorum facti compotes, rerum potiti, quas tam inhianter expetebant; poſtquàm præteriit ærumna, conquievit diſcrimen, & ſitis neceſſitatis ſedata eſt: quaſi epotâ oblivionis aquâ ex fluvio Lethe non ſolùm fiunt beneficiorum immemores, ſordidè pollicitationum ſuarum negligentes; ſed etiam ruſticè ingrati, qui humiles ſupplices fuerant. Accipiunt hi munerum vultures tamquam perpetuæ memoriæ beneficia reconondituri, & æternæ recondunt oblivioni: perit cum munere, nec longior memoria munere eſt. Dum aliquid votis omnibus expetit ab amatore meretrix, magnæ & plurimæ ejus ſunt è remoto venientes lachrymæ; oculi mœrorem tantùm mentiuntur. Ubi precibus factum eſt ſatis, extemplò lachrymas genæ ſiccant omni doloris ſenſu depulſo, ut fictas illas fuiſſe tam ſubita mutatio abundè teſtetur. Ità Poëta Horatius.

Nota refert meretricis acumina, ſæpè catellam, *Lib. 1. epiſt. ad Scævam.*
Sæpè periſcelidem raptam ſibi flentis: uti mox
Nulla fides damnis, veriſque doloribus adſit.

Sic avidæ illorum manus accepto munere memoriam detergunt in mari mortuo eam ſepelientes. Illud diligenter obſervavit Cordubenſis Philoſophus, inquiens: Audi vocem petentium. „Nemo *Sen. de beneſ.*
„non victuram ſemper in animo ſuo memoriam dixit, nemo non
„deditum ſe, & devotum profeſſus eſt, & ſi quod humilius ver-
„bum, quo ſe oppigneraret, invenit. Poſt exiguum tempus
„iidem illa verba quaſi ſordida & parùm libera evitant. Perveniunt
„deindè

„ deindè eò, quò, ut ego exiſtimo, peſſimus quiſque atque in-
„ gratiſſimus pervenit, ut oblivifcantur.

§. 26. Congruè id genus hominum expreſſit Paulus Areſius quodam Symbolo cameli adgeniculati, juxta quem erant nonnullæ ſarcinæ veſtium, additâ hâc inſcriptione, *Donec accipiat*, ſubaudi onera. Inter multas animalis illius proprietates hæc una reperitur & valdè peculiaris, quod cùm illi injiciendum eſt onus, ſubmittit ſe in terram; & poſtquam excepit ſarcinas continuò ſeſe erigit ac pergit. Non aliter plerique recepturi ab altero beneficium aut officium, camelos imitati in terram uſque ſe dejiciunt; jam non manus tantùm, ſed & pedes ac terram ipſam, quam calcant ii, quorum operâ vel gratiâ egent, oſculantur; adorant illos tamquam Deos, gemunt, ſuſpirant, illachrymant: conſecuti verò quod expectabant, erigunt ſeſe, & efferuntur ſuperbiâ, neque beneficii aut benefacto-
Eccli. 29. v. 5. ris recordantur ampliùs. *Donec accipiant oſculantur manus dantis.* Quando ambiunt veluti gibboſi & deformes cameli ſeſe inclinant atque proſternunt ipsâ humilitate humiliores: cùm poſtulata obtinuerint, ſuperbi & contumaces recedentes gratiam præſtitam flocci
Sen. epiſt. 19. faciunt. „ Nullum habet majus malum occupatus homo, & bonis
„ ſuis obſeſſus, quàm quòd amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt:
„ quòd beneficia ſua efficacia judicat ad conciliandos amicos, cùm
„ quidam, quò plus debent, magis oderint. Judicabitis utrum in fi-
Pſ. 62. v. 1. & 2. gura & ex nomine talium dixerit Propheta Regius, *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Hanc orationem, uti titulus Pſalmi manifeſtat, obtulit David Deo cùm eſſet in deſerto Idumææ; quando fugiens iram Saülis in eremum interiorem ſe recepit, atque in ſpelunca Odollam velut ſepelivit. Quàm vehementer exaggerat ſitim ſuam David, quâ declaravit anxietatem ſuam, & remedii deſiderium! ſitim vocabat cupiditatem evadendi periculum, in quo verſabatur. Quaſi dixiſſet, vix Sol iſte, ô Deus meus! ſumma montium cacumina ſuis perfudit radiis, quando vox mea cæleſtes fores tuas pulſat, & inclamat: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea.* Benè (ut notat S. Auguſtinus) ardens ſitis vocatur multorum obſecratio, cùm afflicti rogant, lugentes ac mœſti petunt, cùm in ærumnis poſiti clamant, ſitire feruntur: *Sed modò oratio, quamdiu ſitis; cùm ſitis tranſierit, tranſit oratio.* Ceſſet ægritudo, redeant in concordiam humores, tranſeat flagrantis ſitis auſteritas; jamque omnem rivi, fluminis, fontis memoriam abjicit, qui fuerat infirmus. Conferre poſſumus non invenuſtè prædictos cum avibus fœmellis ex obſervatione S. Euſtachii Archiepiſcopi Antiocheni in Hexæm. ubi

ſic

ſic ait: *Aves fœminæ quouſque conceperint, marem admittunt; poſtquam conceperint, averſantur.* Nemo ignorat conſervandæ ſpeciei, & propagandi generis ſui à natura deſiderium omnibus inſitum eſſe animalibus: & fœmellis videtur hujus rei vehementior ingenita cupiditas. Sed aves eo tempore, quòd naturæ parens atque proviſor deputavit conceptui, faciles ſe non ſolùm ſuo conſorti ſubmittunt, verùm etiam advocant, incitant, indagant & procantur: at ubi ſe concepiſſe ſentiunt, maſculorumque auxilio non ampliùs indigere agnoſcunt, non eos devitant tantùm ac fugitant, ſed etiam dedignantur & horrent, roſtroque ac unguibus vim, quamcumque mares inferre volunt, repellunt. *Quouſque conceperint, marem admittunt, poſtquam conceperint, averſantur.* Sic mundanorum pars maxima (quod videmus indies & experimur) cùm ſe conſtringi neceſſitate cernunt, cùm aliorum indigent favore vel auxilio, opulentiſſimi ſunt in promiſſis, ſeſe humiliant, demittunt, ſubjiciunt, & patronis adgeniculantur: verùm poſt depulſum periculum, poſt confectum ex ſententia negotium, poſt ſublatam neceſſitatem, *poſtquam conceperint, averſantur.* Non viſitant modò, non ſalutant benefactorem, ſed etiam quâvis arreptâ occaſione illi obtrectant, & maledicunt; benefacta extenuant, ne gratos ſeſe oſtendere cogantur; mille noverunt reperire modos, quibus illa obſcurent, & offuſcent. Horatianus aſſentator, qui

——— Sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Ut puerum ſævo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas. *Horat. lib. 1. epiſt. ad Lolium.*

Hic, inquam, qui ad omne obſequium plus æquo pronus non tantùm applaudit dictis ejus ſingulis, ſed moleſtis quoque ornat atque onerat laudibus; Mecœnatem ſuum execratur tacitus, quantùmvis fauſta ominetur propalàm. „Vides tu iſtos, ait Seneca, „qui eloquentiam laudant, qui opes ſequuntur, qui gratiæ adu- *De vita beata cap. 2.* „lantur, qui potentiam extollunt? omnes aut ſunt hoſtes, aut „(quod in æquo eſt) eſſe poſſunt. Sic fert omnium adulantium „ingenium & mos, ſemper in proſperitate mulcere, & donec „temporalia ſuppetunt, applaudere. *Importuni ut accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati ubi acceperint; largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores.* Inſigniter ingrata & impudens fuit illa *D. Bernard. lib. 4. de conſid. cap. 2.* mulier, quæ ſanguinis fluxu emoritura, Iaſpidis pretioſiſſimi, quem Alphonſus Rex Arragoniæ manui ejus infixerat, beneficio

Panorm. in vita Alphonſi. curara; eumdem poſteà benefactori ac medico negavit, neque à ſe viſum umquam aſſeruit, deteſtantibus paſſim Aulicis impudentiſſimum fœminæ os & ingratitudinis vitium indigniſſimum. Enormiùs adhuc omnes peccatores in Deum delinquunt, qui in afflictione poſiti multa Deo promittunt, ſed extra periculum conſtituti retractant: qui ſæpiùs ab omnium bonorum largitore pretioſiſſimum Iaſpidem, divinam gratiam, inæſtimabilem illam animæ gemmam recipiunt, cujus beneficio à fluxu ſanguinis, ab omni videlicet peccatorum plaga & lepra mundantur; & ingrati Deo non reddunt, quod debent. *Mutuabitur peccator, & non* *Pſalm. 36.* *ſolvet*: S. Auguſtinus in eumdem Pſalmum, „Quanta, inquit, „accepit peccator pro quibus non ſolvit? præter illa quæ habe- „mus cum pecore communia. Accepit etiam ampliùs mentem „quâ poſſit intelligere, quâ poſſit capere veritatem, quâ poſſit „juſtum ab injuſto diſcernere, quâ poſſit indagare, deſiderare crea- „torem, laudare & inhærere illi. Hæc omnia accepit & pecca- „tor; ſed non benè vivendo, non reddit, quod debet. Ergò fœ- „neratur peccator, & non ſolvit: non reddit ei à quo accepit, „non agit gratias; imò verò rependit mala pro bonis, blaſphe- „mias, murmur, adversùs Deum indignationem; ergò ille „fœneratur, & non ſolvit: quin negligens longam Dei patientiam, quæ in humanæ ſalutis profectum extenditur, beneficiis quæ ex liberalibus ipſius manibus accepit, eumdem oppugnat, opes, quas à Deo largiſſimè obtinuit, ad ipſius offenſas vertit, cùm in vanitates & turpem libidinem effundit. Cùm ægrâ & periculoſâ laboravit valetudine, quot preces, quot vota, quot propoſita pia in lecto ſuo non concepit! cùm in diſcrimine naufragii aut latronum vitæ dubius verſabatur, quid Deo non promiſit! ereptus ex periculo, recuperatâ integrè ſanitate, quam ad rectiùs & promptiùs in poſterum Deo ſerviendum debuerat impendere, ad irritandum tam magnificum benefactorem abutitur, nova excogitando peccata, quibus illum ad iracundiam provocet. *Nihil carius æſtimamus, quàm beneficium quamdiù petimus, nihil vilius,* *Sen. epiſt. 61.* *cùm accepimus.*

§. 27. Cavendæ quoque in his omnibus fraudes & inſidiæ. Dum blandiuntur, aſtutè decipiunt. In nulla officina tot cuduntur fraudes, quot in corde humano; in quo & plura adornantur mendacia, quàm in ullo foro nundinatorio. Quid indignius quàm aliud clauſum pectore, aliud linguâ promptum habere? ſubmiſſionem animi ad omnia bona officia parati eſſe putes, quod fieri vides, & perfidia eſt ac fallacia. Sub Tiberio ſpecioſa verbis, re

re iñania ac ſubdola; quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tantò eruptura ad intenſius ſervitium. Humilitate, quæ exteriùs perfertur, fraudulenti cordis ſecretum regitur, & obnubilatur. In magnis verborum officiis ut plurimùm ſimulatio latet. Aucupes, dum ludunt, fallunt.

Fiſtula dulce canit volucrem dum decipit auceps;

Nec niſi laudant, fallunt: nihil valent ſine cantu retia, cantata fallunt; non fallent muta. Extimis labiis & verbis amicum loquuntur, probitatem ſonant. Remove hanc ſuperficiem, hoſtilia omnia reperies. *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt ad intima cordis; quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde ipſius.* Actiones nonnullæ ab animo videntur officioſo & benevolo proficiſci, quæ ad impoſturas tendunt, aliudque ſæpè machinantur, quàm præ ſe ferunt. Philo Judæus inquit, *Reperire licet aliquem qui modicum depoſitum reddit, magis ut inſidietur accipienti: ut approbatâ ſuâ fide in modico ineſcatum capiat majori perfidiâ.* Non ut amicè factum reputatur, aut in beneficiis recenſeri poteſt, ſi quis alteri centum aureos vel commodet, vel gratuito munere donet non gratificandi ſtudio, ſed eo tantùm animo & conſilio, ut plura ab illo poſthæc eblandiatur; aut ſi quis promptiſſimè debitum quoddam exiguum ſolvat, ut quis majora illi credat, & fidem illius conſtanter in debitis ſequatur, quam tamen fallere ſic deſtinaſſet. Illud nihil eſt aliud, quàm piſcatorium fallaciæ hamum ſimulati beneficii ſpecie tamquam eſcâ tegere ac occultare. Id agit talis verſipellis, *ut approbatâ ſuâ fide in modico ineſcatum capiat majore perfidiâ.* Fides illa nonnè perfidia eſt, fiducia proditio, liberalitas avaritia? „Sunt, qui pauperibus, ait D. Hieronymus, paulùm „tribuunt, ut ampliùs accipiant, & ſub prætextu eleëmoſynæ „quærunt divitias: quæ magis venatio appellanda eſt, quàm „eleëmoſynæ genus. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic capiuntur & piſces. „Modica in hamo eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi „protrahantur. Ità ſub Religionis titulo exercentur injuſta compendia: & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, quàm patitur. Contra omnium opinionem plenis ſacculis moriuntur divites, qui pauperes ſe vivere ſimulabant. His annecte Clericos negotiatores, qui artibus & negotiationibus ſæculi carere non poſſunt aut nolunt: qui mutatis dumtaxat nominibus inſtitorum, eadem exercent commercia, non victum & veſtitum, quod Apoſtolus præcipit, ſed majora, quàm ſæculi homines, emolumenta

Prov. 26. v. 22. & 25.

In lib. de vita Abraha.

Ep. 2. de vita Cler. ad Nepot.

ſectantes. Quid myſterii continet amico præſente vultus ſempèr ad honeſtatem compoſitus, actio ritè decenterque exhibita; dum verba præmeditata merum ſonant amorem, zelum & fidelitatem; exterior oris corporiſque ſpecies obſequium pollicetur ac benevolentiam?

——————— *Latet anguis in herba.*

Nimia civilitas hoſtile ſonat: ſub hoc velamine in imo pectore rancor, odium & ambitio ſovetur. Non cuivis facile danda eſt manus; nimis periculoſum eſt leviter omnibus fidere, utrumque in vitio omnibus credere & nulli.

§. 28. Prudentis eſt ad res omnes ac ſingulas ſic manus, oculos, aureſque admovere, ut (quantum homini fas eſt) aut errare non poſſit, aut certè culpâ vacet. Aures judicet ad res cognoſcendas neceſſarias, oculos ad comparandam certam fidem. Aſſueſcat tàm dicere. verum, quàm audire. *Vrat veritas & tamen ſanet. Nam oleum peccatoris adulatio aſſentatoris mulcet, ſed decipit. Ibi enim lenitur ſuperbia, ſed labitur vita.* Nota habet quiſque ſui corporis vitia; cur animi morbus ignoratur? ad hoc medicus quærendus, & manus curantis etiam cum doloris acerbitate ſupportanda: nam quis ægritudinem ſuàm laudari potiùs, quàm ſanari deſiderat? ad certitudinem tamen aſſequendam cognitionis practicam auribus fideliores ſunt oculi: tantùm enim veritas à mendacio abeſt, quantùm oculi diſtant ab auribus.

S. Auguſt. ſerm. 246. de temp.

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Horat. de Art. Poet.

Non ſemper imaginationi aut expectationi noſtræ reſpondet effectus. Ignorantium magiſter eſt ſucceſſus, & ſæpiùs res ſecùs cadunt atque optaveramus. Nulla acus nautica adhuc ex vero detexit varium & infidum humani pectoris æquor; quod dum mentitur tranquillitatem, momento in tempeſtates exurgit. Quis modum inſidiis ponet? quis monebit tempori? quis luctantes eruet? affectus ſuos ad longum diſſimulare novit & tegere, verbis, riſu & lachrymis celare, quod incluſum gerit; religione ſuâ obvelare conſilia, jurejurando firmare, mendaciis occultare. Quod ex majori videtur ſinceritate profectum, propriâ utilitate plus invenitur infectum. O cor humanum! ô perplexum & inextricabilem labyrinthum! ô linguas! ô actiones! quis vos intelligat? collineatis, ut apparet, in ſcopum laudum, & in vituperationes contumeliaſque jacula veſtra dirigitis: quàm magnam ſæpè componitis

ponitis obſervantiam erga eos, quos fuſte commolitos & exoſſatos, aut palo confixos videre maletis! Quis facilè ſe credet fraudulento huic amoris oceano? merget ubi luſit, inter oſcula venena jaculabitur, inter amica pocula toxica propinabit. Nocentius ſanè nihil eſt quàm ſub honeſto nomine hoſtem tegere, & inimicum intùs alere, qui amicum profitetur. Verum nimis illud Leonis Magni, *Plus plerùmque periculi eſt in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto.* Fateor quòd contra hæc jacula incautior ferè generoſitas eſt; & quò fortior quiſque, quò animo celſiore, hòc plus inſidiis patet. Ex ſe enim & ſuo ingenio, cùm metiatur omnes, candorem ſuum legit in omnibus; novit hoc boni Chriſtiani Symbolum & ornamentum eſſe, ut ſe alium non fingat, nec ſe abneget eſſe quod eſt, ſed ubicumque verſetur audeat dicere, *Ego ſum. Ecce homo.* Agnus Paſchalis debebat eſſe ſine macula, hoc eſt ſine ſcabie, deformitate, defectu: intelligit, quòd tales deceat eſſe Chriſtianos ſine macula, ſine fraude & mendacio: quales fuerunt primi Chriſtiani, de quibus ſcribit Juſtinus Martyr antiquiſſimus in Apologia ſecunda maluiſſe eos mori, quàm vel ſemel mentiri. Vigebat ea ſynceritas adhuc circa Annum Domini 1100. tempore S. Anſelmi Epiſcopi Cantuarienſis, qui putabat Chriſtianum mentiri & fallere non poſſe; undè famulis ſuis omnia ſua credebat. Omnia decreta animi patere vult illud Druſi Tribuni approbans: cui dum Architectus pollicitus eſſet, ità ſe ædium feneſtras diſpoſiturum, ut nemini per eas introſpicere liceret; in hunc modum reſpondit, *Tu verò, ſi quid in te artis eſt, ità compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perſpici poſſit.* Ideò dolos non metuit, quibus caret, ignoratque inſidias, quas nulli parat. Neque tantùm humilis & parvi animi arbitratur omne mendacium, fucum, ſimulationem, hypocriſim; ſed ſervile vitium, indigniſſimum libero ingenio, & educatione ingenuâ. Quo fit, ut faciliùs in inſidi amici prolabatur inſidias. Securâ igitur bolide tentandum eſt hoc humani pectoris profundum, hæc amicitiæ oſtentatio. Intùs non raro ſecures, ignes, ferrum latent; eò nocentiùs, quò ridente vultu opprimant incautos.

Serm. 9. de Quadrag.

Vell. Pater. lib. 2.

§. 29. Subdoloſum id genus, & verſutorum hominum veteratorias technas pernoverat Spiritus Sanctus cùm apud Syracidem aiebat: *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Græcus Textus ità habet, *Eſt nequitiâ præditus, qui demiſſo capite atratus incedit.* Et Biblia Tygurina. *Et interiora ejus ardent dolo.* Sunt qui pullâ veſte induti alios in mœrore poſitos

Eccli. 19. v. 23.

dejectâ cervice viſitant, tamquam eorum caſus adverſos æquè ac ipſi doleant; & intùs gaudio natant, falſoque in pectore ingens fallaciarum & fraudum ignis ardet; verùm ità ardet, ut nullus ſe malitiæ ac impoſturarum fumus per feneſtras vultûs effundat, qui tamen reconditiſſimarum paſſionum ſolet eſſe explorator atque proditor. Noverant iſtud Tiberius & Auguſtus, nec putabant ſatis diſſimulare ſe poſſe gaudium, quo ex Germanici morte perfundebantur; adeoque in publico comparere auſi non ſunt. Ideò clarè dicit Tacitus: *Annè omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus falſi intelligerentur?* Nero ſenſus ſuos noverat penitùs abdere, *factus naturâ, & conſuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis.* Simul ac peſſimus & perfidioſus Tyrannus Herodes audierat tres pios Magos Jeroſolymis inquirere, *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* novis tam triſtibus & amaris turbatus eſt; Lethali angore cruciari, totoque corpore expaveſcere cœpit. Poſtquam verò à ſapientibus & legiſperitis certior factus eſt, quòd Bethlehem futura eſſet locus natalis Soſpitatoris mundi, ex eoque oppidulo prodituruș Dux, & oritura lux populi Iſraël: accerſitis ad ſe ſanctis Regibus, ait: *Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* SS. Auguſtinus, Leo Magnus, venerabilis Beda & alii, omnia hîc & ſingula maturè perpendendo veluti ſi ex fide geſta eſſent, ſic ferè loquebantur: quis ea omnia videre atque audire potuiſſet, neque ſimul cogitare à religioſiſſimo & pientiſſimo hominis animo profecta; qui pulcherrimam veritatis lucem unicè ardentiſſimeque cuperet videre? ſed tota illa devotio, ſubmiſſio, ſtudium & cupiditas adorandi novum Regem, merus dolus fuit, fraus, impoſtura & perniciosa machinatio. Quidquid Herodes dixit & fecit, callidè tendebat ad effuſionem ſanguinis innocentis. De quo Gloſſa ità. *Herodes devotionem promittit, ſed gladium acuit, malitiam depingens colore humilitatis: finxit ſe vultu & verbis adorare eum, quem invidâ mente cogitabat occidere.* Subtiliter has fraudes ac technas detegit S. Fulgentius ad illa verba Herodis, *Ite & renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum,* in hunc modum exclamans. *O calliditas ficta! ô crudelitas impia! ô nequitia fraudulenta! ſanguis innocentium, quem crudeliter effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti.* Talia uſitata ſunt in mundo, nuſquam deſunt qui pallio urbanitatis contegunt falſum præſtigiarum colorem, qui ſubmiſſionis larvâ obnubunt animi ſui rabiem: ſimulant humanitatis officia, & meditantur atque adornant maleficia. Ut defunctæ uxori ſuæ Saræ, tam nobili theſauro, dignum

Lib. 3. Annal. — *Tacit. lib. 4. Annal.* — *Matth. 2. v. 2.* — *Ibidem. v. 8.* — *Gloſſa in cap. 2. Matth.* — *Serm. 5. de Epiphan.*

gnum Abraham cimeliarchium procuraret, agrum ab Ephron filio Seor oblato juſto pretio emere conſtituit. Negavit ille pecuniam ullatenùs à ſe recipiendam, *Nequaquam ità fiat, Domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor: agrum trado tibi & ſpeluncam, quæ in eo eſt, præſentibus filiis populi mei, ſepeli mortuum tuum.* Ad inſtantiam nihilominùs Abrahæ poſt longam urbanorum verborum concertationem, *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ.* Cùm tantam argenti vim pro agro ſuo recepturus eſſet Ephron, quid eſt, quòd initio tantam generoſæ liberalitatis ſuæ & prolixi animi oſtentationem facit, quaſi injuriâ affectum ſe putaret, quòd Abraham illi pro agro pecuniam obtulit? Huic ſic reſpondet Hugo Cardinalis: *Id dicebat Ephron ut magis poſſet extorquere.* Quòd gratuitò obtulit, non vera animi largitas ſed techna fuit, ut plus acciperet. Geneſ. 23. v. 9. Ibidem. v. 16.

§. 30. Non infrequens hodieque eſt hæc praxis advocatis & cauſarum procuratoribus, qui ut à litigantibus ampliùs eliciant, operarum ſuarum mercedem illorum arbitrio relinquunt, faciuntque ex urbanitate majorem quæſtum, et ficta liberalitate pinguius lucrum, dum plus clientes pendunt, quàm jura exigant. Quòd agrum gratis obtulerit Ephron, fecit, ut cariùs venderet, ut magis extorqueret. Officioſa illa delatio ab animo uberioris compenſationis cupido promanavit. Rex Palæſtinorum Abimelech proſcripſerat ab aula ſua Patriarcham Iſaacum, è regione ſua relegaverat dicens, *Recede à nobis, quia potentior factus es nobis valdè.* Geneſ. 26. v. 16.
Quem non poſt multum temporis magno aulicorum & procerum ſtipatus comitatu venit inviſum in Berſabee. Aſperiuſculè excepit Iſaac Regem & catervam his verbis, *Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* Qui reſponderunt, *Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcircò nos diximus, ſit juramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Erantnè hæc vera & aperta, omni dolo, omni fraude expertia? An Regis viſitationi plus malitiæ ſuberat, quàm præ ſe ferebat? officioſa erat conventio, ſed aliud omninò callidus animus ſervabat reconditum, inquit Philo Judæus, & Procopius Gazæus, quorum ſunt hæc: *Quando Abimelech cum ſuo comitatu egreditur ad Iſaacum, magis ſpeculandi animo id facit, quàm gratiâ pangendi fœderis: bello ſcilicet paciquè paratus, bello; ſi Iſaacum impotentiorem cerneret, paci, ſi deprehenderet potentiorem.* Amicum ſimulando exploratorem egit. Venire viſitatum pro obſervantia videbatur, reverà autem *ſpeculandi animo*, ut, ſi occaſio arriſiſſet, illum aggrederetur. Cautè igitur circumſpectèque vivendum, nec omni ſpiritui credendum. Acutè & aſtutè veterator Ibidem. v. 26. v. 28.

ſuas

cium ſuper arenam conſtructum eſt, ſuper lucentem arenam auri vel argenti? Firmamentum certè ſtabilitatis conſtantiæque, quæ in amicitia quæritur, fides deeſt: nihil enim ſtabile, quod infidum eſt. Amicitiæ hujus fundamenta munera ſunt, hæc tolle, & inædificatum illis amorem evertes. Nam *qui cauſâ utilitatis aſſumptus eſt, tamdiù placebit, quamdiù utilis erit. Hâc re florentes amicorum turba circumſedet, circa everſos ingens ſolitudo eſt.* Sen. ep. 9. Apud hos velut ſcortum publicum amicitia

Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Nullo diſcrimine inter amicum & inimicum habito, ut in auctione, plus licitanti credit: quandoquidem ſolâ munerum magnitudine amorem metiuntur, ubicumque donorum plus erit, plus amoris oſtentabunt; accedat juratus amici hoſtis & majora offerat, vertent amicitiam, & odium pro amore reponent. Non modò vilis & ſervilis hic amor eſt, ſed & caninus. Ob fruſtum panis oblatum canis etiam extraneo adblandietur, domeſticum autem ſuis infeſtabit latratibus. Quærat ex his quàm poteſt diligentiſſimè Seneca fidum aliquem, ut habeat, qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vincula conjecto vel inopi: ut prolabanti dexteram porrigat, ut non dubitet periclitari cum amico, opes, famam, vitam in amici diſcrimine ultrò aut rogatus projicere, non reperiet. Non ſtabit, quiſquis ille eſt, ſed ut primùm adverſa inſonuerint, amicus eſſe deſinet; cùm primùm crepuerit catena, diſcedet. Amicitiam enim ad ſolos bonos caſus parat, quæ tota ſuis continetur commodis; ſpe utilitatis ſublatâ, aliò transfertur. I nunc, & hunc tibi fidum promitte, cujus quoque, cùm intellexeris, vota damnabis. Magna quidem pars hominum ſperat ex alieno incommodo lucrum, & ſine damno proximi vix quiſquam proſperè vivit. „Miles bellum optat. Agricolam annonæ caritas erigit. Eloquen„tiæ exoptat pretium litium numerus. Medicis gravis annus in „quæſtu eſt. Inſtitores delicatarum mercium juventus corrupta „locupletat. Nullâ tempeſtate, nullo igne lædantur tecta: jace„bit opera fabrilis. Deſignatores & libitinarii plurimorum mortes optant ſine quibus nullum eis lucrum contingit. Inhumaniora tamen ſunt hæredipetarum vota & cæterorum, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt; quod hi familiariſſimum quemque, ex quo propter amicitiam ſpei plurimum eſt, mori cupiunt. In perſona illorum exprimuntur amici ſimulati, & adulatores, quorum impia vota ſceleris vicem tenent, illa coram teſte facere erubeſcerent. Deum contra eum advocant, à quo beneficia ca- Sen. lib. 6. de benef. cap. 38.

ptant, & ante illum ſterni, quàm erigi volunt. Numquid inhumana iſta, & perversè ingrati animi natura eſt, contra eum optare
Sen. ep. 81. cui honeſtè deeſſe non poſſis? *Eò perductus eſt furor, ut periculoſiſſima res ſit beneficia in aliquem magna conferre. Nam quia putat turpe non reddere, non vult eſſe cui reddat.* Omnes iſti ſpoliare veniunt, non rebus lapſis profligatiſque ſuccurrere; commodi ſui gratiâ mergere amicum, non extrahere; evertere, non ſuſcitare; includere,
Sen. ep. 19. non emittere. *Errat proindè qui amicum in atrio quærit, in convivio probat.* Muſcæ in popinis non manent, ſi deſit nidor: & vulgares divitum amici non perſeverant, ſi non ſit utilitas. Mures naturali quodam inſtinctu ut ruinam domûs prænoſcunt, mox ſolum vertere ſolent; ſic temporarias amicitias, cùm ſpe quæſtûs ac emolumenti factæ ſunt, utilitas commutata diſſolvit: *& indè amici fu-*
Sen. epiſt. 9. *giunt, undè probantur.* Animo enim ruinam alicujus prævidentes & periculum, quod indè ſibi imminet, metuunt, ne ruinæ eidem ipſi quoque involvantur. Quidam malè alacres, inquit Tacitus, quibus infauſtæ amicitiæ gravis exitus imminebat. Sic quercus aliqua ex altiſſimo monte devoluta in præceps, arbores alias, quæ ſub umbra illius erant, ſecum trahit. Quod Chriſto tempore Paſſionis ſuæ accidit, crebrò etiam aliis hominibus integræ vitæ evenire ſolet, ut ſi quando in calamitatem aliquam incidant, in tribulatione ſua deſerantur, & alii ex ipſis ſcandalum incurrant, quaſi id ſuâ culpâ
Sen. epiſt. 9. meruiſſent, & Deo exoſi eſſent. *Indè amici fugiunt, undè probantur.* Nam ſinceræ fidei amici præcipuè in adverſis rebus dignoſcuntur, in quibus quidquid præſtatur, totum à conſtanti benevolentia proficiſcitur.

§. 32. Amicitia ſanè hoc nomine & fine maximè initur, ut quis in huius vitæ adverſis habeat amicum, qui illa levet, ſoletur, amoveat, conſilio, auxilio & ſocietate ſuâ diſpellat, ad amicum quaſi ad aſylum ultimumque refugium confugiendo. Uti frater agnaſcitur fratri, ut ei in anguſtia præſto ſit; eo pariter fine & uſu amicus amico comparatur, & civiliter quaſi agnaſcitur. In hoc amicus ac frater ſimiles ſunt, pariſque ſortis & conditionis, ut in anguſtiis adſint atque opitulentur. Quod Joſeph fratribus præſtitit, qui illos in anguſtiis famis aluit; Quod Judas Machabæus fratribus, cognatis, totique Iſraëli, qui illos ab Antiochi perſecutione protexit & vindicavit: idem ab amico vero, minimèque adulterino ſperandum. *Om-*
Prov. 17. v. 17. *ni* quidem *tempore diligit qui amicus eſt*, exactio tamen & probatio amici, in re triſti. Undè Ennius.

Amicus certus in re incerta cernitur.

Nam

Nam quemadmodùm anguſtia uteri enititur fœtum & fratrem, ſic anguſtia tribulationis quaſi uterus enititur paritque germanam ſolidamque amicitiam & amicum: virtus ſiquidem amicitiæ quaſi concipitur in proſperis, in ſuavi nimirùm benevolaque conſuetudine cum amico ex morum virtutiſque ſimilitudine profecta, eadem verò ejuſque ſoliditas ac decus propriè in adverſis generatur. Undè nihil in amicitia fide præſtantius, quæ ipſius nutrix videtur & cuſtos, quæ tamen in proſperis latet, eminet in adverſis.

Fidis amicis nihil puta præſtantius, Naziãz. in Iambic. 45.
Quos caſus aſper parturit, non pocula,
Qui profutura conſulant., non quæ placent.

Quocircà priùs delige amicum, quàm diligas: priùs proba, quàm ama. ***Aurum probari ſolet igne, amici verò benevolentia tempore arguitur: qui enim tempore ſecundæ fortunæ amico adulatur, temporis eſt amicus, non amici.*** Anton. in Meliſſa ex Menandro. Mobilis talis eſt inſtar hydrargyri, quod in fornace auro licet inhærens. & amiciſſimum, mox liquatur & abit, ſic ille licet anteà intimus, abit atque amicum deſerit. ***Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.*** Eccli. 6. v. 8 Plena eſt fraudis atque fallaciæ amicitia mundialis; nihil in ea certum, nihil conſtans, nihil ſecurum; ſed cùm fortuna mutatur, & ſequitur marſupium. Ollæ amicitia, quam patina non benevolentia conciliat, tamdiù vivit, quamdiù fervet olla. Ventris ſui & gulæ ſolummodò amici, in domo ſua hoſpites ſunt, in aliena patresfamilias: domi parſimoniam colunt; foris luxu deflûunt; quoniam aliena vorânt, ut ſua, & ſuis parcunt, ut alienis: in propria menſa formicæ, in aliena vultures. Qui amicum deficiente ventris illecebrâ oppidò relinquunt. Exploranda igitur eſt amoris arteria, an gallinæ amorem teſtetur? quæ vehementer incubando deſiderat, & pullos, quos tam ardenter excluſit, abſque omni ſpe vel exſpectatione commodi tenerrimè diligit, atque eſurienti ſtomacho detrahit, quo illos paſcit, quos numquam deſerit: hinc nulla alia ex avibus gallinâ exceptâ dignoſcitur eſſe mater. ***Multæ ſunt res,*** inquit Cicero, ***in quibus de ſuis commodis boni viri multa detrahunt, & detrahi patiuntur, ut ipſis potiùs amici fruantur, quàm ipſi.*** De amicit. Undè peſtem majorem eſſe nullam in amicitia cum ipſo credendum, quàm in plerisque pecuniæ cupiditatem. Detrahit amicitiæ Majeſtatem & decorum, qui rem pulcherrimam ex turpi cauſa & effectu coire facit, qui illam pretio aut utilitati ſubjicit. Turpiſſimè hanc ob rem ſentiunt, qui in rebus humanis nihil quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit, & pecorum ritu eos potiſſimùm

amicos diligunt, ex quibus ſperant ſe magnum fructum eſſe capturos. „Non enim vectigalis eſt amicitia, ſed plena decoris: gratiæ „virtus eſt, non quæſtus: quia pecuniâ non potitur, ſed gratiâ; nec „licitatione pretiorum, ſed concertatione benevolentiæ: non debet eſſe mercenaria ſed gratuita. Certiores ſunt amicitiæ inopum, „quàm divitum, cui ſpem lucri ſic tollit paupertas, ut augeat cha-„ritatem. Adulatores, ubi ſpes quæſtûs ſublata eſt, non tantùm occaſiones quærunt ut recedant ab amico; delicati amici qui levi verbo icti, aut exili injuriâ affecti, teſſeram amicitiæ rumpunt, quibus

S. Aug. citans D. Ambroſium tom. 4. lib. de amicit. cap. 20.

Si quid benè facias, levior pluma eſt gratia:
Si quid peccatum ſit, plumbeas iras gerunt.

Plaut in pænul.

Verùm etiam ut magis utiles aliorum amicitias captent, ex levibus amicis fiunt inimici graviſſimi. Hi omnium primi fictis ſuis perſuaſionibus, verborumque lenociniis, quibus vitia celant, ruinam amici promovent; quandoque ut ſemet in tuto collocent, aut gradum ejus obtineant. Denique efficiunt, ut alii collaborent, quò paries inclinatus ille penitùs corruat. Neque deſerent modò, ſed perfido Judæ ſimiles, qui Dominum & magiſtrum oſculo pacis tradidit, ſigno amicitiæ mortem intentavit, vendent etiam, ſi præmia acceſſerint, nudumque illius latus hoſti feriendum præbebunt.

§. 33. Nihil idcircò fictum, nihil ſuſpicioſum eſſe debet in amicitia; non aliud in labiis, aliud in corde, ut venenum animi linguæ mella tegant. Quæ, ſi vera eſt, omnem adulationem, blanditias, aſſentationem excludit; „Quia delent veritatem, ſine qua „nomen amicitiæ valere non poteſt. Nam cùm amicitiæ vis ſit in „eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus; qui id fieri poterit, ſi „ne in uno quidem unus animus eſt, idemque ſemper, ſed varius, „commutabilis, multiplex? quid enim poteſt eſſe tàm flexibile, „tàm devium, quàm animus ejus, qui ad alterius non modò ſenſum „ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur. Adulatio è continuis propè dictorum factorumque mendaciis contexta, quâ ratione amicitiæ poterit ſociari? pugnant ſiquidem mendacium & veritas; amicitia verò (quæ animorum ſincerâ mutuâque ſymphatiâ continetur) nullam pugnam admittit. „Fi-„ctus amor oculorum nitet in lumine, ſapit in ore, mulcet in au-„re, ridet in facie, placet in cute: intùs tamen eſt venenum Sar-„diniæ, quia nimirùm quos perimit riſu perire facit. Verus econ-„trà amor deforis pungit, & mulcet intùs; foris eſt acer, & intrin-„ſecùs dulceſcit; exteriùs percutit, & interiùs medetur. Eſt enim „quaſi

Cic. in Lelio.

Cyrillus lib. 1. Apolog. c. 19.

„ quaſi medicina amara. Nam ut Ariſtoteles ſcribit, diligit quaſi „ odiens ſenex. Qui verè diligit, in luſibus etiam corripit: & qui „ in facinoribus blanditur, odit. Neſcio tamen quomodò in Andria Terentius dixerit;

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Moleſta veritas, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ, quæ non in ſuperficie, ſed in re, non in aſperitate, ſed in tranquillitate fundatur. Poteritnè veritas, quæ ejus ſpina eſt cuiquam placere, cùm ſpina de radice maledictionis proceſſit? „ Sed „ obſequium multò moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipi- „ tem amicum ferri ſinit: maxima autem culpa in eo, qui & veri- „ tatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Cujus enim „ aures clauſæ veritati ſunt, ut ab amico verum audire nequeat, „ hujus ſalus deſperanda eſt. Imprimis tamen curandum, ut monitio acerbitate, deindè, ut objurgatio contumeliâ careat: in obſequio comitas adſit, aſſentatio procul amoveatur: quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt. Multis porrò nominibus eſt hoc vitium norandum levium hominum, atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem, cujus judicium tollunt, idque adulterant. Phocion adulatorem nullatenùs amicum credere potuit; ideò Antipatro amico petenti quid iniquum dixit, *Non potes, ô Antipater! Phocione ſimul amico, & adulatore uti.* Amicus enim non ad quidvis obſequitur, adulator verò in omnibus obſecundat. Sibi ſoli amicus eſt, fortuniſque ſuis, ſibi amicâ manu depromit verba; mentitur ſibi, commodis nimirùm propriis. Eligendi igitur ſunt (quantùm fieri poteſt) amici cupiditatibus vacui. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque, ut in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus, ac morbo flagrantibus aſſideamus; quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus: ità in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos aſſumamus. Initium morbi eſt, ægris ſana miſcere. *Cuilibet obvio concredere ſui pectoris arcanum, peculiare eſt animæ prorſùs ineruditæ, & quæ nihilum experta eſt decoris & honeſtatis.* Vinum enim novum, novus amicus: ſapit in ore, bullit in ventre, fallit in capite, latet turbulentum in fæce. Verùm eſt illud quod dicitur: „ multos „ modios ſalis ſimul edundos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit. „ Novitates autem, ſi ſpem afferunt, ut, tamquam in herbis „ non fallacibus, fructus appareat; non ſunt illæ quidem repudian- „ dæ: vetuſtas tamen loco ſuo conſervanda. Sed in his amicitiis

Cic. in Lælio.

Antiochus Abbas Homil. 65.

Cic. in Lælio.

comparandis talem exhibeamus diligentiam, ne incipiamus amare, quem deinceps poſſimus odiſſe. Turpius enim nihil eſt, quàm cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. „Ut „adamas, ſi frangi contingat malleis, in minutiſſimas diſſilit cru-„ſtas, adeò ut vix oculis cerni queant; ità arctiſſima neceſſitudo, „ſi quando contingat dirimi, in ſummam vertitur ſimultatem, &
Plin. lib. 37. cap. 4. „ex arctiſſimis fœderibus, ſi ſemel rumpantur, maxima naſcuntur „diſſidia. Nulli intimâ dilectione aſtringamur, niſi cujus virtutem longis temporibus, & veritatem in mille calamitatibus comprobavimus. Vaſa explorantur pulſu & tinnitu, amicorum fides exploranda eſt tribulatione & adverſis. *Si poſſides amicum*, ait Eccleſiaſti-
cap. 6. v. 7. cus, *in tentatione poſſide illum.* Amicus ſiquidem diu quæritur, vix invenitur, difficilè ſervatur: talem para, qui quovis tempore tibi adſit.

§. 34. Objicient aliqui, quòd amicitiam rem omnium pretioſiſſimam cunctiſque gratiſſimam ex hominum commercio eliminatam velim? cujus beneficio amara dulceſcunt, molleſcunt aſpera, lævigantur ſcabra, proſperantur adverſa, hilareſcunt triſtia, ſiccantur lachrymæ. Nequaquam. Sed candidè fatebor illam his artibus parari non debere;

Vulgus amicitias utilitate probat.

Illa porrò eſt vera amicitia, quæ nihil in rebus amici quærit, niſi ſolam benevolentiam, ſcilicet ut gratis amet amantem. Præſtat virtus, ut veræ ſint, ſempiternæ & immortales amicitiæ, nam illas conciliat atque conſervat: in ea enim eſt convenientia rerum, in
Lib. 2. mag. moral. c. 12. ea ſtabilitas, in ea conſtantia. Hinc Ariſtoteles: *Virtus incommutabilis, & quæ per eam conciliatur amicitia, conſtantiſſima eſt: at quæ ex commodo, ſtabilis non eſt, quippè quæ cum commodo elabitur.* Quæcumque ex omnibus ſæculis numerantur amicorum paria ex hac cauſa in mutuam benevolentiam & charitatem conſenſerunt: nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio ſit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris; eâ ſiquidem neglectâ qui ſe habere amicos arbitratur, tùm denique erraſſe ſe ſentiet, cùm eos gravis aliquis caſus experiri cogit. Inter Scipionem & Lælium, inter Davidem & Jonatham non tam arctum interceſſiſſet amoris vinculum, niſi illos virtutis & honeſtatis ſtudium colligaſſet. Conſortium rerum omnium inter eos fecit amicitia, nec ſecundi quidquam ſingulis erat, nec adverſi; in commune vivebatur. Ea inter utroſque in bonis erat maliſque conſenſio, ut non ſpes, non cenſus, non honor, non quidquam, quod alterius eſſet, alteri denegaretur ad viven-

vivendum pro voluntate, & ad utendum: ut unuſquiſque, ſicut erga ſe, ità afficeretur erga proximum in omni officio & obſequio, quod rependebant ſibi invicem. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam.* Poſtponit patrem Davidi; illius honores, opes, regnum, ſalutem, vitam Davidi. Sub fabularum velamine promptitudinem & ſynceritatem amicorum comprehendit docta antiquitas, dum Theſeum Pyrithoo ad inferos uſque comitem iviſſe commemorat: Indè demonſtrat quid non auſurus ſit amor; quòd lætus venenum ac ferrum hauriet, ut amicum tueatur, lætuſque profundet vitam, vitâ ut vivat amicus longiore. Opibus etiam exul gaudebit dignitatibuſque ſpoliari, ut amico benè ſit; cujus fortunas dignitateſque ſuis cùm præferat, gaudet fraudari ſuis, ſi per hoc amico conſulat. Hinc verè ſolus bonus ſoli bono amicus eſt, malus autem nec bono nec malo umquam reverà amicus efficitur. *Inter bonos enim amicitia, inter malos factio eſt.* Nec ob aliam cauſam ullam boni improbis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maximè poteſt eſſe, morum ſtudiorumque diſtantia; quia diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias. Penitùs illud animo inſitum habebat Cato, cujus dum Pompeius Magnus ab Oriente redux in magnis opibus & gloria ſororem petiiſſet uxorem, votivæ huic conditioni renuntiari liberè juſſit his verbis, *Non capi aut illaqueari ſe per fœminas; quòd ſi Pompeius rectam in Republica viam iniret, ultrò ſe amicum fore, ſin aliam, nullo pacto aut pretio.* Benefici quidam liberaleſque ſunt, non ut exigant gratiam, neque enim beneficium fœnerantur: ſed naturâ propenſi ad liberalitatem ſunt; ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quòd omnis fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. „ Quid „ enim (quærit Lælius) Africanus indigens mei? Minimè herclè: ac „ ne ego quidem illius: ſed ego admiratione quâdam virtutis ejus, „ ille viciſſim opinione fortaſſe nonnullâ, quam de meis moribus „ habebat, me dilexit: auxit benevolentiam conſuetudo. Fructus amicitiæ illius, quâcum ex omnibus rebus, quas ipſi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habuit, quod poſſet comparare, uberrimus extitit: „ In hac, inquit, mihi de Republica fuit conſenſus, „ in hac rerum privatarum conſilium, in eadem requies plena oble- „ ctationis fuit: numquam illum ne minimâ quidem re offendi, „ quod quidem ſenſerim: nihil audivi ex eo ipſe, quod nollem. „ Una domus erat, idem victus, iſque communis: neque ſolùm „ militia, ſed etiam peregrinationes, ruſticationeſque communes.

1. Reg. 18. — Saluſtius. — Plutarch in Cat. & Pomp. — Cic. in Lælio. — Idem ibidem.

§. 35. Amicitia propriè dicta cùm nihil ſit aliud, quàm mutua bene-

benevolentia in peculiari quadam communione fundata ; quæ conſociatio cauſa eſt amandi alterum ſicut ſeipſum Sic inter milites fundamenrum amicitiæ eſt communio in negotiis militaribus , inter eruditos communio in eruditione, inter conſanguineos communio in ſanguine, inter religioſos amicitia eſt ratione ſocietatis vitæ religioſæ. Hæc eſt amicitiæ fida inſolubiliſque conjunctio, quæ ſolâ virtutum parilitate fundatur : *Dominus* enim *inhabitare facit unius moris in domo.* In his tantùm indirupta poteſt dilectio permanere, in quibus unum propoſitum ac voluntas, unum velle ac nolle conſiſtit. Hanc nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo , contractuſque cujuſquam ratio , vel naturæ neceſſitas jungit , ſed ſola virtutum ſimilitudo. Etenim nihil eſt quod ad ſe rem ullam tàm alliciat, tàm trahat, quàm ad amicitiam ſimilitudo. Undè bonos boni diligunt , adſciſcuntque ſibi quaſi propinquitate conjunctos atque naturâ. Quamobrem bonis inter bonos quaſi neceſſaria judicatur benevolentia ; qui eſt amicitiæ fons à natura conſtitutus. Inrer malos verò talis communio non reperitur, neque una improbitas, quà talis, alrerius contubernio gaudet, neque amica una alreri eſt : ſed mali ut inter ſe conſentiant, non intuitu ipſius malitiæ, (quod fieri implicat) ſed ſpecie boni aut commodi proprii ad illud alliciuntur. Ideò non coaleſcit inter tales amicitia, ſed factio vel conjuratio : qualis fuit illa Carilinaria, cujus author L. Catilina è nobili Sergiorum familia, ſocii P. Lentulus Sura Senatorii Ordinis, Gabinius, P. Antronius, L. Caſſius, C. Cethegus, Cn. Piſo, Q. Curius, C. Mallius, C. Cornelius, L. Varguntius Senator , D. Brutus & alii ; ejuſque per potum humani ſanguinis vino mixti,& prægustum humanæ carnis confirmatio.Imò quod mirum, attamen verum juxra regulas poliricas ipſorum, fallendi artifices candorem in aliis amant & venerantur : undè ſi qua digniras ſperanda, in hos malunt quàm ſibi ſimiles collatam. Amant ergò hos, licet non imitentur ; oderunt quos imitantur ; oderunt in illis damnantque vitia ſua. Judices facti delictorum ſuorum : è ſuo enim ingenio reliquos metiuntur, verenturque ne ſuis artibus cadant. Virrus igitur amicitias veras copulat, animum & vota accendit ; amorem provocat ; non in mercedem colirur, quæ niſi ſit gratuita , nihil habet in ſe magnificum, cùm quidquam habet venale. Illa nec lucro invitatur, nec abſterretur damno, adeòque neminem ſpe ac polliciratione corrumpit. Quid enim dignum dabitur pro virtute, aut quid æquivalens reddetur pro grato homine? cerrè nihil eſt quod à grato liberaliter rependitur, niſi virtus pro virtute, amor pro amore, atque homo pro homine quantocyùs redonetur. Qui utilitatis

Pſalm. 67.

Sab. lib. 5. Enneid. 6.

utilitatis cauſâ fingunt amicitias, numquid amabiliſſimum modum amicitiæ tollere videntur? *Non enim tàm utilitas parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat.* Propter virtutem autem pulcherrima illa & maximè naturalis amicitia per ſe ac propter ſe eſt expetenda, illa non modò pares in amore & æquales facit; ubi enim inæqualitas eſt, & alterius eminentia, alterius ſubjectio, ibi non tàm amicitia, quàm adulatio eſt: ſed propenſiores quoque ad benè merendum, quàm ad repoſcendum. A virtute amicitia perpetuitatem accipit: *Amicus fidelis medicamentum vitæ & æternitatis eſt.* Norborum omnium & dolorum levamen unicum amicus verus. Non moritur amans, qui æternùm in amati pectore vivit. Comitatur amor quoque mortuum; ut enim anima in quam tranſit, ità & ille immortalis eſt; nempè ſi verus, quod eſt ex virtute natus, quæ cùm mortuo ſocietur, ſociatur & amor virtuti inſertus, tamquam non moriture arbori non moriturus ſurculus. Quàm multiplici fructu gaudet vera amicitia! eſt divitibus pro eleëmoſyna, exulibus pro patria, pauperibus pro cenſu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, ſanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robuſtis pro præmio.

Cic. in Lelio. Eccli. 6.

§. 36. Ex his elicitur primaria amicitiæ lex, ut, ſicut nihil odio, ità nihil gratiæ dandum, ut amici cauſâ peccetur: nihil idcircò rogandum turpe, neque faciendum. *Turpis enim excuſatio eſt, & minimè accipienda, cùm in cæteris peccatis, tùm ſi quis contra Rempub. ſe amici cauſâ feciſſe fateatur.* Æquè autem nefas eſt, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra Rempub. contra Deum eſſet, & facere rogatum, & rogare. Odit quiſquis criminum auctor eſt; neque hoc eſt benè velle, in quo amicitia conſiſtit, ſed malè velle, quod cum ipſa pugnat. Qui in ſcelera impellit, qui ſub amici perſona inimica conſilia ſuggerit, qui cauſam præbet, omni hoſte gravior eſt. Temerarium nimis & damnoſum facta infecta cupere, ſeipſum damnare, erubeſcere ad præterita ſerâ nimis pœnitentiâ, ſerâ ſapientiâ. Igitur ſequendum vetus illud: *Ità amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.* Cenſorem & hoſtem in quovis homine cogitemus, ne pœnitenda committamus. Qui hodiè amicus, cras mentem induere inimicam poterit. Amor innititur rationi, quæ certum & firmum de ſequendis fugiendiſvè præſcribit dictamen; qui illi inhærebit, ſine errore judicabit hoc proverbium eſſe veriſſimum, *Vſque ad aras amicus*, prolatum à Pericle teſte Aulo Gellio: quem cùm amicus quiſpiam rogaſſet ut in cauſa quadam ſuâ gratiâ falſum dejeraret; reſpondit: *Oportet me commodare amicis, ſed uſque ad aras.* Amicorum commodis & voluntati mos ge-

Cic. in Lelio.

rendus, ſed non eò uſque à recto deflectendum, ut propter amicum ſupremi Numinis reverentia violetur. Numquam contra jus & fas progrediendum pro amico; cùm enim emendati mores amicorum ſunt, tum ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, voluntatum ſine exceptione comitas; ſin minùs juſtæ voluntates ſint, præponderet honeſtas amicitiæ; quæ virtute conciliari, ità & conſervari debet: hæc autem intra ſuos limites coërcetur, quos ſi exceſſerit, in vitium deſinit. Quàm Chriſtianè Tullius! *Nulla ſanè eſt excuſatio peccati, ſi amici causâ peccaveris.* Æterna hæc in vera amicitia lex ſancienda, ne agnoſcamus amicum niſi juſta & honeſta petentem. Obganniat licet Machiavellus cum aſſeclis, nulla ratio ſtatûs, nullus prætextus quantumcumque ſpecioſus, quin nec arctiſſima non dico amicitiæ ſed & ſanguinis vincula, ſufficiens motivum eſſe poſſunt, ut illorum quis intuitu peccatum committat, à manifeſtæ juſtitiæ tramite declinet. Quid de his ſentiendum, qui libidinis miniſtri, aut adjutores ſunt ad injuriam? qui non modò parent amicorum temeritati, ſed præſunt: nec ſe comites illorum furoris ſed duces præbent? qui fatuo auſu, cæcoque impetu ſeſe promptiſſimos exhibent ad vitam adverſario eripiendam, ut injuriam amicis illatam vindicent? qui vitæ ſuæ prodigi lætanter amicitiæ causâ ſanguinem fundunt? qui ſeſe offerunt, ut amicorum honorem vel fortunas tueantur, ad depoſitionem falſi in judicio, vel ad calumniam inſonti ſtruendam? qui quidvis ab amico audent poſtulare, & poſtulatione ipſa profiteri omnia ſe amici causâ eſſe facturos? Hi præter ſalutis, quod incurrunt, diſpendium, timeant infelicem exitum, quem talibus in hunc modum prænuntiat vetus adagium Hiſpanicum:

In Lælio.

Por amor del Conde no mates al hombre,
Que ſe morirà el Conde, y pagaràs el hombre.

Dum ardor illis & æſtus in curſu, aut in ſummo eſt, peregrinari à mente videntur omni prudentiâ exuti, nec antè pericula noſſe, quàm obruti illis & inſepulti jacuerint. Qui amicorum, quibus confidebant, omni deſtituti auxilio & favore, magno nimis ſervatam in peccatis amicitiæ teſſeram exſolvunt. Nonnumquam idem exprobratur illis, quod Moyſes objecit idololatris dicens: *Ubi ſunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam?* Et ſubdit per anallagen perſonæ. *Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Id ſic commodè quæri poteſt, cùm quis ex eorum numero ob perpetratum homicidium in gratiam amici ſtat ſub ictu carnificis; ubi ſunt Dii ejus, id eſt potentes in quibus habebat fiduciam? Surgant & opi-

Deut. 32. v. 37. & 38.

& opitulentur ei, & in neceſſitate protegant. Nihil ab his expectandum, abſciſſa eſt ſpes, conſumpta res. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum:* Qui confidit in homine, Hebræi legunt *Baadam*., Id eſt in Adam; qui ex Adama, quod eſt terra, terreus eſt atque infirmus, & hunc ponit brachium ſuum, ut eo quaſi brachio potenter ſe tueatur, in eo collocans ſpem totam ac fiduciam relicto, imò invito Deo: talis omni bono carebit ſucceſſu, nullum feret ſuarum operationum fructum, cæleſtis gratiæ & ſapientiæ deſtituetur ſubſidio; eritque poſtremò indè verè maledictus, quia à Deo, Angelis & bonis omnibus, quaſi alter Cain, deſeretur, imò ab iis quoque in quibus ſe columen & aſylum ſperabat invenire. Rectè dicit Propheta Jeremias: *Qui ponit carnem brachium ſuum*; Homo ſiquidem caro eſt, non os: qui ergò huic carni quaſi oſſi innititur, cùm ea corruet, & ſuo damno ſentiet carnem fuiſſe non os. Iſtud Sedeciæ & Judæis evenit, qui relicto ac contempto Deo confugerant ad auxilia Ægyptiorum; de quibus Iſaias, illorum veſaniam arguens: *Ægyptus homo & non Deus.*

Jerem. 17. v. 5.

Cap. 31. v. 3.

§. 37. Quid ſi tanto periculo non ſit aliquis expoſitus, ſed amicitiæ aut beneficii ergò quemquam, licet indignum aut ineptum, ad beneficium aut officium promoverit? Quoties non pigebit pudebitque, & amici vitia illum pudore ſuffundent? Quàm voluiſſet tunc temporis cautelam Horatii adhibuiſſe ità ſcribentis.

Qualem commendes etiam atque etiam aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem;
Fallimur, & quondam non dignum tradimus: ergò
Quem ſua culpa premit, deceptus omitte tueri.

Ep. ad Lollium.

In ſceleribus ac pravis actionibus, etiam dum ſoli ſumus erubeſcimus, & conſcientiam domeſticum improbitatis teſtem veremur: quis ſecuritatem aut libertatem nobis ſpondebit, ſi nos in amicos perperam collata beneficia palàm coarguant? quarè amicorum causâ honeſta faciamus, conſilium verum dare gaudeamus liberè: monere quippè & moneri proprium eſt veræ amicitiæ, & plurimùm in amicitia amicorum benè ſuadentium valeat auctoritas, quæ adhibenda non modò apertè ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: abſurdum nonnè eſt, quòd dum monemur, eam moleſtiam, quam debemus capere, non capimus, eam capimus, quâ deberemus vacare? peccaſſe enim nos non angemur; & objurgari moleſtè feremus? quod contra opportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere. Si amicitiæ pretium & illibatum conſequi fructum velimus, illam ſolâ

virtute metiamur, hujus terminis concludamus. ,, Fundamentum ,, amicitiæ, Dei amor eſt, ad quem omnia quæ vel amor ſuggerit, ,, vel affectus; omnia quæ vel occultè aliquis ſpiritus, vel palàm ,, quiſlibet ſuadet amicus, referenda, ſunt diligenter inſpicienda: ,, ut quidquid aſtruitur, fundamento conveniat: & quidquid il- ,, lud excedere deprehenditur, ad ejus formam revocandum, & ,, ſecundùm ejus qualitatem omnimodam convertendum non du- ,, bites. Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo. Hæc eſt vera dilectio: propter aliud ſi nos diligimus, oderimus potiùs, quàm diligimus. Charitas autem, quæ Chriſti causâ fundatur, firma, ſtabilis, atque invicta eſt; nec ullâ obtrectatione, ullis periculis, non morte, non aliâ re temporali conquaſſatur: illam non ſolùm diſſociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, ſed ne mors quidem divellit. Occurrat ergò quidpiam amici causâ faciendum, in quo vel Deus offendatur, vel præjudicetur bono publico, omninò illud erit prætermittendum; qui in ejuſmodi amicitias inciderint, ne exiſtiment ità ſe alligatos, ut ab amicis non poſſint diſcedere. Dixerint quidam diſſuendas eſſe amicitias, non rumpendas omninò, undè occaſiones quærit qui vult recedere ab amico, prætextus nempè, quibus opportunè & commodè id præſtet, ne amicum vel alios inviſos ſibi faciat, & contra ſe concitet: attamen, ſi aliter nequeat, dirimenda potiùs erit in totum amicitia, quàm propter illam aliquid fiat vergens in diſpendium ſalutis. Neque debitum amicitiæ vel gratitudinis hic debet attendi, ne ingratitudinis nota incurratur; præſtetur quid in eodem genere & ordine, in quo beneficium collatum fuit, ſine gravamine conſcientiæ. Explorati juris eſt, quòd in crimine læſæ Majeſtatis non ſolùm quis teneatur ab authoribus & complicibus ſe disjungere, ſed eos quoque denuntiare, licet propinqui ſint, fratres, aut parentes. Multò potiùs in quo Divina Majeſtas læditur ac juſtitia ejus tenetur quis à proximo ſanguine ſe quantâ poteſt vi divellere, relinquere impios ſuaſores & impulſores, qui in pectore Chriſtum conantur occidere, amoris falſi præſtigiis juſtitiæ lumen offuſcare. Ad juſtitiam etiam per calcatum patrem & matrem eſt tendendum. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Quid enim? Numquid dilectio Dei eſt menſura & regula diligendi proximum? Si Dei violetur amicitia, quomodò proximo benè velle, cupere, & facere poſſumus, qui non niſi in Deo eſt diligendus? *Non poteſt homini amicus eſſe, qui Deo fuerit infidus. Pietatis cuſtos amicitia eſt.* Sapiebat hoc Conſtantius Imperator pater Conſtantini Magni, qui, ut ſynceros Chriſtianos à fictis ſecerneret,

S. Aug. vel alius lib. de amicit. tom. 3. cap. 11.

S. Ambr. 3. offic. c. 15.

ſibique amicos & aulicos adſciſceret, ſimulatè edixit, ut Chriſti cultores aulâ ſuâ excederent, in ea verò remanerent ſoli idolorum aſſeclæ. Veri igitur Chriſtiani aulam deſeruêre, fictis in ea remanentibus. Tum hâc viâ ſimulationem detegens, idololatras omnes, quaſi proditores aulâ ejecit, veroſque dumtaxat Chriſtianos in eam adlegit, dicens: *Quomodò Imperatori fidem ſervabunt, qui erga Deum deprehenſi ſunt perfidi?* Meritò S. Legifer noſter præcepit, *Non carnalis ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio*, quod licet omnes, tamen potiſſimùm Deo dicatos concernit. Vult itaque illam totam puram, ſynceram, ab omni fæce commodi proprii, lucri & humanæ contagionis liberam: hoc vix fieri poterit, niſi mens ab acceptatione munerum, quibus captivatur, & ab omni ſpecie amicitiæ mercenariæ avocetur.

Euſeb. lib 1. de vita Conſtantini.

S. Aug. in Reg.

§. 38. Non cujuſque eſt ad formulam illam Senecæ vivere, qui ità de ſe teſtatur: „ Nihil magis poſſidere me credam quàm benè „ donata; non numero, nec pondere beneficia, nec ullâ niſi accipien- „ tis æſtimatione pendam. Numquam id mihi multum erit, quod „ dignus accipiet. Nihil opinionis causâ, omnia conſcientiæ faciam: „ & populo teſte fieri credam quidquid me neſcio faciam. Niſi fortaſſe Seneca dictum noſtrum in exordio ſermonis allegatum confirmare velit *Beatius* nimirùm *eſſe magis dare quàm accipere*: quod in temporalibus omnimodam ſortitur veritatem, cùm dare ſit ſignum liberalitatis, accipere neceſſitatis aut cupiditatis; *Beatior idcircò eſt impartientis largitas, quàm accipientis penuria*, cùm ſuperet benefacientis amor amorem beneficiati. Cenſet enim Ariſtoteles plus amare eos, qui beneficia conferunt, quàm in quos ſunt collata, quia majus indè bonum ſunt conſecuti. Experientiâ patet eos, qui receperint, citiùs ab amicis recedere, quàm qui largiti ſint; quòd videlicet ſublatâ utilitate nihil eis reſtet in amicitia præter illiberalitatis memoriam: his verò ſuperſit in perpetuum ſuavis recordatio beneficiorum. Quæ cauſa potuit Senecam impuliſſe ad illam tam ingentis animi ſententiam, ut magis elegerit actum exercere liberalis donatoris, quàm ex beneficio quæſtum capere, imitando in hoc Solem, qui cunctis ſuum calorem & ſplendorem impertit. Occurrit hîc magnificum Alexandri reſponſum, qui Dario Lydiam, Joniam, Æolidem offerenti nuntiare juſſit ſe in Aſiam non veniſſe ut ab aliis acciperet, ſed ut aliis daret, ſeque, quæ fecerit hactenùs clementer & liberaliter, non amicitiæ ejus tribuiſſe, ſed naturæ ſuæ. Quocircà Agapetus Diaconus Romanus inter monita, quæ dat Juſtiniano Imperatori, illud adfert: „ Eos ama, qui accipere abs te beneficia „ ſupplicant, quàm qui tibi contendunt offerre munera: his enim

Lib. de vita beata cap. 20.

Caſſian.

Curt. lib. 4.

 „debitor

* Tom. 2. Bib. SS. Patrum mont. ſo. „ debitor referendi gratiam efficeris; illi verò Deum dant tibi vadem, „ vendicantem ſibi, pertinereque ad ſe putantem, quæcumque erga ſupplices contuleris, & remunerantem bonis retributionibus „ tuam tàm piam quàm perhumanam intentionem. Nec eſt dubium, quin is, qui liberalis, benignuſque dicitur, officium, non fructum ſequatur: virtùs autem mercedem non exigit, cùm propter ſe ſit expetenda: ergò juſtitiam quoque principem matremque virtutum ſuo pretio, non noſtro commodo æſtimemus: eique potiſſimum tribuamus, à quo nihil ſperemus. Quid perſonas eligimus, quid membra inſpicimus? pro homine nobis habendus eſt quiſquis precatur, ideò quia nos homines putet: abjiciamus umbras illas imagineſque juſtitiæ, atque ipſam veram & expreſſam teneamus. Largiamur cæcis, debilibus, claudis, deſtitutis: quibus, niſi largiamur, moriendum eſt. Inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Foveamus quantum in nobis eſt: & animas hominum, ne ex-

Lact. lib. 6. cap. 11. tinguantur, humanitate ſuſtentemus. *Qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrerit, occidit.* Non improbant Seneca, D. Thomas & alii beneficiorum ac munerum acceptationem, modò non deſint officia gratitudinis. „ Sapientia exornat omne beneficium, ac ſibi ipſa

Sen. ep. 81. „ commendat, & ſe aſſiduâ ejus commemoratione delectat. Malis „ una voluptas eſt, & hæc brevis, dum accipiunt beneficia, ex qui- „ bus ſapienti longum gaudium manet, ac perenne. Non enim „ illum accipere, ſed accepiſſe delectat, quod immortale eſt & aſſi- „ duum. Verùm hìc tàntùm ſuggerimus quid magis præſtet & proſit tendentibus ad perfectionem, in quo totius commonitionis noſtræ cardo vertitur, & qui nobis unicus eſt ſcopus præfixus. Conſideramus enim quænam ſubſint inconvenientia, tum quòd aliquis ob donum acceptum obligatus ac velut alligatus donanti libertatem amittat, quòdque non raro debitum gratitudinis ex beneficio contractum ipſa communitas debeat exſolvere: tum etiam quòd beneficia euſque læta ſint, dum videntur exſolvi poſſe: ubi multùm antevenêre pro gratia odium reddatur; nullum enim pernicioſius eſt, quàm ex beneficii violati pudore. Agnoſcere beneficium ſervitutis quoddam genus eſt. Hinc multi preſſi gratitudinis & debiti onere, dum poteſtatem excedit, inſigniter ingrati fiunt, ut illo ſe liberent, torquent ſeſe & macerant; beneficia extenuant, injurias verò dila-

Sen. ep. 19. tant atque augent: *Quò plus debent, magis oderunt. Leve æs alienum, debitorem facit, grave, inimicum.* Adjice quòd viſcata ſint pleraque beneficia, lucroſa negotiatio, fraudulenta liberalitas ad plus capiendum, & ad bonos tantùm caſus ob quæſtum atque utilitatem comparata

parata amicitia. Unum tamen certum & verum liberalitatis officium eſt, egentes atque inutiles alere. Hic divitiarum maximus fructus eſt, non uri opibus ad propriam unius voluptatem, ſed ad multorum ſalutem: non ad præſentem ſuum fructum, ſed ad juſtitiam, quæ ſola non interit. Beneficium, ſi referatur, finitur: nec enim poſſumus id habere integrum, cujus pretium nobis perſolutum eſt. Si operis atque officii merces expectetur, jam non humanitas erit illa, ſed beneficii fœneratio: nec poteſt videri benè meruiſſe, qui, quod fecit, non alteri, ſed ſibi præſtat. Etiam Philoſophi inter præcipuas virtutes hoſpitalitatem referunt; ſed eam detorquent à vera juſtitia & ad commodum rapiunt. Valdè decorum judicavit Cicero patere domos illuſtrium hoſpitibus illuſtribus; at ille in recipiendis illuſtribus nihil ſpectavit aliud niſi utilitatem: nec diſſimulavit homo ingenioſus, quid ex eo commodi ſperaret; ait enim potentem quempiam apud exteros futurum per gratiam Principum, quos ſibi hoſpitii & amicitiæ jure conſtrinxerit. Quomodò poteſt defendere quominùs ambitioſa illa hoſpitalitas malitia ſit? per omnes portas quis circumcurſabit, ut advenientes populorum atque urbium Principes domum ſuam invitet, ut per eos apud cives eorum potentiam conſequatur, at quâ ratione poterit juſtus, humanus, hoſpitaliſque rectè videri, cùm utilitati ſuæ ſtudeat? Quàm plurimi nihilominùs dum perdere timent, perdunt, & in id quod maximè cavent, incidunt: ut, quidquid largiuntur, aut pereat omninò, aut ad tempus breviſſimum proſit. Nam qui conſervare humanitatem ſine damno ſuo volunt, patrimonia ſua effundunt: ut aut peritura & fragilia ſibi comparent, aut certè ſuis maximis damnis nihil conſequantur. Quid enim dicendum eſt de iis, qui populari levitate ducti, vel magnis urbibus ſuffecturas opes exhibendis muneribus impendunt? niſi eos dementes atque furioſos eſſe, qui præſtent id populo, quod & ipſi perdant, & nemo eorum, quibus præſtatur, accipiat. Quid amplius quàm inanem favorem, paucorumque dierum fabulas aſſequuntur. Num illi ſapientiùs prodigi, qui publicis operibus extructis, memoriam nomini ſuo quærunt? næ iſti quidem rectè bona ſua in terram ſepeliunt: quia nec memoria quidquam mortuis confert, nec eorum opera ſempiterna ſunt: ſiquidem aut uno tremore terræ diſſipantur & corruunt, aut fortuito conſumuntur incendio, aut hoſtili aliquo impetu diruuntur, aut certè vetuſtate ipſa diſſoluta labuntur. *Lact. lib. 6. cap. 11.*

§. 39. Suademus inſuper, in quantum poſſumus, ut omne illud removeatur, quod remoram injicere poteſt ad deſtinatum perſequentibus bravium ſupernæ vocationis. Atalanta pernici curſûs velo-

velocitate excellens potuiſſet facillimo negotio Hippomeni pretium certaminis præripere, niſi jam magno conatu ad metam properans, in medio curſûs aurei mali jáctu, non tàm ab ipſo quàm à propria cupiditate remorata fuiſſet. Eodem ferè calliditatis genere non rarò quidam accincti jam, & ad vitæ melioris terminum accelerantes, ſupplantantur objecto quodam aureo malo, id eſt, oblato ſive munere, ſive honorum gloriâ, ſive aliâ cupiditatis illecebrâ, quâ curvæ illæ in terram animæ de felici ſtatu deturbantur, & ad vetera ac obſoleta retrahuntur. Tigridis impetum uno fœtuum objecto frangit venator, belluamque ad antrum, undè prodierat, remittit. Munerum & beneficiorum viſcus ità pennas copulat eorum, qui per rerum fluxarum abdicationem, cæleſtiumque amorem ac deſiderium ad ſupernam patriam nituntur, ut ſacrum iſtum furorem illicò ſiſtat, ne poſſint tamquam columbæ liberè volare & requieſcere. Cavendum igitur ab his impedimentis, quia benè incipere licet egregium ſit, benè tamen deſinere regium judicatur. Abjicienda eſt ſarcina mundanorum, vincendus obex & remora munerum, ut ad curſum ſimus expediti. *Idem ipſe tibi Chriſtus eſt via & patria*; (dicit ſanctus Auguſtinus, quemlibet Chriſtianum alloquens) *ſecundùm homines via, ſecundùm Deum patria. Si fideliter curris, per ipſum vadis & ad ipſum venies.* Ingentis animi teſtimonium, terrenaque omnia conculcantis, in hoc dedit Patriarcha Abraham. virtutem enim animæ ſuæ ad ſuperiora extendens, & ſpectans non terrena, non corporalia, non præſentia, ſed incorporalia, æterna, cæleſtia, Regi Sodomorum dixit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditavi Abram.* „Quaſi contagium declinat intemperantiæ, quaſi labem „refugit corporalium ſenſuum, delectationes mundi rejicit, quæ„rens quæ ſupra mundum ſunt, hoc eſt, extendere manus ad Do„minum. Manus operaria virtus eſt animæ. Hanc non ad terrenæ „arboris pomum, ſed ad Dominum extendit. Omni ſanè conatu reſpuiſſet aureum malum, ut inſtitutum peregrinationis curſum alacer perageret. „Perfectæ mentis eſt nihil de terrenis, nihil de cor„poralibus illecebris aſſumere, abſtinere à terrenis. Anguſtæ men„tes invitentur promiſſis, erigantur ſperatis mercedibus. Mercedem non expetebat S. Franciſcus, qui omnia bona ſua in eo repoſita habebat, qui dat omnibus affluenter & non improperat: ideoque clamabat: *Deus meus & omnia*, pro mercede habens boni facti conſcientiam & juſti operis effectum. Hoc ſanctum piæ mentis propoſitum alebat D. Bernardus ex ardentiſſimis cordis viſceribus Ieſum ſic alloquens

Serm. 2. in feſt. aſcenſ.

Geneſ. 14. v. 22.

D. Ambr. de Abraham. lib. 1. cap. 8.

Idem ibidem.

alloquens : *Solus amanti ſufficis.* Qui mirè laudat Gaufridum Legatum Apoſtolicum, quòd omnia prorsùs etiam exigua munera ſpreverit. „Non fuerunt, inquit, qui poſſent Legato dicere : ditavi- *De conſid. lib. 4. c. 5.*
„mus Abraham. Ipſe verò cum Samuële liberè concionabatur ad omnes : *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus,* *1. Reg. 1.* *utrùm bovem cujuſquam tulerim aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi de manu cujuſquam munus accepi, & contemnam illud hodiè, vobiſque reſtituam.* Nihil proindè opus eſt his, quibus benignus Dominus amanter cuncta liberaliterque ſuppeditavit, extraordinaria hominum ſubſidia requirere, muneribus irretiri : „cùm remunera-
„tionem piis mentibus non ex neceſſitate promiſſi, ſed ex æquita- *D. Ambr. ubi ſuprà.*
„tis ſuæ contemplatione largitur, judicans dignum fore, quòd hi
„qui militant ſine aliqua mercedis humanæ remuneratione, re-
„poſitum habeant præmium in ſua bonitate. Hàc dedit eis arrham ſponſalem muneris pretioſi, non ex auro gemmiſque diſtinctam, ſed charitatis anſulis contextam catenam, quâ alligati ſequantur eum ad ſponſam agni Hieruſalem patriam ſempiternam. „Undè fidelis *D. Aug. ſerm. 3. de aſc. Dom.*
„quiſque, cùm à Deo tanta perceperit, per ea, quæ cognoſcit præſti-
„ta, diſcat ſperare promiſſa, ac Dei ſui præteritam præſentemque bo-
„nitatem quaſi futurorum teneat cautionem. Deus enim, ut profitetur Eccleſia, abundantiâ pietatis ſuæ merita ſupplicum excedit & vota. Petiit Ezechias Rex ab illo ſanitatem, qui adjecit ei quindecim *Iſa. 8.* annos vitæ & victoriam miraculoſam cæſis 185. Aſſyriorum millibus. Tantummodò Salomon petiit ſapientiam & venerunt omnia bona *3. Reg. 3.* ei à Deo pariter cum ea. David petiit filium ; ſed Deus præſtitit *2. Reg. 7.* ei Meſſiam : illum enim ei promiſit, fecitque ex eo naſci. Rectè advertit D. Ambroſius latronem in cruce tantùm petiiſſe, ac dixiſſe, *Domine memento mei cùm veneris in Regnum tuum*: Chriſtum verò multò illi præſtitiſſe amplius dicendo : *Hodiè mecum eris in Paradiſo.* „Nam, inquit, uberior eſt gratia, quàm precatio. Semper enim *In Luc. 23. v. 42.*
„Dominus plus tribuit, quàm rogatur. Imò, cùm tribuit, vult ſua dona noſtra eſſe merita. Non imponit nobis onus & obligationem retribuendi, bonorum enim noſtrorum non eget ; ſed vult ut donis ſuis benè utamur, eaque ſic fiant merita noſtra ad præmium. Itaque *excutiamus manus noſtras ab omni munere, & nocendi, ſive juvandi ſervemus nobis ingenuam libertatem : ut non litigemus ſub ſervitute pecuniæ, ſed ſerviamus in libertate juſtitiæ.* *B. Petrus Damiani epiſt. 2. lib. 2. ad Car. S.R.E.*

SYMBOLUM XXIX.



Pſalm. 77. v. 31.

PLures quàm olim Hebræi, de quibus Pſalmiſta loquitur: *Adhuc eſcæ erant in ore eorum, & aſcendit ira Dei ſuper eos; & occidit pingues eorum*: Ad ſepulchra concupiſcentiæ gladio intemperantiæ ſunt occiſi. Hoſtis eſt occultus & domeſticus omnium intemperantia, maximè verò divitum, qui plures nacti ſunt occaſiones delinquendi dum omnibus abundant. Hæc eſt immoderata concupiſcentia rationis obedientiam contemnens, exceſſum ejus legiſque naturalis perſuadens: ideoque gladio ſuo ferire corpus & animam ſatagit, ubi limites rectæ rationis, conditionis, ſtatûs, atque ordinis legis naturalis & divinæ tranſilit; ubi ventrem ipſum ſepulchrum concupiſcentiæ efficit,

cit, ſepulchrum animalium mortuorum, quibus etſi interdùm alitur, multotięs tamen moritur.

§. 1. Aſinum marinum affirmat Clemens Alexandrinus cor in ventre habere: illum referunt non pauci, adeò voraces & ventri dediti, ut in eo cor, cogitationes, omnemq́ue ſollicitudinem, & non in alio repoſitam habeant: de quorum gula nec aves, quæ per cælum volant, nec animalia, quæ in nemoribus abſconduntur, neque piſces in viſceribus ac vorticibus maris quaſi ſepulti, ſunt liberi & immunes. Allegat illud de ævi ſui corruptela Horatius: *Lib. 2. ſerm. ſatyr. 2.*

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido:
Donec vos author docuit prætorius. Ergò
Si quis nunc mergos ſuaves edixerit aſſos,
Parebit pravi docilis Romana juventus.

Iſtorum profunda & inſatiabilis gula hinc maria ſcrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus magno cum labore perſequitur. Nullis animalibus, niſi ex faſtidio, pax eſt. *In conſol. ad Helviam. cap. 10.*
„ Ultra Phaſim, ait Seneca, capi volunt, quòd ambitioſam popi-
„ nam inſtruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repe-
„ tiimus, aves petere. Undique convehunt, omnia nota faſtidien-
„ ti gulæ. Quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ulti-
„ mo portatur oceano. Et poſt pauca. O miſerabiles, quorum pa-
„ latum niſi ad pretioſos cibos non excitatur! Pretioſos autem, non
„ eximius ſapor aut aliqua faucium dulcedo, ſed raritas & difficul-
„ tas parandi facit. C. Cæſar centies ſeſtertio cœnavit uno die, noſtro more ccl. millibus Philippicorum: quod Cleopatra in una margareta abſumpſit. Hanc vitioſam inclinationem, cujus immenſum & incomprehenſibile arbitrium eſt, primus hominum parens lignum vetitum deguſtando introduxit: quæ ad tantam appetitûs inordinationem pervenit, ut jam guloſis non ſufficiant fructus arborum, non grana leguminum, non radices herbarum, non piſces maris, non beſtiæ terræ, non aves cæli; quas intemperantia ſibi tributarias reddidit: ſed quæruntur pigmenta, parantur aromata, quæ ſtudioſè concoquuntur, & lautè parantur officio miniſtrorum; Alius contundit & colat, alius conficit, ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem; ut ſaturitas tranſeat in eſuriem, revocet appetitum ad irritandam gulam, non ad ſuſtentandam naturam; non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad cupiditatem explendam. *Vomunt ut edant, edunt ut vomant: & epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur; & cùm famem exiguo po[illegible]dare, magno irritant.* *Sen. in conſol. ad Helv. c. 10.*

§. 2. [illegible] vitia ſua dumtaxat oſtentant, ſed & juventutem

ad imitationem ſui ſollicitant etiam ſine malis per ſe docilem. Præclaris his parentes inſtruunt liberos documentis, & publica vitiis gymnaſia exſtruunt.

Nec de ſe meliùs cuiquam ſperare propinquo
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Juvenal. Satyr. 14. *Boletum condire, & eodem jure natantes*
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et canâ monſtrante gulâ. Cùm ſeptimus annus
Tranſierit puero nondum omni dente renato
Barbatos licet admoveas mille indè magiſtros,
Hinc totidem; cupiet lauto cœnare paratu
Semper & à magna non degenerare culina.

Sicut nullus ſufficiet humor ad ſatiandum eum, cujus deſiderium non ex inopia, ſed ex æſtu ardentium viſcerum oritur; non enim ſitis illa, ſed morbus eſt: ità naturæ corruptæ deſiderio evenit, quod ex vitio natum eſt. Quidquid illi congeſſeris, non finis erit cupiditatis, ſed gradus. „ Aſpice, inquit Seneca, culinas noſtras, & con-
Ep. 114. „curſantes inter tot ignes coquos noſtros: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aſpice veteraria noſtra, & plena multorum ſæculorum vindemiis horrea: Unum putas videri ventrem, cui tot Conſulum Regionumque vina conduntur? Aſpice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant: Unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa ſeritur? Et tamen ut alibi dicit: „ Non intelligitis vos ma-
Ep. 89. „jorem famem habere, quàm ventrem: quantulum enim ex iſtis epulis, quæ per tot comparatis manus, feſſo voluptatibus ore libatis? quantulum ex iſta fera periculosè capta, Dominus crudus ac nauſeans guſtat? quantulum ex tot conchiliis tam longè advectis per iſtum ſtomachum inexplebilem labitur? Metiatur unuſquiſque corpus, ſciatque nec multum capere nec diu poſſe. Nonnè igitur furor & ultimus mentium error eſt, cùm tam exiguum capiat, cupere multum? Simpliciſſimâ voluptate naturam matrem agnoſcimus, quam Aſiatico ubique luxu facimus novercam, dum ambitio terram lutumque invenit quo laſciviat, dum non Sabinis tantùm ſed Indicis paſſim diotis ebrietati litatur præ quibus aurum vile. Parum eſt haurire uno convivio dena millia æris, pari pretio niſi miniſtres. Opes prodigalitate æſtimantur. Quàm longo, quàm diſpoſito ad vaniſſimam pompam ordine lenocinia menſæ inferuntur non guſtanda ſolùm, ſed & ſpectanda! In magno & vario luxu etiam ad oſtentationem dapes ſunt; nec dapes, niſi aut volup[illegible]morentur conſidentium oculos, aut invidiâ accendant: quaſi t[illegible]rapulam

gula

gula non capiat, oculis quoque cœnatur, in ipſis oculis gula eſt. *Non ſunt ad popinam*, ait Seneca, *dentibus & ventre & ore contenti, oculis quoque guloſi ſunt.* Plebeium eſt quidquid neque rarum aut difficile paratu. Ut ſaporem inducat aut origine aut fuco & multâ curâ peregrinum debet eſſe. Hæc delicatæ eſuritionis ambitio eſt, ut non poſſit niſi pretioſis ferculis expleri. Mille lautitiis, ciborumque & condimentorum velut adulteriis nova menſæ monſtra dans luxuria laborantem ſtomachum irritat & torquet; imò mille naturæ injuriis ſobrietatem expugnat. Illi ſiquidem quidquid ultra famem ſitimque grave & pro nauſea eſt. Nam iſta omnia tam ſumptuosè quæſita, tam curiosè ſtructa, tam opiparè condita ventrem ut cloacam ſubeunt, & comeſta eâdem fœditate occupantur. *Lib. 3. natur. quæſt.*

§. 3. Accedunt blandæ fallaceſque ad hilaritatem invitantium voces, imò ad certamen provocantium, dum ex more & lege Bacchantium ſocio quiſque cyathiſſando quaſi monomachiam indicit:

> *Luxuriæ quoque militiâ eſt vigil, atque ruinis*
> *Venter.* *Manilius.*

Modò ſalutem, modò vitam, modò fortunam alter alteri propinat, & poculis veluti gradibus ad ſtultiſſimum furorem itur. Parùm lautè vel amicè quis videtur exceptus, niſi titubantem gradum à menſa referat; qui dum æqualibus hauſtibus favere alienæ valetudini ſtudet, propriam mergit. Ille ſolùm ſtrenuus, qui luxu & laſciviâ magnus; ille titulis, encomio, coronâ dignus, cujus veſica cœnæ unius vinum capit, qui oculis licet conniventibus & ſaucius & mox caſurus reliquos vino ſuperatos ac proſtratos compotores cernit. O hilatem inſaniam! imò inſanam hilaritatem! ô palmarium facinus! „ Quæ gloria eſt, quærit Latinus Stoïcus, capere multum? „ cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac „ vomitantes recuſaverint, cùm ſuperſtes toti convivio fueris, cùm „ omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tàm vini capax fuerit; „ vinceris à dolio. Lubrica hæc & noxia ſunt, quibus tamen mens perversâ conſuetudine corrupta delectatur, quæ in fatalem tranſit neceſſitatem, quâ quis ad pocula damnatur mox ut accubuit; nemo enim non cyathum porrigit, nemo non urget ut amare videatur. Non perſeverare turpe quin & ignominioſum; ſed in conviviis longâ ſeſſione pertinax Socratis ſtatus eſt vincendus. Quàm damnoſus affectus eo imprimis officiorum genere obligari, quo lædimur! quàm effuſa & infeſta hilaritatis procella! Omninò illa ebrietas placet, quæ continua eſt, quæ diei noctiſque omne diſcrimen *Sen. ep. 83.*

neſcit, ut ſemel merſi vino, ſemper videantur. Egregium à quibuſdam ducitur à Boſphoro uſque ad Heſperum potare, diem atque ebrietatem pari auſpicio ordiri. Non ſolùm vino concipiunt vitia, ſed alunt quoque. His pergræcari ſolenne, ut ſobriam naturæ corruptæ inſaniam ebrietas excuſet: *Nam cùm ſæpè apud ſe non ſunt,*
Sen. ep. 83. *conſuetudo inſaniæ durat, ac vitia vino concepta etiam ſine ipſo valent.* Ebrios lectulus expectat, dimittit ebrios; à ſomno & crapula ſitis redit, nec tantum ſpatii indulget ut edormire crapulam liceat, aut vini furorem edomare, ut prandium expectet. Fervet vino ſtomachus, jejuni bibunt, & vinum recipiunt inanibus venis, ſicque ad
Sen. ep. 122. cibum ebrii tranſeunt. *Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod liberè penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit.*

§. 4. Aliis in noctem prandium ducitur, in diem cœna. Cereris Liberiquè vigiles perſiſtunt labores. Priùs ſomno quàm inſaniâ occupari, turpe. Sunt qui officia lucis noctiſque pervertunt, nec antè diducunt oculos heſternâ graves crapulâ, quàm appetere nox cœpit. Sunt in ebrietatis colonia Antipodes, qui neque orientem umquam Solem viderunt, nec occidentem: & Lychnobii, qui diem ſpernunt, qui noctes conviviis occupant; tamquam ſuavius ſit lucis uſurâ in tenebris frui, diem artificialem quàm naturalem habere, præ Sole faces æſtimare. Quid tandem fit? nocte fruuntur ut diem perdant, & cùm ſomni tempora vigiliis deſtinantur, diurnæ omnes horæ ſomno pereunt. Turpis, qui alto jam Sole ſemiſomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Alii, dum ſomnum fugiunt, quâdam velut morte ſe induunt, & vino ſepeliuntur. Numquid in ebriis funeris quædam imago? Hominem ceu merſum cadaver videre eſt, tot poculorum ciborumque congeriem velut pyram, lectulum tamquam ſepulchrum. De vita talium dubitat Seneca, ubi ait: „Hos tu exiſtimas
Ibidem. „ſcire quemadmodùm vivendum ſit, qui neſciunt quando? & hi „mortem timent, in quam ſe vivi condiderunt: tàm infauſti omi„nis, quàm nocturnæ aves ſunt; licet in vino unguentoque tene„bras ſuas exigant, licet epulis & in multa quidem fercula diſtin„ctis, totum perverſæ vigiliæ tempus diducant: non convivantur, „ſed juſta ſibi faciunt. Numquid defunctorum loco tales cuivis eſſe debent? quantulùm enim à funere abſunt & quidem acerbo, qui tantùm ad faces & cereos vivunt? erat ex hac turba lucifugarum, quorum (uti diximus) animis hæc pravitas inſederat averſandi diem, & totam vitam in noctem transferendi, Atilius Buta Prætorius,

——— *Qui noctes vigilabat ad ipſum*
Mane, diem totum ſtertebat.

Imò

Imò qui omnia contra naturæ ordinem facere conſueverat, ac noviſſimè in totum ab illa deſciverat, faſtidio illi erat lumen gratuitum & vita communis; non oportebat id facere quod populus: res ſordida videbatur, tritâ ac communi viâ vivere. Lucebat, ſomni tempus erat: quies erat, tunc juvabat exerceri, tunc geſtari, tunc prandere. Lux propiùs accedebat: tempus erat cœnæ. Trajiciebat & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus. Relinquebatur dies publicus, proprium ſibi ac peculiare mane faciebat. Nox igitur officiis & oblectamentis vitæ, dies illi per ſomnum tranſigebatur: in miſeriam ſuam & pœnam ſic iſte dormivit. „Cui poſt patri-„monium ingens conſumptum, Tiberius paupertatem confitenti: *Sen. ep. 122.*
„*Serò*, inquit, *experrectus es.* Vitam ſimilem in contrarium circumactam plurimi hoc tempore agunt. Cauſa autem eſt illis ita vivendi, non quia aliquid exiſtiment noctem ipſam habere jucundius, ſed quia nihil juvat obvium. Perdere ſe putant operam quoties non faciunt, quod excitet famam. Sic luxurioſi ut non vulgare inter ſuos nomen acquirant, non tantùm luxurioſam rem ſed notabilem debent facere; omnis felicitas vitæ atque famæ in majori his ponitur impudentia. Adjice quòd omnia vitia contra naturam pugnent; omnia debitum ordinem relinquant; quòd gravis ſit malæ conſcientiæ lux. Indè peccatis nocturnum tempus eligitur, quod fraudibus ſuis Sacerdotes Belis magis judicabant convenire. *Erat apud Baby-* *Dan. 14. v. 2.*
lonios Idolum quoddam quod pro Deo colebant, & appellabatur Bel, cui *v. 13. & 19.*
apponebantur quotidiè pro cibo ſimilæ artabæ duodecim, oves quadraginta, & vini amphoræ ſex. Perſuadebant Regi Sacerdotes Belis iſta omnia nocte ab Idolo conſumi, ubi tamen ipſi cum uxoribus ac liberis eſſent voraces illæ Harpyæ, quemadmodùm Daniel Rege præſente fallaciam detexit.

§. 5. Hic mundus regio eſt diſſimilitudinis, in qua non modò in actibus alii ab aliis differunt, ſed in guſtu quoque. Pietatis enim honeſtatiſque cultores alium planè guſtum ab hominibus mundo deditis habent. Nullatenùs quippè exiſtimant Chriſtiani honeſtatem in conviviis, in cibi potûſque exceſſu, aut in voluptatibus deliciiſvè conſiſtere, ſed in vita & virtutibus Chriſti. Salutaria iſta dogmata hauſerunt à magiſtro ſuo & doctore gentium Apoſtolo Paulo: *Sicut in die*, inquit, *Rom. 13. v. 13.*
honeſtè ambulemus; non in cubilibus & impudicitiis, non in commeſſationibus & ebrietatibus, ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Dicunt etiam cum Propheta: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* *Pſ. 118. v. 103.*
Sola eis ſpes futurorum bonorum guſtum affert, quæ eloquiis Dei exprimitur, quæ aptiores & promptiores efficit ad ineundam viam, quâ ad Deum pervenitur: undè ratio expedita redditur ad acquiſitionem

tionem uſumque rerum, quæ ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, longè ſunt pretioſiores. Homines verò terreni hoc guſtu carent, nec aubi eum quærunt præterquam in epulis ac ebrietate, in exceſſivo ſumptu & luxu, in Sybaritica laſcivia; præ quibus reliqua non ſolùm ſpiritualia ſed & temporalia illis videntur inſipida, nau-

Sen. ep. 71. ſeamque inducentia. *Luxurioſo frugalitas pœna eſt, pigro ſupplicii loco labor eſt, delicatus miſeretur induſtrii, deſidioſo ſtudere torqueri eſt.* Non iſta difficilia ſunt naturâ, ſed iſti fluidi & enerves. De quibus ità

Ad Philip. 3. v. 18. ſcribit D. Paulus: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum Deus venter eſt.* Per hæc verba non obſcurè deſignantur hæretici quidam, molles, effœminati, qui ut meliùs carni laxent habenas, quidquid aſperum eſt, quidquid ſpeciem pœnitentiæ aut crucis præ ſe fert, jejunia, vigilias, flagella, aut id generis opera pœnalia de medio Evangelii tollunt, & tamquam minimè neceſſarium rejiciunt. Quocircà rectè illos Apoſtolus inimicos crucis Chriſti appellat; rectè de iis dicit, quòd eorum Deus venter eſt: nam ſupra Deum ventrem ſuum diligunt, eò quòd majorem curam in placendo ventri, quam Deo adhibent; cui ut ſatisfaciant multoties Deum offendunt. Cœnarum bonarum aſſectatores, quas improbitate linguæ apud Magnates emendicant. Religione & pietate abutuntur ad quæſtum; hinc falſas ac novas opiniones aut gignunt; aut ſequuntur. Eccleſias & monaſteria deſpoliant; caſulas, calices, lampades, ciboria, ſtatuas aureas & argenteas ſacrilegè diripiunt, aut comminuunt temporalis commodi ſui gratiâ yconoclaſtæ: fundos ac prædia Eccleſiæ contra omne jus & fas ſibi vendicant, ut liberaliùs Baccho & Veneri ſacrificent; quia eorum Deus venter eſt. Hoc enim ab illis colitur, quod præ cæteris diligitur: Quarè, ſi guloſus magis diligit ventrem, quàm Deum, ſequitur ut illum tamquam Deum colat. Sanctus Au-

Ep. 79. ad Hilarium. guſtinus multos quoque inter Catholicos dicit reperiri, *qui etiam putant ſibi ad augendas opes ſuas, & multiplicanda delectamenta, religionem ſuffragari debere Chriſtianam.* Qui ad Sacerdotia vel monaſteria aſpirant, ut divitias deliciaſque terrenas aſſequantur, ut inertem, otioſam, & lautam vitam ducant: horum ſanè Deus venter eſt. Quæ irreligioſitas & injuria Deo irrogata videtur idololatriâ pejor. Idololatra & paganus auro, argento, lapidi, ſaxo honores divinos attribuit, guloſus ventri ſuo: quo quid in ſpecie vilius atque abjectius eſſe poteſt? Non alia de cauſa fornicatorem & prophanum nominat Eſau D. Paulus, quàm quòd pro eſca una primogenituram ſuam vendidit, cui in lege Sacerdotium erat annexum: quæ ſacra cùm quis vendiderat, ſimoniacus ac per cônſequens prophanus appellabatur

batur. Quod fornicarium vocet, ad fornicationem idololatriæ referri poteſt: nam propter lentis edulium primogenituram ac Sacerdotium vendidit; jure igitur fornicator & idololatra ſui ventris poterat appellari. Certè idololatræ juxta Danielem Sacerdotes fuêre & non tam idololatræ Belis, quàm ventris ſui: aut ſi nominis etymologiam inſpiciamus eò vel maximè ſunt idololatræ Belis, quia ventris; Bel etenim ſecundùm expoſitionem D. Hieronymi idem eſt quod ventus. Idolum verò hominis guloſi eſt corpus ſuum, quod tamquàm Deum adorat, & ſupra Deum diligit: corpus autem noſtrum corruptibile & mortale ventus in Scriptura ſolet appellari; *Ventus*, inquit Job, *eſt vita mea.* Hujus Idoli vita nihil aliud eſt quàm ſubtiliſſimus ventus; nam facilè evaneſcit & corrumpitur atque in cinerem revertitur; dum tanta fercula guloſus quotidiè ventri offert, dum totam ſubſtantiam ſuam in alendo corpore inſumit, dum ſæpiùs renaſci in convivio juvat, vireſque recolligere pulchrum; dum maximum voluptatis incrementum putatur in eodem convivio ſæpiùs cœnare etiamſi invita viſcera ciborum onus recuſent; ſæpiùs reſurgere & pari quotidiè fato perire, quo ab homine in brutum migrat: ex voluptatis ſenſu mox pœnis urgetur, nocituris illecebris peccat.

De interpret. nominum Heb.

Job 7. v. 7.

§. 6. *In multis eſcis erit infirmitas*, ex teſtimonio Syracidis. Sibi quiſque tortor datus eſt. Supplicia, morbi ſunt; graviſſimi autem cùm vitæ curſum non incidunt. Trahuntur dolores ut creſcant, ut languor vitam occupet, & ad mortem non niſi per longos cruciatus eatur. Ità corpus deſtructionis ſuæ cauſam habet magiſtrum coquorum, gulam, ebrietatem; quæ omnia dum epulis, & his quæ inebriant, replent corpus, vaſtant & annihilant robur ejus, ac ægritudinibus in prædam tradunt. Sic de cera dicitur quæ flammam alit in face, quod eamdem extinguat, ſi redundet. Rectiùs tamen nimii cibi damnum ità exprimitur, *Qui me alit, me extinguit:*

Eccli. 37. v. 35.

——————— *Nam ſimul aſſis*
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Hor. lib. 2. ſerm. ſatyr. 2.

Carò uſuras voluptatum pendimus ultra modum faſque concupitarum. Olim ſimplex erat ex ſimplici cauſa valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt; nam quomodò iſta perplexa ſunt, ſic ex iſtis non ſingulares morbi naſcuntur, ſed inexplicabiles, diverſi, multiformes, incogniti,

Qui medicos lateant artemque magiſtram.

Poſtquàm cibus non ad tollendam famem, ſed ad irritandam quæri
cœpit, „ & inventæ ſunt mille conditurae, quibus aviditas excita-
Sen. ep. 95. „ retur : quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. In-
„ dè pallor & vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditati-
„ bus, quàm ex fame macies : indè incerti labantium pedes, &
„ ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio : indè in totam cutem hu-
„ mor admiſſus, diſtentuſque venter, dum malè aſſueſcit plus cape-
„ re, quàm poterat : indè ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus,
„ tabeſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcenti-
„ bus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine
„ intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam ? quid
„ oculorum auriumque tormenta ? & cerebri æſtuantis verminatio-
„ nes, & omnia per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta ?
„ innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævien-
„ tium, aliarum peſte repentium, aliarum cum horrore & multa
„ membrorum quaſſatione venientium ? Quid alios referam innu-
„ merabiles morbos, ſupplicia luxuriæ ? Cauſam horum anteà retu-
limus, quam luculentiùs quoque ſubnectit Seneca. „ Innumerabi-
Idem ibidem. „ les, inquit, eſſe morbos miraris ? coquos numera. In Rhetorum
„ ac Philoſophorum ſcholis ſolitudo eſt : at quàm celebres culinæ ſunt,
„ quanta circa nepotum focos juventus premit ? tranſeo piſtorum
„ turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam
„ cœnam diſcurritur. Dii boni, quantum hominum unus venter
„ exercet ! quid tu illos boletos, voluptuarium venenum, nihil oc-
„ culti operis judicas facere, etiamſi præſentanei non furant ? quid,
„ tu illam æſtivam nivem non putas callum jecinoribus obducere ?
„ quid tu illa oſtrea, inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil
„ exiſtimas limoſæ gravitatis inferre ?

Eccli. 37. v. 34. §. 7. *Propter crapulam multi obierunt.* Princeps enim coquorum de-
ſtruxit muros Jeruſalem, qui non eſt alius niſi vitium intemperan-
Lib. de Elia & jejunio c. 14. tiæ, gulæ atque ebrietatis. *Invitas ad prandium*, ait D. Ambroſius,
*efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas; vina præ-
tendis, venena ſuffundis. Omne enim quidquid nocet, venenum eſt; tol-
lit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infert, caput vexat.* Vocem amit-
tunt temulenti, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant,
fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excedunt multi in pran-
dio. Plerique dum vomunt epulum, fudêre animam. „ Per eſcam
Ibidem. cap. 8. „ laqueus non cavetur, in eſca hamus latet, & cibus deducit in fo-
„ veam, cibus inducit in retia, cibus viſco etiam aves illigat, cibus vo-
„ lantes deponit ad mortem. Sed gravius longè eſt, quòd magiſter po-
cillatorum atque coquorum deſtruat animæ muros nempè poten-
tias,

tias, & ſenſus tàm interiores quàm exteriores. Veneno caro laceratur, vino mens; noxia intemperantia ad corporis ſanitatem menti quoque crimen adjungit. Murus animæ eſt ratio & intellectus; ille à vitiis animam tuetur, quæ duce concupiſcentiâ adversùs illam militant. *Luxurioſa ſiquidem res vinum, & tumultuoſa ebrietas, quicumque his delectatur non erit ſapiens.* Prov. 20. v. 1. Saturitas nempè ciborum, ebrietas vini & ſapientia oppoſitionem habent, cùm temulentus ſit tamquam aliquod irrationale, ſiquidem ratione, quâ homo à brutis differt, per intemperantiam privatur.

—————— Vides, ut pallidus omnis Hor. lib. 2. ſerm. ſatyr. 2.
Cœna deſurgat dubiâ? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Sicut dormiens ratione non utitur, & ſopitus gubernator navis omninò perturbatus eſt; ſic nimirùm nimio cibo potuque indulgens ad omnia opera ſua peragenda ob rationem perturbatam, læſamque phantaſiam redditur ineptus. Ad talem ſermonem ſuum dirigit Salomon, *Eris*, inquit, *quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo.* Prov. 23.

Et mentem & ventrem nemo replere poteſt.

Imò rationem ipsâ vitâ meliorem ſuffocat ſuâ manu, aut jugulat; tantò etiam in ſe crudelior, quia ſæpiùs moritur, quia quod ſemel natura, facit quotidiè, imò continuò ipſe. Voluntas quoque eſt murus animæ, quam dum magiſter coquorum lautitiis atque èpularum dulcedine, & potûs ſuavitate demulcet, efficit, ut inimicis intellectûs atque rationis potiùs faveat, eoſque ſequatur, nempè concupiſcentias, quàm rationis præſcriptum & imperium. Undè non incongruè furor cauſatus à vino, cum furore ſerpentis comparatur à Sapiente, qui prudenter admonet: *Ne intuearis vinum cùm flaveſcit*, &c. *in noviſſimo enim mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Prov. 23. v. 31. Indè ſeminarium & origo vitiorum. *Omne vitium ebrietas & incendit & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam removet.* Sen. ep. 83. Qualis cujuſque animus, talis oratio temulentiæ igne evaporans. Fiunt in ebrietate divites, qui ſunt in veritate inopes. Aurum donant, diſpenſant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent undè cauponi ſymbolum ſolvant. Vino madidi & ſomnolenti neſciunt mente quid linguâ proferant. Uno die bibunt multorum labores, moxque, ut vinum digeſtum eſt, cernunt ſe eſſe mendicos. Modeſtia, ſimplicitas, paupertas vapulant & ſapientia viriis infeſta.

feſta. Quis inter conviviorum ineptias illæſam valet mentis ſervare majeſtatem? quæ quiſque fecit, dixit, aut cogitavit, in convivio tamquàm in tribunali ventilantur.. Pertinaci vento concuſſæ arbores confuſum tot ramorum frondiumque ſuſurrum edunt; ſic in convivio quiſquis vini aurâ adflatus quodcumque in buccam venit effutit. Et quis ſtultus inter pocula tacere poteſt? „ Non eſt animus

Sen. ep. 83. „ in ſua poteſtate, ebrietate devinctus. Quemadmodùm muſto do- „ lia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in ſummam par- „ tem vis caloris ejectat: ſic vino exæſtuante, quidquid in imo abdi- „ tum effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodùm „ non continent cibum, vino redundante, ità ne ſecretum qui- „ dem: quod ſuum alienumque eſt, pariter effundunt.

Horat. ep. 5. ad Torquatum.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas: in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit.

Mero quorumdam imbuendæ linguæ, priuſquam ſcaturiant; haud aliter quàm organa pneumata implenda vento, ſeu ſpiritu animanda, ut perſtrepant. Torturæ quoddam genus ebrietas eſt. Hinc eleganter Virgilius.

——— *Et vino tortus & irâ.*

Lib. de Elia & Jejunio c. 17. Quod D. Ambroſius his verbis confirmat: „ Plerique etiam vino „ utuntur ut equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem pro- „ ditionis, eos tentant bibendo, ut Patriæ ſtatum, ſalutem civium, „ defenſionis ſuæ prodant conſilia. Virtus enim plerumque vincit „ dolorem, fidem autem potus excludit. Quis inter cyathos texit, „ quod latere cupiebat? Quintus Metellus, qui tantâ in celandis mentis ſuæ arcanis utebatur taciturnitate & prudentiâ, ut aliquan-

Val. Max. do eum dixiſſe ferunt (quod & Petro Regi Arragoniæ adſcribunt) *Si hujus conſilii mei interiorem tunicam conſciam eſſe cenſero, continuò eam cremari jubebo*: Num ſuæmet intentionis manſiſſet dominus, aut omninò conſilia ſua occultare potuiſſet, ſi in potu fuiſſet liberalior? loquaces ſunt ebrii, rimoſi ceu vaſa pertuſa. Garruli autem neminem audiunt, ſemper enim loquuntur, primumque hoc vitium linguæ impotentia habet, nihil audire. Convivium calumniæ irriguum ſeminarium eſt, in quo ſontes & rei trahuntur mores. Quanti vivat quiſque, quanti ſapiat, curioſis calculis expenditur. Hic foro ceſſit, ille patrimonium prodegit, iſte pudorem proſtituit: Hi temulenti cenſores cùm oſſibus abſtinent, rodunt tamen alienam famam. Aliena vitia fingunt ac denudant, ſed novo vitio &

ſimul

ſimul convicio. *Ubi poſſedit nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia ſed protrahit.* Sen. ep. 83.

§. 8. Imò facit & protrahit. In quod facinus non iſta præcipitat? eſt tumultuoſa ebrietas, choleram excitat, diſcordias ſeminat, pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fundunt, quando de ebrietate (quod vitium frequentiſſimum eſt) ad arma conſurgitur, calicibus tela gladiive ſuccedunt. Adhæc ludicro primùm certamine prælusum, quando minoribus poculis velitatio præceſſit, deindè majoribus furorem exacuerunt, & procedente longiùs potu contentiones diverſas & magna certamina menſurâ propoſitâ inière; ubi certatum eſt ſub judice, & ſub lege decretus Agonotheta cedente furore in ſtipendium debilitatis, in victoriæ præmium culpâ: cùm vulnerati penè omnes ac ſaucii de arena exire parant; poſtquam ſuas quiſque pugnas enarraverit, fortia facta prædicaverit, trophæa recenſuerit: ad vera & decretoria proſiliunt prælia. Cyathi, pocula, orbes, patinæ, vaſa aurea & argentea miniſtrant arma & inſtrumenta furoris: obvia quæque ſunt,

Inque repentinos convivia verſa tumultus.

Nullatenùs jam prandium agi, ſed prælium geri putes, quale Centaurorum & Lapitharum in nuptiis Pirithoi Ovidius deſcribit. Undique carnificina videtur, ità omnia ſanguine natant. Licet mens titubet, lingua balbutiat, pallor & ſanguis ora ſuffundat; omnes ſe fortes in vino exiſtimant, etiam cùm ſtare vix poſſint & greſſu multùm vacillent. Hinc improvidi Barbarorum more in ferrum ruunt. Videas unum aliquem de genere hoc tanto furore percitum, ut quilibet eum tamquam bovem cornupetam aut taurum ferocientem fugiat, quia fœnum habet in cornu. Antiqui ſiquidem ad deſignandam ferocitatem ex ſaturitate ortam conſueverant bovi feroci inter cornua ligare manipulum fœni, inclamantes, *Fœnum habet in cornu, longè fuge.* Vinolentiam crudelitas ſequitur, & ebrietates continuæ efferant animos. „ Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. „ Hæc acerrimas gentes bellicoſaſque hoſtibus tradidit: hæc multo„ rum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc con„ tumaciſſimos & jugum recuſantes in alienum egit arbitrium: hæc „ invictos acie mero domuit. Holofernem robuſtiſſimum militiæ Aſſyriorum Ducem temulentia proſtravit; quæ & Herodem in deteſtandum jusjurandum ac homicidium impulit. Alexander Macedo *Clitum cariſſimum ſibi ac fideliſſimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore mori voluit, certè debuit.* Quàm multa ebrii faciunt, quibus ſobrii erubeſcunt! felicior multò fuiſſet Alexander, quàm

Lib. 12. Met. fab. 5.

Sen. ep. 83.

Sen. ibidem.

viſus eſt, cùm Liberi patris imitaretur triumphum, ab Helleſponto uſque ad Oceanum omnes gentes victoriâ emenſus: ſi viciſſet ſuperbiam atque iram, mala invicta: ſi abſtinuiſſet inter epulas cædibus amicorum, egregioſque bello viros, & tot gentium ſecum domitores indictâ cauſâ veritus fuiſſet occidere. Sed & hunc *intemperantia bibendi, & ille herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit.* Quæ alia res M. Antonium, magnum virum, & ingenii nobilis in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas, nec minor vino Cleopatræ amor? *Etenim ſi vinum & mulieres diſcedere à Deo faciunt, quòd vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ ſint; ſi ſingula ac ſeparata hæc faciunt, quid faciunt unita?* Illud eſt oleo ignem fovere, cùm ebrietas amori juncta ſit ignis in igne. Rectè D. Hieronymus: *Venter mero æſtuans, citò ſumat in libidinem.* Ubi enim ebrietas, ibi libido dominatur; illa viam ſternit ad vitia. „ Tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: omne vitium detegitur & prodit. „ Adjice jam illam ignorantiam ſui, dubia & parùm explanata verba. Murus animæ eſt memoria, quæ ex officio non ſolùm præſentibus tenetur inimicis reſiſtere, ſed damna quoque præterita ab inimicis illata antè revocare, & quaſi è ſpecula à longè venientes inimicos proſpicere: hanc deſtruit princeps coquorum, dum memoriam ac oculos ejus offuſcat, ne hoſtes inſidiantes animæ videat. Quid Eſau ſervum fratri ſuo fecit? Nonnè eſca ad horam dulcis, amara in poſterum? & Aman dum ſe regali jactat convivio, inter ipſa vina pœnam ſuæ ebrietatis exolvit.

Q. Curt. lib. 3.

Sen. ep. 83.

D. Amb. de Elia & jejun. c. 15.

Sen. ep. 83.

§. 9. Ex quibus reſolvitur nihil aliud eſſe ebrietatem quàm voluntariam inſaniam. Neque longè aberravero, ſi intemperantiam vitium puerile dixero. Ità eſt non pueritia in quibuſdam, ſed quod eſt gravius, puerilitas remanet. Auctoritatem habent ſenum vitia puerorum; nec puerorum tantùm, ſed infantium. Pueri omnia faciunt non ut rationi, ſed appetitui ſatisfaciant. Illis ſi porrexeris annulum, ſive numiſma aureum vel argenteum, pomum etiam ſive venenum, omnia ori applicant, trahente & ſuadente appetitu rationali: ità & guloſi tamquam pueri omnia ori applicant; ſtomachi ſui menſuram nullo modo intelligunt, ſed plus ſibi ingerunt quàm capiat. Horum oculi ad eſcam contemplandam ſunt acutiſſimi, & quaſi aquilini. Eſt enim à natura inſitum aquilæ ad ſublimia ſeſe attollere, ut indè piſces in mari proſpiciat; tunc ad eos devorandos

ſubitò

ſubitò deſcendit: quod colligitur ex illo Jobi, *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? indè contemplatur eſcam, & oculi ejus de longè reſpiciunt.* Non in aquis ſolùm ſed in omnibus elementis eſcam guloſorum oculi ſcrutantur. Job. 39.

Inter ventriculos verſatur quæſtio, piſce
Quis colitur meliore lacus, quis fertilis aër
Alitibus, quæ terra feras effundet edules.

Hi ſunt oculi, de quibus Sacer Textus: *Oculus Jacob in terra frumenti & vini.* Continuâ urgentur ſollicitudine in parandis ſibi generoſis vinis, annoſis, pretioſis, ſine quibus menſa illis apparet velut corpus ſpiritu vitali deſtitutum. Quapropter Deut. 33. v. 28.

Ingenium eſt quæſiſſe merum: nam gratia menſis
Abſque mero deciſa venit, nec plena voluptas
Eſt menſæ quæ fundit aquas, facinuſque receptis
Naufragium feciſſe cibis: ſolemnia menſæ
Bacchus agit.

Neque ſufficit quibuſdam ſapor gulæ, ſed volunt ut omnes ſenſus in uno calice inebrientur. Viſum recreant claritate, tactum frigiditate, guſtum ſapore, naſum odore. Illis Sapiens imprecatur: *Cui*, inquit, *væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonnè iis qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Eſt enim in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, & dolor capitis, ſuffuſio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis ſtupor. Cùm ſit fomentum libidinis ebrietas, incentivum inſaniæ, venenum ſapientiæ, furoris poculum, vivi denique hominis quædam ſepultura; quid mirum ſi perturbet venas alicujus, corrumpat ſanguinem, obtundat viſum, obturet auditum, infirmet nervos, ſubvertat ſenſum, reſolvat viſcera, oneret cerebrum, debilitet memoriam, auferat fortitudinem?

§. 10. Jeremias trigeſimo nono ſui vaticinii capite recenſet nomina Ducum militiæ Babylonicæ qui primum minutiſſimam Jeroſolymorum civitatem obſederunt & poſt hæc ingreſſi ſunt; Neregel videlicet, Sereſer, Semegarnabu, Sarſachim, Rabſares, Rebmag: à quibus captus eſt Sedecias Rex Iſraëlitarum. *Reliquias*, ait Jeremias, *populi, qui remanſerant in civitate, & perfugas qui transfugerant ad eum, & ſuperfluos vulgi, qui remanſerant, tranſtulit Nabuzardan Magiſter militum in Babylonem.* Eruditus Jeremiæ interpres Chriſtophorus Caſtrius in horum commentatione ità monet. ,, Liceat

,, ani-

„ animadvertere quinam ſacram civitatem ingreſſi fuerint, nempè „ qui principatum gerebant in ejuſmodi rebus ad delicias facienti- „ bus; principes unguentariorum, liquorum & coquorum. Hi „ omnia devaſtant. Semegarnabu, ut Vatablus exponit, erat præfectus unguentariorum; Rabſares præfectus Eunuchorum, Rebmag princeps liquoris. Condimentarii, pulpamentarii, popiniones, ganeones, & hujuſmodi gulæ mancipia ſacroſanctam ingreſſi civitatem templum incenderunt & ſupremam omnibus ſtragem intulerunt. Horum facilè princeps fuit Nabuzardan juxta Jeremiam Magiſter militum, ex mente lxx. Interpretum princeps coquorum, ſecundùm Pagninum & alios princeps lanionum atque ſicariorum. Myſticè D. Gregorius per eum intelligit gulam & guloſos. Variis tantùm diſtinguuntur nominibus, quæ in eumdem ſenſum coincidunt. Nam ingluviei patroni, doctores profuſionis & intemperantiæ, turpium libidinum vernæ, malarum voluptatum ſectatores & procuratores, unguentorum peregrinorum, exoticorum odoramentorum & pigmentorum inventores, uno verbo principes coquorum; iidem ſunt & milites, laniones, ſicarii, qui prædantur, qui ſauciant, qui mactant: hi vaſtant civitates, ſuccidunt facultates, conficiunt vitas; plures namque ſunt, qui gulâ quàm gladio perierunt, neque ullus bellorum furor tàm multos interemit, quàm coquorum & miniſtrorum gulæ labor improbus occidit.

§. 11. *Plurimum homini negotii alvus exhibet*, (ſcribit diligens rerum naturalium indagator Plinius) „ cujus causâ major pars morta- „lium vivit: aliàs enim cibos non tranſmittit, aliàs non continet, „ aliàs non capit, aliàs non conficit; eoque mores venêre ut homo „ maximè cibo pereat. Hujus gratiâ præcipuè avaritia expetitur, „ huic luxuria conditur, huic navigatur ad Phaſim, huic profundi „ vada exquiruntur. Quantam moleſtiam ſuus cuique venter adfert, cujus potiſſimùm gratiâ major pars hominum nundinatur, cauponatur, ſationibus implet magnarum urbium campos: illi populus metit, & nonnumquam unius menſæ frumentum navigia plurima neque uno quidem mari ſubvehunt. Illi corraduntur, ſervanturque nummi; illi tota ſtudet & augeſcit cupiditas, illi fraudes excogitantur, trajiciuntur flumina, indagantur luſtra & ſpelæa animalium. *Taurus pauciſſimorum jugerum paſcuis impletur: una ſilva Elephantis pluribus ſufficit: Homo & terrâ paſcitur & mari.* Omnia perquiruntur ac miſero deputantur ventriculo.

Lib. 26. c. 8.

Sen. ep. 60.

——— *Peſti barathroque macelli;*

Qui unus tot incommodorum, exitiorumque cauſa eſt, vel occaſionem

nem ſubminiſtrat, qui integras & ampliſſimas hæreditates devorat: quàm tetricus, importunus, inſaturabilis implacabiliſque exactor! præcepta non audit, poſcit, appellat, per ſingula momenta ſucclamat, vociferatur, illachrymat. Innumeris tamen delicata hæc vitæ humanæ officina obnoxia eſt malis atque infirmitatibus; aut enim cibo per ſaucias fauces non patet tranſitus, aut ſtomachus ipſe aditum negat, aut retinendo concoquendoque languentes illius vires non ſufficiunt. Neque ſolùm nimietas cibi ac potûs eſt opum peſtis ſed & vitæ humanæ gladius, *eoque mores venêre, ut homo maximè cibo pereat.* Ex quo enim calorem naturalem & humidum radicale debilitat; incolumitatem & ætatem depaſcit, vitam abrumpit, mortemque accelerat. Coquos igitur numera, atque ità oculos obtundi, vocem hebetari, colorem intermori, anhelitum viriari, aures, pulmonem, ſtomachum contrahi non miraberis. Sapienter eâ de causâ laudabiliterque inviolabile ſtatuerunt decretum Lacedæmonii exactiſſimi legis naturalis obſervatores de exterminandis coquis, qui præter carnium ſimplicem paratum aliud obſonii aut conditura genus noſſent; ità teſtatur Ælianus: *Lacedæmone coquos eſſe non licebat alios, quàm carnis dumtaxat; qui verò præter hanc artem noviſſent, ejiciebantur perindè atque ægrotantium expiationes.* Tales ex tota patria exturbabantur, non ſecùs atque ex urbibus ejici & ſubjecto igne exuri veſtes peſte interemptorum ſolent, ne contagione ſua reliquum populum inficiant. *Ejiciebantur perindè atque ægrotantium expiationes.* Quam exaggerationem Seneca luculentis verbis ſtabilivit de Apicio loquens, quòd *ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplinâ ſuâ ſæculum infecit.* Facultatum itaque peſtis, fulmen valetudinis, vitæ gladius, patrimoniorum gurges, fataliſque ſtrages, mundo univerſo adferens interitum eſt helluatio, delicateque & intemperanter victitandi conſuetudo.

De Var. Hiſt. lib. 14. cap. 7.

In Conſol. ad Hel. c. 10.

§. 12. „Quid ergò tàm inſatiabilem nobis natura alvum dedit, „cùm tàm modica corpora dediſſet, ut vaſtiſſimorum edaciſſimorumque animalium aviditatem vinceremus? Minimè. Quantulum eſt enim quod naturæ datur? parvo illa dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. Moderata naturæ noſtræ eſt cupiditas paucis contenta, intemperans caro ſuperfluum poſtulat; ab effræni gulæ libidine illud venit, neceſſitas nihil tale exigere eſt ſolita. Non eſt tam moleſtus creditor venter, *Parvo* (ait rursùs Seneca) *dimittitur; ſi modò das illi quod debes, non quod potes*: præſertim ſi ſit benè moratus, & contumeliæ patiens, ad frugalitatem moderati victûs uſu conſuetudineque aſſuefactus: natura quippè talis ferè per omnem vitam eſt, qualis diuturnâ exer-

Sen. ep. 60.

Ep. 21.

citatione ab initio ficta & formata. Taliter ſuam inſtituerat S. Hilarion, illique patientiam indixerat, ut quinque caricis de die ſaturari ſe pateretur, nec oblatraret appetitus, aut gula obgrunniret; dum, quod ventri dari deberet, ipſe ſibi non deſiderando ſuppleret. Scilicet minùs beatè quàm Apicius aut Heliogabalus, vivebant SS. Elias & Paulus, quòd illis non coqui ſubminiſtrabant ſed corvi, nec apponebantur incitamenta libidinum, ſed quæ poſſent famem ſitimque extinguere. Integer panis quem corvus S. Paulo & Antonio eremicolis ad fontem in umbraculo conſidentibus attulerat, quaſi publicum & commune putabatur convivium, ut admiratus unus ex illis fuerit quòd militibus ſuis Deus annonam multiplicaſſet. Prudenter idcircò expendit S. Gregorius Nyſſenus cauſam, cur à Deo & Patre omnibus affluentiſſimo ac munificentiſſimo, qui manum tantùm apérit, & implet omne animal benedictione, in Oratione Dominica ſolummodò petamus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè?* Et reſpondet, quòd panis tantùm petitur, id eſſe non pauca, ſed ſola neceſſaria petere. „ Exiguum, in-
Orat. 5. de Orat. Dominica. „ quit, eſt, quod naturæ debes. Cibum debes carunculæ tuæ, rem „ & modicam & paratu facilem, ſi uſum & neceſſitatem intueris. „ Cur adversùm temetipſum multiplicas tributa? Idcircò quærere „ jubemur, id quod ſatis eſt ad naturam corporis conſervandam; „ panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delicias, nec „ divitias. Ad confirmationem illius videamus quid ille magnus paterfamilias ad alimoniam familiæ ſuæ ſeminavit: præter triticum
Matth. 13. v. 24. aliud nihil ſeviſſe fertur: *Seminavit bonum ſemen in agro ſuo.* Sed in campo ultra triticum & ſemen aliud prætereà quod ſimul cum tritico excreſcit reperiemus? quis hoc ſparſit? malus Dæmon, inimicus homo ſuperſeminavit zizania. Luxus omnis à Dæmone eſt, ſupervacanea illo authore quæruntur & adhibentur. „ Panem pete, clamat S.
S. Nyſſenus Ibidem. „ Doctor, propter vitæ neceſſarium uſum, hujus te corpori debitorem „ natura fecit. Cætera quæ præter hæc, ſolertiâ deliciis ac luxui de„ ditorum excogitata & inventa ſunt: ea de zizaniorum juxta ſato„ rum ſemine ſunt. Semen patrisfamilias frumentum eſt, & ex „ frumento panis conficitur: at luxus atque deliciæ zizanium eſt, „ quod ab inimico juxta frumentum ſatum eſt. Immodica in victu profuſio, in qua refulget coquorum induſtria, intemperans apparatus, ſupervacui ſumptus, luxurioſa ciborum nobilitas à Dæmonis conſilio promanavit: vitæ tantummodò neceſſaria Deus ſapientiſſimus proviſor & ſollicitus procurator ſuaſit atque docuit.

§. 13. Undè tanta fuit priſcis illis aſcetis in ſumendo cibo ſobrietas, taliſque parcitas, ut venter potiùs conquereretur, quàm gauderet,

ret, neque egeret in digerendo ſtomacho medicinis, dum ructum evacuatio potiùs, quàm nimia repletio induceret. Ex quo vivendi genere perſeverabat illis

——— *Mens ſana in corpore ſano.*

Neſciebant vino fulcire venas cadentes, neſciebant ſaniem emittere, & diutinam ægrotationem balneo ſudoribuſque laxare: neſciebant crurum vinculo brachiorumque latentem vim & in medio ſedentem ad extrema revocare. Podagræ illis erat ignotum malum imò & nomen. Ad quid neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, ubi nulla eſſent periculorum aut certè pauciſſima. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Sobrietas ſerium quemquam, ſanum & vegetum reddit, atque ad ritè obeunda munia ſua habilem & expeditum. *Eccli. 37. v. 35.*

——— Ubi dicto citiùs curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit. *Horat. lib. 2. ſerm. ſatyr. 2.*

Multæ virtutes abſtinentiæ deſerviunt. Ornatus ejus eſt, moderatio atque modeſtia; virtus, conſervare prudentiam & ſapientiam: ſed illud præcipuum bonum, quòd prolonget vitam, quòd ſit contra morbos perfectiſſima medicina. Abſtinentiæ beneficio vixit M. Antonius plus quàm centum annis corpore & animi judicio robuſtus. Sine ulla infirmitate Socrates exegit vitam. *Jejunium* proindè, ſi D. Baſilio credimus, *eſt rei domeſticæ incrementum, proſperæ valetudinis mater, tutus familiæ contubernalis. Ecquæ verò domus, quæve familia umquam ex jejunio quidquam detrimenti accepit?* Da mihi aliquem ſi potes, cui victûs parſimonia, & ſacrum abſtinentiæ ſalutaris ſtudium incommodum fuerit, dummodò fuerit moderatum? Sana hæc nimirùm & ſalubris forma vitæ tenenda eſt, ut corpori tantum indulgeatur, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, & ſine ullo faſtidio venter impleatur. Condimentum cibi jejunium eſt; quantò avidior appetentia, tantò eſca jucundior. Sic patrocinatur & convivio fames, ut gratior fiat menſa jejunis. Abſtinentia tamen Heliæ, Joannis Baptiſtæ & aliorum, qui auſterrimo corpus domabant jejunio ab omnibus miranda eſt, ſed non à quovis imitanda. Eſca Joannis erat locuſta & mel ſilveſtre: *& ideò quia vitæ humanæ poſſibilitatem continentiâ ſupergreſſus fuerat, non homo ſed Angelus æſtimatus eſt.* *Homil. 1. de jejun.* *D. Ambr. de Hel. & jejun. cap. 3.*

§. 14. Agamus naturæ viribuſque convenientia. Refrænanda tantùm caro eſt à noxiis, non extinguenda; neque eò uſque corpus enervandum, ut homo ad injunctum officii debitum reddatur vel impotens vel ineptus. Frugalitatem exigit recta vivendi ratio, non

Eccli. 31. v. 36. pœnam. *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas animæ & corporis, ſobrius potus.* Animæ eſt ſanitas, quia eam exhilarat, cor ſpiritibus dilatando, quod melancholiæ frigiditas, aut curæ quædam anxietas conſtrinxerat. Non ſunt vetita ciborum condimenta; ſed in iſtis etiam ipſis adducto animo opportet

Cic. lib. 2. de finibus. eſſe, nec nimis effundi, imitariq́ue C. Lælium, *qui veniebat ad cœnam, ut animo tranquillo deſideria naturæ ſatiaret.* Potiſſimùm verò frigidâ manu ſuſpensâq́ue in Deum mente viro religioſo ſumendus eſt cibus; & cavendum, ne, cùm putatur valetudinis, negotium agatur voluptaris. ,, Sæpè incertum eſt (ait S. Auguſtinus pu-

Lib. 10. confeſſ. cap. 31. gnam animi ſui æſtumq́ue referens) ,, utrùm adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc interdum hilareſcit infelix anima, & in eo præparar excuſationis patrocinium, gaudens non aparere, quod ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidiè conor reſiſtere. Diſcernendum etiam atque etiam eſt, quid neceſſitas refectionis, quid libido edacitatis expoſcat. *Neſcio*, dicebat S. Hiero-

In ep. ad Euſtochium. nymus, *an jejunium dici debeat, quod conſequentis diei obruit repletio, cujus famem ſuccedens exuperat ſaturitas.* Sic comedendum Dei obſequio peculiariter conſecrato ut ſtatim eſuriat, ut ſtatim poſt cibum poſſit legere, orare & pſallere. Attendendi ſunt fines abſtinentiæ & temperantiæ. Imprimis magnâ divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſa eſt ad reparandam mentium puritatem quadrageſimalis abſti-

S. Leo ſerm. 4. de quadr. nentia, *in qua aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent: deinde ut caſtigatis colluctationibus quæ ſunt inter utramque ſubſtantiam, animus, quem ſub Dei gubernaculis conſtitutum corporis decet eſſe rectorem, dominationis ſuæ obtineat dignitatem.* Unicuique noſtrûm arx animæ noſtræ data eſt in cuſtodiam:

Iſaiæ 21. v. 11. & 12. Undè quidam ſtrenuus miles dicebat; *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? & dixit cuſtos venit mane & nox.* Alludit ad rem militarem. Cuſtodes enim propugnaculorum & turrium ſuper mœnia conſtituti vigiles totâ nocte excubias agunt, ut imminentia pericula explorentur: ſic nos, quorum vita nihil aliud eſt niſi militia ſuper terram, continuò & diligenter invigilare debemus, ne imparatos nos diabolus adverſarius noſter inveniat? qui ut arcem mentis noſtræ faciliùs expugnet, vino potuq́ue robur noſtrum debilitare nititur. Quapropter impigrè cum illo & agendum & dicendum qui

Habacuc. c. 2. v. 1. clamabat: *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor.* Quàm perfectè omnes ſeduli excubitoris partes exequi conatur.

§. 15. Ta-

§. 15. Talis fuit & tam exactus S. Auguſtinus, tam averſus ab omni terrena voluptate, ne interioris hominis ſerenitatem aliquâ libidinosâ delectatione vel minimùm obnubilaret, ut optaverit, fauces non majori pruritu cibos in ſtomachum, quàm aërem in pulmones trajicere. O veræ ſapientiæ & virtutis germen! cui nullatenùs propoſitum erat aliqua facere, quæ in habitu & corporis cultu, aut genere vitæ, miniſterio videlicet, ſupellectile, mensâ notabilia eſſent. Non ſplendebat toga, ſed non ſordebat quoque. Neque rationi, neque inſtituto ſuo conſentaneum ducebat torquere corpus ſuum, faciles odiſſe divitias; ſquallorem appetere, aſperum nempè cultum, intonſum caput, negligentiorem barbam; cibis non tantùm vilibus uti, ſed tetris & horridis. Judicabat delicatas res deſiderare luxuriæ eſſe; uſitatas & non magno parabiles fugere, dementiæ. Tenue enim frugalitatis indicium videtur his caruiſſe. Sed Deum alloquens ſic aiebat: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodùm medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Maximo damno cœnat, quiſquis valetudinem impendit. O ſuavem illam menſam quæ famem ſedat, ſed ut provocet! quæ vigorem malit mentis, non obruit! quæ paſcit, non ſaginat! nec carnibus nec vino abſtinebat ſtudioſiſſimus communis vitæ amator. In ſuo conſortio non noverat eos, *quorum Deus venter eſt*. Solent Diis templa conſtrui, altaria erigi, miniſtri ad ſerviendum ordinari, pecudes immolari, thura concremari. Deus eorum venter eſt, cujus templum eſt coquina; altare, menſa; miniſtri, coqui; immolatæ pecudes, coctæ carnes; fumus incenſorum, odor ſaporum. Apprimè verò memoriâ retinebat hunc medicorum Aphoriſmum: *Veſcère citra ſaturitatem: ſurge è menſa, non cum faſtidio, ſed cum fame. Omnis ſaturitas noxia.* Undè & D. Ambroſius conſulere ſolebat; *Utamur temperantiæ naturali cibo pro remedio parciùs, non pro deliciis redundantiùs: propter infirmitatem, non propter voluptatem.* Non noverat eos qui perperàm exiſtimant officium Præſidentis in pompa, oſtentatione, luxu & jactantia ſitum eſſe, nihilque aliud eſſe quàm copiosâ familiâ, turbâ ſervorum, multiplici apparatu, & impensâ uti; quàm conviviis præſidere, & præſentium tantùm curam in cultu ventris exercere;

Lib. 10. confeſſ. cap. 31.

Ad Philip. 3.

——— *Quibus in ſolo eſt vivendi cura palato.*

Etiamſi his, qui laborant, qui ſemunt, qui triticum in horrea congregant, metere fas non ſit. Etiamſi deſint illis neceſſaria, qui operâ, induſtriâ & labore neceſſaria conquirunt, ut cum Virgilio Latinorum Poëtarum Principe ſolenne illud non ſemel coacti ſint exclamare.

 Sic

Sic vos non vobis nidificatis aves,
Sic vos non vobis vellera fertis oves,
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boves;

Non multùm diſpares mulis, qui carnes & volatilia adferunt, de quibus ſibi nihil inferre licitum, ſed paleis fami ſatisfacere debent. Non noverat profectò illos, qui aut victum & convictum communem reſpuentes deliciis ciborumque lautitiis in menſa privata ex profeſſo indulgent; aut in communi lautitiùs liberaliùſque quàm ſimul accumbentes tractantur, quorum oculos non minùs quàm ventrem invidiâ accendunt. Ubinam legerunt Chriſtum Dominum, cujus ſeſe imitatores profitentur, quotieſcumque cum ſuis diſcubuit diverſo & lautiori ab illis cibo uſum? ubinam invenerunt apud magnos illos Archimandritas, Macarium, Antonium, Dorotheum; aut apud recentiores, Benedictum, Bernardum, Romualdum, Columbanum, hujuſmodi conſuetudinem fuiſſe receptam? „ An non confuſio & ignominia eſt Jeſum crucifixum, pauperem & eſurientem fartis prædicare corporibus, & jejuniorum „ doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? Si in Apoſtolorum loco ſumus: non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed etiam converſationem & abſtinentiam. Ità D. Hieronymus.

D. Hier. in Michæam relatus diſt. 35. Can. Eccleſiæ principes.

§. 16. Abſtinentiæ lex à Domino Deo indicta eſt, prævaricatio legis à Diabolo. Culpa per cibum, latebra poſt cibum: cognitio infirmitatis in cibo, firmitatis virtus in jejunio. Itaque gula à Paradiſo regnantem expulit, abſtinentiâ ad Paradiſum revocavit errantem. „ Deliciæ tamen quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, non „ officiunt: & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum „ abſtinentiæ: David enim aquam malè concupitam effudit, & „ Helias carnes comedit. In omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido in culpa eſt. Igitur ex cauſa utendi & modo appetendi vel probandum vel improbandum eſt, quod fit: neque multum intereſt quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum, atque perſonæ ſuæ, & valetudinis neceſſitate quis accipiat; dummodo illud Apoſtoli in animo compleatur dicentis: *Scio & minus habere, ſcio & abundare: ubique & in omnibus inſtitutus ſum: & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati; omnia poſſum in eo qui me confortat.* Dummodò, ut rectè monet S. Auguſtinus, id quod ſumitur, congruat in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum eſt. Undè Concilium Carthaginenſe quartum dicit: „ Quiſquis contemptis his, cum quibus vivit, lautiora ſibi, vel auſteriora

S. Aug. ſup. ep. Joan. relatus diſt. 41. Can. deliciæ.

Ad Philip. 4. v. 12.

„ ſteriora præ cæteris indumenta vel alimenta quærit : aut intempe- *Diſt. 41. Can. Clericus.*
„ rans ſui, aut ſuperſtitioſus eſt. Et Concilium Tridentinum præci-
pit, ut dignitatis ſuæ authoritatem fidei & vitæ meritis quærant;
„ Et imprimis itá mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis
„ frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantoperè com- *Seſſ. 25. cap. 1. de reform.*
„ mendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapro-
„ pter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non *Conc. Cartha. 4. cap. 15.*
„ ſolùm jubet, ut Epiſcopi modeſtâ ſupellectili & menſâ, ac fruga-
„ li victu contenti ſint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac to-
„ tâ eorum domo caveant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc
„ Inſtituto ſit alienum; quod non ſimplicitatem, Dei zelum, ac
„ vanitatum contemptum præ ſe ferat. Quod fortiori & potiori jure
militare debet in iis, qui in gradu prælaturæ inferiori ſunt conſtitu-
ti; ut cum Seneca conſiderent, quòd facile eſt paſcere ventrem be-
nè inſtitutum, & nihil aliud deſiderantem quàm impleri; quòd par-
vo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas enim contenta eſt
deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Auſcultent quæ monita præbeat Lu-
cilio ſuo. „ Si vis, inquit, vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pau-
„ peri ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura:
frugalitas autem paupertas voluntaria eſt. Aut, ſi magis arrideat, in- *Lib. de El. & jejun. c. 5.*
tendant his quæ à D. Ambroſio ſcribuntur. „ Noë, dicit, primus plan-
„ tavit vineam, dedit naturam, ſed ignoravit potentiam. Itaque vi-
„ num nec ſuo pepercit Authori. Sed, ut ſubjungit poſt pauca; illius
„ ebrietas nobis ſuadet ſobrietatem. Semel inebriatus eſt Noë. Ubi
„ malum ebrietatis agnovit, inventum ſuum ad remedium tempe-
„ ravit, non effudit ad vitium. Salutare eſt illud quod ex Sapientis *Eccli 31. v. 22.*
oraculo deſcendit. *Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum*:
& in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem: ubi lar-
giùs fortaſſe ad reſtinguendam ſitim & ventriculi æſtum haurien-
dum eſt, ferocia ejus lymphis caſtranda præſertim ubi à natura fer-
vidiore & pruritu Veneris metus. Per totam vitam ſuam Alphon-
ſus Rex Arragoniæ religioſiſſimè obſervavit, ut aut vini expers vive-
ret, aut vino dilutiſſimo contentus ſitim expleret: cauſam ſciſci-
tantibus, quid contra Regum & aulicorum morem hoc pro more *Panorm. lib. 2. de reb. geſt. Alphonſi.*
haberet? reſpondit: *Vino ſapientiam obſcurari, ideóque non decere
Regem, ut hoc immodicâ comparatione in animo extinguat, ſine quo Im-
peratoris ac Regis nomen ritè tueri non poſſit.* Aliàs interroganti cur vi- *Idem ibidem.*
num aquâ dilueret? *Ne ebrius fiam*, reſpondit, *non enim ignoro,
quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum Regis gloriæ ob-
fuerit.* Modicum tamen illud vini, quod temperantes litterati ſor-
billant, non facilè deſpumat in libidinem, cùm ſpumas & ſpiritus ejus,
ſtudiis

ſtudiis atque igne ingenii in caſtas cogitationes facilè decoquant. Largiores ſolummodo hauſtus ac invitationes mentis & corporis oculos obnubilant, fitque

——— *Ebrietas rationis vile ſepulchrum:*

Nam quemadmodùm canis, qui cæcum ducit; dum oſſa in luto videt, illucque ex aviditate divertit cæcum per immunditias ſecum trahit: Sic & gula, poſtquàm rationis oculum excæcavit, per vitiorum ſpurcitias hominem ducit.

§. 17. Planiſſimè iſta cognoſcuntur: verùm ſapere bono exemplo minimè decreverunt, quibus competeret mentem ac valetudinem omni imperio laſcivientis ævi majorem habere. Non placent alius ſæculi mores quando voluptatis jugum ferre mortales nondum didicerant. Nihil juvant tot ſalubria conſilia, tot monita. Temerè omni juri nunc præjudicat peſſimæ conſuetudinis labes. Morbum noſcunt, & morbum ſuum amant.

Horat. lib. 3. carm. Ode 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Raro ſequuntur illam regulam œconomicam, quam familiarum moderatoribus D. Bernardus ſuggerit. (*Tom. 2.*) „ Fac, ait, gulam litigare cum „ burſa, & cave cujus advocatus exiſtas. Si autem inter burſam & „ gulam judex exiſtas; ſæpiùs, ſed non ſemper pro burſa ſenten- „ tiam feras: nam gula affectionibus probat & ſic teſtibus non jura- „ tis; burſa evidenter probat, jam arcâ & cellario evacuatis, vel bre- „ vi tempore evacuandis. Sed illi ferè ſemper non examinatis ſtudioſè diligenterque teſtibus, non fideliter expenſis ſuffragiis pro gula pronunriant: illi fidem adhibent, quæ eſt fulmen loculorum, opum ruina, vitæ pernicies, jactura bonorum omnium tàm ſpiritualium quàm corporalium. Et, quod caput eſt, vix micam, pro eo ac deberent, zelûs illius Apoſtolici habere videntur, quo æſtuabat D. Paulus, cùm diceret: (*Ad Cor. 9. v. 13.*) *Si eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum.* Quantum hoc animi decretum exaggerat & exaltat S. Chryſoſtomus! (*In dictum locum.*) „ Hoc, inquit, magiſtri optimi „ eſt officium, ſuo exemplo docere, quæ præcipit. Et non dicit, „ ſivè juſtè, ſivè injuſtè, ſed quomodocumque. Et non dico, in- „ quit, idolothytum, quod & propter aliam cauſam prohibetur: „ ſed, ſi quod licet & permittitur, ſcandalizat, etiam illo abſtineo; „ neque unâ aut alterâ die, ſed toto vitæ tempore. Non enim man- „ ducabo, inquit, carnes in æternum. Et non inquit, ne per-

„ dam

„ dam fratrem, ſed ſimpliciter, ut non ſcandalizem. Etenim ulti-
„ mæ amentiæ eſt, quæ Chriſto pretioſiſſima ſunt, & talia ut eorum
„ gratiâ mortem obire non recuſaverit, itâ nos deſpicatiſſima arbi-
„ trari, ut eſcis propterea non abſtineamus. Sed quarè ab eo ultronea pietatis officia expectanda, qui neceſſitatis ſubſidia proximo negat? An non ſcandalizat fratrem ſuum, qui dum ventri benè ſit, nihil aut parùm curat de ipſo? qui ut ventrem non impleat modò, ſed farciat, deſiderio ſuo intentus proximi imò ſubditi curam negligit? qui ut propriis commodis ſtudeat, communia deſerit? Licet fame ſitique ilium vexet, nihil omninò de luxu remittit? quomodò maledictiones effugiet, quas Deus improbis Paſtoribus comminatus eſt? *Væ*, dicebat, *Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nonnè greges à Paſtôribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* Ezech. 34. v. 2. & 3. Quandoquidem vitæ inſtituto ab his non differat, ut potiùs ipſi lupi, quàm veri paſtoris appellatio congruat? illam tamen mordicùs retinere conantur quidam, & probi perfectique ab omnibus audire volunt. Itâ Sacerdotes Belis Religionis ſobrietatiſque affectabant commendationem voraciſſimi cæteroquin ac guloſiſſimi, quemadmodùm fraus à Propheta detecta manifeſtavit. Benè virtutum ſimulatores, hiſtriones virtutum à D. Ambroſio appellantur: aliud enim ſunt in repræſentando, aliud in eſſendo, ſimiles illis, de quibus Juvenalis,

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Qui mellita habent labra, ſed cor veneno ſuffuſum; qui caſtitatem in auribus, juſtitiam & temperantiam in ore, devotionem in cingulo geſtant. Cùm impleti fuerint, diſputant de continentia: inter pocula ſobrietas prædicatur, & rurſùm inter hos Philoſophos vinum non modò laudatur, neque ſolùm quaſi aperto gurgite bibitur, ſed infunditur: poculum non libatur, ſed exinanitur. Non plus illis proſunt virtutes apparentes, non plus vitia colorata, quàm Sacrificulis Belis opinata juſtitia & ſanctitas, ficta ſobrietas: Nequaquàm enim bona fama haberi poteſt ſine bona conſcientia; impoſſibile quoque eſt diù latere vitia ſub ſpecie virtutis. Audivit Caïn à Deo, *Cur concidit facies tua? nonnè ſi benè egeris, recipies?* Geneſ. 4. v. 6. Quam, quæſo, apud Deum habebit opinionem, qui illi folia offert, Diabolo fructus? Deo vanitates, Diabolo cor? qui vult Deum eſſe velut Idolum Belis ſimulans omnia ſe in gratiam & honorem ipſius facere, cùm vota & ſacrificia vertat in proprium commodum, propriamque voluptatem? Quid prodeſt Simiæ, ſi Leo credatur, ſi veſte leo-

 ninâ

ninâ ſeſe induat. De quolibet ex iſtis, qui exterminant faciem ſuam ut videantur hominibus jejunantes, ſic loquitur D. Ambroſius: *Exterminat faciem ſuam, qui aliud corde gerit, aliud foris prætendit. Non nos velut quâdam impietate operiamus: quod intùs eſt, foris luceat: quod foris eſt, intùs operetur.* Alioquin qui mali ſunt, & boni videri volunt, oves ſunt habitu, actu vulpes, actu & crudelitate lupi; ſub boni ſimulatiône nocere ampliùs contendunt: nulla enim res ſic exterminat bonum, ſicut ſimulatum bonum; nam manifeſtum malum quaſi malum fugitur, & cavetur: malum autem ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, non cavetur, ſed quaſi bonum ſuſcipitur.

De Hel. & jejun. cap. 10.

§. 18. Sanctus proindè Gregorius attentè perpendens (quòd ſicut locus ſacer, in quo delinquitur, aggravat peccatum, ſic & perſonæ gradus atque dignitas culpam exaggerat: Undè Juvenalis ait.

Satyr. 7.

Omne animi vitium, tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur)

Homil. 17. in Luca. 16. ante medium

in hæc verba prorumpit: *Nullum puto, fratres chariſſimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit.* Magna reputatur in oculo macula, quæ interdùm in reliquis membris modica cenſetur. Sic & ſpina plus lædit oculum, quàm manum vel pedem; ut hinc meritò tanta conſtituatur differentia inter Prælati & ſubditi, Sacerdotis ac laici prævaricationem, quanta reperitur inter feſtucam & trabem. Ob id Sacra Pagina inculcat: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem, quæ in oculo tuo eſt non conſideras?* diligentior quoque, qui nobis hujus rei typum ſubminiſtravit, fuit legiſlator Moyſes ob eamdem cauſam circa immunditiam avium, cùm de animalibus immundis tractaret, per quæ hominum immunditiam deſignabat. Immunditia ſiquidem avium denotat immunditiam Clericorum, beſtiarum autem & piſcium Laïcorum: cæteris verò paribus inſinuatur idem peccatum à Sacerdote ſeu Clerico commiſſum, gravius eſſe, quàm commiſſum à Laïco. Porrò Sacerdos, ſi malus eſt, officium, ad quod tenetur, abſque peccato exercere nequit, quod tamen poteſt Laïcus, licet malus ſit. Bonus Sacerdos à Malachia Propheta Angelus bonus dicitur; *Labia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*: Ità & malus Sacerdos vocari poteſt Angelus malus; diabolus enim peccat in omni opere licet etiam in ſe bono, ut cùm ad Dei imperium egreditur de corpore obſeſſo; ſic & Sacerdos malus peccat etiam bonum in ſe opus

Matth. 7.

Malach. 2.

opus exercendo, uti Miſſam celebrando, & Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrando. Illud quoque intereſt inter Sacerdotes, quòd graviùs periculoſiuſque delinquat Prælatus quàm ſubditus. Quaſi de collo Prælati ſubditi pendent, ſi ille ceciderit, velut ex conſequenti cum labente ſubditi labuntur. Hoc in navigantibus videre eſt; nauta enim in remigando deficiens modicum affert remigibus damnum; ſi verò nauclerum ratio in gubernando deſtituerit, navis univerſæ ſubmerſionem & jacturam cauſat. Quod nauclerus eſt in navi, hoc eſt Prælatus in Eccleſia; de omnibus tenetur, omniumque cenſetur author, cùm per incuriam ejus aut exemplum cæteri excedunt. *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Quàm ſapienter proviſum eſt à ſapientiſſimo rerum omnium moderatore, ut in Sole non eſſet macula, ſicut eam videmus ineſſe Lunæ! quia Sol eſt mundi oculus, præeminet enim aſtris omnibus, & cælum tamquam ſuum ſibi vendicat: ità Prælatus quaſi alter Sol cæteris præeminens ſingulorum merita conſpicere debet, & inſtar Solis virtuoſorum operum exemplis, veluti quibuſdam radiis, lutum id eſt fluidum per luxuriam deſiccare, congelatum per avaritiam atque immiſericordiam, impietatem & arrogantiam diſſolvere. Etenim non abſque notabili documento in Sacra Scriptura de obſcuratione Solis raro vel umquam fit mentio, quin mox ſuccedat Lunæ, & plerumque ſtellarum obtenebratio. Hinc Iſaias: *Obtenebratus eſt*, inquit, *Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo:* Et Joël: *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt lumen ſuum.* Ex quo ſpiritualiter colligitur quòd Prælato peccante etiam ſubditi communiter peccent illius exemplo ad peccandum inducti: *Secundum Judicem populi, ſic & miniſtri ejus: & qualis eſt Rex civitatis, tales inhabitantes in ea.* Omnia ſùs deque vertuntur, „ quando (uti loquitur D. Gregorius) „ ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debui„ mus: nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidiè ſtu„ dia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam inten„ tà mente captamus: & quia eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, „ ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, ſuſceptæ bene„ dictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei „ cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſancti„ tatis accipimus & terrenis actibus implicamur.

Eccli. 10. · Iſa. 13. · Joëlis. 2. · Eccli. 10. · Homil. 17. in cap. 10. Lucæ ante medium.

§. 19. Miſer populus, cujus rector oculis ſuo in loco caligat, cujus judex audit ut Heli, de quo Sacer Textus, *Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant.* Meritò vituperatur cæcus judex, quòd reſciens ſacrilegia & libidines filiorum ſuorum commonuerit quidem eos, ſed nimis quàm lentè: commonuit non punivit. Pa- 1. Reg. 3. v. 2.

 ternis

1. Reg. 2. v. 23. ternis verbis illos corripuit, inquiens: *Quarè facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo? Nolite, filii mei: Non enim eſt bona fama quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini.* Cùm debuiſſet judiciariâ poteſtate in delinquentes animadvertere. Quidnam dicetur judici dormienti qui neque nocentes cohibet, neque protegit innocentes? id ipſum ſanè quod Dominus Deus mandat Iſaiæ in hunc modum: *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum: quid tu hîc, aut quaſi quis hîc? quia excidiſti tibi hîc ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum ſic ſublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.* Sola quidem, ſed vacua oſtenditur hîc judicis ſpecies: *Quid tu hîc, aut quaſi quis hîc?* Ad Judicem Eccleſiaſticum Dominus verba ſua dirigit; es, quaſi non eſſes: *Quaſi quis hîc?* in id quidem ſolùm amas dignitatem, ut tuam magnifices domum, ſumptuoſum extruens ſepulchrum, æternum tui memoriale, illudque in excelſo templi loco: cùm ſub terra debeas ſepeliri. Quid tu hìc? cuinam muneri ſervis in Republica? non potuiſſent eſſe pœnæ magis culpæ conformes, quas Deus Judici huic comminatur. Prima eſt, quòd aſportabitur inſtar galli, juxta interpretationem D. Hieronymi ab Hebræo magiſtro ſuo acceptam, ut Sobna ferendus eſſet captivus ligatis manibus, ſicut ligatus pedibus vendendus portatur gallus. Analogiam modò quam habet cum gallo talis Judex conſideremus. Gallus trino cantat noctis tempore; nec exit tamen à loco, in quo inter multas gallinas dormit. Nemini inſiſtit in populo, niſi compari gallo, inter eaſdem gallinas victitanti. Ità ſe gerunt Judices, quorum totus in populum terror, rumor ſolus eſt; vigilare videntur, at nequaquam exeunt ad diû noctûque loca illa percurrenda, ad quæ rumor eorum ac juriſdictio pervenit. In domorum ſuarum amplificationem & tutelam omnem poteſtatem convertunt, æmulum quemlibet morſibus arcentes, cùm plerùmque eadem quæ gallo ſit illis cauſa & virtus contentionis; gallus enim (ut vulgò dicitur) eſt *domi pugnans, foris timidus.* Secunda pœna, quòd velut amictus Judex ille ſublevandus ſit. Non incongrua videtur hujuſmodi expoſitio ut culpæ quadret ſupplicium, Sobnam elevandum eſſe pendulum in arundine non aliter, ac volucrum terriculamentum, quod ad vinearum ſegetumque cuſtodiam elevatur. Hiſpani propriè

Iſa. 22. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

priè *Eſpantajo* ſeu *Dominguejo* appellant amictum corpore vacuum in ſude pendulum ad formidinem paſſerum, qui accedunt ad furandum. Talis quidem eſt ignavus Judex ſuper juſtitiæ virgam ſublimatus; magnus per tres ab electione dies latronibus terror: ſed ſpecies Judicis animo vacua. Undè talis eſt delinquentibus, qualis eſt avibus amictus, quem poſtquam illæ aſpiciunt cominùs, vacuumque cognoſcunt, omni ſolvuntur metu, fructuſque imperterritæ furantur, ac ſi nullus ſit cuſtos, ut verè nullus eſt. Tertia pœna, tribulatione coronabitur pro gloriæ corona perfectis Judicibus parata. Quarta, quaſi pila in latam terram projicietur: ludent Judice hoc, tamquam pilâ, pueri. Quinta privabitur officio, ad quod dignior eligetur tranſlatâ in eum cum juſtitiæ cingulo judicandi poteſtate.

§. 20. Videns utique deberet eſſe Judex ut Samuël, ſolers, perſpicax, vigilans, ſollicitus, qualem Seneca his verbis exprimit: *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* In conſol. ad Polyb. cap. 26. Communis tamen morbus eſt, commune mundi vitium (quod facillimè agnoſcet quicumque perverſum ejus ingenium novit) ut plerumque magis ingrati Deo exiſtant, qui magis illi obnoxii ac devincti, & minus ſolvant, qui plus debent; quòd negligentiores ſui officii ſint, qui ſtudioſiſſimè atque exactiſſimè curare illud deberent. Terra Sodomæ *irrigabatur ſicut Paradiſus Domini*; nihilominùs, ubi tam Geneſ. 13. v. 10. frugiferi ſoli, tamque uberis & opulentæ terræ conceſſione incolæ Deo plurimas & maximas gratias agere debebant, *Homines Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Ibidem v. 13. Juxta viam, per quam tranſibat Dominus ac Redemptor noſter, cæcus ſedebat, qui magnis vocibus ſucclamabat, *Jeſu fili David miſerere mei*; non Luc. 18. v. 38. ſtagnet erga me unum pietas tua, quæ in omnes tam copioſè redundat. Ex pluribus comitibus & turba, quæ cingebat Chriſtum, ſoli *qui præibant, increpabant eum ut taceret.* Hi qui in ſocietate Chriſti præeunt aliis, adumbrant eôs, qui in domo illius cæteris officio & dignitate præſtant, quales ſunt Sacerdotes, Religioſi, aliique ejuſmodi. Iſti primi ſunt, qui alios increpare ſolent, ac dicere: quò tanta pœnitentia? quò tam frequens Sacramentorum uſus? quò tam crebra exomologeſis? iſte receſſus & ſeceſſus à commercio hominum, vita tam ſolitaria? quò illud triſte ac luctuoſum vivendi genus? ità magis algere videmus eos, qui ardentiùs flagrare debebant. Imò tacente linguâ opera illorum adferunt impedimentum pietati, modeſtiæ, & ſobrietati, à quibus promovenda fuerant: quantus enim ſæpè amor & cultus eſt in culinis, quanta ſuperfluitas

 in

in menſis, cura in ſaginando corpore! aves, quæ conviviis comparantur, ut immotæ facilè pinguelcant, in obſcuro continentur: ità his, quia otii vitia negotio non diſcutiuntur, ſine exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, & ſuper membra iners ſagina ſucceſſit. Illis copioſiùs potare, delicatiùs comedere vacat, ſtudere non vacat; injunctis functionibus inſudare, juſtitiæ & religionis partes abſolvere non vacat. Frugalitatem profeſſos potûs cibique luxuria tenet, & in parſimoniæ inſtituto ad relictas damnataſque ſæculi voluptates ſollicitat; & quidem eò vehementiùs, quò occultiùs. Quantum denique nonnullis eſt diabolicæ imitationis in ſtratis, & periſtromatis, quos multus circa divitiarum radiantium ſplendor impedit, & intuentes hinc honorum, illinc magnarum poteſtatum falſa lux verberat. Quot præſtigias non infert animis deceptorum enutrita & inveterata in blandis vitiis conſuetudo! non irritantem tantùm cauſam habet, ſed attrahentem, & ſpeciem dumtaxat boni oſtendit veriſimilem, ac pleriſque credibilem: nam illa quæ ob oculos ponit, nec bona ſunt, cùm nullo pacto verè & ſimpliciter bonum habentem efficiant, & contineant ſpeciem quamdam magnitudinis falſam; ſed nec commoda quidem, cùm plus moleſtiæ, quàm uſus habeant.

§. 21. Meritò perſpicacem ſolertiam Eliezer œconomi Abrahæ & ſapientem precationem multâ dignam admiratione judicavit S. Joannes Chryſoſtomus: votis enim ardentibus poſtulabat à Deo Eliezer, ut augurii & infallibilis indicii loco illi eſſet hanc filio domini ſui tanto Patriarchæ dignam fore conjugem, quæ cantharo onerata fontem ad hauriendam aquam peteret. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt quam præparaſti ſervo tuo Iſaac.* Non deſignavit domicellam aliquam magno comitatu, faſtu & pompâ incedentem, cujus è digitis & toto corpore radiarent gemmæ, cujus ſplendidus veſtitus intuentium oculos perſtringeret; non: ſed providus nuptiarum conciliator, & pronubus morum honeſtatem vitæque integritatem requirebat in puella, quam ſponſam quærebat: cumque hæc faciliùs reperiantur apud vulgares & mediocris fortunæ homines, idcircò dixit Eliezer, citiùs credidero eſſe virtute ac pietate præditam, quæ hydriam geſtat humero, quàm quæ margaritam in pectore. Audiamus ſanctum Oratorem Chryſoſtomum;

Geneſ. 24. v. 14.

„ Cui dixero, præbe hydriam, ut bibam. Quid ais bone vir? adeò„ ne vilem hero tuo quæris conjugem? aquatricem? etiam, inquit, „ miſſus enim ſum non pecunioſam, aut formoſam, ſed mori„ bus ingenuis præditam quærere. Multæ ſæpè ex iſtis aquatricibus „ in

Homil. de uxor. ducend. in append. tom. 6.

,, in ſolidum virtutem poſſident; aliæ contrà in magnificis deſiden-,,tes ædibus ignaviſſimæ ſunt & deterrimæ. Divitiæ enim inflant animos, ſuperbiam pariunt; deliciæ mentem corrumpunt & alienant, dum in medullas nervoſque deſcendêre. Corpus multis eget rebus: ut valeat multo illi cibo, multâ potione opus eſt, multo oleo, longâ denique operâ. Virtus nobis contingit ſine apparatu, ſine impenſa: ex ſe enim creſcit animus, ipſe ſe alit, ſe exercet. *Hoc incolumi cætera manent in officio, parent & obtemperant: cùm ille paulùm vacillavit, ſimul nutat.t. Cùm verò ceſſit voluptati, artes quoque ejus actuſque marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus eſt.* Quod juſtam conquerendi cauſam Prophetæ Jeremiæ ſubminiſtrat; hinc in admirationem raptus exclamat: *Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum!* ,, Quid auro quòd cæteris metallis præ-,, minet, niſi excellentia ſanctitatis? quid colore optimo, niſi cun-,, ctis amabilis reverentia Religionis exprimitur? quid per ſanctuarii ,, lapides, niſi ſacrorum ordinum perſonæ ſignantur? quid platea-,, rum nomine, niſi præſentis vitæ latitudo dicitur? lata enim & ,, ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem. Aurum ergò obſcura-,, tur, cùm terrenis actibus vita polluitur; color optimus commu-,, tatur, cùm quorumdam, qui agere religiosè credebantur, exiſti-,, matio anteacta minuitur, & quaſi pallescit: ſanctuarii lapides in ,, plateis diſperguntur, cùm causâ ſecularium foris lata itinera expe-,, tunt hi, qui ad ornamenta Eccleſiæ internis myſteriis, quaſi in ſe-,, cretis ſanctuarii vacare debuerant. Jacent ergò diſperſi per plateas, ,, cùm perſonæ ſacrorum ordinum voluptatum ſuarum latitudini ,, deditæ, terrenis negotiis inhærent. Rectiſſimè igitur juxta ſenſum tropologicum quando Clerici aut Religioſi olim florentes & ferventes in virtutibus tepeſcunt, nigreſcunt & diſſolvuntur, dicere licet, *Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus!* Cùm lapides ſanctuarii ſunt diſperſi, nec reperiuntur, qui curent eos colligere, & diſciplinam reſtaurare, quandoquidem contra nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ numquam currat præſcriptio: cùm illi, qui anteà honorati, jam diviſi & diſperſi tamquam viles atque communes lapides pedibus conculcantur. Graviter hac de cauſa vices fert Monachi lapſi S. Baſilius: ,, Simul, inquit, omnia facto naufra-,, gio perdidiſti, ſimul omnibus ſpoliatus es. Quocircà iterùm miſer ,, tui gratiâ doleo, qui omnibus Regni Dei vigorem annunciabas, ,, Regno Dei excidiſti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, ,, non habuiſti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ ſanctimo-,, niam prædicebas, ſceleſtus deprehenderis. Quomodò te lugebo? ,, quomodò

Sen. ep. 114.

Thren. 1. cap. 4. v. 1.

Rabanus in prædict. loc.

Gloſſa in capit. Cum non liceat extra de præſcript.

„ quomodò ſuper te dolebo? quomodò cecidit Lucifer, qui manè „ oriebatur, ſuper terram contritus eſt? quomodò Nazaræus auro „ ſplendidior ſiligine factus eſt obſcurior? quomodò filius Sion præ-„ clarus factus eſt vas inutile? Quid reſtat his ſimilibus niſi quod Jeremias aſſerit: *Reputati ſunt in vaſa teſtea*, viles ſunt & nullius pretii, aridi & exſucci inſtar teſtæ, fragiles & imbecilli ut vaſa teſtea, qui anteà roſei erant & floridi: & ſicut Chaldæus vertit, *Quorum imagines aut vultus ſimiles erant auro aſſimilati ſunt lagenis teſtaceis.* Per lagenas vinoſitatem eorum & crapulam videtur denotare. Quid enim eſt homo vinoſus? eſt lagena mentis rationis inops & vacua, ſed vino oppleta & quaſi ſaburrata. In hanc ſententiam quæ S. Gregorius adjicit digna ſunt, quæ à Sacerdotibus ſæpiùs legantur ac ruminentur. „ Aurum, inquit, obſcuratum eſt: quia Sacerdotum „ vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones in-„ fimas oſtenditur reproba. Color optimus eſt mutatus: quia ille „ ſanctitatis habitus, per terrena & abjecta opera ad ignominiam de-„ ſpectionis venit. Lapides verò ſanctuarii interiùs habebantur, „ nec ſumebantur in ſummi Sacerdotis corpore, niſi cùm Sancta „ Sanctorum ingrediens in ſecreto ſui conditoris apparebat. Nos er-„ gò fratres chariſſimi, nos ſumus lapides ſanctuarii, qui apparere „ ſemper debemus in ſecreto Dei, quos numquam neceſſe eſt foris „ conſpici, id eſt numquam in extraneis actionibus videri. Sed di-„ ſperſi ſunt lapides ſanctuarii: quia hi, qui per orationem intùs eſ-„ ſe debuerant, per vitam foris vacant. Ecce jam penè nulla eſt ſæ-„ culi actio, quam non Sacerdotes adminiſtrent. In capite ergò „ platearum diſperſi ſunt: quia & jacent per miniſterium operis, & „ honorari volunt de imagine ſanctitatis.

Homil. 17. in Evang.

§. 22. Uti fraus illa longè acerrima, & maximè nocua eſt, quæ bonæ fidei aut amicitiæ ſpecie ſeſe inſinuat; ità & illa quæ ſub nomine, habitu & ſpecie virtutis laqueos explicat, aut ſub prætextu boni publici utilitatis propriæ negotium curat. Sacrificuli Belis quò religioſiùs Dei ſui exaltabant & prædicabant potentiam illi omnium oblatorum conſumptionem adſcribendo, eò ſtudioſiùs propriis commodis incumbebant; quò voraciorem aliis perſuadebant Belem, eò ſtrenuiorem ſibi ſuiſque navabant operam. Horum non deſunt modò ſectatores, *Qui argentum fabricant.* Regum ac Principum eſt propriè argentum fabricare, qui è ſuis venis & mineralibus illud liquando atque conflando efformant, efformatumque recondunt: ſed juxta Maldonatum, fabricare, eſt non modò argentum conflare, ſed etiam quibuſvis modis & artibus corradere, variaſque rationes excogitare inveniendæ pecuniæ ut eam excudere quodammodò videantur.

Baruch. 3. v. 18.

deantur. Talis fuit Condalus Mauſoli Cariæ Regis in Lycia Præfectus, mirus pecuniæ emungendæ artifex: hic cùm Lycios maximo comæ nutriendæ ſtudio teneri animadverteret, occaſionem ſibi eam oblatam ratus, quâ auri plurimum & ſibi poſſet congerere & ad Regem mittere; litteras ſibi à Mauſolo allatas ſimulavit, quibus illi juberentur comam tondere, & ad Regem mittere: ſi tamen mallent aliquantulæ pecuniæ jacturam facere, ſe daturum operam ut in Græcia comæ coëmerentur ac pro Lyciis ad Regem mitterentur: quam conditionem Lyciis avidè accipientibus, mirum dictu quantum eo commento pecuniæ vim extorſerit. In nullo vehementiùs neque etiam feliciùs quorumdam deſudat ingenium, quàm in viis & mediis adinveniendis quibus theſauros colligant privato uſui bonum publicum poſtponentes. Nullus rapiendi modus, ubi nulla menſura cupiendi; ſemper enim concupiſcunt, qui præſentium rerum inexplebiles ſunt: proindè ſi duplum quidpiam habent, triplum illicò ſtudent acquirere, ſi triplum, quadruplum appetere incipiunt. Formicæ ſunt Indicæ, quæ juxta Plinium loco granorum tritici aurea colligunt, ſunt centimani Briarei ut undèquaque accipiant. Rectè à Galeno dictum, *Inſatiabilitatem vitium animi eſſe peſſimum: fundamentum enim quoddam eſt omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatûs, contentionis.* Hæc ſuppeditat modos ac inſtrumenta ad implendum & exequendum omne id, quod cupidus animo ſuo concipit atque patrare deſtinat: nam qui inverecundâ flagrant pecuniarum inhiatione, facilè conſentiunt in damna, & in debita gravamina, in frequentes exactiones, nova pædagia ſeu gabellas, vel ut veteres augeantur, vel illæ, quæ prohibitæ ſunt imponi vel augeri, exigantur; parvi pendentes excommunicationem latam in eos, qui id ſine legitima poteſtate faciunt, per bullam Cœnæ Domini: non ponderantes inſuper utrum publica ſubſit neceſſitas, aut evidens & magna utilitas, ità ut tributa neceſſitate armorum excuſata etiam in pace maneant; ſed cupiditatem ſolummodò in conſilium vocantes, ſpongiæ ſimiles, quæ omnia imbibunt: dùm enim pecuniam à quibuſdam præſertim ruſticis pauperioribus emungunt, ſanguinem eliciunt. Noluit David Rex bibere aquam, quam tres Hebræorum fortiſſimi, per medios hoſtium cuneos penetrando, de ciſterna Bethlehemitica hauſerant, ne ſanguinem hominum iſtorum & periculum bibere videretur; illi tamen, ut quæſtum lucrumque faciant, non abſtinent à fortunis populi licet ſudore & ſanguine acquiſitis; nec maledicta populi curant flammam imitantes, quæ materiâ eâdem, quâ ſaturari deberet, nutritur ac creſcit.

Ariſt. in polit.

Lib. 4. de curand. animi morb. cap. 9.

Navar. C. R. in bull. Cœna Domini c. 27. n. 61.

2. Reg. 23. v. 17.

Juvenalis. *Undè habeat curat nemo ſed oportet habere.*

Non attendunt ſe Prætores eſſe debere non prædones, ſed ad modum conductoris, cùm de hæreditate minimè ſolliciti ſint, illud agunt ſolùm ut fructus pro tempore, quo iis frui licet, ex ea colligant nihil penſi habentes quòd in reliquum Domino ſuo utilitatem allatura non ſit, nec indè proventus aliqui ſucceſſori ſperandi: cogitant ſiquidem precarium eſſe ſtatum quem poſſident & brevi dimittendum, omnes propterea fructus indè colligere contendunt; nec verentur radicitùs plumas evellere ut ampliùs ſuccreſcere nequeant. Aranearum inſtar ſeſe mordacibus curis eviſcerant, ut ex aliorum ſtamine, fortunam ſuam texant ac retia conficiant, dumque fiant locupletes non eſt illis curæ utrùm tributis univerſa exhauriatur communitas, utrùm cæteri redigantur ad incitas, utrùm planè corruat finis principalis communitatis politicæ, quæ in bonorum uniuſcujuſque conſervatione conſiſtit. Hinc tamquam ex Equo Troiano plurima mala prodeunt; nam quia ob avaritiam munia & officia publica venalia fiunt, *Provincias ſpoliari, & nummarium tribunal, auditâ utrimque licitatione, alteri addici non mirum, quando, quæ emeris, vendere gentium jus eſt.* Deindè nihil magis ad rebellionem populum concitat quàm rapina corruptelæque miniſtrorum: irritatur damnis propriis, ardet invidiâ & irâ contra eos, qui illius ſpoliis opes in immenſum accumulant; nihil graviùs fert quàm ſi tributa, quæ ſuaſit (uti ipſi perſuaſum eſt) neceſſitas, non benè impendantur, ſed fortunas ſuas in privatum commodum cedere videat nullum alium oneris ſui fructum reportans; quando videt illas neque militum ſtipendiis, neque damnis reſarciendis inſumi aut alicui bono fini applicari, ſed in rem exactorum, Quæſtorum, aliorumque miniſtrorum verti, qui ut arenæ quædam Libycæ ſint, ut ibi exareſcant, & conſumantur omnes tributorum rivuli qui illac tranſeunt. Dum non magis in uſus bellicos vel commodum publicum cernit pecuniam collectam reſervari, quàm illam de qua Plato ſic aiebat: *Pecuniæ quæ Lacedæmonem ingrediatur veſtigia ulla ſpectantia apparent quidem, quæ verò Lacedæmone egrediatur nuſquam à quoquam conſpecta.* Sic & Sacerdotes Babylonici è coronis Idolorum aurum argentumque ſubducebant & convertebant in uſus proprios: undè Propheta: *Coronas certè aureas habent ſuper capita ſua Dii illorum, undè ſubtrahunt Sacerdotes ab eis aurum & argentum & erogant illud in ſemetipſos.* Facillimè divitiarum amore capi ſe patitur animus, & in eas totum ſe convertit; ærariorum diruuntur aggeres, ut privatos opulentiâ inundent; vires provinciarum exhauriuntur, ut privati ſuas

Sen. lib. 1. cap. 9. de benef.

Baruch. c. 6. v. 9.

ſuas confirment, qui cumulandis opibus ac fortunæ ſuæ fabricandæ plus æquo intendunt etiamſi devorent pauperem in abſcondito, cùm præſtaret tyrannis magis ſervire, quàm affectibus.

§. 23. Attamen quaſi ſinguli à Rege ſignatorium obtinuiſſent annulum ſicut Aman à Rege Aſſuero, ità nullum ſpecioſiorem cupiditati ſuæ poſſunt obtendere prætextum, quàm Regiam negotiis ſuis interponere auctoritatem, ipſius nomine poſtulata firmare, pro ipſius obſequio quidquid concupiſcunt exigere. Nihil crebriùs in ore, quàm ità poſtulare Regis negotia, totum ad ipſius rationes & ſervitium referri, quod deindè in bonum privatum redundabit. His titulis & nominibus privatæ ſpectantur utilitates, non publicæ; non enim juſtitiæ vindex erit, qui exſpoliat alios, nec amabit Rempublicam, qui de theſauris cogendis dies noctéſque cogitat, nec rebus agendis poterit eſſe intentus, qui lucro totus inhiat: quippè rei privatæ ſtudium etiam obligationi & honori anteponet utilitas, ubi rei pecuniariæ curatio atque occaſio ſeſe ditandi tam opportuna ægrè è manibus dimittitur. *Populum meum*, ait Propheta Iſaias cap. 3. *exactores ſpoliaverunt*, qui ſub tali prætextu oneratur, & miniſtri his artibus cupiditatem obvelantes, non lacte & lanâ ovium contenti ſanguinem fermè omnem extrahunt, & pellem ſic deglubunt, ut à frigore ac calore ſeſe tueri oves nequeant. Tales mercenarios atque violentos poſſeſſores cognovit Boëtius, iiſque totis viribus ac eloquentiâ reſtitit. Quantum illa polleret expertus eſt Conſigaſtus ex præcipuis miniſtris Regis Theodorici, dum falſis criminibus inſequebatur innocentes, ut fortùnis eorum potiretur. Obviabat, quantùm poterat, injuriis publicis; ſciebat tributum eſſe frænum populi contra nimiam ejus libertatem: neque ignorabat econtrà in tributis imponendis prudentiâ œconomicâ opus eſſe, ne illis nimiùm gravaretur cum gravi fidelitatis periculo. Lachrymæ ac gemitus eorum, qui rebus ſuis per violentas exactiones ſpoliantur, non perveniunt ad aures Principis, quibus tantùm influit dulce venenum adulationis & adulantium, qui ad palatum loquuntur, facileque blandiendo Principem in id, ad quod propendet, pertrahunt. Illos ſemovere longiùs nitebatur, ne veritati deeſſet locus, auditorium & patrocinium. Cavebat ne violenta paupertas ad ſeditionem populum commoveret, ut nefaria contra Principem ſuum moliretur conſilia. Invaſerat Campaniam magna fames, quam adhuc Præfectus prætorio augere parabat, volens indè frumentum extrahere ad ſubſidium exercitûs, uti prætendebat, ſive veriùs, ut avaritiæ ac propriæ conſuleret utilitati; opponens ſe Boëtius, ab iniqua & manifeſta Provinciam oppreſſione atque tyrannide liberavit.

Tulit ergò Rex annulum de manu ſua & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag hoſti Judæorum. *Lib. Eſther cap. 3. v. 10.*

Sirve de preteſto muchas vezes à la codicia y à la vengança y à la violencia de los malos miniſtros, los ſervicios de los Principes, viſten la tyrannia con el habito de intereſſes juſtificados y toda buen razon y juſticia. *El Marques de Aytona en la vida de Boëcio. n. 22.*

El Marques de Aytona en la vida de Boëcio. n. 21.

[a] Non imitabatur illos, qui præ timore offendendi imperantem muſſitare non audent, cùm in apertum diſcrimen bonum publicum deducitur: dummodò ſint extra periculum non curant utrùm illud periclitetur, dumque ipſi in gradu & gratia valeant perſiſtere, flocci pendunt utrùm cætera unâ involvantur ruinâ. [b] „ At vir ſincerus & „ verax malis, cujuſcumque tandem conditionis aut qualitatis exti„ terint, non adulatur, neque ſerviliter blanditur; ſed quoſcum„ que tales noverit, palàm reprehendit & corrigit. Admonet hìc il„ los, qui aliorum obſequiis demulceri, ſermonibuſque extolli ſo„ lent; quales ſunt Reges, virique Principes, ne ejuſmodi aſſenta„ torios cultus ab improbis ſibi deferri facilè patiantur; cùm nihil „ hinc ferè aliud, niſi dedecus & probrum referre queant: nam ſive „ pecuniâ aſſentator donetur, ſive aliâ quâcumque re, turpiter ſem„ per & ſordidè adulatur.

[a] No ſiguiò la corriente de aquellos, à quien el miedo de encontrar el guſto del que manda, les hase levantar los ombros, y callar, quando ven precipitarſe las reſoluciones à manifieſtos agravios publicos, y permiten por no ponerſe en peligro que padeſca el bien comun, y que todo cayga como queden ellos. *El Marques de Aytona. n. 26.*

[b] *S. Chryſoſt. in catena Græca ad c. 19. prov. & v. 6.*

§. 24. Utinam reviviſceret modò aliquis Boëtius, non ægrè Regi noſtro Catholico perſuaderet plurimos obtentu nominis & authoritatis Regiæ indignos habendi excogitari modos: quæ commenta tàm falsò ipſi aſcribuntur, quàm idolo Belis imponebatur, quòd devoraret omnia litata, quæ Sacerdotes ipſi, hujus impoſturæ callidi artifices, cum uxoribus ac liberis noctu conſumebant. Non invidet Dominus clementiſſimus juxtà ac liberaliſſimus fortunis miniſtrorum & ſubditorum; quin illos opibus rectè partis honoribuſque florere ſibi gloriæ ducit, & magnificentiæ ſuæ proprium judicat innumeras familias non largè ſolùm ſed Regiè pro ſtatu ac conditione ſuſtentare, quod dubito an ab ullo alio Monarcha ſic præſtetur. Sicut enim in Deo eſt infinita propenſio & amor ſe communicandi, cujus voluntas numquam ſuâ benignitate deſtituitur; ſummum enim bonum ſummè ſui eſt diffuſivum ex infinita perfectione & plenitudine eſſentiæ ſuæ, quæ tanta eſt, ut in alios ſe effundere geſtiat, & quantumcumque aliis impertit, nihil ipſe de ſua plenitudine amittat. Omnia dat, nihilque accipit, & bonitas ſua immenſa ut mare redundans, ſua effundens in creaturas benignè faciendi voluptate numquàm poteſt ſatiari: undè largiendo & faciendo hominibus bona plus indè gaudet, quàm ipſimet. Sic munificentiâ atque benignitate (quæ ipſi tam ingenita eſt) Princeps noſter Deum imitatur; numquam non meminit dare Regale eſſe ac Divinum, imò magis Regium ditare, quàm diteſcere; addere, quàm adimere: hinc gratiæ ſuæ & liberalitatis rivos in ſubditos facit effluere, non dominatorem & ſervos, ſed rectorem ac cives cogitans, ſeque imperium quoddam paternum in ſubditos tamquàm filios nactum. Ubi verò ſubditi affectum illum paternum & ſollicitudinem indies

La de Dios, del Rey, y de

indies experiuntur, ad amorem viciſſim & obedientiam filialem meritò ſe vident aſtringi. Sine aliqua exaggeratione liberè affirmare poſſum ipsâ veritatis evidentiâ tot monumentis & argumentis teſtata compulſus (non enim mihi proclive ac promptum in adulationes ingenium, qui malim veris offendere, quàm placere adulando: non blandior auribus commodi aut ſpei alicujus gratiâ, qui ne nomen quidem hac de cauſa vellem ut innoteſceret) ſed quod res eſt, eloquor, ſub nullo Principe Eccleſiaſticos meliore frui conditione, aut in majori eſſe apud alios veneratione. Quod amplæ teſtantur Eccleſiarum dotationes, à prædeceſſoribus vel ab ipſo magnifica relicta donaria, fundationes, donationes ad pias cauſas, privilegia, & privilegiorum conſervationes, Oecumenici per totum Regnum Concilii Tridentini obſervatio, denique ipſiuſmet honor & obſervantia erga Sedem Apoſtolicam, ut ſummo æquitatis jure illi competat titulus Principis Religioſiſſimi. Ob eminentes illas verè Regii pectoris qualitates quis ambigit illam Plinii ſententiam mirum in modum illi placere? Ità diſſerit: *Ut felicitatis eſt, quantum velis poſſe, ſic magnitudinis velle quantum poſſis.*

las gentes, ſon tres gracias mas bellas, que las que ſe fingieron los antiguos. Dànſe la mano una à otra, enlazandoſe apretadamente todas tres: y ſi hà de faltar alguna, ſea por orden. *Lorenço Gracian en ſu Heroe.*

In Panegyr. Traian.

§. 25. Hanc latitudinem cordis Deus Salomoni dedit, id eſt, animi magnitudinem & munificentiam, quæ ejuſdem inducit rectitudinem, æquitatem, tranquillitatem in omnibus & per omnia, ut nullâ ratione à rectitudine æquè ac beneficentiâ dimoveatur. Quis negabit Parænesim Jamblichi à Rege noſtro dudùm factis optimè ſtabilitam? Ità ſcribit ad Agrippam magnus juris Antiſtes: *Oportet legibus Præfectum ſummè purgatum eſſe, juxta ſummam legum rectitudinem; ac neque ſeductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ullâ occaſione injuſtâ allici: nam ſervatorem & cuſtodem legum tàm incorruptum oportet eſſe, quàm ſummè fieri poteſt in humana natura.* Regalem ſiquidem in omnibus habet animum, Regalia opera; ac proindè Regaliter ex amore juſtitiæ legem adimplet: hinc miniſtros exigit vacuos omni ſordido quæſtu aliáque cupiditate, quæ ſibi obſequentes ſervituti ſuæ mancipat. *Auri vim atque opes Principibus infenſas eſſe*, ideò fortaſſis Soſibius Britannicus dicere ſolebat, quia ex mente Ariſtotelis *in affluentia fortunæ, virium, opum, & amicorum, aliorumque talium conſtituti, regi atque obedire neque volunt, neque norunt.* Qui verò avidè lucris ex aliorum extorſionibus faciendis inhiant, nullum facinus generoſum ſuſcipient; cùm famæ exiſtimationem non habeat animus vilis abjectuſque ac avaritiæ deditus: quid enim rectè geritur, quod rei privatæ ſtudio geritur? in omnibus prætexere auctoritatem, nomen atque obſequium Regis, nihil Ærario publico & bono regimini conferet:

3. Reg. 4. v. 29.

Gran cabeça es de los Filoſofos, gran lengua de Oradores, pecho de Atletas, braços de Soldados, pies de Curſores, ombros de Palanquines, gran coraçon de Reyes. *Lorenço Gracian en ſu Heroe.*

Tacit. lib. 11. Annal.

lib. 4. polit. c. 11.

ferer:

feret: verborum quippè officia ſine rectè factis ſunt infructuoſa. Credam illos puro zelo moveri, ſi neceſſitate exigente (uti par eſt) contra hoſtes ac rebelles fortunis ſuis Regi ſuccurrant. Verùm longè contrarium plerumque evenit, ut, qui pluribus nominibus ipſi ſunt obſtricti, non modò ab oneribus velint eſſe immunes, ſed nec aliquid gratuitò offerre. Populus ſolummodò tributa pendit, & quantùm poteſt ære ſuo Dominum nititur adjuvare. Quapropter vix eſt credibile quòd media corradendi taliter pecunias deſcendant non dico à mandante, ſed ne à conſcio quidem tam benefico & prudenti moderatore, qui non delectatur inopiâ & miſeriis ſubditorum, ſed amat illos ut verus pater; malletque tributorum penſiones minui, non augeri; non minùs quàm Darius Rex Perſarum, qui à Primatibus cujuſque Provinciæ ſciſcitatus utrùm gravia nimis atque intolerabilia eſſent impoſita à ſe tributa? cumque reſpondiſſent, quòd mediocriter; cuique pro quotâ ſuâ gratiam dimidii fecit. Vel certè ſi Regni ſtatus novam impoſitionem exigat, dextrè ad id diſponi vult ſubditorum animos æquitate cauſæ propoſitâ; deindè ut expendatur quantitas & tempus (neque enim id, quod abſolutè fieri poteſt, ſemper exequi convenit) proportio item fortunarum & perſonarum in tributis diſpertiendis: denique ut pecunia in commune bonum rectè expendatur, non privatorum ſerviat cupiditati; quia omninò intereſt tranquillitati publicæ ne privati ſint opulenti, Reſpublica egena, nevè Regnum tractetur ut corpus, cui unà cum Rege emoriendum ſit; ſed quod in ſucceſſoribus perennet. Res flagitioſiſſima fuit C. Caligulæ in Palatio ſuo lupanar conſtituere, & ex proſtitutione corporum quæſtum quærere, ac ne ex luſu quidem aleæ compendium ſpernere, ſed plus mendacio atque etiam perjurio lucrari. Turpiſſimam quoque notam Veſpaſiano inuſſit avaritia, dum ferè ſemper lucri partem cum miniſtris paciſceretur, & è lotio vectigal inſtitueret. Indigna auribus proborum debet eſſe hæc vox, quòd ex re qualibet lucri ſit bonus odor, ſive per fas, ſive per nefas acquiratur. Fateor, quòd nullum tàm vile ſit officium, in quo non liceat, ſi velis, cum aliorum damno quæſtum facere; ſed omni ratione cavendum eſt, ne fraus ſua cuiquam patrocinetur, utque Reſpublica ſarta tectaque conſervetur, ne crimen Stellionatûs (quod omne delictum ex fraude juriſperiti appellant) ullatenùs maneat impunitum.

Plutarchus. *Sueton.* *Eraſm. lib. 6. Apopht.*

§. 26. Conſultius ſanè & multò glorioſius eſſet iis, qui adminiſtrationem publicam exercent, ut cogitarent, ſi ulli non ſibi ſolùm ſed Patriæ nati ſunt, id principem in illis locum vendicare. „Omnino (ſicut monet Tullius) qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo

„Platonis

,, Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcumque agunt ad eam referant obliti commodorum ſuorum. Alterum ut totum corpus Reipublicæ curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad eorum utilitatem qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt; qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Ex quo evenit ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ: in noſtra Republica non ſolùm ſeditiones, ſed etiam peſtifera bella civilia. Quæ gravis & fortis vir, & in Republica principatu dignus fugiet atque oderit, tradetque ſe totum Reipublicæ. Neque aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ità juſtitiæ honeſtatique adhæreſcet, ut dum eam conſervet, quamvis graviter offendat, mortemque oppetat potiùs, quàm deſerat illa, quæ dixi. Fuſiùs hæc ex Cicerone deſumpſi, quia præceptum utiliſſimum continent ad efformandum verum in Republica Ariſtidem, & congruam inſtituit inter procurationem Reipublicæ atque tutelam analogiam. Tutores enim à tuendis pupillis quaſi tuitores dicti ſunt; quòd eorum præcipuum officium ſit indefenſos non relinquere pupillos, qui propter ætatem ſe defendere nequeunt. Ideò, priuſquàm adminiſtrationi ſeſe immiſcent, jusjurandum coram Judice præſtare debenr, quòd quidquid urile pupillis erit, curabunt; cavebunr etiam quidquid damnoſum datis fidei juſſoribus *rem pupilli ſalvam fore*, idque ne pupillorum negotia à tutoribus conſumantur vel diminuantur: ſed modis omnibus proſpectum ſit pupillis. Reſpublica uti & communitas quælibet jure gaudet ac privilegio pupillorum; hinc non minori obligatione, quàm tutores ei tenentur rectores & adminiſtratores proſpicere, publica commoda propriis anteponere, æqui omnibus, & partium ſtudio vacui. Tales fuerunt Cato ſenex & junior, qui magnâ ſemper libertate traduntur uſi; nullius veriti inimicitias modò Reipublicæ utilitatem tuerentur. Hoc junior à Poëta decoratur elogiô,

Cic. lib. 1. de Offic.

Inſtit. lib. 1.

Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti,
In commune bonus.

Damna illa quæ enumeravit Cicero, Romani experti ſunt, poſtquàm à primo ſuo deſciverunt inſtituto, quando pauperes erant privati,

vati, opulenta verò communitas. Quæ res ab Horatio querelam iſtam expreſſit.

——— Non ità Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum.

Lib. 2. Carm. Ode 15.

Cauta admodùm atque circumſpecta debet eſſe adminiſtratorum prudentia, & vigilem in fronte oculum gerere, ne communitati umquam deſint. Qui ad munus ſuum ritè obeundum tenentur inſtructi eſſe illis qualitatibus, quas Jetro ſocer Moyſis in ſimilibus requiſivit, in hunc modùm illi conſulens: *Provide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*; Hebræi legunt viros potentes, id eſt valentes animo, ſtrenuos & magnanimos, qui magnatum vultum non timeant, ut perſonas in judicio non accipiant & judicium pervertant. Hoc inculcat Sapiens, *Noli*, inquit, *quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*; Sed unum Deum timeant Regem Regum & Dominum Dominantium.

Exod. c. 18. v. 21.

Eccl. c. 7. v. 6.

§. 27. Placuerunt tales Imperatori Frederico Tertio; rogatus enim quos è ſuis haberet chariſſimos? Reſpondit, *Eos, qui non magis me, quàm Deum timent.* Ab omni quoque avaritiæ ſorde longè debent abeſſe, & privatis nullo modo invigilare commodis ſepoſitis publicis, ne ſint ex eorum numero, de quibus Iſaias loquitur, *Non eſt qui invocet juſtitiam*, ſed adhibet in conſilium ſuam avaritiam & cupiditatem: hinc judicia ob munera atque favores pervertit, inſontes damnando & ſontibus cauſam adjudicando. Quocircà Juſtinianus Imperator ſeverè Judici omne omninò vetat munus; *Oportet*, inquit, *te purè ſumentem adminiſtrationem, & ſine omni ſuffragio, & præ omnibus aliis mundas ſervare manus Deo, nobiſque & legibus; nullum contingere lucrum neque majus, neque minus.* Ad majora impellit Baſilius Imperator Conſtantinopolitanus Leonem filium cognomento Philoſophum, nimirùm ut cauſam quoque ac radicem omnis turpis avaritiæ præſcindat, ità hunc exhortatur: „Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, ſed eas dignis largire gratis: qui enim Magiſtratum „pretio emit, ſubjectos illi Magiſtratui multò magis emit, ut mu„neribus quæ dedit fretus, ipſe audaciùs munera capiat. Proba ergò atque explora priùs diligenter, atque ità ad honores provehe eos, qui

§. Oportet, Auth. Collat. 3. & novell. 25.

Exhort. ad Leonem filium c. 43.

,, qui ſine muneribus ambibunt, ſi vis à Republica omnem ſordium
,, & concuſſionis labem exulare. Nam qui dat, ut Magiſtratum ca-
,, piat, quæſtum ſibi à Magiſtratu captat: dat enim, ut jus capiendi
,, habeat contra leges, hoc agens ut nullis legibus teneatur. Qui
,, enim Magiſtratum mercari didicerit, is numquam munera cape-
,, re dediſcet, & ſine muneribus aliquid facere umquam volet: te.
,, autem concuſſionis & ſordium habebit magiſtrum, quem debue-
,, rat habere vindicem: neque ipſe ſolùm munera capiet, ſed eos
,, etiam qui ſub ipſo erunt, munera capere coget. Quàm concatenata nequitia! quanta illecebra peccandi! auro loquente iners eſt omnis oratio; perſuadet enim illud, etiamſi nullam vocem edat. Principibus igitur nullum præſtantius genus prædiorum exiſtimavit Plato, quàm eorum familiares qui cauponari neſcirent. Perpendant qui præſunt, qui communitatis curam gerunt, optabilius eſſe ſuam meſſem alteri largiri, quàm alienam decerpere; multoque præclarius ac laudabilius beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem poſt ſe relinquere. Hoc cenſebat Ageſilaus, *Qui ſibi jucundius eſſe dicebat ditare ſuos milites, quàm ſeipſum.* Hoc re ipsâ probavit Tacitus Imperator optimus, qui matrimonium ſuum publicavit, & quam domi pecuniam congeſſerat, in militum ſtipendium vertit. Ariſtides, de quo ſuprà nobis mentio, cognomento δίκαιος id eſt juſtus, quia ex tota illius vita germana viri probi reluxit imago, Themiſtocli (à quo in adminiſtranda republica ſemper diſſenſit) aſſerenti hoſtium conſilia ſcire, ac præſagire ſummam Imperatoris virtutem eſſe, reſpondit: *Hoc neceſſarium eſt ô Themiſtocles: ſed manus abſtinentes habere, pulcherrimum & veri Imperatoris munus eſt.* Orationi correſpondit vita. Ubi enim ſe ad Rempublicam contulerat, graviter ac verè ſibi perſuaſerat etiam nullâ pecuniarum, nullâ gloriæ mercede propoſitâ in officio permanendum eſſe. Igitur numquam vel in ſuis, vel in civium rebus defuit ab æquiſſimi hominis munere, omnis virtutis, ſed maximè æquitatis ac juſtitiæ apud populum periculum faciens; quæ ad ſummam ſemper multitudinis utilitatem ac fructum referuntur. Nec enim ulli honorum gradus ipſius animi magnitudinem extulerunt, nec ulli caſus aut offenſiones demiſerunt. Non permiſit à ſociis ſe conſcio quemquam injuriis affici, & illam declinavit amicorum poteſtatem, quâ veluti peccandi licentiâ pleroſque fretos obſervabat. Fiſci procurator deſignatus non ætatis ſuæ ſolùm Magiſtratus ſed & ſuperioris multa, quæ ad Rempublicam pertinebant, in rem ſuam vertiſſe declaravit. Quamvis in cunctis muneribus publicis Themiſtocle uno omnium inimiciſſimo uteretur, & exul ipſius artibus, calumniâ, operâ civitate ceſſiſſet;

Plutarch. in Lacon.

Cuſpin.

Plutarch. in Ariſtide.

ceſſiſſet; oblatâ ſibi eâdem malefaciendi occaſione officium ſuum tamen & decorum ſervavit. Themiſtocli ſiquidem Majeſtatis ad populum accerſito nullo loco adverſatus eſt; neque re nec verbo quidquam fecit, undè ex afflictis inimici rebus voluntatis fructum capere videretur: ſicut & priſtinæ illius felicitati numquam invidiſſet. Sic inſtitutus erat, ut non modò popularibus in cauſis, quibus ſe benevolentiâ civium muniret, acerrimus æquitatis defenſor eſſet: ſed, ut eam fortiſſimè ac ſeveriſſimè tueretur, nullius iracundiam, nullius inimicitiam, nullius denique ſimultatem declinaret. Qui tamen rei familiaris tantâ fuit tenuitate, ut quoties Imperator deſignaretur, neceſſe eſſet aliquid ei pecuniæ in crepidas & pallium decernere. In Senatum quandoque vocatus eâ excuſatione uſus eſt, quòd pallium laviſſet, nec aliud haberet quo indueretur. Civitas verò Athenienſis beneficiorum ejus non immemor filias ejus ex publico egregiè dotavit.

§. 28. Ad Lydium hunc lapidem explorent vitam actioneſque ſuas, qui publica negotia tractant; videant ut ad tantam perveniant integritatem, ſi Regium imprimis ac Diviniſſimum juſti cognomen aſſequi velint, quo ſanè nec magni, neque potentis, nec expugnatoris urbium clarius aut generoſius eſſe poteſt; propter ſummam enim potentiam non poſſunt Reges non timere, at juſtitia cauſa eſt cur amentur, honorentur, colantur. Maximè proindè fallunt hæc principia, quæ Machiavelliſtæ Principi inſtillant, *Subditos preme ne rebellent: eos tributis aggrava, ut eorum paupertate te dites & robores: metu eos opprime; oderint ergò dum metuant. Eis vires, opes, & animos adime, ut ſervos tibi facias & mancipes.* Verùm juſtitia & miſericordia Reges maximè decent; nam miſericordia juſtitiâ ſtimulata, & juſtitia miſericordiâ temperata cuſtodiunt Regem ac

Prov. 20. v. 28. Regnum. *Miſericordia*, inquit Sapiens, *& veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.* Miſericordia ſine juſtitia puſillanimitas eſt, juſtitia ſine miſericordia crudelitas. *Malus diu-*

Cic. lib. 2. offic. *turnitatis cuſtos eſt metus, contraque benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem. Etenim qui ſe metui volent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant neceſſe eſt.* Solium Regni nullâ re meliùs firmatur, quàm amore & clementiâ, quæ omnium bonorum mater eſt. Accedit, quòd Rex juſtus ac miſericors ſimiles ſibi conſtituat Officiales, Judices & Magiſtratus juſtos videlicet atque miſericordes, qui populum ritè gubernantes eum in officio & amore Regis ſui continent, qui pauperibus ſubveniunt, miſeros defendunt, oppreſſos ſublevant, & omnia ad publicam utilitatem referunt commodorum ſuorum obliti. Conſentaneum hoc ſummoperè eſſe non ſolùm prophanis, verùm

verùm ſacris quoque exemplis doceri poteſt, ut quocumque die quis aliis cum imperio præeſſe incipit, eodem rerum ſuarum memoriam omnem deponere debeat, ſuis commodis indormire, invigilare alienis. Vitioſanè fuerit negligentia ſponſæ, an ſtudioſa oblivio, quando dicebat: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi?* Cant. 1. v. 5. Parùm liquet multis Interpretibus: Hugo tamen Cardinalis id laudibus ſponſæ annumerat, quòd omnem diligentiam ſollicitudinemque ſuam à vinea propria ad alienas tranſtulerit; ac ſi diceret; *Poſuerunt me cuſtodem in vineis?* Animarumnè regimen mihi commendatum? *vineam* itaque *meam non cuſtodivi*, totam meam vigilantiam & ingenii nervos ad aliorum, quos moderandos ſuſcepi, ſalutem, profectum ac commoda convertam. Qui bonus eſt paſtor, frugi atque integer, totum in uſus ovium ſuarum ſe expendit, vigilanter ac ſollicitè procurat illarum emolumenta & incrementa, quæ in ſuis numerat, gregis ſplendorem maximæ ſuæ gloriæ attribuit, ſibi detrahit, & denegat quod det illi. Talem ſeſe diſcipulis nocte cœnæ præſtitit Dominus; cùm enim triſtes illos cerneret, blandè ac peramanter conſolatus eſt, dicens: *Non turbetur cor veſtrum, in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Joann. 14 v. 1. & 2. In hæc verba ſic diſſerit P. Alphonſus Salmeron: „ Ipſe, qui in cœna cœpit pavere Tract. 54. in „ & tædere, adeò ut ipſe Angelo ſe conſortante eguerit, ipſe, in- Evangel. „ quam, modò Apoſtolos corroborat, adimens ſibi, ut dici ſolet, „ panem de ore, ut Apoſtolis de cibo proſpiciat. Qui contrarium facit, mercenarius potiùs eſt dicendus quàm paſtor benevolus, qui non pro amore intimo oves Dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. „ Mercenarius quippè eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, S. Greg. Hom. „ ſed lucra animarum non quærit. Terrenis commodis inhiat, ho- 14. in Evang. „ nore Prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impensâ „ ſibi ab hominibus reverentiâ lætatur. Accuratè voluit implere boni paſtoris officium S. Petrus quando ſocrum ſuam ardentiſſimæ febris vis in lecto detinebat; cujus vicem reliqui Apoſtoli dolentes, habenteſque ad manum efficax remedium, ac Chriſtum omnis ſalutis fontem præſentem, *Rogaverunt illum pro ea.* Luc. 4. v. 38. Marc. 1. v. 30. Videntur hîc indicare Evangeliſtæ, Petrum ne verbulo quidem interpellaſſe Dominum pro incolumitate ſocrus. Quid cauſæ fuit, quòd alios diſcipulos miſericordia cepit mulieris, Petrus verò hujus rei incurius & velut immemor extiterit? Peropportunè huic occurrit D. Chryſoſtomus, inquiens: *Ab exordio erudiebatur quæ aliorum erant ſibi ipſi præponere, quocircà nec ipſe eum inducit, ſed Chriſtus ſponte adivit.* Primus Eccleſiæ Pontifex pater ac paſtor futurus ad rectè adminiſtrandum officium hiſce præludiis exercebatur, ut neque ſibi aut re-

bus ſuis attenderet, neque Chriſtum in aliorum curanda ſalute occupatum ad ædes ſuas precibus traduceret; quin domum ſocrus ingreſſum ne tunc quidem pro ſalute illius obſecravit, ſed id negotii cæteris diſcipulis reliquit. Oſtenſa eſt omnibus Præſulibus norma, ad quam ſe componant, ut præter ovium commodum atque utilitatem aliud nihil curent: Petrus enim *ab exordio erudiebatur quæ aliorum erant ſibi ipſi præponere.* Tanto quoque pectus S. Joannis Baptiſtæ flagrabat zelo Dei & promovendæ fidei illius cupiditate, ut ſui oblitus profectum aliorum magno ſtudio curaret; perlatâ ſiquidem ad illum in carcere famâ de Chriſto Domino, *mittens duos*
Matth. 11. *ex diſcipulis ſuis ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Quo pacto ad notitiam Chriſti & veræ fidei perducere nitebatur ſuos diſcipulos: Undè D. Chryſoſtomus, *Miſſus in carcerem non de ſuo periculo ſollicitus erat, ſed de aliorum ſalute cogitabat id eſt diſcipulorum.* Pulchra eſt regendi methodus & recta moderandorum aliorum ratio, cùm quis præeſt ut proſit, neque quærit quæ ſua ſunt, neque quod ſibi utile, ſed quod multis. Hanc S. Theodorus Peluſiota paucis his lineis expreſſit. *Imperii regula, ô ſcientiæ imperandi explorator,*
Lib. 3. ep. 74 *accuratiſſima hæc demum eſt, quæ ad ſubditorum utilitatem omnia molitur. Nam qui imperii diſciplinam, compoſitumque ordinem in tyrannidem & perturbationem immutavit, atque laborem quidem ſubditis comparat, voluptates autem ſibi aucupatur, hic non imperii ſed tyrannidis regulam ac legem deſcribit.* Joannes in carcere de vita periclitans ad Chriſtum miſit, non ut à vinculis eximeretur, ſed ut rudes diſcipuli ad viam veritatis adducerentur.

§. 29. Cùm pervicax & cæcus ille populus Iſraëliticus cultum ſoli Deo debitum vitulo aureo per Araonem conflato impendiſſet, juſſit confeſtim Dominus Moyſem de cacumine montis, ubi divino
Exod. 32. v. 10. fruebatur alloquio, deſcendere, addiditque: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam*; noli precibus conſtringere mihi brachia, obligare manus, iræ & furoris mei cataractas ſuſpendere; ſine vindicem inſolens ſcelus, atque effrontes pro meritis puniam, quos ſi vel in favillas redegero, oppidò tibi plures ac meliores ſubmittam, quibus imperes, *faciam te in gentem magnam.* Audiebat hæc Moyſes, & nihilò ſeciùs *orabat ad Dominum Deum ſuum*, rebellis atque idololatræ populi enixè partes agebat. Quarè ſub ingentis pollicitatione poteſtatis voluit Deus Moyſem in ſententiam ſuam pertrahere? quarè tali ratione demereri & conciliare, ut illo benevolè aſſentiente meritas poſſet de tranſgreſſoribus pœnas repetere? Acutè reſpondet Oleaſter propoſitum hic Deo fuiſſe univerſo mundo teſtatum relinquere, quàm inſignis Dux,

Dux, egregius Princeps, quàm præclarus Paſtor eſſet Moyſes ad reliquos exemplo ſuo informandos: *Ducem ſuum*, inquit, *ſummè tentare voluit, ut experiretur, an pro privato bono ſineret commune perire.* Nequaquàm enim bonum ſe paſtorem exhibuiſſet, ſi ſpe amplioris imperii, loci ſublimioris, incrementi, dignitatis & auctoritatis privatum commodum bono publico anteponens Domini ſententiam approbaſſet, ut in populum ira ejus deſæviret. Quando verò neglectâ honoris amplitudine, quæ illi cum diſpendio populi deferebatur, proprium maluit incurrere detrimentum, quàm alienum videre exitium; quando ſuæ utilitatis immemor aliena commoda ſollicitè procurare non deſtitit, boni paſtoris vera indicia & certiſſimum argumentum edidit. *Nec enim*, teſte Plutarcho, *tamquam ad nundinas & lucella eundum eſt iis, qui ſibi gubernacula committi volunt.* Qui ideò muneri publico ſe accingit, ut eo, ſicuti ex mercatu nundinatores, fœnus recipiat, malâ periculoſâque cupiditate & ambitione laborat. Hujuſmodi erant Stratocles & Diamoclides, *qui ſeſe mutuò ad meſſem auream invitabant, ſic enim joco tribunal & curiam appellitare conſueverunt.* Tale non agnoſcit Chriſtus boni paſtoris munus, ſed is debet commodum & bonum ovium ſuarum primo ſemper loco habere, non eas lanâ ſuâ nudare, ut ſe calefaciat, dum illas interim frigori ac cæteris aëris inclementiis expoſitas relinquit; ſed debet ſibi potiùs detrahere veſtes, ut oves benè tectas ac tutas ſervet; non deliciis & genio ſuo indulgere: quin maximè tenetur diſcernere inter ſtrenuos atque ignavos: *Laborantem* enim *agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Labor agricolæ tàm activus, ut eſt arare, ſerere, occare, quàm paſſivus, uti eſt ſudare, fatigari, gelu, frigus, æſtum, aliaque incommoda perferre, in cauſa eſt cur mereatur fructus primos percipere: nec minùs ipſi advigilandum eſt, ne fructum laboris aliis præripiat, dum ipſe liberaliter fruitur meſſe ac mercede eorum, qui viriliter & jugiter pro Deo, pro communi bono laborant atque decertant; verùm ſedulam laborantium diligentiam, etiam ſuo diſpendio (ſi opus ſit) benignè compenſet. Quòd ſi tàm ſuperiori, quàm ſubditis aliqua calamitas ingruit, ſuperior illi primùm occurrat, & potiſſimùm excipiat, ut in ſubditos minimum redundet. Ideò Daniel Mallonius ex ſententia S. Joannis Damaſceni, Judoci Clictovei, Chriſtiani Adricomii Chriſtum ſcribit in cruce ſecundùm faciem Occidenti expoſitum fuiſſe, ſecundùm latus Aquiloni, quâ ex parte aiunt venturum Antichriſtum fortè, & Gog & Magog, *ab Aquilone enim pandetur omne malum ſuper omnes habitatores terræ.* Latus verſùs hanc cæli faciem voluit expandere, cùm *unus militum lanceâ latus ejus aperuit*, ut omnis

In polit.

Plutarch. in polit.

2. ad Timoth. 2. v. 6.

Jerem. 1. v. 14.

Joan. 19. v. 39.

nis furor hoſtilis in ipſum debaccharetur priuſquàm ad ſponſam perveniret. Verba adjiciam Mallonii, ſic ait : *Cùm Chriſtus omne malum ab Aquilone contra Eccleſiam ſuam patere conſpiceret, primum ictum ſuſcipere in ſe voluit, ut minùs læderetur Eccleſia.* Opportunum ac multùm profuturum, ſi imitatores inveniat, ſuperioribus omnibus documentum, ut, ſi commune immineat periculum, ictum ferientis mali qui boni paſtores eſſe volunt primi excipiant, quò minùs virium & acerbitatis habeat cùm in ſubditos inciderit, & tolerabilior ſit pœna, major conſolatio : Sic Chriſtus *Primum ictum ſuſcipere in ſe voluit, ut minùs læderetur Eccleſia.*

§. 30. Ità cognoſci veraciter non poteſt utrùm quis paſtor ſit an mercenarius, niſi occaſione neceſſitatis. „ Lupus veniens (ut ſolerter advertit S. Gregorius) indicat quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Lupus etenim ſuper oves venit, cùm quilibet injuſtus & raptor fideles quoque atque humiles opprimit. Sed is, qui paſtor eſſe videbatur, & non erat, relinquit oves & fugit: quia dum ſibi ab eo periculum ingeri metuit, reſiſtere ejus injuſtitiæ non præſumit. Fugit autem non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium. Fugit, quia injuſtitiam vidit, & tacuit; fugit, quia ſub ſilentio ſe abſcondit. Puſillanimis certè ac ignavus eſt paſtor, quem ſolius lupi aſpectus in effuſam fugam conjicit. Cardinalis Caëtanus de malo Prælato ait : Fugit ſilentio. Mirus fugiendi modus! medium efficax ad coërcendum etiam diſſolutiſſimos ſubditos eſt præſentia ſuperioris, non qualiſcumque tamen ſed vigilantis & ſedulò muneri ſuo incumbentis. Hinc Donatus ait, *Rectorem complere omnia, cùm inſiſtit & jubet, atque ejus negligentiâ omninò frigere univerſa, quæ antè fervebant.* Silentium quaſi abſentiæ vices agit, quando enim Prælatus ſubditos videt effundi in levitates, diffluere moribus, negligere obſervantiam, prætermittere ſua officia, & tacet vel connivet, perindè ſe habet ac ſi fugeret, tergumque obverteret, nam *fugit ſilentio.* Saxo facit ſe ſimilem ac ligni inſtar : & dum *ſub ſilentio ſe abſcondit*, dum conniventiâ ſuâ ſe tegit, ſpatium ſubditis relinquit, ut liberiùs poſſint diffluere & in omnem licentiam ſeſe effundere. Similibus benè per Prophetam dicitur : *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* „ Ex adverſo quippè aſcendere, eſt quibuſlibet poteſtatibus pravè agentibus rationis liberâ voce contraire; & in die Domini pro domo Iſraël in prælio ſtamus, ac murum opponimus, ſi fideles innocentes contra perverſorum injuſtitiam ex juſtitiæ auctoritate vindicamus. Prudenter judicavit cuſtos carceris illius, in quem Paulus & Silas Philippis erant conjecti

Homil. 14. in Evang.

In comment. ad lib. 4. Æneid.

Ezech. 13.

S. Greg. Homil. 14. in Evang.

conjecti, illos Dei ſervos eſſe, à quibus & vitæ rectè inſtituendæ conſilia petiit, ex eo nimirùm, quòd carcerem apertum cernens, vincula ſoluta, Paulum & Silam, cùm tutò abire poſſent, non ſolùm non aufugiſſe, ſed caviſſe inſuper ne aliquam ſibi ipſe vim inferret. *Mediâ nocte* (ſic habet textus hiſtoricus) *Paulus & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant. Subitò verò terræ motus factus eſt magnus, ità ut moverentur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt. Expergefactus autem cuſtos carceris, & videns januas carceris apertas, evaginato gladio volebat ſe interficere, exiſtimans fugiſſe vinctos. Clamavit autem Paulus voce magnâ dicens, nihil tibi mali feceris, univerſi enim hîc ſumus.* Volebat ſibi vitam adimere ob imminens à judice diſcrimen; Commentarienſis enim cuſtodiam & periculum reorum præſtare tenebatur, ità ut reo elapſo talione ipſe puniretur. Igitur qui periculorum ſuorum incurii alios à præſenti diſcrimine præſervare curant, illos rectè homines cæleſtes arbitratus eſt, iiſque proindè vitæ poſthàc agendæ ducibus atque inſtructoribus ſe tutò uti poſſe: Ità D. Chryſoſtomus: *Vidit, quòd non ſolùm effugerant, ſed & prohibebant eum ne ſeipſum occideret; nam ſi hoc proprii commodi gratiâ feciſſent, intùs certè non manſiſſent, ſed primùm ſeipſos exemiſſent.*

Act. 16.

L. ad Commentarienſem C. de cuſtodia reorum.

§. 31. Dixit Chriſtus apud S. Matthæum: *Simile factum eſt Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo:* Et poſteà ſubnexuit: *Intravit autem Rex ut videret diſcumbentes.* Cùm invitaſſe fertur, cur primùm homo Rex dictus fuit, & poſteà cùm ingreſſus, Rex abſolutè eſt appellatus? Reſpondet Abulenſis: *Intravit Rex cùm jam diſcumberent, ut gloriaretur videns multitudinem invitatorum ſuorum intrantium ad nuptias.* Alia cauſa in promptu eſt, quæ ad præſens argumentum ſpectat: Qui anteà homo Rex vocabatur cùm nuptias adhuc adornabat, & convivas ad eas cohoneſtandas concelebrandaſque invitabat, is poſtquàm vidit aulam confertam invitatis, eoſque de ſuæ munificentiæ ſumptibus ſplendidè vivere; & ſolùm vidit, neque ſimul cum illis accubuit, tunc Rex abſolutè fuit nuncupatus ad exemplum Superiorum, qui rectè ſuis officiis fungi volunt, debere illos oblviſci commodorum ſuorum, atque curare ut ſubditis commodè ſit. An non verè Rex S. Dunſtanus qui ſalutem animarum ſibi creditarum æternæ felicitati præpoſuit? Libet contextum hiſtoriæ ex Vincentio referre. Inſtabat, inquit, dies Aſcenſionis Dominicæ & peractis vigiliis remanſit orans ſolus in Eccleſia Dunſtanus. Et ecce innumera candidatorum multitudo coronas aureas in capitibus geſtantium, & inæſtimabili fulgore micantium per Eccleſiæ januam irrumpens ante ipſum conglobata ſtetit hâc eum voce ſalutans:

Cap. 22. v. 2.

v. 11.

Lib. 24. Hiſtor. cap. 94.

ſalutans : *Salve Dunſtane noſter, ſalve. Mandat tibi quem piè deſideras, filius Dei, quatenùs, ſi paratus es, venias, & diem hanc ad cujus gaudium ſuſpiras, nobiſcum celebres.* Ad quod ille imperterritus manens, ſciſcitatus eſt qui eſſent? & illi: *Cherubim ac Seraphim*, inquiunt, *ſumus, præſtolantes veliſnè venire an non?* Tunc reſpondit ille; *Hodiè dies ſolemniſſimus eſt, & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, & oſtendere illi quomodò ad gaudium poſſit pervenire; ob quod & multi convenerunt, quos non decet me decipere, & ideò hodiè vos ſequi non poſſum. Eia ergò*, dixerunt, *paratus eſto in diem Sabbathi hinc nobiſcum Romam proficiſci, & coram ſummo Pontifice Sanctus, Sanctus, Sanctus in æternum canere.* Annuit ille, & Angeli recedunt. Lecto igitur ad Miſſam Evangelio, locutus eſt ad plebem, qualiter numquam locutus fuerat, & reverſus ad altare celebravit myſteria. Ubi autem ventum eſt ad benedictionem ſuper populum, rursùs ab Altari recedens prædicavit tam ferventer, ut non hominem ſed Angelum loqui putares: ad Altare denuò revertitur, & datâ benedictione iterùm ad populum rediit cunctis ſtupentibus; & mox ut ad loquendum os aperuit, tantâ claritate vultus ejus reſplenduit, ut nemo in eum intendere poſſet: obitumque ſuum illis inſtare dixit, promittens ſe illis numquam defuturum. Sabbatho igitur fusâ pro populo ad Deum prece migravit ad Dominum. Summè pro grege ſibi commiſſo erat ſollicitus velut alter Moyſes, qui cùm beneficia ſecum expenderet, quibus à Deo fuerat cumulatus, hæc ſenex dicebat: *obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia ſicut præcepiſti mihi*, nec aliam pro tam exacto obſequendi ſtudio remunerationem expetiit, quàm ut benè commodeque eſſet populo ac terræ pro laboribus, quibus ipſe diu, multùm, diligenterque ſervierat. *Reſpice* (precabatur ad Deum) *de Sanctuario tuo & de excelſo cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Iſraël & terræ quam dediſti nobis.* Videte hic hominem qui pleniſſimè ſe omnia legis mandata obſervaſſe ait, neque tamen ſibi ob id aliquam precatur mercedem, toti autem populo omnem vovet felicitatem: Obſervat illud Oleaſter: *Iſte bona fecit*, inquit, *Deíque ſui præcepta implevit, & tamen præmium ſuorum bonorum operum non tam ſibi, quàm populo ſuo à Domino poſtulat.* Egregium Superioribus reliquit documentum, ut indè diſcerent, quidquid boni agunt, non alio conſilio faciendum, quàm ut populus ſubditus ſua indè emolumenta, & profectûs incrementa habeat. Huc ſua merita vertere debent, Deumque rogare, ut ob ea populo omnia benè vertat, & pacatè ac ſanctè vivere concedat.

Deuteron. 26. v. 14.

Ibidem. v. 15.

§. 32. Accuratâ dignum eſt trutinâ quid viro juſto tam propriam

priam & propitiam reddat fortunam, ut nihil illi umquam occurrat adverſi, omnia illi feliciter cedant, omnia proſperè ſub manus eant, ad quæcumque illas porrexerit; quia frondoſæ, copioſæ, ac fœcundæ arbori Propheta Regius ſimilem eum facit? *Erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur*; Inſtar arboris erit, quæ ad præterlabentium fluminum ripas ſita præcoces fructus divite proventu opportunè proferet. Quòd feliciter omnia juſto eveniant, nec irrito quidquam conatu moliatur, indè fit, ait Vatablus, *Quia utilitatem proximi magis ſpectat, quàm ſuam, quia eſt, eritque tamquam lignum*: Arbor enim quòd viret, quòd frondet, quòd floret, quòd fructibus exuberat, totum eò facit, ut viſum oblectet, laſſum refocillet, famemque depellat non propriam ſed alienam; ità juſtus velut in arborem verſus, & charitate flagrans, ſui immemor res aliorum procurat, atque hinc proficit & ex pia tali induſtria diteſcit. Omnia quæcumque faciet, proſperabuntur, quia utilitatem proximi magis ſpectat quàm ſuam. Dum ſui memoriam abjecit David, & filii perduellis ac refractarii vitam propriæ ſaluti anteponit, omnibus enim belli Ducibus præcipiebat: *Servate mihi puerum Abſalom*, felicis pugnæ atque optati eventûs fundamenta jecit, ſuæ nimirùm doctrinæ ac inſtitutioni innixus: nam cùm de viro juſto protulerit, *Omnia quæcunique faciet proſperabuntur*, verba ſua ſuo firmavit exemplo, ſciens quod ſibi inveniret, ſi quid aliis quæreret. Non aliundè putamus eveniſſe, quòd ipſa infallibilis veritas verbis ampliſſimis, & maximis laudibus extulerit Cornelium Centurionem: quæ in magnam quidem Hiſpanorum commendationem & decus cedunt, atque ad verum ac domeſticum faciunt ornamentum; namque is ex Hiſpaniis oriundus, & Cajus Cornelius (ut teſtatur Flavius Dexter in Chronicis) dictus fuit. Quòd fidem ipſius ſupra fidem Iſraëlitarum omnium deprædicârit: *Non inveni tantam fidem in Iſraël*, quàm quòd maxima in ipſo charitas ac benignitas erga famulum paralyticum enituerit, quòdque ſalutem pro illo ſollicitè & anxiè requiſierit. Hâc ratione dum alienum tractavit negotium, procuravit ſuum: neque enim Deus alicujus promptiorem memoriam habet, quàm ejus, qui ſui non meminit, ut recordetur aliorum. Hâc intentione Centurionem interpretatur Origenes humilem illam pro famulo edidiſſe ſupplicationem, ut dum utilitati ſtuderet alterius, ſuæ pariter conſuleret: Tantumdem ait, hoc fuit *Domine puer meus, jacet in domo paralyticus*, ac ſi dixiſſet: *Si mei ſervi non miſereor, quomodò mei miſerebitur Deus? ſi ergò huic non obvenio, quomodò mihi ille ſubveniet?* Quomodò non

Pſ. 1.

2. Reg. 18. v. 5.

Matth. 8.

placeret benigniſſimo Redemptori, cujus natura bonitas, cujus opus miſericordia, promptum hoc ac ſedulum amoris ſtudium? Gratiſſimum ſanè illi fuit, quòd cauſam infirmi ſervi tam ſeriò ac gnaviter ageret, quòd eſſet illi tam pretioſus; quandoquidem famuli promiſcuè, quamdiù viribus præſtant, quamdiù munera enixè obeunt, alicujus nominis tantùm & pretii ſint apud Dominos: cùm verò labori non ſufficiant, in ægritudinem incidunt, non modò ſuis miſeriis viſcera dominorum permovent, ſed ab iis domo ejiciuntur, in plateas projiciuntur abſque omni auxilio atque remedio, fruſtrà reclamante D. Paulo: *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Libenter fons omnis boni, qui numquam manere ceſſat, aſpicit in aliis viſcera pietatis; gaudet quòd homo ità ſe gerat erga conſortem & collegam ſuum, ut ſit homo homini Deus, ſicut ipſe vivum ſemper præclariſſimumque veri, integerrimi atque ardentiſſimi amoris hominibus multis modis expreſſum reliquit exemplum: undè & in ſupremo judicii die ſibi præſtitum, dicet quidquid mendicis datum, quæcumque in pauperes erogata ſibi impenſa; *Eſurivi*, inquit, *& dediſtis mihi manducare, ſitivi & dediſtis mihi potum, nudus eram & cooperuiſtis me.* S. Petrus Chryſologus hæc Chriſti verba expendens, *Dixiſſe ſuffecerat*, ait, *dediſtis mihi potum, ſed præmittit, eſurivi & ſitivi*; cujus cauſam ſubjungit: *præmittit, eſurivi & ſitivi, quia parvus fuiſſet amor pauperis, quòd pauperem ſuſcepiſſet, niſi & paſſiones pauperis ſuſcepiſſet, verus amor eſt feciſſe ſuas anguſtias anguſtiati.* Undè nullus tantùm doluit egens, quantùm ipſe condoluit, nec ullius fuit tàm acerba paſſio, quàm illius compaſſio: *Verus nimirùm amor eſt feciſſe ſuas anguſtias anguſtiati.* Plus eſt quod de illo dicit S. Salvianus ad latam charitatis legem reſpiciens, pauperum omnium egentiſſimum aſſerit Chriſtum, ut qui non omnium modò neceſſitates ferat, ſed ampliùs illas perpetiatur quàm omnes. Ità ſcribit: „ Ego plus addo aliquid, Chriſtum non ſolùm egere cum „ cæteris, ſed plus multò egere quàm cæteros: in omni enim pau- „ perum numero non eſt univerſorum una paupertas; ſunt gra- „ dus inter pauperes & diſcrimen: caret veſtitu, qui habet vi- „ ctum, habent alii domos non facultates. Chriſtus tantummo- „ dò ſolus eſt, cui nihil eſt quod in humano genere non deſit, „ & ideò quantùm ad pietatem illius pertinet, plus quàm cæteri „ eget; omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantùm, & in ſe eget; „ ſolus tantummodò Chriſtus eſt, qui in omni pauperum uni- „ verſitate mendicat. Amor id operatur, ut charorum ſuorum neceſſitates ac tribulationes unus ille ſuas arbitretur: imò hæc

1. ad Timoth. 5.

Math. 25. v. 35.

Serm. 14.

Lib. 4. ad Eccleſ.

eſt amoris efficacia, ut quem ille occupavit, is plus crucietur in eo, quem diligit, quàm in ſeipſo afficitur.

§. 33. Durum gerebatur bellum in anima Chriſti, dum anxius, mœſtus, afflictus in horto patrem oraret; nam tanti agonis teſtis erat ſanguis, quem laboris & doloris magnitudo toto corpore exprimebat; *Factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. v. 44. Cauſam tam acerbi atque immanis cruciatûs, Rupertus Abbas ad immenſum Chriſti amorem erga divinum protomartyrem Stephanum refert; ipſe enim ſpeculum & forma amantium morti probroſæ proximus, ſuarum ignominiarum ac pœnarum incurius, aut velut immemor hoc præſentit quod Stephanum poſt hæc ſenſurum prævidebat: obverſabantur illi ſanguis quem citra culpam effuſurus erat, ſaxa quibus appetendus ac obruendus; tantuſque illum ex futuris amici & militis ſui cruciatibus dolor anticipatò inceſſit, ut ſanguinem in vicem ſudoris præ amoris acerbitate verteret. Stephanum hunc in modum compellat Rupertus. *Audiebat voces, & quos recepturus eras, O beate Beatorum ſignifer Stephane! numeravit lapides, tuumque meditabatur eâdem nocte ſanguinem, dum factus in agonia prolixius oraret, eſſetque ſudor ejus ſicut ſudor ſanguinis decurrentis in terram.* De operibus Spir. S. lib. 6. c. 4. Cùm ad lumen divinæ ſcientiæ ſuæ in illo temporis inſtanti omnia ex ordine ſaxa in Stephanum projicienda numeraret, ſanguinem diſtillabat, & pro lapidibus guttas ſanguineas fundebat. Lapides quos Stephanus excepturus erat corpore, hos ille animo admittebat, taleſque per doloris Sympathiam verus amor in corde divino pariebat operum fœtus, ut ſanguis, quem mente præſagâ videbat quòd Stephanus erat fuſurus, ſudoris ſui guttas in ſanguinem converteret: *Tuos numeravit lapides, tuumque meditabatur ô Stephane ſanguinem!* Pulchrum huic rei ſuffragium & maximè congruum ſubminiſtrat Petrus Damiani circa illa verba Divi Stephani, *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei:* Act. 7. Ubi hæc colligit, quòd tametſi Chriſtus videret fore, ut ſaxa, quibus appetebatur Stephanus verterentur in lapides pretioſos & gemmas, ex quibus deindè corona gloriæ nomini ſuo debita eſſet concinnanda, *attamen Triumphatoris certamini non ſine dolore cordis aſſiſtit.* Serm. de S. Stephano. Quidquid enim pœnale in illis ſaxis fuit hoc animam Chriſti lancinabat, hoc illius viſcera ſauciabat, cùm lectiſſimum ac dilectiſſimm pugilem ſuum tanta pati cerneret. Hujus integerrimus & verus amor aliud nobis myſterium perſcrutandum proponit, quòd, cùm flagris cædebatur, taceret, cùm ſpineâ coronâ pungebatur, obmuteſceret; quando contumeliis onerabatur, tormentis ſubjiciebatur, diſſimularet: & ſilentium dumtaxat ſolveret, cauſamque

Ooo 2 expoſtularet

expoſtularet cùm ab impio dæmonis ſatellite maxillæ illius pugno ſunt percuſſæ. Gordium hunc nodum diſſolvendi Philo Carphatius inſtrumentum præbet quando ait : *Genæ Chriſti martyres ſunt Eccleſiæ.* Talem quiſque in corpore Chriſti myſtico locum obtinet, quale in Eccleſia officium exercet. Chriſtus igitur querulus rationem facti petiit, quando alapam facie excepit, quando maxillas ejus id eſt martyres cæciderunt. Hoc enim vis ſynceri amoris illius operatur, ut ſuorum tormentorum oblitus, noſtrorum cruciatuum recordetur, tantoque moveatur ſenſu pœnarum noſtrarum, ut ſuarum nullo moveatur.

Cap. 13. in cap. 5. Cant.

§. 34. Si prophana ſacris admiſcere fas eſt, æterno atque inaudito exemplo in Arria uxore Cæcinnæ Pæti vidit antiquitas egregium amoris ſpecimen : Vir enim, quia in partibus Scriboniani fuerat adversùs Claudium ad mortem actus eſt; ſed præivit uxor ſemet feriendo, extractúmque pugionem marito porrigendo cum voce, *Pæte non dolet.* Martialis de hac Heroina,

Plin. lib. 3. epiſt. ad nepotem.

Caſta ſuum gladium cùm traderet Arria Pæto
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus quod feci non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Lib. 1. Epig. 14.

Abripuerat illam eò uſque vehementia amoris, ut ſenſus omnis ad dolorem proprium obſtupeſceret, & mariti ſolummodò vulneribus afficeretur. Quin imò Chriſtus in tenebricoſa inferorum ergaſtula, ad carnificinam purgatorii, ubi plurimi pœnas dabant, quas in ſæculo commeruerant, incomitatus abiit; quantam verò hominum catervam adlegit, quos viæ & vitæ ſocios haberet, cùm in cælum ſe recepit! quàm numeroſus comitatus! quàm glorioſa illi ſocietas! quàm lætabundus aſcendit cum tàm divite præda dæmoni erepta! *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem.* Eâ re pulcherrimum de ſe præbuit exemplum Dominus, quod omnes, quicumque alios ex officio moderantur, ſtudioſè imitari debent, ut ſoli labores, pericula difficultateſque aggrediantur, lætitiæ verò & gloriæ ſubditos reddant conſortes : *Solus in infernum deſcendit, ſed cum multo comitatu in cælos glorioſus aſcendit.* Operoſi vigiliſque Paſtoris ſolertiâ oves ſuæ cuſtodiæ deputatas curans à ferarum præſervare incurſibus, & ad ſtatum proſperum fœtu multiplicato producere ad Romani Pontificis providentiam, ac circumſpectionem providam ſpectare dignovit Pius Secundus; itemque ferventibus votis intendere, vacare inſtantiùs, ac operoſæ ſtudium ſollicitudinis impertite ad communem & juratum totius Chriſtianitatis hoſtem reprimendum:

Ad Epheſ. 4. v. 8.

Hugo Card. in c. 1. Cant.

mendum: Hinc collegio Cardinalium quinque & quadraginta millia nummûm aureorum à vectigalibus Eccleſiæ penſa, ob indictum Turcis bellum reliquit. Quàm benè, quàm fructuosè exacta tunc impendebatur pecunia! quantùm ad ſalutem omnium & ſingulorum invigilabat paterna cura! non aliâ quoque de causâ meminit ad univerſalis Eccleſiæ regimen Divinâ Providentiâ ſe vocatum Sanctiſſimus Papa noſter Alexander Septimus, niſi ut præ cunctis univerſorum protectioni atque incolumitati conſuleret: idcircò confœderatos Principum Chriſtianorum animos paternis exhortationibus per Legatos ſuos ad opus tam pium ſollicitare non deſinit, illudque auctoritate, viribus, pecuniâ è theſauro ſuo depromptâ modis omnibus promovere ſatagit. *Platina.*

§. 35. Per hanc paſtoralem ſollicitudinem veri paſtores & rectores à mercenariis liquidò diſcernuntur, qui tranquillitatis tempore relictâ ovium curâ propriis commodis ardenter incumbunt, neceſſitatis verò oves deſerunt. *Mercenarius enim fugit, quia mercenarius eſt.* „Sola enim cauſa eſt ut mercenarius fugiat, quia mercenarius „eſt. Ac ſi apertè diceretur: ſtare in periculo ovium non poteſt, „qui eo quòd ovibus præeſt, non oves diligit ſed lucrum terrenum „quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus „commodis lætatur, opponere ſe contra periculum trepidat, ne „hoc quod diligit, amittat. Amor ac ſtudium lucri à vero & debito facit illos degenerare affectu, quibus ut ſatisfaciant, continuò ſanguinem populi minuere, & corpus reipublicæ vacuare frequentibus ac immoderatis exactionibus, atque intolerabilium vectigalium impoſitione contendunt Roboamum filium Salomonis imitantes, qui populo Iſraëlitico ſupplicanti, ut pondera tributorum à patre cervicibus illius impoſita minueret, reſpondit: *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos Scorpionibus.* Tantæ arrogantiæ & ſævitiæ non alium fructum reportavit, quàm quòd ex duodecim Tribubus decem perdiderit. Non enim eſt aliud ſubditorum defectionem, manifeſtam rebellionem, aut certè ſtragem & conſequenter regnorum exitium moliri, quàm petere hodiè donativum aliquod, cras exigere aliud, & quotidiè novos aliorum tributorum exigendorum titulos ac prætextus comminiſci. Alexander Magnus in magnam ex continuis bellis penuriam adductus, illis tamen, qui ſibi ſuadebant populos emungere, novis onerare tributis, cùm ſtomacho dixit: *Olitorem odi, qui herbas radicitùs excidit.* Bonus hortulanus facultatem habet ſumendi alimoniam ex fructibus, ſed non extirpandi plantam, quæ illos copiosè & amanter præbet. Hortus eſt regnum, ſubditi plantæ, hortulani Reges aut illorum vices ſubeuntes:

Joann. 10. *3. Reg. 12. v. 11.* *Apud Eraſ. Roter. Centur. 3. adag.*

 tes:

tes: non debent igitur arbuſta ſtirpitùs extrahere, ex quorum fructibus victum, proventumque ſuum omnem expectant. Qui enim *plura tributa conatur imponere ſubditis, non facit officium Principii, ſed avari, & pugnantis cum naturæ legibus.* Inter illuſtriora propterea Davidis facinora ſacrum oraculum recenſet, quòd *tulit David frænum tributi de manu Philiſtym.* Redemit ſubditos ſuos validè ab illa tam probroſa & terribili oppreſſione. Frænum appellavit Scriptura immoderata tributa. Ex interpretatione Abulenſis *Vocatur frænum tributi, quia ſicut frænum eſt, quo tenetur jumentum, & cogitur ad diverſa, ità populus cogitur ab eo cui tributum præſtat.* Exactiſſimam atque æquiſſimam hanc ob rem voluit haberi vectigalium ac tributorum rationem Theodoricus Italiæ Rex, & diligenter cauſarum, ob quas imponuntur, momenta expendi: ſi enim Fiſco quidquid avaritiæ cupiditas ſuggeſſerit, inferatur, ſubditos inopes copiæ Principis efficient; imò ipſe ad egeſtatem delabetur, undè direſcere putabat, & tandem totum politicum ædificium corruet; ubi illa, quæ firmare illud & ſuſtentare (ut opinabatur) debuerant, ruinam potiùs accerſent. Non ſolùm belli nervus, ſed Reipublicæ felicitas ac ſalus eſt opulentia. Ad fulcrum atque monumentum univerſorum cogenda eſt pecunia, & in ærario publico ad futuras neceſſitates reſervanda. Inſuper inter præcipuas cauſas imponendi tributa, ponitur conveniens ſuſtentatio Principis ſecundùm dignitatem ſuam & ſtatum, quæ ſi immoderata ſunt ac enormia, ſimul & ſemel opprimentur ſubditi atque exhaurientur, ut nihil deinceps pendere valeant. Subditi verò ſic iniquè oppreſſi, ſic exinaniti quid non tentabunt? quid non machinabuntur? ubi deſunt ſubſidia, ubi pecuniæ, quas ſubditi tributarii penſitare ſolebant, quomodò Regnum ſtabile permanebit? palàm eſt quòd his modis Princeps Regno brevi ſubditiſque carebit. Cautionem igitur & moderationem, quam adhibere in hac re debeant, à Rege diſcant Reges, neque aſpernentur Principes doctrinam Principis, quæ propter ſuum authorem tùm minimè ſuſpecta, tùm maximè venerabilis eſſe debet. *Cùm omnes*, ait, *Reipublicæ partes æquabiliter deſideremus augeri, crementa tamen fiſcalium tributorum juſtiſſimo ſunt penſanda judicio, quia ſervientium imminutio eſt, hujus illationis acceſſio, quantumque pars illa proficit, tantùm ſe ab æqua firmitate ſubducit.* Dignum ſanè quod in ſummo judicii collocetur æquilibrio; quantum ſiquidem accedit fiſco vel ærario, tantum decedit populo: ut illud reddatur opulentum, neceſſe eſt populum ad inopiam redigi.

Philo in lib. de Creat. prim.

2. Reg. 8. v. 1.

q. 3. in c. 8. lib. 2. Reg.

Apud Caſſiodorum lib. 4. ep. 38.

§. 36. Boni atque induſtrii Agricolæ officium imitari volebat prudens Rex, cujus eſt curare ne nimiùm terram ſuam percolat, nevè

vè prorsùs incuratam neglectamque relinquat, ſed mediocritatem erga illam ſervet, nam *terra fertilis, ſi diu inculta fuerit, ſilveſcit; ſi nimis cogitur fructificare, fit macra: ſi medium teneas, fertilis perſeverat.* Avarus porrò agricola, cui eadem tellus per æſtatem triticum, ſiliginem, hordeum, avenam, fructus per autumnum profert, ſi arbores uno anno bis pomiferas velit, exſuccam hâc ratione ſterilemque terram reddit, ut non ſit poſt hæc ferendo. Ex Philonis Judæi hoc manat doctrina agricolas ſic increpantis: *Vos cùm ex eodem fundo colligatis vere hordeum atque triticum, in æſtate fructus, arborem duplici cum tributo gravatam opprimitis, fieri non poteſt quin exhauſtus deficiat.* Manebit ſua fundo ubertas, ſua telluri fœcunditas integra, ſi non plus ab ea exigatur, quàm pendere queat. O Principes & communitatis Rectores cùm populum multiplici tributo gravatum opprimitis, fieri non poteſt quin exhauſtus deficiat. Vultis illum ſoſpitem, ſalvum, perdurabilem? tantum illi vectigal imponite, quod commodè ſolvere poſſit. Hinc, ut perſuaderet Theodoricus quod ſuadebat, ſubjunxit: *Ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatque magis deeſſe, quàm immaniter viſa eſt accreviſſe.* Frænum populi, ut anteà meminimus, eſt tributum: fræno dextrè & rectè utendum eſt ad regendum ac corrigendum equum, non ad ſubvertendum; quem, licet eſſet manſuetiſſima & morigeriſſima beſtia, ſi fræno nimium huc illucque contorqueas, ſi illud in duriſſimum lupatum convertas, ſi nimis exagites; efficies; ut ſubſultet, ut calcibus feriat, aut penitùs inepto ſeſſori ſuccumbat. Tributum quod inventum eſt in remedium ne populus præ nimia libertate reddatur inſolens ac refractarius, ſed in officio contineatur, ſi limites excedat, ſi ſupra facultatum vires exigatur, cedet in malum & perniciem, excitabitque populos ad motus ac ſeditiones. Proindè imitentur hi bonum Principem, *qui nihilò differt à bono patre. Nam & parentes filiis provident, ut bona his numquam ſint defutura.* Quòd ſi Deus tamquam peccatum graviſſimum vindicavit ſolam populi Iſraëlitici per capita recenſionem, quam Rex David inſtituerat; *Quid enim tam durum tamque inhumanum eſt, quàm publicatione, pompâque rerum familiarium, & paupertatis detegi veritatem, & invidiæ exponere divitias*: impunè ſinet populum tributis & exactionibus prægravari?

S. Bonav. de proceſſ. Religion.

In lib. de creat. Princip.

In eadem ep.

Xenophon de Cyropedia lib. 8.

Lib. 2. C. quando & quib. quarta pars.

§. 37. In omnibus actionibus ſuis hoc imprimis cavit ſanctus Patriarcha Abraham, ne minima quidem hujus noxæ ſuſpicio officeret integritati ſuæ; ea propter tàm opulentus ac locuples, tàm dives auri, argenti & pecoris, numquam ſibi excitavit domum, in qua degeret; ſed in papilionibus atque tabernaculis ſemper vixit, hoſpiteſque

hoſpiteſque ſub umbra Ilicis tam celebratæ apud omnes gentes (ut ait S. Hieronymus) excepit ac recreavit. Quòd non ædificaverit ſumptuoſam & dignam ſe tanto Patriarchâ tamque illuſtri viro Baſilicam in cauſa fuit, ne ſumptus extrordinariis ſibi parare exactionibus neceſſum haberet; aut in fabricam expenderet, quæ in pauperes eroganda forent. Magna enim ædificia, dum ſine magna neceſſitate conſtruuntur, vix ſine magno periculo, & manifeſto conſcientiæ diſcrimine, atque evidente pauperum injuria fiunt. De immoderatis exactionibus Regem Joachim accuſans Jeremias Propheta, quibus vexabat ſubditos, ità ait: *Væ qui ædificat domum ſuam in in-*
Cap. 22. v. 13. *juſtitia, & cœnacula ſua non in judicio, amicum ſuum opprimet fruſtrà, & mercedem ejus non reddet ei.* Doctus Ezechielis Interpres Hieronymus Pradus verba Jeremiæ aliis verbis exponens, ſalutare illud documentum proponit: „ Obſerva, inquit, raò ſuperba palatia, ædeſque
In cap. 19. „ magnificas conſtrui niſi violatâ juſtitiâ, legibuſque contemptis, op-
Ezech. v. 7. „ preſſis civibus, operis defraudatis, atque ejuſmodi aliis iniquitatibus „ admiſſis, quibus ſumptus minuuntur, & pecuniæ comparantur. Aptiùs noſtræ aſſertioni quadrabit locus quidam Habacuc Prophetæ, quàm lapides illorum ſtructuris. Reprehendit eos Sanctus vates qui ædificabant domos, civitates, palatia contra leges juſtitiæ rectæ ra-
Hab. c. 2. v. 11. tionis, ideoque exaggerando loquitur: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit*; quaſi per choros alternatim dabunt voces lapis ac lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt, quod occultum eſt gypſoque illitum. Et quid noctu atque interdiù clamabit lapis, quidvè reſpondebit lig-
Ibidem. v. 12. num? *Væ qui ædificat Civitatem, in ſanguinibus*; quod ex Paraphraſte Caldæo & B. Alberto Magno ita exponitur: in ſanguinibus, id eſt oppreſſionibus pauperum, quos cogit in hoc ſudare & laborare, in eoque ſpiritus ac ſanguinem ſuum exhaurire; hoc modo ſæviſſimus Pharao oppreſſit Hebræos, tantumque non prorsùs extin-
Exod. 1. xit. *Præpoſuit itaque eis Magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus, ædificaveruntque Urbes Tabernaculorum Pharaoni Pithom & Rameſſes.* Ædificare in ſanguinibus liquet non eſſe aliud, quàm ædificare ſumptu, nummis, victu pauperum: juxta enim quoſdam ſanguis pro pecunia ſumitur & victu, quibus hominum vita ſuſtentatur: undè Magiſtri operum à Pharaone præpoſiti, erant tributorum exactores. Quando igitur annona, & quæcumque ad victum ſpectant humanum nimiis tributis prægravantur, ut indè excitandorum impendia ædificiorum colligantur, ædificatur in ſanguinibus. *Sanguis*, uti explicat Hieronymus Pradus, *Pecunia eſt miſeris mortalibus*: immoderatis hiſce exactionibus duplici velut ſectione venæ, ac ſangui-

nis.

nis emiſsione miſeri & pauperes ſubditi eò adducuntur, ut penitùs conſumantur atque deficiant. Idcircò lapis vociferabitur & lignum ex latentioribus penetralibus ac ſecretioribus cubiculis væ væ væ in felicibus illis, qui cum tantâ ſtrage pauperum, vaſtatione populorum, & pernicie ſubditorum conſtruxerunt pro ſola libidine ſuâ. domos, excitarunt pro ſola vanitate atque oſtentatione ſua ædificia: clamabunt vindictam, petent è Cælo juſtitiam. Veniet profectò, veniet dies, in quo & lapides loqui, & dare voces ligna ſcient ad coarguendum illorum injuſtitiam atque crudelitatem. At ſi lapides vociferabuntur, & ligna clamabunt; quibus vocibus non perſonabit ſanguis inopum oppreſſorum atque exhauſtorum, quorum victui ereptum eſt, quod malè in hujuſmodi vanitates impenſum? habet & ſanguis vocem ſuam; quod prima veritas in Geneſi affirmat loquens Caïmo: *Vox ſanguinis fratris tui ad me clamat de terra.* „ Non *Geneſ. 4.*
„ accuſat frater, ne videatur parricida, non accuſat vox ipſius, non
„ anima ejus, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti. Tuum *D. Ambr. lib.*
„ te ergò facinus non frater accuſat: & benè ait; vox ſanguinis fra- *2. de Caim*
„ tris tui clamat de terra, non dixit de fratris clamat corpore, ſed *& Abel c. 9.*
„ de terra clamat. Et ſi frater parcit, terra non parcit; ſi frater ta-
„ cet, terra condemnat. Ipſa eſt in te & teſtis & judex. Teſtis acrior,
„ quæ adhuc parricidii tui ſanguine madet. Judex aſperior, quæ
„ tanto ſcelere coinquinata eſt, ut aperiret os ſuum, & reciperet ſan-
„ guinem fratris tui de manu tua. Hæc D. Ambroſius. Quod non inconcinnè ſic adaptari propoſito noſtro poterit: vox ſanguinis miſerorum clamabit de lapidibus ac lignis; non de ipſorum corpore, ſed de lapidibus ac lignis clamabit. Pauperibus tacentibus lapides & ligna violentos oppreſſores condemnabunt, agentque contra ipſos teſtis ac judicis officium: teſtis, quia extabunt ſanguinis profuſi, id eſt pecuniæ oppreſſorum malè impenſæ monumenta; judicis, quia contra naturæ inclinationem tanto rapinæ ſcelere ſunt coinquinata; *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens*: Ideò omnis *Rom. 8. v. 20.* creatura inanimis anxiè & magno cum dolore finem malorum expectat; *Ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.* Per iſtam proſopopœiam *v. 22.* duo ſignificat Apoſtolus, primò labores, paſſiones & corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter homines, ſecundò vehementem ab eis averſionem; ut ſi eſſent ſenſu præditæ gemerent quaſi parturientes, idque ab exordio lapſûs hominis uſque nunc: quos igitur ſuo modo gemitus non edent, dum malis inſervire coguntur, dum ab iis mutantur & corrumpuntur?

§. 38. Adornare ſupervacanea ædificia, vana, inutilia, eamque in rem profundere inanes ſumptus, ſudoremque ac miſerorum

cruorem, in exitium conſcientiarum & Reipublicæ ſtragem redundare debere perſpicuum eſt. Ad illud cavendum animadvertant Reges, Principes, communitatis Rectores, quod de turri David in
Cant. 4. v. 4 Canticis dicitur, *quæ ædificata eſt cum propugnaculis*: quod alii ſic tranſtulerunt, *quæ ædificata eſt ad doctrinas, ad diſciplinas, exemplaris loco*; Id verò inſtitutionis ex illa ad doctrinam ædificata turri accipient, id normæ atque exemplaris ab illis propugnaculis deſument, ut cùm deliberarint ſumptuoſa moliri ædificia, expendant providè quomodò benè collocentur nummi, rectè fiant impendia; videantque, ut, ſi quid erogandum ſit in fabricas, id vertatur ad neceſſaria & utilia ædificia, ſi benè conſcientiæ ſuæ conſultum velint. Proximus eminebat Hieroſolymis mons Sion, in cujus editiori loco, atque hiantibus jugis conſtruxerat Rex David validiſſimam turrim, quæ infernè jacenti urbi firmiſſimo eſſet præſidio. Muniant illi ſic loca, excitent arces, extruant propugnacula, quibus regna defendi, hoſtes repelli, & eorum incurſiones coërceri poſſunt. Mirabuntur profectò nonnulli cur tam carò ſteterit Regi Achab vinea, quam Naboth Jezrahelitæ per vim eripuit? Quænam
3. Reg. 21. v. 2. hîc injuſtitiæ ſpecies intervenerit? quòd poſtquàm dixerat: *Dabo tibi pro ea vineam meliorem, aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna eſt*, Rex tam comis à ſubdito (ruſticè ut videretur & inciviliter) reluctante vineam abſtulerit? cur tamen à ſcriptoribus Hagiographis tam celebrata eſt Nabuthis animoſa & fortis repugnantia? cauſa petitionis inſpicienda eſt: *Da mihi*, aiebat Rex Achab, *vineam, ut faciam mihi hortum olerum*. Summæ dementiæ viſum eſt S. Ambroſio ad talem finem ac uſum vineam expetere; ità
Lib. de Nabuth. cap. 3. ſcribit: *Hæc erat omnis inſania, hic omnis furor, ut ſpatium vilibus oleribus quæreretur*: Vineam tamen meliore vineâ, vel digno pretio Achab compenſare volebat. Nonnè igitur major erit inſania ſuperflua excitare palatia, inutiles domos, loca recreationum vana, idque impendiis miſeri vulgi, ſumptibus afflictorum ſubditorum; neque militibus interim ſtipendia ſolvere, neque acies ad Regnorum præſidia conſtruere, neque imminentibus proſpicere neceſſitatibus? *Hæc omnis inſania, hic omnis furor*, quòd major cura de pauperum ſpoliis, quàm de publicis ſit emolumentis. Ex inanibus fabricis atque inutilibus ſtructuris, ſuperfluis vaniſque ædificiis quòd numquam optatus cuiquam ſoleat exitus obtingere, docet ſupplicium illud, quod juſtus Judex de quodam Verdunenſi Abbate Richardo ſumpſit. Hunc S. Petrus Damiani refert viſum eſſe cuidam
Lib. 8. ep. 2. ſervo Dei in ecſtaſi apud inferos *velut excelſas machinas erigentem, & anxium atque ſollicitum tamquam minuta caſtrorum propugnacula conſtruentem*:

conſtruentem : Cauſam ſubdit quòd tali cruciatûs genere fuerit vexatus; *Hoc enim morbo laboraverat ille, dum viveret, ut in extruendis inaniter ædificiis omnes ferè diligentiæ ſuæ curas expenderet, & plurimas facultates Eccleſiæ in frivolis hujuſmodi næniis profligaret* : Omnis cura, ſollicitudo & vigilantia Abbatis illius, dum in vivis degeret, eò vergebat, ut novas indies ædificiorum formas confingeret, alias domos dirueret, extrueret alias; in quo monaſterii proventus, id eſt patrimonium pauperum malè inſumebat. In has nugas atque ineptias ingentem vim pecuniæ imprudens decoctor effundebat, *ut plurimas facultates Eccleſiæ in frivolis hujuſmodi næniis profligaret.* Ædificans domorum muros, ſubditorum mores demoliebatur, & improbo ſuo exemplo paſſim omnes offendebat : undè apud inferos cruciabiliter tali maximè ædificiorum imaginatione vexabatur, & *quod fecit in vita, hoc perferebat in pœna.* Laudabiliter tamen eriguntur ædificia, quæ magis ad commodum publicum, quàm ad nudum ornatum faſtumvè ſpectant, non oppreſſione vulgi ſed largitate pretii, proprii videlicet magnificentiâ ærarii. Ad prudentem Architectorem pertinet in opere ſuo naturam atque induſtriam apum imitari : Hâc de causâ Virgilius animas, quas Æneas vidit in campis Eliſiis oberrare quouſque ad Romam fundandam evocarentur, apibus comparavit, quæ ex floribus legunt undè ſua mella ſtipent, favoſque conficiant.

Ac veluti in pratis ubi apes æſtate ſerenâ
Floribus inſidunt variis, & candida circùm
Lilia funduntur, ſtrepit omnis murmure campus; Virgil. lib. 6. Æneid.

Ità copioſum illud animarum examen glomerabatur circa nemus ſecluſum & placidiſſimum fluvium,

Hunc circùm innumeræ gentes, populique volabant.

Subtilis Maronis commentator Donatus ait, ingenioſam admodùm eſſe ac congruam animarum, quæ Romam erant ædificaturæ, cum apibus collationem : nam *Apes juſtæ floribus ſuum concipiunt florem, floribus mella concipiunt, & favos honeſto labore diſtendunt; perindè quia & illæ animæ pro merito ſuo, condendo Romano Imperio parabantur, apum cœtibus naſcuntur æquatæ.* Per ſummam juſtitiam operas ſuas ſtruunt apes, quia citra alicujus injuriam, ulliusvè floris atque arboris læſionem ſolerti induſtriâ, & optimè ordinatâ diligentiâ œconomiam ſuam exercent; callidè favos conſtruunt, convehunt mella, conficiunt ceram, atque in his omnibus teſte Thoma Cantipratano : *Miro modo innocuæ ſunt.* Quòd floribus abſque ul- Lib. 2. de apib. c. 56.

lo fructuum diſpendio avidiſſimè inſidant, quòd labores ſuos abſque aliorum damno peragant, indè à Donato apes dicuntur juſtæ: rectè itaque animæ, quæ Romano condendo ſervabantur Imperio, cum apibus ſunt compoſitæ, quæ ſuas abſque ullo aliorum incommodo conſtruunt operas. Tacita huic inerat admonitio, ut hi, qui grandia moliuntur ædificia, id faciant apum inſtar ne in juſtitiæ leges impingant; aut, ſi illud potius arrideat, imitentur in hoc Hirundinis induſtriam, de qua D. Ambroſius ita ſcribit: *Ædificat, nec impendit, tecta attollit, & nihil aufert proximi.*

Lib. 5. Hexam. cap. 17.

§. 39. Subjectæ materiæ magis proprium eſt quod D. Hieronymus delicias atque epularum varietates fomenta nominat avaritiæ. „Grandis, inquit, exultatio animæ eſt, cùm parvo contentus „fueris, mundum habere ſub pedibus, & omnem ejus potentiam: „epulas, libidines propter quæ divitiæ comparantur vilibus mutare „cibis, & craſſiore tunicâ compenſare. Tolle epularum & libidinis „luxuriam; nemo quæret divitias: quarum uſus aut in ventre, aut „ſub ventre eſt. Duobus his membris totum injuſtitiæ negotium aſcribit, quæ multum ſibi confinia ſunt, ita ut unum alteri ſubſerviat. Sine quatuor ſenſibus vivere poſſumus teſte D. Hieronymo, ſine aſpectu, auditu, odoratu, atque complexu; abſque guſtu autem ac cibis impoſſibile eſt humanum corpus ſubſiſtere: igitur & comedendum eſt, & deambulandum, & digerendum, & poſteà inflatis venis incentiva libidinum ſuſtinenda. *Luxurioſa res vinum & tumultuoſa ebrietas, omnis qui cum his miſcetur, non erit ſapiens.* Undè Pſalmiſta: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Ex macie in pauperibus prodit iniquitas, in divitibus ex adipe: pauperes enim interrogati cur furentur? reſpondent, ob inopiam rerum neceſſariarum; divites interrogati cur alienum agrum invadant? reſpondent, quia multos habent agros vicinos: ſic Achab abſtulit vineam Naboth; non quod ipſe vineis indigeret, ſed quia vicina erat Palatio. „Prodiens „quaſi ex adipe iniquitatis multorum funeſta cupiditas, eos in perni- „ciem præcipitare conatur, dum ſequi miſerabilem ejus ingluviem „ſatietatis neſcientem moderamina non verentur. Ipſi etenim tur- „pium lucrorum ſe fæcibus immergentes, ambitioſis nexibus involvuntur. Dei timorem damnabili cæcitate poſtponunt, & quaſi „ambulantes in tenebris non vitant excidia perſonarum. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas Sodomitarum: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Comicus quoque, cujus finis eſt humanos mores noſſe atque detegere, dixit. *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Quid juvat proferri pudicitiam

Lib. 2. adverſus Jovin.

Prov. 20. v. 1.

Pſ. 72. v. 7.

3. Reg. 21.

Ezech. 16. v. 49

Terent.

pudicitiam, quæ ſine comitibus atque appendicibus ſuis continentiâ & parcitate fidem ſui facere non poteſt? *Non Æthnæi ignes, non Vulcania terra, non Veſuvius & Olympus tantis ardoribus æſtuant; ut juveniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ.* Dum natura in vitium redundat, in coitum geſtit erumpere, *Luxurioſa res eſt vinum & tumultuoſa ebrietas.* Fruſtrà profectò quidam ſimulant ſalvâ pudicitiâ & integritatis mentis ſe abuti voluptatibus, cùm contra naturam ſit, copiis voluptatum ſine voluptate perfrui; cùm ſenſus noſter ad ejus rei trahatur appetitum, cujus capitur voluptate: ideò difficile eſt, imò penè impoſſibile deliciis & voluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerunt. Ità delicioſi plus ſapiunt palato quàm cerebro: tota enim mens eorum, totus ſenſus eſt in palato atque in ore. Quomodò igitur poterit eſſe prudens, qui mentem in ventrem infoderit? quomodò non reddetur ad quælibet ineptus, ad vigilandum, laborandum, ſtudendum, orandum, incapax diſciplinæ, monitionis, gratiæ divinæ, rerum ſalutis æternæ? ex epulis & luxu naſcitur hebetudo mentis, quæ in ventre quodammodò ſepelitur; undè virtus ejus ac vigor enervatur: quocircà Chriſtus apud D. Lucam monet, *Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Conſonat huic Clemens Alexandrinus: „ iis, inquit, „ qui ad luxum menſarum propenſi ſunt, & ſuos ſibi morbos enu- „ triunt, præeſt Dæmon Helluo maximus, quem ego non verebor „ appellare ventri Dæmonem, Dæmonum omnium peſſimum & „ pernicioſiſſimum. Morbos ſuos ſibi nutriunt, quia (ut ſuperiùs ex Seneca fusè oſtendimus) capitis, ſtomachique dolores, febres, paralyſes, apoplexias, alioſque innumeros morbos ſibi conciliant & vitam abbreviant. Ad hæc in Aphoriſmis ſuis Hippocrates docet craſſa atque obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleverint, niſi citò ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſim & peſſima morborum genera erumpere. Vides ut morbi ex ſaturitate nimia concitantur, & multi fruſtra impatientiam gulæ vomitu curant, ut quod turpiter ingeſſerunt, turpius egerant. Galenus quoque doctiſſimus Hippocratis interpres in exhortatione Medicinæ dicit Athletas, quorum vita & ars ſagina eſt, nec vivere diu poſſe, nec ſanos eſſe, animaſque eorum ita ſanguine nimio atque adipibus quaſi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu, ac de ventris ingluvie cogitare. *Eſt autem valdè à ratione alienum, & inutile, & nequaquam humanum, pecudum more ſaginatum, morti nutriri:* Nam pleriſque animalibus comedendi bibendique, non ad aliud quàm ad perniciem ſuam, copia ſolet offerri. Cuidam prædicanti lautitias hanc ob rem Antiſthenes reſpondit, *Hoſtium filiis contingat*

S. Hieron. ep. 10. ad Furiam.

Lib. 2. Pædag. c. 1.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 1.

Laert. lib. 6. c. 1. *tingat in deliciis vivere.* Tales in perſona propria irridet Horatius his verſibus.

Lib. 1. epiſt. 4. ad Albium Tibullum.

Me pinguem, & nitidum benè curatâ cute viſes,
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

§. 40. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, omnis propemodùm injuſtitiæ. Diogenes tyrannos, & ſubverſiones urbium, bellaque vel hoſtilia, vel civilia non pro ſimplici victu olerum, pomorumque; ſed pro carnibus atque epularum deliciis aſſerit excitari. Quocircà Lycurgus ex Spartha ſuſtulit delicias omnemque luxum. Carnes porrò & exquiſitæ epulæ ingenti curâ ac miſeriâ præparantur, majoremque pœnam habent in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo. Epulones enim ſibi lauti ac liberales, aliis parci & crudeles ſunt, iiſque non tantùm eleëmoſinas, ſed & mercedem labori debitam negant, ut corrodant opes, quibus epulas inſtruant. Quàm evidenter illud expreſſit D. Ambroſius! „ Ipſius menſa (de „ divite epulone loquitur) multorum pauperum conſtabat ſanguine; „ & ipſius pocula multorum, quos ad laqueum coëgerat, rubebant cruore. Ad divites ſe magnus Præſul convertit. „ Quanti necantur, ut vobis, quod delectat, paretur? funeſta fames veſtra, fu„ neſta luxuries. Ille de ſummis culminibus ruit, ut frumentis am„ pla veſtris receptacula pararet. Ille de ſublimi arboris cacumine „ decidit, dum genera uvarum explorat, quò deferat, quibus di„ gna convivio tuo vina fundantur. Ille mari merſus, dum veretur „ ne piſcis menſæ tuæ deſit aut oſtrea. Ille Brumali frigore dum le„ pores inveſtigare aut laqueis ſtudet aves captare, diriguit. Ille an„ tè oculos tuos, ſi fortè diſplicuit, verberatur ad mortem, atque „ ipſas epulas fuſo reſpergit cruore. *Quis non Vedium Pollionem*, quærit Seneca, *pejus oderat, quàm ſervi ſui, quòd murænas ſanguine humano ſaginabat, & eos qui ſe aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud quàm ſerpentibus, objici jubebat.* Cùm cœnaret apud illum Auguſtus fregerat unus ex ſervis ejus cryſtallinum. Rapi eum Vedius juſſit, nec vulgari quidem periturum morte: murænis objici jubebatur, quas ingens piſcina continebat. O hominem mille mortibus dignum! ſive devorandos ſervos ſuos objiciebat murænis, quas eſurus erat, ſive in hoc tantùm illas alebat, ut ſic aleret. Malignum ſanè ſævitiæ oblectamentum. Motus novitate crudelitatis Cæſar, puerum (qui manibus conſervorum elapſus ad pedes illius confugerat) mitti quidem, cryſtallina autem omnia coram ſe frangi juſſit, compleriique piſcinam. Quàm ſolertia ſunt opera luxuriæ! Quoties naturam aut mentitur, aut vincit! in

D. Hier. lib. 2. adverſus Jovin.
Plutarch. in Lacon.
D. Ambr. lib. de Nabuthe. c. 5.
Lib. 1. de clement. c. 18.
Idem lib. 3. de ira. cap. 40.

in cubili apud Romanos natabant piſces, & ſub ipſa menſa capiebantur, ut ſtatim transfererentur in menſam. Ad hunc faſtum pervenerat venter delicatorum, ut guſtare non poſſent piſcem, niſi quem in ipſo convivio natantem, palpitantemque vidiſſent. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas Chriſtinæ Vladiſlai II. Polonorum Regis uxoris, quæ illud excogitavit, ut homines oppidani & ruſticani ſtatis ac ſolemnibus feriis honoraria quædam munera, nempe pullos & gallinaceos, anſeres, ova, mel, avenam, porcos, triticum in cellam Principis inferrent. Quod cùm ſemel atque iterum ac tertiùm in gratiam Principis non inviti feciſſent; lege Regiâ, ut id in perpetuum deinceps eſſet, ſanxit. Quid non excogitatur, ut ventri quidlibet ſuppeditetur, non ad vitæ neceſſitatem, ſed ad vitium voluptatis? epularum ſiquidem largitate corpus frangitur ac animus: nam *corpus abundè ſaginatum & anima illi immerſa, & ad peccandum proclivis facta, compendium quoddam eſt ad laſciviam & procacitatem, ac ſimul omnia ea quæ vetita ſunt.* Loth de tot millibus populi ſolus juſtus inventus, dum inebriatur à filiabus ſuis, ebrietas fit origo inceſtûs, peſſimæ regeneratricis partus deterior; & quamquam voluntas non fuerit in crimine, error tamen (ex mente D. Hieronymi) fuit in culpa. Indè nati Moabitæ atque Ammonitæ inimici Iſraël, qui uſque ad quartam & decimam generationem, & uſque in æternum non ingrediuntur in Eccleſiam Dei. *Etenim luxuria mater libidinis eſt, ventremque diſtentum cibo, & vini potionibus irrigatum voluptas genitalium ſequitur, atque ut alibi dictum eſt, pro membrorum ordine, ordo vitiorum eſt.* Ac inprimis adverſus adoleſcentiam hæc prima arma ſunt dæmonum. Cur oleum flammæ adjicitur? cur ardenti corpuſculo ſomenta ignium miniſtrantur? vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis. Iſte hoſtis carni eſt incluſus atque domeſticus: quocumque pergit ſecum portat inimicum. Inſtar omnium mihi hic ſuffragatur Divus Ambroſius; „ Ebrietas, inquit, eſt fomentum libi„dinis, ebrietas incentivum inſaniæ, ebrietas venenum in„ſipientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, per hanc „fiunt ab hominibus equi adhinnientes. Si quidem naturali vapore „corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere „ſe non queunt, & in beſtiales libidines excitantur, ut nullum „tempus præſcriptum habeant, quod doceat indulgere concubitui? In cœno quippè demerſi voluptatum ad libidinem ſemper exæſtuant. Ex deliciis igitur duplex bellum, & animæ & corporis: duplex tempeſtas, duplex & morbus. „Neque enim firmâ ſtat anima ſe„de, ſed tamquam à quodam flumine tollitur, & elevatur à volu-

„ptate

Cromerus. lib. 6.

S. Baſil. Hom. de Paradiſo.

Epiſt. 22. ad Euſtochium.

Idem epiſt. ad Amandum.

Lib. de Hel. & jejun. c. 16.

D. Chryſ. tom. 4. Homil. 54. ad populum.

„ ptate nihil habens ſtabile: & ad repromiſſiones facilis, prompta ad „ pollicitationes; & multa cogitationum fluctuatio, intempeſtivus „ riſus, hilaritas rationę carens, multa verborum & ſuperflua nugacitas. Eſau per ingluviem primogenita perdidit, & ad fratricidium animum appulit. Populus Iſraël *ſedit manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*: in præcipitium enim ceciderunt in delicias lapſi. Vidua deliciis vacans, viva mortua eſt. Impinguatus quoque eſt & incraſſatus, & recalcitravit dilectus.

Exod. 32.

§. 41. Non condemnant Sancti Doctores cibos, ſed incentiva auferunt voluptatum; tollunt luxum, præſcindunt delicias ad utilitatem noſtram: haudquaquàm corporis ſubſtantiam ipſam conficiendam umquam ſcripſerunt, verùm incitamenta & libidinum impetus mactandos duxerunt, qui nos ad prava facinora compellunt. *Anima plus eſt quàm eſca.* Hinc tam acriter S. Baſilius in divitem illum invehitur, qui dicebat animæ ſuæ: *Anima habes multa bona in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* „ O verba, „ exclamat, ſtultiſſima! O dementiam ſingularem! nam ſi porci„ nam habuiſſes animam quid aliud enunciare potuiſſes? itàne pecui„ nus es, ità bonorum animæ ignarus, ut eam exceptes carnalibus „ epulis? trade animæ cibos, quorum conſuetudinem habet, eam ne fame perimas. Quid lautam vermibus menſam vis apponere? quid majorem agere ſaniem? quid fœtentes ſudorum fontes reponere? quid animam obruere? quid parietem facere craſſiorem? quid multum fumi, nebulæ & caliginis undique congerere? neſcis quod hoc modo te per omnia reddis inutilem? da mihi hominem pinguem ſe continuò & diſſertum facientem, curantem nihil; licet infinitorum concurrat medicorum multitudo ab ægritudinibus ipſum eruere non valebit, nam quod nimiùm ingeritur, quod ex eo nutritivum eſt, noxium efficitur. Egit D. Paulus medicum potiùs quàm Apoſtolum (quamvis & Apoſtolus ſit Medicus ſpiritualis) quando Timotheo modici vini potionem conceſſit, ut ex hoc ſtomachi dolor & frequens mederetur infirmitas; *Noli adhuc aquam bibere, ſed vino modico utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Ne forſitan nobis de ægrotationibus blandiremur modicum vini præcepit eſſe ſumendum per modum medicinæ non voluptatis: vinum enim medicamentum potiùs, quàm familiare poculum eſſe contendit Adrianus Turnebus, ideòque à menſis & potu quotidiano proſcribendum eſſe, atque intra Pharmacopœorum officinas compellendum: *Cujus*, inquit, *vel cyathum unum aut alterum ſano & valenti quotidiè guſtaſſe, propè nimium ſit.* Nimis tamen rigidus in hoc cenſetur Cato, & quæ adverſus vini malitiam pro-

Matth. 6. v. 25.

S. Baſil. in dictum locum D. Lucæ.

1. ad Timoth. 5. v. 23.

Libello de vino.

profert, non niſi de frequenti ac largiore potu ejus intelligenda veniunt. Nam Galenus in libro cui titulus περὶ ὑγιεινῶν ſcribit ſenibus, qui pituita laborant ac frigore, calidos cibos & vina vetera prodeſſe. Sed vitia naturæ ebullientis niſi prudentia pædagogi rexerit, omnis conatus ejus atque impetus ad laſciviam properant. Hinc propoſitum fuit ſapientiſſimo Regi Salomoni vini potum ſibi interdicere quò commodiùs ac expeditiùs ſapientiæ vacare poſſet. *Cogitavi*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam.* Animam pædagogum corporis eſſe ſciebat, eamque illi vim inditam, ut temulentam corporis naturam atque inſtar vini diffluentem ſiſtere poſſet, & continentiâ domare cupiditatem: igitur illam in conſilium adhibere voluit, ab eaque impetrare, ut quemadmodum pædagogus puerum à luſu ad ſcholam abducit, ita carnem ſuam à vino abſtraheret. Vinolentia enim ſtudio ſapientiæ eſt contraria, quia fumus vini caput hebetat atque offuſcat, ac ſubindè ratione & judicio privat, ut ſapientiæ ſe tradere nequeat. *Eccl. 2. v. 3.*

§. 42. Delicioſus vivit ſolummodò ventri, cæteris ſenſibus mortuus eſt; neque aſpicit quæ aſpicienda, neque audit quæ neceſſariò audire convenit, neque loquitur quæ loqui oportet, quo pacto via illi patebit remoto errore ad rerum ſcientiam? „ Ebrietas, inquit „ S. Baſilius, dæmon eſt voluntarius, ex voluptate animis noſtris „ inditus. Ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica: fortem vi„ rum reddit ignavum, ex temperante facit laſcivum, juſtitiam „ ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni eſt adverſa, ſic vinum immodicum rationem ſupprimit. Latrones & murorum effoſſores, quando volunt aliquid pretioſum capere lucernâ extinctâ hoc faciunt, ità etiam in nobis facit ebrietas; eſt ſiquidem in nobis perpetuò ardens lumen rationis; ille igitur ſpiritus temulentiæ & nequitiæ magno impetu irruens flammam illam extinguit, protinùſque omnia, quæ ſunt recondita, prædæ exponit. Quantocyùs itàque nubes hæc atque caligo eripuerit menti perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre ulteriùs, non præcipitium, non gehennam, non timorem, ſed facilè poteſt deinceps à vitiis expugnari, cùm tamquam feneſtris carens paries undique ante oculos excitatus, non ſinit radium juſtitiæ menti illuceſcere abſurdis vitiorum cogitationibus ipſum undique arcentibus. Quia verò deliciis ſenſus obtunduntur, deliciis cogitatio retardatur, citiùs mens tenebris obducitur. Rectè proindè Sacra Pagina refert miniſtros Belis noctibus comeſſari ſolitos cum uxoribus ac liberis, non tàm quia furta ſua tenebris involvere nitebantur, quàm quia ebrioſis tota *Serm. in ebrietatem & luxum.*

vita quaſi nox eſt. „ Imo (ut ſcribit S. Hieronymus) quidam „ non ignobilis Orator, cùm ebrium de ſomno deſcriberet excitatum, ait: *Nec dormire excitatus nec vigilare ebrius poterat.* Quâ ſententiâ expreſſit quodammodò nec mortuum fuiſſe nec vivum. Æquè tempeſtivè ac utiliter in hujuſmodi torquebitur illud ex Pſalmo 37. deſumptum, lumen oculorum non eſt cum ipſo; quia vino obrutus nequit agnoſcere errorem, attendere quid expediat, audire monitorem officii; ſed quemadmodùm mortuus quiſquam in lecto jacens, comploſis palpebris, clauſiſque luminibus nullum omninò ſenſum habet, ità & hic; imò longè deteriùs affectus eſt. Mortuus enim bona æquè ac mala non ſentit: hic autem malorum tantùm admittit ſenſum, nihilque boni penitùs ſentit. Niſi velimus intelligere quòd idcircò ſacrificuli Belis lucem fugerint atque hominum commercia, quia adinſtar ſociorum Ulyſſis ebrietas velut altera Circe in beſtias eos tranſmutaverat. „ Quid enim non mali „ facit ebrietas? porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deterio- „ res. Nam porcus quidem in luto volutatur, ac ſtercore paſcitur, „ illa verò abominabiliori, quàm illa eſt, menſâ veſcitur, illicitos „ concubitus excogitans, exleges amores. Flagitiorum omnium mater eſt, procella corporis, naufragium caſtitatis. Ebrium certè nullus non averſatur & odit, quia ſponte ſibi furorem attrahit, & os, oculos, aures, cæteraque ſimpliciter ſenſuum inſtrumenta cloacas amariſſimas voluptatis conficit.

In cap. 5. ad Galat.

S. Chryſoſt. Hom. de ebrietate.

§. 43. Operæ pretium erit hìc annectere diſcrimen, quod S. Chryſoſtomus inter hominem frugi ac temperantem, & laſciviæ voluptatibuſque deditum conſtituit, ut perſpectâ utriuſque naturâ & qualitate quod maximè rationi ſalutique conſentaneum eſt amplectamur. „ Ac imprimis videamus, inquit, uter horum ſit vivens di- „ cendus. Adeamus iſtorum domos vel eo maximè tempore, quo „ tibi opulentus ille vivere videatur, cùm in ſuis, inquam, deliciis „ diverſatur. Ingreſſique ſpectemus quibus ſint iidem illi in rebus „ occupati: ex his enim quæ per eos gerentur, quotuſquiſque eo- „ rum fuerit, mortuuſnè an vivens ſit, apparebit. Inveniemus „ certè alterum libris incumbentem, vacantem rei divinæ, abſtinen- „ tiæ vel rebus neceſſariis incumbentem, habentemque cum Deo „ ſermonem: alterum verò madentem mero, & emortuum, apud „ quem ſi ad veſperum uſque moram traxerimus, nihil eum in me- „ lius videbimus profeciſſe, quin imminentem ei mortem magis ac „ magis augeri, & exortam indè increſcere ſomnolentiam. Hunc „ verò noſtrum (ſobrium dico & continentem) vel noctes ſpectabi- „ mus inſomnes ducere. Cum eo interdiu, noctuque verſari cupieris,

Tom. 2. ſerm. 3. contra gulam.

„ eum

„ eum quippè audies & de rebus cæleſtibus differentem, & Angelum potiùs agentem quàm hominem. Videſnè uti is pro ejus vitæ „ ſolertia & integritate inter vivos obtineat principatum: ille verò „ mortuis ipſis miſerabiliùs jaceat conſternatus & torpens, inter „ agendumque, ſi quid fortè agere videatur, nihil gerendarum re„ rum ordinem diſcernat, furentiumque ſit haud abſimilis? Et poſt „ pauca. Cogita quàm malè cum anima illa calamitoſa agatur quæ „ hoc in corpore tamquam in ſepulchro aliquo recondita eſt, & contumulata. „ Optio datur mortalibus; videant cujus ſortem eligant & diligant, an cum ſobrio verum ac ſolidum mentis bonum, an cum voluptuoſo vitam omni morte pejorem, præſertim ubi ipſæ quoque voluptates & deliciæ non ſint veraces, ſed fallaces? *Ne deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii.* Hæ à Sapiente panis mendacii vocantur, quia illices ſive illecebræ ſunt, ab illiciendo nimitùm, fallendo & decipiendo; mentiuntur enim ſe habere veritatem voluptatis, cùm ejus inanem dumtaxat contineant ſpeciem atque umbram: tenues quippè ſunt, viles, exiles, breves, quæ ſuperficiem carnis ac ſenſuum tantùm tirillant, neque animæ & cupiditatis interiora penetrant, ut eam plenè reficiant. *Palato tenùs percipitur ciborum voluptas, atque ibi terminum habet, ultrà palatum non ſentitur diſcrimen eorum, quæ ingeruntur, cùm omnia deindè æqualiter per naturam in fœtorem reducantur.* Venter quoque perfidus mercator, multarum rerum incommodum retinens, res ipſas non conſervat; nam deliciis corpus diſſolvitur, major ſtercoris copia reconditur, atque reponitur; ità ex ingenti afflictorum acervo navigio nimiùm oneribus oppreſſo crebra contingunt naufragia. Undè D. Chryſoſtomus ab uno aliquo ex his Epicureis ſciſcitatur: *Quid enim, reſponde quæſo, ita corpus pingue efficere ſtudes? an ut te ad immolandum ducamus, an ut immolatum menſæ apponamus? aves certè pingues ad ſaniorem diætam inutiles ſunt.* An quia Miloni Crotoniatæ vires olera non miniſtrarunt ſed carnes, arte impendiiſque coquorum parati, avidè devorandi erunt cibi irritamenta luxuriæ? *Quid neceſſe eſt viro ſapienti & Philoſopho Chriſti tantam habere fortitudinem, quæ Athletis & militibus neceſſaria eſt?* Cur non imitabitur Fabricii continentiam, Curii paupertatem? Chriſtiano ſanitas abſque viribus nimiis neceſſaria eſt. Edat tamen carnes ad humidi primigenii, & ſubtilium ſpirituum inſtaurationem, parcè tamen ne cùm valetudini atque ingenio ſtudet, virtutem amittat. Cur timeret, ſi à ſuperfluis abſtineat, ne aucupes ac venatores artificia ſua fruſtrà didicerint. Novit ſanitatem ſuam à nulla cauſa potentiùs ſuſtineri, quàm gaudio ex præcedentium virtutum fructu,

Prov. 27. v. 3.

Climacus apud Maximum ſerm. 27.

Homil. 45. in Matth.

S. Hieron. l. 2. adverſus Jovin.

& pulcherrimarum rerum contemplatione, Ille veraciter dicitur vivere, vigere, atque valere, qui habet in ſe inhabitantem ſpiritum. Inhabitare ſpiritum vult Apoſtolus, non inhabitaſſe, ut continuam ejus manſionem oſtendat; undè illud dictum eſſe conſtat, ſpiritus vita eſt per juſtitiam. Sanum cuique ſuggerit conſilium Epictetus, *Cura*, inquit, *ut te non cibi*, *qui in ventrem ingeruntur*, *alant*, *ſed animi lætitia : illi enim in excrementa vertuntur*, *&* *ſimul perit laus eorum*; *animus autem à corpore ſejunctus*, *incorruptus perpetuò manet*. Cùm primus homo exiit extrà, quia os à cibo internæ dulcedinis clauſit, tunc animi delicias amiſit : ità multorum (licet ſpirituales dici velint) ab interna dulcedine animus ſe elongat : faſtidio ſuo laborant, & longâ inediæ peſte fatigantur; nolunt intùs paratam guſtare dulcedinem, quia veris ſolidiſque cibis, æternis voluptatibus allia & pepones Ægypti præponunt, amantque foris miſeri famem ſuam. Hos graviter redarguit S. Gregorius, quando illis diſcrimen inter delicias corporis & cordis declarat. „Corporales, ait, deliciæ „cùm non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt : cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinùs in faſtidium per ſatietatem vertunt : at contrà ſpiritales deliciæ, cùm non habentur, in faſtidio ſunt, cùm verò habentur, in deſiderio : tantoque à comedente ampliùs eſuriuntur, quantò & ab eſuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, & experientia diſplicet : in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat : in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Athletæ ſunt, fateor, commilitones Chriſti, ſed non ſicut olim pugiles carnem ſaginando robur acquirere debent; in diverſo enim certamine, & contra alterius generis inimicum ipſis luctandum eſt, qui per corpus ipſum eos nititur ſuperare : ideò contrario planè modo victores evadere poterunt per corporis macerationem.

In Enchirid.

Homil 36. in Evang.

——— *Sic ars deluditur arte.*

Athletæ igitur cùm ſint omnes Chriſtiani & potiſſimùm Religioſi, quibus frequentiora ingruunt prælia caſtitatis, quæ inter omnia alia ſunt periculoſiora, ubi continua pugna, rara victoria; indignum prorsùs eſt ſacrâ illâ militiâ, probroſum tàm ſanctæ profeſſioni illos tempore belli, tempore certaminis ſedere in deliciis, quando ſtat ſtridens dentibus adverſarius, menſis vacare, dum Chriſtus fame tabeſcit, voracitate ſeipſos diſtendere. Imò nec per ſobrietatem (modò debita adhibeatur moderatio) corporis vires infringuntur, ſed vigor conſervatur : nam ſacra abſtinentia non voluptatem ſolùm

ſolùm, ut diximus, ſed ſecuritatem, libertatem, animi ſolertiam, bonam habitudinem & ſanitatem præſtat. *Qui ægrotat, non aliter* S. Hieron. lib. *recipit ſanitatem, niſi tenui cibo & caſtigato victu, quæ μικρὰ δίαιτα dici-* 2. adverſus *tur, quibus ergo cibis recipitur ſanitas, his & ſervari poteſt.* Jovin.

§. 44. Quaſi à peſte ſic à podagra omnes abhorrent, cùm nihilominùs tenaci hoc malo non deſinant plerique copioſam ſuppeditare materiam. Benè nodoſam appellar Ovidius, quia morbus ipſi eſt ferè incurabilis, ſic de illa canit.

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram. Lib. 1. de Ponto Eleg. 4.

Attamen D. Hieronymus author eſt ei tenuitate victûs mederi. „ Legimus, inquit, quoſdam morbo articulari & podagræ humo- Lib. 2. adverſus Jovin. „ ribus laborantes, proſcriptione bonorum ad ſimplicem men- „ ſam, & pauperes cibos redactos convaluiſſe. Caruerant enim ſol- „ licitudine diſpenſandæ domûs, & epularum largitate, quæ & cor- „ pus frangunt & animum. Scitum eſt Scholæ Salernitanæ ſobrietatem defectum ac vicem Medici ſupplere.

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant Cap. 1.
Hæc tria: mens hilaris, requies moderata, diæta.

Idem confirmat S. Athanaſius apud Antonium in Meliſſa. *Corpora ægra*, inquit, *curationis & abſtinentiæ beneficio reſtituuntur. Reſtituta verò per negligentiam & repletionem paulatim relabuntur, & ad eoſdem morbos recidunt.* Quamvis enim natura ſecundùm cauſas inferiores, id eſt, ſecundùm humores ac temperiem corporis annorum & dierum terminum homini præfixerit, ſobrius tamen eum prorogare poteſt per abſtinentiam cibi: ebrius verò & guloſus eum abbreviare, dum gula & crapula naturam labefactant, mortiſque gradum corripiunt. Meritò quorumdam Senum damnanda eſt inſania, quòd inordinata ad reſtaurationem ſanitatis applicent media; tantus ſiquidem in malis ſenibus eſt plerùmque gurges aviditatis, inſatiabilis vorago ventris & gutturis; ut, quantâ boni ſenes prudentiâ ſerenanrur, rantâ iſti vinolentiâ ſepeliantur: quaſi ad hoc in iis arida viſcera & ſucco exhauſta curventur, ut ad vigorem priſtinum reparandum ebrietatis inundatione riganda ſint. A carnium eſu multi abſtinuerunt Philoſophi, corpore ſatis, ingenio maximè valentes. Xenocrates Philoſophus de Triptolemi legibus apud Athenienſes tria tantùm præcepta in Templo Eleûſinæ reſidere ſcripſit, honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non veſcendum. Apud eamdem Eleuſinam quibuſdam etiam pomis abſtinere ſolemne erat. Laërt. in Zenon. Zeno Stoïcorum parens teſte Laërtio *anno nonageſimo octavo vitâ*

 exceſſit,

exceſſit, *incolumis*, *integer*, *ac ſine morbo*: *erat autem ſimpliciſſimi victûs*, *crudiſque tantùm cibis utebatur.* Aut, ut narrabat antè, *edebat modicè panem & mel*, *& paululùm ſuavis vini bibebat.* Multorum dierum inediam quandoque toleravit Democritus ſolo odore mellis, & trium dierum halitu recentis panis. Quin Plotinus illuſtris ille Platonicus abſtinentiâ carnis, & ſæpè etiam panis ad ſexageſimum ſextum annum duravit, perpetuis noctu diuque ſtudiis & inſomniâ magis, quàm morbo extinctus. Adjice huic Chryſantium ſub Juliano Apoſtata Philoſophum, qui carne vix aut parciſſimè veſceretur, octogenario erat major, adeò tamen vegetus, ut à Medicis nimis effusè ſanguinem mittentibus fuerit interfectus. Athenæus ex Ariſtoxeno ſcribit, *Pythagoricorum nutrimentum fuiſſe panem cum melle*, additque *morbum nullum ſenſuros*, *qui pranſuri eo cibo quotidiè veſcantur*: *& ideò Corſos eſſe tam longævos*, *quod melle apud eos abundantiſſimo numquam non utantur.* In Democrito illud experientia declaravit, qui melle totâ vitâ uſus ac delectatus ad annos novem & centum eam produxit. Hinc Galenus: *Mel deſpumatum*, inquit, *per ſe optimum nutrimentum frigido ventriculo.* Xenophon polentâ, cardamo, ſale & pane cibario Perſas aſſerit victitare. Undè Cyrus Perſa Avo ſuo Aſtyagi compendioſiorem viam ad ſanitatem dixit apud Perſas, quàm apud Medos inveniri: dum enim lautam atque opiparam inſtruxiſſet cœnam Aſtyages à Cyro rogavit, *An non cœna iſta Medica melior eſſet Perſicâ?* Reſpondit: *nequaquam Ave*, *ſed eſt multò ſimplicior & directior apud nos via ad ſanitatem*, *quàm apud vos. Nam ad hanc nos ducit panis & caro*: *at vos eòdem quidem*, *quò nos tenditis*; *ſed per multas ambages ſurſùm deorſùm vagantes*, *vix tandem eò pertingitis*, *quò nos jamdudùm perveneramus.* Mira ſunt, quæ Chæremon Stoicus vir eloquentiſſimus, quem citat D. Hieronymus, narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum; quòd, ex quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus ac vino ſemper abſtinuerint. Pane raro veſcebantur, ne onerarent ſtomachum; & ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſſopum ſumebant in cibo, ut eſcam graviorem illius calore decoquerent. Oleum tantùm in oleribus noverant, verùm & ipſum parùm, propter nauſeam atque aſperitatem guſtûs leniendam. Ovum quoque & lac pro carnibus vitarunt, quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant colore mutato. Bidui triduique inediam ſuſtinentes humores corporis, qui naſcuntur ex otio, & ex manſione unius loci nimiâ victûs caſtigatione ſiccabant. Joſephus Eſſenos miris effert laudibus, quòd ab uxoribus, vino & carnibus ſemper abſtinuerint, & quotidianum jejunium verterint in naturam. Super quorum vita Philo

Lib. 2.

Lib. 7. Method.

In Pædia Cyri.

Xenophon lib. 1.

D. Hier. lib. 2. adverſus Jovin.

18 Antiquit lib. & 2. vol. contra Appionem.

Philo vir diſertiſſimus proprium volumen edidit. Bragmanas & Samaneos apud Indos Gymnoſophiſtas tantæ continentiæ fuiſſe ſcribit Bardeſanes vir Babylonius citatus à D. Hieronymo, ut vel pomis arborum juxta Gangen fluvium, vel publico orizæ, vel farinæ alerentur cibo : cumque Rex ad eos veniſſet, adorare illos ſolitus fuerit, pacemque ſuæ provinciæ in illorum precibus arbitrari ſitam. Pythagoræ, Socratis, Antiſthenis & reliquorum frugalitatem in noſtram confuſionem referre quid attinet ? Non erit tamen ſilentio prætereundus Diogenes ἡμερόβιος vulgò appellatus, quòd in diem viveret, nihil de craſtino ſollicitus, in præſentem horam poſcens à quolibet & accipiens cibum: cujus virtutem & continentiam non ſolùm vita mirabilis, ſed mors quoque indicavit. Ad Agonem Olympiacum, qui magnâ Græciæ frequentiâ celebrabatur, jam ſenex pergens febri in itinere dicitur apprehenſus, accubuiſſe in crepidine viæ : amicisque eum volentibus aut in jumentum, aut in vehiculum tollere, non acquievit : ſed tranſiens ad arboris umbram, locutus eſt : *Abite quæſo & ſpectatum pergite : hæc me nox aut victorem probabit, aut victum. Si febrim vicero, ad Agonem veniam : ſi me vicerit, ad inferna deſcendam.* Ibique per noctem eliſo gutture non tàm mori ſe ait, quàm febrem morte excludere. Vehementiùs hoc exemplo incenſus D. Hieronymus exclamat : *Qui paupertatem Apoſtolorum, & crucis duritiam aut neſciunt, aut contemnunt, imitentur ſaltem gentilium parcitatem.*

Ibidem. Lib. 2. adverſus Jovin.

45. Tanta ſemper fuit abſtinentiæ præſtantia, tanta utilitas, ut beatitudo Paradiſi abſque illa non potuerit dedicari. Ab exordio generis humani primum quod Adamus in Paradiſo accepit præceptum fuit, ut cætera poma comedens, ab una arbore jejunaret. *Quamdiù jejunavit in Paradiſo fuit: comedit & ejectus eſt : ejectus ſtatim duxit uxorem. Qui jejunus in Paradiſo fuerat, ſatur in terra matrimonio copulatur.* Verùm per jejunium poſſe nos redire in Paradiſum, undè per ſaturitatem fueramus ejecti, oſtendit Elias curru igneo (ut conſtans multorum Scriptorum eſt ſenſus) in Paradiſum raptus; qui immortalis antè cœpit eſſe, quàm mortuus. Hic priùs quadraginta dierum jejunio optimè præparatus Deum videre meruit in monte Oreb, & ab ipſo audire: *Quid hîc agis Elia ?* audivit & Deum Adamus quando dixit, *Adam ubi es ?* ſed familiarior multò fuit iſta vox ad Eliam, quàm illa in Geneſi quæ paſtum terrebat & perditum, alia verò jejunanti famulo blandiebatur. Magnum ſanè ac antiquiſſimum decus eſt jejunii & abſtinentiæ quod ad Deum ducit, ubi deliciæ ſalutem produnt. Indictum primis parentibus jejunium, abſtinentiæ lex

Idem ibidem. 3. Reg. 19. Geneſ. 3.

lex à Domino Deo, prævaricatio legis à Diabolo; culpa per cibum, latebra poſt cibum; cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio. Per hoc ad Deum citiùs pervenitur. Hoc gradu Helias aſcendit; ſed priùsquam curru ad Cælum abiret hanc ſobrietatis atque abſtinentiæ hæreditatem diſcipulo reliquit, qui farinâ & agreſtibus oleribus hoſpitalitatis beneficentiam adimplevit; horum offenſi filii
4. Reg. 4. Prophetarum, quos alebat, amaritudine, cùm manducare non poſſent propter adjunctas colocynthidas, levis farinæ aſperſione omnem illam amaritudinem temperavit, abſtinentiæ Propheticæ munere veneni vires extinguens. Sobrietatis verò quanta ſit commendatio, tum ratio, tum exempla paſſim demonſtrant. *Nullus enim ex aqua factus eſt ebrius: nullus aquam potans alienis pedibus eſt uſus, nec pedes ejus ullius umquam ope indiguerunt. Nullius etiam manus aquâ irrigatæ auxilium expectavere.* Filii Iſraël quando murmurabant Angelorum cibum contemnentes, requirentes Ægypti delicias à ſerpentibus moriebantur: quando per maris rubri tranſibant ſemitam, aquam bibebant. Illi donec manna tantùm & aquâ contenti fuêre, mare pedibus tranſierunt, gentes validiſſimas ſuperarunt, in eorum Tribubus nullus æger ac debilis fuit. Quando autem deſideriis ſuis in Ægyptum convertebantur, & carnes ſuſpirabant, ſcribitur populus craſſus Ortygometram ad choleram uſque ructaſſe, & carnibus deditus ruiſſe, undè ſepulchra concupiſcentiæ in ſolitudine uſque hodiè perſeverant. Ex tot millibus hominum, exceptis duobus, nemo potuit terram promiſſionis lacte & melle manantem intrare. Moyſes per jejunium mandata digito Dei in tabulis conſcripta ſuſcepit. In ſuperioribus quidem montis Sinaï lex dabatur Moyſi jejunanti, cùm jejunium legis latæ conciliator eſſet; in inferioribus prævaricatio ſacrilega luxu accendebatur epulantium: quo ſpectaculo commotus Moyſes audacter tabulas fregit ſciens Dei Sermonem non poſſe audire temulentos, indignumque judicans ut vinolento populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit jejunium, conteri fecit ebrietas; quadraginta dierum labor ac perſeverantia Dei ſervo continuò jejunante atque orante unius horæ ſaturitate periit. Neque ſecunda conſcriptio tabularum abſque jejunio potuit impetrari. Moyſes proindè iterùm legem accepturus, iterùm jejunio
Joſ. 10. opus habebat; ut inedia reperiret quod ebrietas perdiderat. Adverſus Amalec uſque ad veſperam jejunio dimicatum eſt. Hujus armis munitus Joſuë ſtationem imperavit Soli ac Lunæ, & inediam pluſquam unius diei victoris exercitus protelavit. Nonnè ſterilitatem matris Samſon vini abſtinentia fœcundavit? nonnè Anna uxor Elcanæ inanem cibo ventrem filio meruit implere? ex quibus duo generati

D. Baſil. ſerm. 1. de jejun.

generati, unus fortiſſimus, alius obſervantiſſimus, Samſon & Samuël filii repromiſſionis: hi per abſtinentiam, jejuniumque concepti dignos ſe præbuerunt, qui jejuno gremio diu foti, & quodam abſtinenti effuſi utero viderentur. *Samſonem* (ità loquitur D. Baſilius) *jejunium concepit, jejunium virum ac fortem fecit; quod ſanè Angelus matri præceperat monens, quæcumque ex vite procederent ne attingeret: non vinum, non ſiceram biberet. Jejunium Prophetas gignit, potentes confirmat atque roborat. Jejunium Legiſlatores ſapientiâ confertos facit.* Daniel & ſocii revelationem ſomnii, quod viderat Rex Nabuchodonoſor, jejunio meruerunt. Ipſe poſt jejunium leonibus in lacu fuit horribilis. Pulchra omninò res, quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret: vir enim deſideriorum panem tribus hebdomadibus minimè comedens, nec aquam bibens, leones quoque miſſus in lacum jejunare docuit; abſtinentiæ ſiquidem ſoliditate in rigorem ferri candentis in aqua tincti corpus duratum non patuit vulneri. *Clauſa tenebant feri leones ora, quæ abſtinentia Propheticæ ſanctitatis comprimebat, ut ea aperire non poſſent meriti quibuſdam vinculis alligata.* Amiantus lapis eſt friabilis in modum lanæ, alumini ſciſſili adeò ſimilis, ut à Seplaſiariis pro eo ſupponatur. In flamma conſtitutus (quemadmodùm referunt S. Baſilius & S. Ambroſius) verti in carbonem videtur; indè verò ereptus quaſi per aquam ablutus purior redditur, & reſplendet nullo facilis igne conſumi: propterea ex illo tenuiores faciunt ellychnia. Texitur etiam in veſtes & mappas, quæ ſordidatæ igne purgantur. Hujuſmodi fuiſſe ſcribunt corpora trium puerorum apud Babylonem ex jejunio viſa, quæ per hoc quaſi in Amianti naturam transformata vapore ignis non ad diſpendium ſui, ſed ad gratiam mutabantur: in magna namque camini flamma, quam & bitumen, & pix, & ſarmenta, circumpoſita in cubitorum 49. altitudinem, excitabant, illi velut aurei naturâ exiſtentes ignis vim ac nocumentum ſuperarunt, talemque jejuni ingreſſi pyram, velut aërem leniſſimum roſcidumque calcantes, in tàm vaſto igne ne unum quidem ex capillis amiſerunt. Jejunium obturavit ora leonum, extinxit impetum ignis. „ Eſt ergò „ jejunium reconciliationis ſacrificium, virtutis incrementum, „ quod fecit fœminas fortiores augmento gratiæ. Eſther namque „ pulchrior facta eſt jejunio. Dominus enim gratiam ſobriæ mentis „ augebat: omne genus ſuum, id eſt totum populum Judæorum „ à perſecutionis acerbitate liberavit. Judith ſobrii vigore conſilii „ abſtulit Holofernis caput, ſervavit pudicitiam, victoriam reportavit. In ſpiritu & virtute Heliæ venit prodromus Chriſti Joannes, cujus vita unum fuit jejunium. Locuſtis alebatur ac melle ſil-

Serm. 1 de jejun.

D. Ambr. de Hel. & jejun. cap. 7.

D. Baſil. ſerm. 1. de jejun. D. Ambr. ubi ſuprà.

D. Ambr. de Hel. & jejun. cap. 9.

veſtri, non carnibus; habitatioque deſerti, & incunabula Monachorum talibus inchoata fuerunt alimentis. Tanta denique eſt virtus jejunii, tam ſpecioſa militia, ut jejunare delectaverit etiam Chriſtum. Gulæ jejunium prætulit, ut laqueos tentatoris ſui & vincula diſſolveret. Sic antè præliatus eſt, ut vinceret, per jejunium diaboli inſidias conatuſque evadens; non quòd ipſe egeret certamine, ſed ut nobis formam debellandi præſcriberet, & poſteà daret gratiam triumphandi. Hoc modo nos inſtruere voluit, ut jejuniis, exercitationibus ac palæſtris noſmetipſos ad certamina cum inimicis paratos reddamus, utque adverſario per abſtinentiam anſam omnem ad erectionem contra nos eripiamus. Quid veteres Ægypti & alibi Anachoretas memorem? nullus penè Sanctus citra jejunium pro-
D. Baſil. ſerm. 1. de jejun. miſſam juſtitiæ coronam fuit adeptus. Ipſum eſt *animæ optima cuſtodia, corpori cohabitatio ſecura, fortibus viris munimentum & arma, Athletis & certantibus exercitatio.* Sanctorum igitur, qui hâc fuerunt virtute illuſtres, imitemur exempla, ſi & illorum cupiamus præmia. Certamen noſtrum eſt jejunium: imò, ſi tentationem expellere velimus, jejunium contra dæmonum exercitum ſunt arma; ſi pietatem cupimus, ad illam nos inungit; ſi ſobrietatem, hanc nobis familiarem reddit; ſi modeſtiam, illam generat jejunium, omnibus proficuum & ſalutare; utpotè (ſi D. Baſilio cre-
Serm. 1. de jejun. damus) *domorum augmentum, ſanitatis mater, juventutis pædagogus, ornamentum ſenioribus, iter facientibus optimum viaticum, cohabitantibus ſecurus contubernalis.* Hoc etiam divo Ambroſio
De Hel. & jejun. c. 8. eſt *ſenilis gratia, cuſtodia juventutis.* Approbaverat haud dubium utriuſque placitum Martinus ab Azpilcueta Doctor Navarrus, Canonicus Regularis: Is conſuetudinis beneficio, quæ maximam ubique, maximeque principalem vim habet, obtinuerat, ut de ſe vera-
Navar. c. 21. n. 16. Manual. citer illud poſſet fateri, *Gratias ago Deo, octogeſimum annum agens, perindè poſſum jejunare, ac cùm agerem ſexageſimum, imò & quinquageſimum.*

§. 46. Eſt morum quoddam ſenium, quod ſapientiæ & virtutis maturitate acquiritur; undè ſenſus cani dicuntur ac ſenectus venerabilis, gratiſſima certè ætas, in qua animus plurimùm viget, cui ſecundùm virtutem vivere delectat, ubi juvenili fervore domito, pacatiùs tranquilliùſque Deo & menti vacare da-
Ep. 12. tur. *Quàm dulce eſt* (teſte Senecâ) *fatigaſſe ac reliquiſſe cupidita-*
D. Ambr. de Hel. & jejun. cap. 8. *tes.* Præſtat id totum jejunium, *continentiæ magiſterium, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis, forma ſobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ:* quod alibi vocatur ab
Ibidem c. 3. eodem *refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum.* Cur ergò noſtram

noſtram contemnemus animam propter corpus calumniam patientem? Dum gulæ vacantes corpus ſaginamus, mentem proculdubio tabefacimus nullâ ſalutarium ac vitalium alimoniâ ſubminiſtratâ, quorum nullam habemus rationem. In pugna alterius auxilium facit ut alter vincatur; ſic caro per ſaginam carni addita ſpiritum expugnat: ſpiritum verò qui juverit, carnem in ſervitutem redigit. Hic eſt ſcopus & finis jejunii, ad hoc inſtitutum, ad hoc aſſumptum, ut caro ſpiritui ſubijciatur. *Jejuniis vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates.* *D. Cyprian. ſerm. de jejun.* Si mentem itàque robuſtam ac valentem nobis eſſe voluerimus, carnem per jejunium ſubjugabimus: hinc fiet, ut tantùm interior homo noſter renovetur de die in diem, quantùm exterior corrumpitur. Non ſumitur hìc jejunium tàm ſtrictè, ut ſit abſtinentia à cibo ultrà quàm temperantiæ regula poſtulat; neque de Eccleſiaſtico hìc ſermo, neque de rigido illo Philoſophicô aut morali: ſed de illa tantùm abſtinentia, quæ juxta rationis præſcriptum in ſumptione cibi ac potûs appetitum moderatur, ut jejunii tàm Medicinalis quàm Philoſophici fines & fructus aſſequamur, ex quibus præſtantiſſimum confici poterit amuletum: verùm illud jejunium D. Baſilius nominat, ab omnibus nimirùm vitiis eſſe alienum; *Neque enim fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur.* *D. Leo ſerm. 4. de quadrag.* Potiſſima abſtinentia eſt ab omni luxu, ebrietate, laſcivia, ut opera detur ſobriæ remiſſioni, ac ſanctæ ſynceritati. Deus ventrem nobis coarctavit, brevem ſtatuit cibi menſuram, ut animæ curam gerere doceret. Os nobis ac lingua ad laudes eſt aſſignata divinas, guttur ad vocem, non nimiam cibi potûſque ingurgitationem. Qui nimiùm corpus impinguamus, animæ cibum detrahimus. *Semper virtuti cibus jejunium fuit: de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria conſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, & virtutibus ſpiritus innovatur.* *Idem ſerm. 2 de jejun. decimi menſis.*

§. 47. Eſca quærenda nobis eſt, cujus virtute diebus ac noctibus progredientes ad ſupernorum poſſimus cognitionem venire. Hanc fructum ſpiritualis jucunditatis meritò appellat Reverendus P. Joannes à Schoonhovia Canonicæ noſtræ quondam Superior. „De vita, inquit, religioſa Deus nobis dedit pignus ſpiritus, quo ejus „dulcedinem ſentiamus, deguſtemuſque ipſum fontem vitæ, quo „ſobriâ irrigemur ebrietate; tamquam lignum, quod eſt plantatum ſecùs decurſus aquarum, ut jam poſſit dicere anima noſtra illud Canticorum: Introduxit me Rex in cellam vinariam, in qua „introducta anima bibit de vino condito inæſtimabilis Deitatis, & „de lacte candidiſſimo incontaminabilis humanitatis. O felix *Ex M. S. viridis Vallis.*

 „ebrietas

„ ebrietas, quam ſequitur & mentis & corporis tam caſta ſobrietas. „ Hic efficitur anima more ebrii gaudens & lætabunda; in adverſis „ fortis, ſecura in periculis, prudens ac diſcreta in proſperis. Et „ tandem quieta & ſomnolenta recumbens in divinis amplexibus, „ quando ſponſæ caput leva ſponſi amicabiliter ſuſtentatur, & dile- „ ctam dextera dilecti familiariter amplexatur. Animam igitur faciamus perſpicaciorem, alas ei leves nectamus, molliora vincula; rationibus eam paſcamus: jejunium verò eſt cibus mentis, quo epulatur anima. *Hic cibus Angelorum eſt, ut divino famulentur imperio. Nulla illis cura menſarum, nullus conviviorum uſus, nullæ repoſitæ epulæ, nullus vini potus, aut ſiceræ, nulla diſtenſio corporis, nulla ventris offenſio.* Ideò teſte Sapiente *juſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis.* Satiat animæ ſuæ famem ac deſiderium; cibo ſuo eam nutrit, ſpiritualibus nimirùm alimentis, piis affectibus eam replet: venter impiorum inſaturabilis eſt, quia eorum fames & gula non ſatiatur. Magni proindè viri longè majorem mentis quàm ventris curam gerentes jujunio fuere dediriſſimi, qui tamen in ultimam ferè ſenectutem vitam extraxerunt. Origenes (ut teſtis eſt Epiphanius) ad annum ſeptuageſimum hoc modo pervenit, homo ſtudiorum & diligentiæ infinitus, ac ſex millium librorum ſcriptor. S. Auguſtinus ad ſeptuageſimum ſextum. S. Hieronymus (ut quibuſdam placet) ad nonageſimum octavum: qui omnia mala ſenectutis bono lubenrique ſtomacho digerere erat paratus, dummodò unâ & graviſſimâ dominâ libidine careret: ad quod nullum præſentius niſi jejunium remedium noverat. Tam præſentem ac vegetum Martino Navarro animum fuiſſe accepimus anno ætatis octogeſimo, ut eodem inclytum illud ſuum Manuale Confeſſariorum conſcripſerit, temperantiæ continuò intentus ne relaxatione corporis puritas mentis obſcuraretur. Actu tamen metiebatur vitam ſuam, non tempore. Nihil ipſi cum Seneca turpius videbatur, *quàm grandis natu ſenex, qui nullum habet argumentum, quo ſe probet diù vixiſſe, præter ætatem.* Cùm enim in febrim incidiſſet, eumque Medicus ac nominis ipſius ſtudioſi deprecarentur, ut à ſtudiis velut receptui canens in tam longæva ætate, atque à diuturna illa auſteræ vitæ ratione abſtineret, nihil impetrarunt, niſi reſponſum haud abſimile à Diogenis, is admonenti ut jam ſenex quieſceret à laboribus, *quid*, inquit, *ſi in ſtadio currerem, an oporteret jam metæ vicinum curſum remittere, an magis intendere?*

D. Ambr. de Hel. & jejun. c. 3.

Prov. 13. v. 25.

De tranquill. anim. c. 3.

In ejus vita quæ extat ante opera.

§. 48. Itàque jejunium quandoquidem ſcripturarum deliciis paſcatur, contemplatione cæleſti reficiatur, gratiâ ſtabiliatur, cæleſti

ſti pane nutriatur; rectiſſimè mihi dixiſſe videtur S. Cyprianus: *Quotquot viros virtutum vidimus, ſine jejunio non legimus aſcendiſſe: nec aliquid magni moliti ſunt, niſi priùs abſtinentia præceſſiſſet.* *Serm. de jejun.* Nonnumquam verò indulgendum eſt animo, dandumque ſubindè otium, quod alimenti ac virium loco ſit: quandoque convictus & liberalior potio vigorem dabunt, eluit enim curas, & ab imo animum movet Liber, qui *non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini; ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit. Sed ut libertatis, ità vini ſalubris moderatio eſt.* *Sen. de tranquill. animæ in fine.* Triſtis aliquando removenda eſt pauliſper ſobrietas, & non nihil tantùm in exultationem libertatemque extrahendus animus in altioribus curis intentus & erectus. Verùm ne à medio rationis, quod virtus temperantiæ conſtituit, recedatur, regulam præſcribit S. Auguſtinus, ubi dicit: „Non „intereſt omninò ſcilicet ad virtutem, quid alimentorum vel quan„tum quis accipiat, dummodò id faciat pro congruentia hominum „cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſi„tate: ſed quantâ facilitate & ſerenitate animi his valeat, cùm „oporteat, vel neceſſe eſt, carere. *Lib. 2 quæſt. Evang. c. 14. ante medium. tom. 4.* In comparatione verò ad valetudinem corporis moderatio ciborum ſecundùm quantitatem & qualitatem ad artem Medicinæ pertinet. *D. Thom. 2. 2. q. 196. art. 1.* Neque ſupervacanea cenſenda eſt hæc circumſpectio atque obſervantia, quandoquidem ſapientibus ac ſtudioſis cura ſanitatis incumbit, ut in epiſtola ſua ad Hippocratem inſinuat Democritus; quia αὔξεται νόος παρεούσης ὑγιείης mens creſcit, ubi adeſt ſanitas. Certè Divum Baſilium, qui tam præclara edidit jejunii elogia, propter frequentes ſuos morbos Medicinam didiciſſe ſcribit Nazianzenus. *Naz. orat. 20.* Undè abſtinentiam ut corpori ſalubrem commendat Medicus, ut ingenio Philoſophus, ut animæ Theologus.

SYMBOLUM XXX.



Juvenalis ſatyr.13.

EXemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet Authori. Prima eſt hæc ultio, quòd ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur.

Quoad extremum tribunal vix aliqui tam excelſi ſunt animi, qui (licet aliàs ſufficienter convicti) ſeipſos accuſandò violentam mortem ſubeant. Agnoſcunt alii facinus, ab eo tamen culpam removent, quod non ſolùm ab omni contendunt infamia vindicare, ſed æternâ inſuper laude dignum cenſent. Hieronymus Olgiatus Mediolanenſis adversùs Ducem Inſubrum Galleaceum Sforciam cum Carolo Vice-comite,

Todo juez de ſi miſmo halla luego textos de eſcapatoria,

Andrea

Andrea Lamponiano & alio conjuraverat. A cujus cæde in templi foribus die S. Stephano Sacrâ perpetrata ſperabat ſibi,

y ſobornos de paſſion. Lorenço Gracian. en ſu Heroë.

——— *Magnum & memorabile nomen*:

Quòd nimirùm per omnia ſæcula communi narraretur præconio. In carcere atque inter ſæviſſima tormenta commentarium dictavit, quo clarè dilucideque fatetur, ſolo ſe gloriæ ac magni nominis deſiderio ad illud facinus impulſum faces ſubdente Cola Montano Præceptore, qui Brutum & Caſſium Cæſaris interfectores encomio perpetuo extollebat. Secundum ac vigeſimum nondum excedebat annum; effigie mollique corpore virgini quàm viro ſimilior. Se ſuoſque complices clarâ voce intrepidoque animo commendans, nullum umquam pœnitentiæ ſignum oſtendit: ſed cùm jam cultro obtruſo illi pectus incideretur, Notarius, qui morienti aſtabat, ſcripſit eum latinè hæc verba effudiſſe: *Collige te Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua.* Undè *innocentem quiſque ſe dicit reſpiciens teſtem non conſcientiam.* Protinùs ut ad illam ſe facinoroſus convertit, obiraſcitur fortunæ ſuæ; de ſe & de ſæculo ſuo quærens in angulos ſe retrahit, pœnæque ſuæ incubat, dum tædet ſui pigetque. Conſcientia etenim, quæ eſt cordis ſcientia, omnium delictorum aſtat teſtis; *Ipſa eſt judex, ipſa tortor, ipſa carcer. Ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa punit, ipſa damnat.* Reſidet intùs gravis peccatorum tumultus, jugis metus, tempeſtas, turbatio. Videbis velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ conſediſſe regalem, & tamquam judicem quemquam ſedentem, cogitationeſque loco carnificum adhibentem, in eculeo ſuſpendentem, lateraque conſcientiæ radentem ungulis pro commiſſis, vehementer inclamantem: cùm nemo ſciat, niſi quòd ſolus Deus hæc videre noverit. Conſcientia, etſi in nobis ſit, ſine nobis tamen operatur, impulſa vi quâdam interiore divinâ, cùm arbitra ſit & carnifex actionum noſtrarum. Hujus tyrannidem Nero quondam expertus fuit, poſtquàm matrem tolli juſſiſſet è medio: nam *ſceleris demùm intellectâ magnitudine, reliquonoctis, modò per ſilentium defixus, ſæpiùs pavoreexurgens, & mentis inops lucem operiebatur t amquam exitium allaturam.*

Fulgoſ. lib. 8. c. 15. & Egnatius eodem cap.

Sen. lib. 1. de ira. cap. 14.

S. Bern. lib. de conſcient. cap. 9.

Tacit. lib. 14. Annal.

§. 1. Lux Solis intuentium oculis amabilis, ſuavis mentibus admirantium ſuper bonos & malos radios ſuos diffundit; ob diſparem tamen eorum conditionem idem in illis non operatur. Nihil novi. *Solem lumina ægra formidant, & averſantur diem ſplendi dum nocturna animalia, quæ ad primum ejus ortum ſtupent, & latibula ſua paſſim petunt, abduntur in aliquas rimas timida lucis.* Verus autem ac genuinus Aquilæ pullus non palpitat acie ullo modo, ſed

Sen. de vita beata. c. 21.

ſed fixo obtutu Solem gaudet intueri. Bonis lætitiam generat coruſcus Solis aſpectus, malis horrorem & fugam cauſat; quia teſtem ſcelerum averſantur: hinc amant magis tenebras quàm lucem.

D. Chryſoſt. tom. 1. Concion. 1. de Lazaro.

„Qui committit adulterium, etiamſi millies fuerit dives, etiamſi „nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen intùs ſeipſum ac„cuſare; & voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus, „timor undique ac tremor, ſuſpicio & anxietas. Angulos metuit, „umbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, conſcios, inſcios, „illam ipſam quam corrupit, & virum quem affecit contumeliâ: „obambulat amarum accuſatorem circumferens conſcientiam, „cùm ſit ſuo ipſe judicio damnatus, nec vel ad breve tempus poſſit „reſpirare. Nam & in lecto, & in foro, & in domo, & interdiu & no„ctu, & in ipſis frequenter ſomniis hæc iniquitatis ſimulacra videt: „ipſius Caim vitam vivit, gemens ac tremens ſuper terram, cùm „nemo ſciat, intùs tamen habet ignem implicitum. Quid hoc rei, quid monſtri eſſe dicemus? ſcit nocens facinus in ſolitudine, ſemotis arbitris, in ſolum aliquem à ſe commiſſum: ſcit cadaver hominis à ſe occiſi altâ terrâ obrutum: ſcit animum multis ſimulationum involucris ab oculis humanis remotum, & ecce tremit tamen, angitur, palleſcit, & conſcientia mentem anxiam vaſtat. Mala enim conſcientia tuta eſt aliquando, ſecura numquam. Undè hoc? à Deo, inquam à Deo eſt, cui peculiare obſtacula removere, mentem movere. Hic inter eſt, imò in eſt, non actionibus modò hominum, ſed & animis; & ut numiſma impreſſam habet Principis imaginem; ità homo Dei: eaque, ſi uſpiam, certè in conſcientiis hominum quàm maximè elucet. Egregiè Imperator: *Ex quo ſceleratiſsimus quis conſilium cepit, exindè quodammodò ſuâ mente punitus eſt.*

L. ult. C. ad l. Jul. Majeſt.

§. 2. Habet ſuum diem anima, habet ſuam noctem; quodque aliorum triſtitiam diſſipat, eoſque ad hilaritatem reducit, hoc alios vexat & perturbat. *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Lux iſta jucundiſſima eſt, quæ cuique pio & honeſto viro jucunditatem atque maximè optatam ſecuritatem affert: quam impii exhorrent, ac ſi eſſet quædam mortis ſimilitudo & repræſentatio cum obſcuritate quadam atque caligine conjuncta; aut mors ipſa: dum enim vel ſomno vel voluptate conſopiti, tardiùs experrecti repentè luce matutinâ ſe præoccupatos ac circumventos vident, ſic perturbantur, ut ante mortem atque ſupplicium præ timore penè vitâ excedant. Agnoſcit in quanto diſcrimine verſetur, qui alienæ domûs invaſor, alieni thori eſt appetitor & oppreſſor. Continuò in flagranti ſe deprehenſos exiſtimant; interdiu timent,

Job. c. 24. v. 17.

noctu

noctu perturbantur. Nullæ ſunt impiis timoris & perturbationis induciæ, aſt perpetua anxietas.

Hi ſunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli,
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed *Juvenalis ſatyr. 13.*
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, curâ graviore timetur
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno:
Præterea lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpêre pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt à Numine, ſaxa Deorum
Hæc & tela putant.

Semper tamen perturbata conſcientia in actu peccatorum ſuorum deprehenditur & comprehenditur. „ Nam dum paſci ſe voluptati-
„ bus credit, anxietatibus cedit humanis, pudoribus & confuſioni- *D. Bern. lib. de*
„ bus reverberata. Sicut ſcriptum eſt, *In operibus manuum ſuarum* *conſcientia c.*
„ *comprehenſus eſt peccator.* Verbi gratia appetit quis adulterium ad *4.*
„ voluptatem, ſed comprehenditur ibi ad anxietatem; & multò
„ major eſt anxietas, quàm voluptas ad omnem verecundiam &
„ anguſtiam hominis, qui hominem & vivit & ſapit.

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

§. 3. „ Typum malorum habemus in Ægyptjis, quos ſive ſpiri-
„ tus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis,
„ aut reſonans de altiſſimis montibus Echo deficientes faciebant præ *Sap. 17. v. 17. 18. & 19.*
„ timore. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lu-
„ mine, & non impeditis operibus continebatur; ſolis autem illis
„ ſuperpoſita erat gravis nox imago tenebrarum; ipſi ergò ſibi erant
„ graviores tenebris. Nulla placida quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. Nox exhibet moleſtiam non tollit, & ſollicitudines mutat: nam dormientium inſomnia tàm turbulenta ſunt quàm dies. Lepidè de lepore finxit Plinius, quòd de ſua vehementer lamentaretur infelicitate, tamquàm contra unum conjuraſſent omnia, cælum, terra, mare: eò quòd maximus ejus inimicus nullibi non reperiretur, cùm præter canes terreſtres ſit piſcis marinus canis vocatus, & in cælo ſtella eodem nomine canis dicta. Majorem cauſam timendi invenit miſer peccator; in terra cuncta ſuſpicatur adverſa, in cælo rigoroſam Dei juſtitiam criminoſo vertici imminentem exhorret, in inferno dæmones. Nihil malitiæ pacatum habet. Tam supernè illi metus eſt, quàm infrà. Utrumque trepidat latus. Sequuntur

pericula & incurrunt, ad omnia pavet. Imparata eſt, & ipſis terre-
Sap. 17. v. 10. rur auxiliis. *Cùm ſit enim timida nequitia dat teſtimonium condemnationis.* Nullus meticuloſior peccatore lepus, nullus ignavus magis, aut puſillanimis. Apollodorum Caſſandrenſium Tyrannum
Plutarch. de ſera Numinis vindicta. ferunt in ſomnio vidiſſe ſe à Schytis excoriari, mox elixari: cor autem ex lebete miſsâ voce dicere: *Ego tibi horum auctor ſum.* Iterùm filias flagrantibus corporibus in orbem circa ipſum currentes. *Sem-*
Sap 17. v. 10. *per enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Symmachum & Boëthium viros conſulares per ſummam injuriam interfici juſſerat Gothorum Rex Theodoricus: mox cœnanti miræ magnitudinis caput piſcis percoctum cùm miniſtri appoſuiſſent, Symmachi eſſe id viſum
Cœlius lib. 27. cap. 22. Regi: quando & ab inferiore labro prominere dentes opinabatur, ac prærigidos torvoſque oculos interminari graviùs, ultionemque intentare. Quâ monſtri ſpecie is conterritus, contremiſcenſque totus ac rigens cùm decubuiſſet, mox extabeſcens luctu obiit.

Juvenalis ſatyr. 13.
——— *Hos diri conſcientia facti*
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

§. 4. Tam imbelli atque ignavo ſunt animo ſcelerati, ut vel recordatio mortuorum eos expectoret, atque exanimet. Auditis prodigioſis mundi Redemptoris ſacinoribus, quorum fama indies
Matth. 14. v. 2. percrebeſcebat, Herodes ſuis dixit: *Hic eſt Joannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in eo.* Obtruncatum Joannem qui obtruncari juſſerat formidat, & mortuum vivus horret. *Talis eſt enim* (ait Euthymius in commentario horum verborum) *qui iniquus eſt, ut & mortuos timeat: & talis eſt qui virtutem colit, ut pavorem etiam poſt mortem immittat viventibus.* Ità viri bellicoſi ſeſe vel mortuos hoſtibus terrori eſſe crediderunt. Joannes Ziſca inclytus Huſſitarum Dux voluit ut ſibi mortuo pellem demerent, ex eoque tympani operimentum conficerent, hoc ad-
Æneas Silv. lib. 3. comment. de geſtu Alphonſi. dito: *Hoſtes enim, ut viventis aſpectum ferre non potuerunt, ità nec mortui ſonitum ferent.* Liberè profeſſus eſt Herodes ſe de Joanne capitis pœnam ſumpſiſſe; *Quem ego*, inquit, *decollavi Joannem, hic à mortuis ſurrexit*: Non tamen cauſam addit ob quam illum neci addixerit. Hujus reticentiæ cauſam non reticet D. Petrus Chryſologus:
Serm. 173. *Iſte Rex, quòd decollaverit Joannem dicit, quarè decollaverit tacet; ne poteſtatem Regiam tanti facti confunderet turpitudo.* Homicidium narrat, facti rationem unà non commemorat, ne cauſæ indignitas ac turpitudo apud ſubditos contemptionem Coronæ, Regiæ deſpectionem Majeſtatis parerent. Uti juſtus prorsùs eſt ter-

ror

ror & pavor non ſolùm peccatorum ſed omnium : ſimilis enim deſcribitur à Spiritu Sancto Leoni, qui numquam obvertit Regium tergum invaſori. *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum.* Figit gradum animoſus, vel ſi venabuli cuſpidem quis intentet, aut inſtructo pilâ ſclopo minetur, ad quodcumque inſtans periculum impavidus: ità homo flagitioſus, & contaminatus probrum eſt ac ludibrium hominum, quem cæteri vilem habent, quia inermem vident, virtute ſcilicet & ſanctitate deſtitutum. Talis viſus eſt Eliæ Rex Achab : exindè nihil eum formidans, quia non ſolos oculos arbitros illius habuit, non ad apparatum exteriorem ſolùm ac Majeſtatem Purpuræ illos convertit ; ſed animam conſideratione penetrans, quam magna colluvie vitiorum fœdam ac putidam cernebat; Regi ſciſcitanti, *Tunè es, qui conturbas Iſraël?* liberè atque imperterritè reſpondit : *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu & domus patris tui.* Nihil illum perterruit minacis Regis vultus, quia illum non niſi ludicrum & ſcenicum Regem arbitrabatur, qui turpiſſimus vitiorum erat verna & mancipium. Nihil opportunius hac de re, nihil occurrit nobis elegantius quàm illud D. Chryſoſtomi : „Elias, inquit, „ non ſpectabat diadema & exteriorem apparentiam, ſed „animam ſordibus indutam, ſqualentem, ſordidam, & omni „reo miſeriùs affectam reſpiciebat; & ipſum intuitus captum eſſe, & „vitiorum ſervum, ipſius Principatum contempſit: etenim tamquàm „in ſcena, & non in veritate ſibi Regem cernere videbatur. Adeò vilis & deſpectus eſt juſto peccator, adeò juſtus peccatori formidabilis, imò ipſis dæmonibus. Qui manus pedeſque Chriſti patientis cruci affixos, & illum probroſo è ligno pendulum conſiderat, imbecillem proindè judicabit, tàm deſtitutum viribus quàm nudum veſtibus: cujus tamen vel ſic robur atque potentiam diſcere poterit ex ſententia D. Cyrilli. *Si quis, ait, non credit virtuti Crucifixi, percunctetur dæmones. Multi per orbem crucifixi ſunt, ſed nullum exhorrebant dæmones: quoniam illi propter peccata ſua mortui ſunt, hic autem pro alienis.*

Prov. 30. v. 30.

3. Reg. 18. v. 17.

Homil. 5. ad popul.

Catech. 13.

§. 5. Admodùm ſevera eſt conſcientiæ redargutio, & quovis ſtimulo acrius pungere ſolet peccatorem.

> *Pœna autem vehemens, ac multò ſævior illis*
> *Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,*
> *Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.*

Juvenalis ſatyr. 13.

„Neque tunc ſolum cùm ipſi peccamus, verùm etiam, cùm alii „committunt eadem, vehementer inſurgit, magnaque contentione nobis occlamat. Nam ſcortator, adulter, aut fur, non mo-

D. Chryſoſt. Tom. 1. Conc. 4. de Lazaro.

„ dò cùm accuſatur ipſe, verùm etiam cùm audit alios eadem auſos „accuſari; ipſe ſibi videtur flagris cædi, dum increpantur alii, ſuo-„ rum admiſſorum reminiſcens: & alius quidem vocatur in jus, „ hic verò flagellatur, cui nullum crimen intenditur, ſi fuerit eadem „ auſus. Sive domi, ſive in biviis, ſive in menſa, ſive in foro, ſive in itinere, frequenter & in ſomnis hæc peccatorum nobis ſimulacra ſpectraque repræſentat:

Hor. lib. 2. Ode 26.

Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circùm
Tecta volantes.

D. Amb. lib. 1. offic. c. 12. „ Vides convivium peccatoris, interroga ejus conſcientiam. Non-„ nè graviùs omnibus fœtet ſepulchris? intueris lætitiam ejus, & „ ſalubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam; „ introſpice ulcera & vibices animæ ejus, cordiſque mœſtitudinem. Quantumvis celare aut diſſimulare conetur ſcelus malitia, nihilominùs ſuis tandem artibus irretitur, & cordis arcana quibuſdam prodit indiciis. Rectiſſimè Iſaias de ruina & clade Jeruſalem loquens, ſi mirentur impii, ſi quærant quomodò tantum ſupplicium ipſis obveniat, cur tantis malis obruantur? *Agnitio*, inquit, *vultûs eorum* Iſaia. 3. v. 9. *reſpondit eis.* Intueantur ſolummodò invicem vultus ſuos, ibi agnoſcent, ſcriptamque legent cauſam & culpam ſuam. Perfricta, explicata impudenſque frons reſpondebit, dabitque luculentum procacitatis ac nequitiæ eorum teſtimonium. Aliis enim licet omnibus tacentibus vultus loquitur ſcelera.

Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu.

Simulacrum naturale & ſupernaturale, aut ſpeculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana: ſic interiora hominis per exteriora manifeſtantur. Subtilitèr Seneca: *Omnia rerum omnium,* Epiſt. 52. *ſi obſerventur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdùm reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habituſque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt.* Quemadmodùm & ætas, cultus, habitus, inceſſus, indiſcreta ſocietas, exquiſitæ epulæ, Regius apparatus Neronis & Sardanapali nuptias loquebantur. S. Hieron. ep. 10. ad Furiam. *Quidam tàm liberè & palàm peccant, ut poſtquàm eos videris, ſtatim intelligas peccatores: alios autem, qui callidè occultant vitia ex frequenti converſatione cognoſcimus.* Sed impoſſibile eſt ſcelus diù

diù poſſe latere ſub larva; adinſtar mendacii foras erumpit. Communiter mendax, utpotè ſibi malè conſcius metuenſque redargui, trémulâ & anhelâ voce mendacium enuntiat; ſi verò fiat effrons atque impudens contentâ fortique voce expirat mendacium, perindè ac ſi certam germanamque veritatem intrepidus proferret: attamen ſicut ſpiritum, quem reſpirando attrahimus, mox expiramus: cùm reſpiratio nihil ſit quàm reciprocatio ſpiritûs inſpirantis & expirantis; ſic pariter mendax nequit diù continere mendacium, quin protinùs illud expiret, hoc eſt revocet, vel ſignis aliquibus prodat: inconſtans ſiquidem eſt mendax, illudque quod aſſeruit, oppidò negat. Familiare adfert huic rei exemplum Petrarcha in Urinatoribus. *Nemo*, inquit, *ſub aquis diù vivit, erumpat oportet, ac frontem, quam celabat, aperiat.* Si quandoque peccatores ſolitò plus frontem obfirment, vocem exaltent, in vitia inſurgant; magis iſta ſolent eſſe perturbationis, quàm ſerenæ mentis indicia, cùm vulgò uſurpetur *canem timidum vehementiùs latrare, quàm mordere: altiſſima verò flumina minimo ſono labi.* Hinc Oſeæ 13. dicitur: *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum eſt peccatum ejus.* Quid ergò fiet illi? *Dolores parturientis venient ei.* Accidet peccatori quod puellæ prægnanti, quæ ex ſtupro concepit; quantumvis enim uterum ligat, quantumvis conſtringit, partûs tandem dolor & ignominia major ipſam obruit.

Lib. 1. de vita ſolitaria.

Q. Curt. lib. 7.

§. 6. Vipera multos parit fœtus uſque ad viginti, quos ſenſim tamen enititur, ut ſcribit Plinius, *Singulis diebus ſingulos; itàque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera occiſâ parente.* Congruum propoſito Symbolum: peccatum enim noxius eſt viperæ fœtus, non ſuſtinet deſtinatum expectare tempus partûs, non patitur moram ut in lucem extrahatur; ſed ipſummet carcerem animæ, quo continetur, perrumpit, & ſe divulgat antevertens aliorum accuſationes. *Vipera*, inquit S. Gregorius, *Quòd vi pariat, nominatur.* Peccator, dum ſcelus committit, dum aliis malum machinatur ac parit, ſibi ipſi noxam & periculum accerſit, ſeſe interimit: Nam inſtar puerperæ ingenti moleſtiâ & dolore utero mentis geſtat, fovet, alitque peccatum, quod poſteà ſimili dolore parturiat; ac inſuper mox pariat ſibi pœnas præſentes & æternas. Inter quem tamen atque puerperam illud intereſt, quòd puerperæ ante partum labor eſt ingens, graveſque nixus diſſecantes eam doloribus; poſt partum verò relaxatio dolore ſimul cum infante egrediente. Contrà illi contingit; dum parturit, concipitque corruptos affectus, delectatur, gaudetque; cæterùm ubi enixus fuerit peſſimum illum fœtum peccatum, tum conſpectâ fœditate partûs diſcruciatur graviùs quàm

Lib. 10. c. 62.

Lib. 15. moral. c. 9.

 mulieres

mulieres parturientes : ſimul enim atque commiſſum eſt ſcelus cœpirque finem, extinctâ voluptate amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit. Peccatum igitur peccanti eſt ſupplicium. De impiis Iſaias dicit, *Conceperunt dolorem.* Vocat peccatum dolorem, quòd multorum dolorum tàm præſentium quàm futurorum ſit cauſa, & peccantem labore ac dolore afficiat, cujus animam lethali ſuo veneno interimit. Mulier inſuper quod peperit gaudet præſentibus oſtendi, ut à ſingulis gratulationem aucupetur : peccator verò delicto perpetrato modis omnibus monſtrum illud ſupprimere conatur. Quibus artibus & technis Rex David non eſt niſus conceptum in adulterio fœtum ſupponere Vriæ, modò illum blandè atque amicè ad uxorem remiſit, modò inebriavit quo libidinem incitaret. Sed quantò magis adulterii procurabat infamiam à ſe removere, tantò vehementiùs illum ſtimulabat rea conſcientia, quæ totis viribus propalare contendebat, quod maximè occultare quærebat. Neque ſufficiens ad id fuit prætextus mors Uriæ, quin tandem crimen manifeſtatum authorem ipſum confuſione affecerit. Revelatum eſt Prophetæ Nathan, à quo & Davidi exprobratum, adeoque Scripturis Sacris inſertum, totique mundo declaratum; plurimis denique modis punitum, morte filii, nece Amnon, rebellione Abſalon. Dilucidiùs Sacra Pagina ſcribit fratribus Joſephi eveniſſe, quòd ipſo Joſepho præſente audienteque peccatum ſuum prodebant. „Judicium abſ„que redargutionibus peragitur, & excuſatio ſine accuſatione, pro„batio ſine teſtibus, dum ipſi, qui facinus peregerant, ſeipſos re„darguunt, quodque clàm factum fuerat, efferunt. Quis cedo, „quis adegit in publicum efferre, quæ antè tantum temporis patra„ta ſunt? an non perſpicuum eſt huc adegiſſe conſcientiam judi„cem, cui verba dare non poſſunt? aſſiduè concutiebat illorum „mentem, animumque turbabat; & ille occiſus tunc ſedebat taci„tè judicans illos; cumque nulla ſententia in ipſos eſſet pronuntia„ta, ipſi condemnationis calculum adversùs ſe ferebant. Et iſti qui„dem hæc dicebant. Alius verò reſpondebat dicens : Nonnè dixi „ad vos ità loquens; Ne lædatis puerum, nevè quidquam mali illi „faciatis, quoniam frater noſter eſt, & ecce nunc ſanguis ipſius „exquiritur, inquit, de manibus noſtris : attamen is qui hæc di„cebat, nihil de cæde aut interfectione illa dixerat : verùm ne ipſe „quidem ſedens quidquam tale querebat, ſed alium fratrem requi„rebat : ipſorum tamen conſcientia per oblatam occaſionem inſur„rexit, momorditque illorum animos, efficiens ut nemine com„pellente ſua confiterentur facinora.

Cap. 59. v. 4.

D. Chryſoſt. conc. 4. de Lazaro.

§. 7. Quando apud internum mentis tribunal cauſa diſcutitur, non

non accuſatore, non teſte, non judice eſt opus; conſcientia enim mille teſtes. Externi judices aut pecuniis corrumpuntur, aut aſſentationibus deliniuntur, aut metu ſimulant; denique ſunt alia multa quæ rectum illorum judicium depravant. At conſcientiæ tribunal nulli hominum novit cedere; ſed quamvis dederis pecunias, quamvis mineris, quamvis aliud quidlibet feceris, juſtam feret ſententiam adversùs peccatorum cogitationes; adeò ut ipſe quoque, qui peccatum admiſit, ſeipſum condemnet, etiamſi alius nullus accuſet. Beſſus Pœonius interfecerat patrem, hanc ob rem longo tempore delituit. At cùm aliquando cœnatum iret, nidum hirundinum haſtâ dejecit: cœnantibus hanc ejus crudelitatem deteſtantibus, *Nonnè*, reſpondit, *jamdiu falſum teſtimonium adverſùs me ferunt*, *clamantes me patrem meum interfeciſſe*? Præſentes admiratione ducti hæc verba ad Regem detulerunt. Beſſus dein tormentis ſubjectus, crimenque confeſſus parricidii pœnas luit. Horrorem certè individuum impietatis comitem teſtantur cum Beſſo, qui indies conſcientiæ latebras quærunt nec inveniunt. Hirundinum garritu exanimantur, quia *Plutarch. de ſera Numinis vindicta.*

——— *Dum pavent vanos metus,*
Veros fatentur.

Pœnam ſemper ante oculos ſibi verſari putant, qui peccaverunt: hinc fit, ut omnia horreat improbus etiam minimè timenda, imò & amplectenda; Deum, quòd inimicum ſibi, diabolum, quòd lictorem, ſemetipſum, quòd accuſatorem ſciat ac ſentiat. *Sonitus terroris ſemper in auribus impii*, & *cùm pax ſit ille ſemper inſidias ſuſpicatur*, *circumſpectans undique gladium.* Ut culpæ, ſic pœnæ ſuæ peccator ipſe ſibi eſt author, ſator, ſartor, imò & executor; velut aranea telam miſeriarum ſuarum texit. Huic poſſumus adaptare ſatis commodè vetus illud adagium, *Capra gladium*, quod ex Eraſmo Paulus Manutius refert. Quid cauſam proverbii dederit, ſubjiciam. Apparabant Corynthii gladium Junoni, Sacerdotes verò defoderant gladium, quo mactanda erat hoſtia. Capra autem pedibus exſcalpens gladium eruit, prodiditque, itàque mactata eſt. Benè mutato proverbio dicere poſſumus: *Peccator gladium.* Deus enim velut tectum, & in vagina ſua reconditum habet iræ ſuæ gladium; abſtruſus ille atque occultus maneret, niſi peccator divitias bonitatis divinæ contemnens, theſauriſanſq; ſibi iram in die iræ criminoſis ungulis illum detegeret, atque ad feriendum Deum incitaret. Quòd malefactor cæditur, fit, quia ipſe mucronem effodit, decollaturque, quia ipſe gladium denudat, comburitur, quia ipſe ſe aptum incendio facit. *Job. 15. v. 21.*

§. 8. Pec-

Iſa. 59. v. 5. §. 8. Peccatores *ova aſpidum ruperunt*, dum re ipsâ patrarunt rapinas, cædes, dum alteri ſunt machinati malum, illud ſimul in eorum retortum eſt caput & recidit. Tales enim quaſi ovis aſpidum incubantes, eaque vivificantes & rumpentes à fœtu erumpente virulentæ linguæ vulnere mordentur. Suo igitur laqueo capiuntur, proprio gladio jugulantur. Ità de Hannibale Livius: *Sentiebat Hannibal ſuis ſe artibus peti.* Ichneumon quoque narratur ſuâ malitiâ perire, qui antipathiâ quâdam poſt necatam matrem in ova graſſatur, ſed eorum contactu lethum incurrit. Plutarchus tradit Braſidam Ducem educto è corpore telo eodem confodiſſe eum, qui miſerat. Marius unus ex triginta tyrannis interemptus à milite refertur, qui ipſum adoriens dixit: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti*: Fuerat enim Marius faber ferrarius ante Imperium, ejuſque militis operâ in fabrili officina uſus. Proprio quidem telo aut gladio necatur peccator; quin ipſemet ſeſe confodit ſui ipſius carnifex. Quaſi bombyx æternæ ſuæ damnationis triſte conſtruit ſepulchrum: per peccatum enim omnium, quibus affligatur ærumnarum originem, & ſcatebram miſeriarum ſibi accerſit, dum peccatum fit ſupplicium peccanti, pœna culpæ filia, & culpa flagellorum parens. Inter omnes execrationes, quas Deus tranſgreſſoribus ſuæ legis comminatur, nullibi reperitur, quòd à Deo quiſquam maledicatur. In Deuteronomio dicitur illi, qui temerario auſu Præcepta Dominica violare attentaverit, *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, maledictus eris ingrediens & egrediens.* Attentè illud perſcrutans Rupertus ait, *Nuſquam dixit à Deo eris maledictus.* Fit hoc, quòd Deus licet judex ſit, qui ſententiam contra peccatorem pronuntiet, pœnaſque illi pro demeritis decernat, ſupplicia deſignet, nullatenùs tamen illorum eſt cauſa. Tametſi enim de judice dicatur, quòd latronem ad triremes damnet; indè tamen non ſequitur, quòd hujuſcemodi pœnæ ſit author; ſed latro ſuis ſceleribus tam cruciabilis atque ærumnoſæ vitæ ſibi ipſi eſt parens. Flagitioſus quiſque ſe ipſum damnat, ſe punit; qui dicitur maledictus, miſer, percuſſus, *Sed nuſquam à Deo*: niſi enim malè agendo ſupremo Judici ac Domino caſtigandi occaſionem miniſtraret, numquam ab eo condemnaretur.

Lib. 2. de Bello Punico.

Trebellius Pollio.

Cap. 28. v. 16. 17. 18. 19

Lib. 13. in cap. 19. Joan.

§. 9. Cùm præmia juſtis, ſupplicia decernenda ſunt impiis, ordo juſtitiæ poſtulare videtur, ut priùs hi ſuppliciis addicantur, quàm illis glorioſa merces retribuatur; in extremo tamen judicii die contrarium Deus obſervabit cæleſti gloriâ bonos antè donando, quàm miſeris pœnas infligat; *Ut oſtendat*, ait Honcala, *propoſiti ſui ſemper*

ſemper fuiſſe, potiùs animas ſervare quàm perdere. Quod ad ſe attinet, ex propenſione ſua & indulgentiſſimorum viſcerum pietate, nullam vellet perire animam, lauro beatitudinis æternæ coronatas omnes cuperet; ſi quas pœnis ſubjicit veluti coactus id facit, quandoquidem aliter nequeat; ideòque id poſt alia omnia differt, *ut oſtendat propoſiti ſui ſemper fuiſſe, potiùs animas ſervare quàm perdere.* Quòd pœnas exigat hoc non ab illius nativa indole provenit, quæ perblanda ac ſuaviſſima eſt, ſed à culpis hominum: hæ flagellum, quo cædit, manibus illius ingerunt, ac velut per vim ab ipſo extorquent. Mirum & diligenti animadverſione Baſilio Magno dignum viſum eſt, quòd frigidus ſilex ignem intùs alat atque evibret. *Exilis ignis è ſilice ac frictionibus copioſis emergens elucet, ubi dignum id eſt admiratione.* Durum illud ſaxum vivi ignis non niſi violento attritu, & frictionibus copioſis ſcintillas emittit. *In cap. 27. Geneſ.* *Homil. 1. in hexam.*

Semper ineſt ignis, ſed rarò cernitur ignis,
Intùs enim latitat, ſe ſolos prodit ad ictus. *Simpoſius apud Lud. de la Cerda in lib. 6. Æneid. v. 5. not. 11.*

Ignis ex D. Baſilii & aliorum ſententia licet intra ſilicis viſcera lateat, raro tamen videtur, nec ſe conſpicuum ſubjicit oculis, niſi verberum vi proliciatur. Fortiter contundi, validè verberari, violenter feriri & acriter, vehementerque atteri neceſſum eſt ſilicem, ut ignem edat, *Frictionibus* debet id fieri *copioſis.* Dum nulla ei vis adhibetur extranea, quâ provocetur, ſcintillas non ejicit. Silicis aut petræ nomine quòd Dominus noſter donetur ab Apoſtolo dicente, *Petra autem erat Chriſtus*, tantùmdem eſſe poteſt, ac ſi dicatur, quamquam ille condemnet, caſtiget, feriat, flagellet, iræ atque indignationis ardentes flammas demonſtret, ſimilem eſſe ſilici, qui numquam ſcintillas fundit, niſi quas culparum noſtrarum ictus, & ſcelerum violentus attritus elicit. *1. Cor. 10. v. 4.*

——— *ſolos ſe prodit ad ictus.*

In hoc tamen reperitur diſſimilis, quòd Chriſtus non concludat ignem intra viſcera quemadmodùm ſilex, ſed quòd ipſi peccatores illum ſubminiſtrent.

§. 10. Principi Tyri (in quo reliquos peccatores conſidera) terribile adeò minitabatur Deus pro arrogantia ſupplicium, quòd illum exurere, in favillas vertere, ac nomen illius ſempiternâ vellet delere oblivione. Sed undè ignem, undè flammas accipiet? *Producam*, ait, *ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram in conſpectu omnium videntium te.* Reverendus Pater Cornelius à Lapide illud ſic exponit: *Ex peccatis tuis faciam ut pœ-* *Ezech. 28. v. 18.*

na naſcatur , quâ conſumaris , ſicut domus igne in ea exorto conſumi & conflagrari ſolet. Clarè videmus undè ſumat flammas, quibus peccatorem in cineres redigat: *Producam*, dicit, *ignem de medio tui, qui te comedat.* Intra ipſas ædes peccatricis animæ incendium exoritur, quo conſumitur; in viſceribus ſuis gerit peccator funes, quibus conſtringitur; ferrum cudit & in gladios acuit, quibus confodiatur. Non vacat myſterio quòd milites, ſcurræ, miniſtri Sathanæ inter cæteras ac probroſas contumelias, quibus mundi Redemptorem affecerunt, quando ad ludibrium Majeſtatis ipſius Regiæ coronam è ſpinis capiti impoſuerunt, & purpuræ loco rubram ſed lacinioſam chlamydem ei injecerunt; illa fuit inſuper, quòd illi arundinem pro ſceptro geſtandam dederint: *Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus.* Græca tranſlatio habet: *Et calamum in dextera ejus.* Notandum, quòd *calamus* non ſolùm arundinem, ſed etiam pennam ſcriptoriam ſignificat. Cur ſceleſti hoc fecerunt? reſpondet S. Joannes Chryſoſtomus: *Dederunt ipſi calamum in manu, ut peccata eorum conſcriberentur.* De alio ergò miſer atque infelix peccator quàm de te queri non potes, qui Deo calamum exhibes, quo ſententiam mortis contra te ſcribat. Undè judicandi anſam potiſſimùm à nobis capit, & de noſtro nos plectit; miſerendi omnis cauſa illi domi naſcitur, de ſuo nutrit, curat, & excolit. Hujus mellifluus Doctor teſtis eſt locuples elucidans illam quæſtionem, cur Deum, cùm non minùs ſit juſtus quàm miſericors, cui à Davide miſericordia & judicium decantantur, D. Paulus miſericordiarum tantùm patrem, ſoliuſque conſolationis authorem facit? „ Verum id quidem, reſpondet, ſed quòd miſeretur proprium eſt illi; ex ſe enim ſumit „ materiam & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Rectè non „ pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed pater miſericordiarum; „ non modò quòd videatur miſereri potiùs, quàm indignari. ſed „ eò magis, quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, „ judicandi, vel ulciſcendi magis ex noſtro. Non condemnaret, non puniret, non flagellaret, niſi illum frequenti peccatorum tuorum ictu & impulſu ad id cogeres, niſi calamum ei præberes ad conſcribendam condemnationis tuæ ſententiam, ferrum, quo te percutiat, laqueum, quo tibi gulam obſtringat, ignem quo te conſumat.

Matth. 27. v. 28. & 29.

Serm. de nativit. Dom.

Oſea. 13. v. 9.

§. 11. *Perditio tua ex te Iſraël*, ex te, non aliundè; non à cauſis extrinſecis, ab infecto aëre, concurſu ſiderum, hoſtili incurſu. invalida forent hæc omnia & evanida, nec te perdere poſſent, niſi

tuis

tuis peccatis iram Dei provocares, & in tuam perditionem laceſſeres. Perditio tua ex te ô peccator! deſine mirari, ceſſa conqueri; Dei vindictam tibi aſſcribe, tibi imputa. Peccatum tuum eſt cauſa reprobationis, quia Deus neminem reprobat ideò ut peccet, ſed omnem reprobum ideò reprobat, quia peccavit & reproba geſſit: cùm enim reprobatio ſit actus juſtitiæ vindicativæ, hæc neceſſariò peccatum vindicandum ac puniendum quaſi objectum proprium præſupponit, non facit autem nec cauſat. Perditio tua, mors tua, malum tuum, reprobatio tua, derelictio tua, miſeria tua, damnatio ex te. Non minùs quàm Apollodoro mala tibi conſcientia mortem præſentem adfert, & quaſi delineat exprimitque necis tuæ umbram & imaginem, ipſo corde dicente: *Ego tibi horum ſum cauſa.*
„ Argumentum Epicuri eſt (ut loquitur Seneca) naturâ nos à ſcelere
„ abhorrere, quòd nulli non etiam inter tuta timor eſt. Multos for-
„ tuna liberat pœnâ, metu neminem: quarè? quia infixa nobis
„ ejus rei averſatio eſt, quam natura damnavit. Ideò numquam fi- *Epiſt. 97.*
„ des latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conſcientia, &
„ ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium, trepidare.
„ Malè de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem & judicem
„ effugiunt, & ſcripta ſupplicia; niſi illa naturalia & gravia de præſen-
„ tibus ſolverent, & in locum patientiæ timor cederet. Peccatum igitur ſupplicium peccanti eſt, acerbiſſimum vulnus naturæ, maxima febris, peſtis & mors animæ, dulce venenum quod amaram peccatori mortem infert: *Sicut, ſi quis ſerpentem apprehendat manu, dumque conatur in alterum projicere, prorſùs ipſe mordetur: aut ſi quis ignem manu tenens, dum vult hoſtem lædere, non intelligit quòd ipſe prorſùs exuritur, ſic malitia militat adverſùs eos, qui ipſâ utuntur, magiſque lædit eos à quibus habetur, quàm eos in quos intenditur.* *S. Athanaſius ſerm. de paſſ. Dom.* Non parùm huic roboris addit doctrina Senecæ: „ Mi-
„ nimum, inquit, ex nequitia leviſſimumque ad alios redundat: *Epiſt. 81.*
„ quod peſſimum ex illa eſt, & (ut ità dicam) ſpiſſiſſimum, domi
„ remanet & premit habentem. Quemadmodùm Attalus noſter di-
„ cere ſolebat: *Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit.* Il-
„ lud venenum, quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt,
„ ſine ſua continent, non eſt huic ſimile: hoc habentibus peſſi-
„ mum eſt.

§. 12. Imò malitiæ partus magnam habet cum partu viperæ convenientiam. Diſertè S. Jacobus: *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* *Cap. 1. v. 17.* Benè obſervavit S. Auguſtinus, quòd partus à pariente in his verbis diſcernatur: *Pariens enim eſt concupiſcentia, partus pec-* *Lib. 5. contra Julianum.*

 catum:

catum : ſed concupiſcentia non parit , niſi conceperit : non concipit, niſi illexerit , id eſt ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum. Malitia, quoniam ab ipſo authore & motum & incrementum accipit, ipſum in primis lædit; excitata enim ipſum, qui parit, primum apprehendit, & ante partum in ipſis nixibus conatibuſque adurit; tranſiens lædit, ſuoque veneno tingit colore peſſimo. An non eodem modo conceptus fœtus diſcruciat viperam, qui parentem naſcendo privat luce quam accipit? ità quivis improbus malitiam ſuam ipſe bibit priùs atque deguſtat, quando concupiſcentia peſſimum fœtum concipit, quàm in alios emittat; patratum verò facinus poſtmodùm in ipſum redundat,

——— *Redit in authorem ſcelus.*

Indè torquet ſe incunctanter ac macerat. Exilis malo voluptas eſt & brevis, ex qua longus cruciatus manet ac perennis. *Peccatum cùm conſummatum fuerit generat mortem* : non unam aut ſimplicem, ſed multiplicem. Continuò moritur, continuò revivicit; conſcientiæ morſibus arroditur, neque corroditur. Tityi viſcera (ut Poëtæ comminiſcuntur) reparandis fœcunda ſuppliciis vultur immanis apud inferos ſine ullo fine depaſcitur, quia ſemper in novam pœnam renaſcuntur: ſic ille perpetuam ſuſtinet pœnæ recrudeſcentis ærumnam. Mors hæc quaſi conceptio, & inchoatio eſt mortis ſecundæ, mortis æternæ : in gehenna enim licet anima vivat, dicitur tamen ibi mori. *Si anima*, inquit S. Auguſtinus, *in pœnis vivit æternis; mors potiùs dicenda illa eſt, quàm vita : nulla quippè major & pejor mors quàm ubi non moritur mors* : juxta illud Poëtæ,

De Civit. Dei lib. 6. cap. ult.

Immortale malum nullâ delebile morte,

Sed quod animæ natura, per id quòd immortalis creata eſt, ſine qualicumque vita eſſe non poteſt : ſumma mors ejus eſt alienatio à vita Dei in æternitate ſupplicii. Non ſecundùm forenſem abundantiam æſtimanda eſt beatitudo ſingulorum, ſed ſecundùm interiorem conſcientiam, quæ innocentis, & flagitioſi merita diſcernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra : *Ille ſuo affectu beatus eſt, hic miſer, ille ſuo judicio abſolutus, hic reus. Ille in exitu lætus, hic mærens. Cui abſolvi poteſt, qui nec ſibi innocens eſt? ergò impius ipſe ſibi pœna eſt, juſtus autem ipſe ſibi gloria : & utrique aut bonorum aut malorum merces ex ſe ipſo ſolvitur.*

D. Ambr. lib. 1. offic. cap. 12.

§. 13. In quas anguſtias ſe conjicit infelix peccator, cujus tranquillitatem nutrit impunitas, *ſecuritatis & negligentiæ mater, noverca virtutum, Religionis virus, tinea ſanctitatis.* Qui dicit, *peccavi*

D. Bern. lib. de conſcientia. c. 3.

vi & quid mihi accidit triſte? Indulſi genio, obſecutus ſum voluptatibus, laxavi fræna concupiſcentiis, quid tum? quid mali indè mihi obvenit? cùm prius peccare incipit licet crebris interdùm conſcientiæ ictibus verberetur, vulnera tamen non ſentit, verbera non attendit; quia vindicis manum à ſe longiſſimè diſtare conſiderat. Proceſſu verò temporis non ſolùm non ſentit veluti dolori callus obductus ſit, ſed placet inſuper, ,, & dulce fit quod amarum ,, erat, & aſperum vertitur in ſuave. Ducitur deindè in conſuetudi- ,, nem, ut jam non modò placeat ſed & aſſiduè placeat, & ſe conti- ,, nere non poſſit. Ad extremum verò non poteſt avelli, quia con- ,, ſuetudo vertitur in naturam: & quod prius ad faciendum erat ,, impoſſibile, jam impoſſibile eſt ad continendum? *Iſtis fomitibus quaſi quibuſdam gradibus convaleſcit omne peccatum; ſuggeſtio operatur delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus operationem, operatio conſuetudinem, hæc neceſsitatem.* Quia tranquillitatem nutrit impunitas, vetera peccata novis accumulant peccatores, de quibus Propheta Regius in perſona Dei loquitur, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Qui fabricam aliquam extruere cogitat, quàm tardè ac pedepreſſim opus aggreditur! quàm attentè omnia circumſpicit & expendit antequàm illam excitet! quoties ad regulam & lineam longitudines, ad perpendiculum altitudines, angulos ad normam exigit! quoties Archetypum edificii, quod molitur, variat, nunc adjiciens aliquid, nunc adimens, nunc hoc modo digerens, nunc alio diſponens, nunc tecti faciem, nunc laterum formam mutans! adjice materiam quam in uſum operis convehit, operarios quos conducit. Tale quid etiam Deus per Prophetam enuntiat in commendationem admirabilis ſui ſilentii, & incomparabilis patientiæ, innuens quòd ædificia cæci & perditè diſſoluti peccatores conſtruant, & illa fabricent ſupra dorſum ſuum, ſuper magnam patientiam ſuam, ſuper longiturnam conniventiam; innuens quàm meditatò tempus explendæ voluptatis ſuæ diſponant, quàm penſiculatè adornent modum vindicandi injuriam, expugnandi puellæ alicujus pudicitiam. Quanto artificio ad peccandum utuntur! quot annos inter varia ſcelera malè agendi periti artifices tranſmittunt! quia Deus intereà tacet, quia connivet, quia diſſimulat ſupra dorſum ejus fabricant; hoc eſt patientiâ illius abutuntur, ut quò illum tolerantiorem cernunt, eò ad peccandum impotentiùs impudentiuſque proſiliant. Inter hæc eſt tranquilla eorum conſcientia, ,, cùm mundi hujus proſperitas alludit & illudit; cum ,, laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedici- ,, tur, cùm peccantium favor, & peccare volentium pavor nolens ,, & do-

Eccli. 5. v. 4.

D. Bern. ut ſuprà

S. Iſidor. lib. 2. de ſummo bono cap. 23.

Pſalm. 128. v. 3.

D. Bern. ubi ſuprà.

„ & dolens arridet ei; cùm non eſt qui arguat, ſed & qui arguere „ peccatorem audeat ex omnibus, qui in circuitu ejus ſunt. Et ſic „ impletur in eo quod ſcriptum eſt: proſperitas ſtultorum perdet il- „ los. Sic deſcendunt ab Hieruſalem in Jericho, ſic eunt in averſionem & duritiam cordis. Talis peccator fœtet, quatriduanus eſt. Hic lapis ſpeluncæ ſuperpoſitus illos miſericordes divini luminis radios non admittit. *Nihil gravius eſt quàm errantem à Deo deſeri, ut ſe revocare non poſsit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem divino gubernaculo deſtituta præcipitatur, & in graviora prolabitur, ut ſi gregem Paſtor relinquit, incurſent beſtiæ, ita cùm Deus hominem deſerit, ingruit diabolus.* Sed Deus hominem non deſerit niſi prius ab eo deſeratur. Culpa hæc peccatoris eſt, qui, cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit; qui ex æquo Deo reſiſtere proponit; *qui, quod Deus aſtruit, deſtruit, quantum in ipſo eſt, dicens malum bonum, & bonum malum, amarum dulce, & dulce amarum, lucem tenebras, & tenebras lucem.* Ipſe ſuis manibus ſibi adornat & arripit perniciem, ſuæque ipſius pœnæ faber eſt & architectus, qui vel medicum non curat, vel ipſi manus obſtringit ne curare poſſit. *Grave eſt præſertim inſipientibus non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi medicina defuerit.*

D. Ambr. de Cain & Abel lib. 2. c. 9.

D. Bern. ubi ſupra.

D. Ambr. lib. de Cain & Abel c. 9.

§. 14. Quid ſupereſt iis qui non modò divinam miſericordiam & benignitatem, quæ ad pœnitentiam inducit, conſumpſerunt, verùm à ſe contumaciter repulerunt, niſi ut acerbius ſibi accerſant ſupplicium? *Nihil* enim *æquè exaſperat illius tremendi judicis majeſtatem, quàm peccare & ſecurè peccare, de vitiis quaſi de virtutibus gloriari.* Illa ratione à peccatore tamquam à mortuo perit confeſſio, qui defendit quod Deus odit, & peccatum juſtitiam aſſerit ut omnipotenti reſiſtat & omnipotens illi: qui licet ſit patiens redditor, quamquàm nunc ferat, nunc taceat & diſſimulet, tandem aliquando *Dominus juſtus concidet cervices peccatorum*, iratus conteret obdurata ad malitiam capita, quorum inſolentiam hactenus tam leviter tulit, & expoſcet pœnas acerbiſſimas atque in æternum duraturas. Tunc mala conſcientia per præcipitia quæ ſibimet paravit ruet ac corruet, & irruet ſuper ſe ipſam. Ab hac ſententia nulla datur appellatio, nulla cadit in illam epikia quæ rigorem benignè interpretando levet. Graviſſima inter cenſuras Eccleſiaſticas eſt excommunicatio major, quæ ſeparat quemquam à communi hominum convictu, privat communione Sacramentorum activâ & paſſivâ, fructu denique communium ſuffragiorum Eccleſiæ: illa tamen medicinalis eſt non mortalis, diſciplinans, non eradicans: in qua ferenda judex oſtendere debet ſe perſequi quod corrigentis fuerit & me-

D. Bern. lib. de Conſcient. cap. 3.

Pſ. 128. v. 4.

Capit. cùm medicinalis de ſent. exc. in ſexto.

medentis: ſi ſeriò reſipuerit ligatus ab hoc vinculo ſolvitur. Verùm excommunicatio, quæ in extremo judicio reprobis infligitur, perpetuò ligat, ut ſumma mors eorum ſit alienatio à vita Dei in æternitate ſupplicii.

§. 15. Conſequens eſt peccatum quoque peccati præcedentis eſſe pœnam, imò & ſui ipſius; non quidem directè, quia ad rationem pœnæ propriè dictæ & per ſe non ſufficit, quòd ſit malum quoddam atque incommodum ſuppoſiti rationalis; verùm requiritur inſuper ut infligatur vel aſſumatur in vindictam culpæ: ratio enim pœnæ eſſentialem ordinem includit ad culpam vindicandam; inidoneum porrò medium eſt peccatum, ut vel à Deo infligatur, vel ab ipſo homine ad talem finem aſſumatur: quomodò enim per novam injuriam antecedens reparabitur? deindè pœna debet eſſe intenta ab eo, qui punit; Deus verò peccata hominum intendere nequit. Igitur reſpectu Dei ulciſcentis, unum peccatum non poteſt eſſe pœna alterius, neque reſpectu hominis ſeipſum vindicantis, quòd nemo intendat ſeipſum punire peccando. Reſtat ut per accidens unum peccatum alterius pœna eſſe dicatur. In primis ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis. Ipſum ſiquidem divinæ gratiæ auxilium prohibens & impediens peccata, ob demerita præcedentia in eorum vindictam ac pœnam juſto Dei judicio ſubtrahitur atque denegatur: ad quam ſubtractionem tamquàm cauſam negativam & per accidens ſequitur hominem in alia peccata prolabi. Ad hunc ſenſum docet Apoſtolus Deum propter antecedentia peccata tradidiſſe gentes *in deſideria cordis eorum, in immunditiam & in paſſiones ignominiæ, ac in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt*. Accidit id gentibus, quia à Deo fuerunt derelictæ auxiliis divinis & protectione ſubtractis: quæ mala nequaquàm incurrerunt ex intentione Dei auxilium ſubtrahentis, cùm odio illa perſequatur, ſed ex propria malitia, quam Deus impedire non vult, ſed juſto judicio permittere. Clarè idem probat D. Chryſoſtomus his verbis: „Cùm dicitur homo tradi deſideriis ſuis ex ipſa propagine „fit reus: quia deſertus à Deo cedit cupiditatibus, atque conſentit, „vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur. A quo enim quis devi„ctus eſt, huic & ſervus addictus eſt, & fit ei peccatum conſequens „præcedentis pœna peccati. An non peccatum & pœna peccati, „ubi legitur, Dominus enim immiſit eis ſpiritum erroris, ut faciant „quæ non conveniunt, ſicut ſeducitur ebrius? An non eſt peccatum pœna peccati, ubi Deo dicit Propheta: Quid errare nos feciſti de via tua, obduraſti corda noſtra, ut non timeremus te? An „non eſt peccatum & pœna peccati, ubi dicitur Deo, ecce tu iratus

Cap. 1. ad Rom.

Tom. 2. Homil. 1. de Adam & Eva.

„es,

„ es, & nos peccavimus: propterea erravimus, & facti ſumus ſicut „ immundi omnes? An non eſt peccatum & pœna peccati, ubi legitur de gentibus, quas debellavit Jeſus nave: Quia per Dominum factum eſt confirmari cor eorum, ut obviam irent ad bellum „ Iſraël, ut exterminarentur? An non eſt peccatum & pœna peccati, quod non audivit Roboam Rex plebem benè monentem? „ Quia, ſicut Scriptura loquitur, erat converſio à Domino, ut ſtatueret verbum ſuum quod ei locutus eſt in manu Prophetæ. An „ non eſt peccatum & pœna peccati, in quo ſcriptum eſt, Amaſiam „ Regem Juda noluiſſe audire Regem Iſraël benè monentem, ne „ procederet ad bellum? ſic enim legitur: Et non audivit Amaſias, „ quia à Deo erat ut traderetur in manus ejus, quoniam quæſierat „ Deum Edom. Et multa alia commemorare poſſemus, in quibus „ liquidò apparet, occulto Dei judicio fieri perverſitate cordis, ut „ non audiant quod verum dicitur, & indè peccetur, & ſit ipſum „ peccatum præcedentis etiam pœna peccati.

§. 16. Alio modo peccatum eſt pœna alterius ex parte ſubſtantiæ actûs, ſive ſit exterior, ſive interior. Hinc cor fervet irâ, tabeſcit invidiâ. In exteriori actu magnis ſeſe peccatores exponunt laboribus, innumeris periculis ut nefandas cupiditates expleant; quod ipſimet confitentur: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* (Sap. 5.) Denique ex parte effectûs, undè & ſui ipſius pœna eſt peccatum ex remorſu conſcientiæ, quem in anima relinquit. Deducitur illud ex Divo Auguſtino Deum ità alloquente, *Juſſiſti enim, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* (Lib. 1. confeſſ. cap. 12.) Intellexit illud Seneca, cùm ait: „ Animus noſter modò Rex eſt, modò tyrannus. Rex cùm honeſta intuetur, ſalutem ſibi commiſſi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil ſordidum: ubi verò impotens, cupidus, delicatus eſt, tranſit in nomen deteſtabile ac dirum, & fit tyrannus. Tunc illum excipiunt „ affectus impotentes, inſtantque. (Ep. 114.) Ibi eſt origo calamitatis, ibi malum verum eſt, dum intùs tumultus eſt, dum inter ſe rixantur cupiditas & timor; dum avaritia luxuriaque diſſident, & altera alteram vexat. Quamvis enim plurimâ pace & curâ externâ fruamur, ſi intra nos cogitationum naſcatur tempeſtas, tumultus & ſeditio; nihil externa pax proderit: ſicut neque miſerabilius eſt aliquid civitate, quæ licet præſidiis & muris benè ſit munita, intùs tamen cives foveat proditores. Animus ſibi obſtrepens placandus eſt, hujus compeſcenda ſeditio, quem non eſt quòd exiſtimes placidum, ſi jacet corpus. Interdùm quies inquieta eſt & hoc ferè ſemper improbis: ut enim is, qui ſpinas habet in pedibus, ubique ſpinas calcat;

ità iſti animum noxium ac inquietum ſecum circumferunt, eumque differunt quidem non auferunt. Umbra corpus, peccata animum ſequuntur, & manifeſtas facinorum repræſentant imagines. *Etſi vitium habeat ſecum univerſum orbem, tamen omnium maximè imbecillum eſt; virtus autem, etſi ſola ſit, eſt omnium potentiſſima, habet enim Deum ſecum ſtantem.* D. Chryſ. Homil. in Pſ. 7. Tanta eſt malitiæ imbecillitas, ut etiam tunc, cùm eſt ſuperior timere videatur, & ſeſe dedat, cùm maximè triumphat. Non deerant Scribis & Phariſæis, quando Apoſtolos tenebant vinctos compeditoſque, odium, ſtomachus, ira, quibus rabiem animorum acuerent, ut extemplò violentas illi manus inferrent & ſerociendi libidinem explerent: animi tamen pendebant, hæſitabantque incerti quid potiſſimùm cum illis agerent. *Juſſerunt eos foras extra concilium ſecedere, & conferebant ad invicem dicentes, Quid faciemus hominibus iſtis?* Act. 4. v. 15. & 16. Miratur ejuſmodi conſultationem D. Chryſoſtomus inquiens: *In manibus illos habebant, & dubitabant ſecum, quid de eis facerent.* Homil. 51. in Geneſ. Quid illos infrænabat? quid morabatur? quid impediebat? ſua illos malitia & nihil aliud tam pavidos faciebat: ſanctitas Apoſtolos adeò terribiles ac formidabiles reddebat. Undè S. Doctor: „ Tanta tamque valida res eſt virtus, tamque imbecillis malitia, ut illa quidem, licet patiatur, vincat; hæc verò etſi quid faciat, nihil proficit, niſi quod ſuam prodit infirmitatem. Ibidem.

§. 17. *Abſcondit ſe, qui velare vult culpam ſuam & tegere peccatum. Qui enim malè agit, odit lucem, & amat tenebras ſuorum & latibula delictorum.* D. Ambr. de Cain & Abel cap. 9. Omnibus actionibus ſuis nebulas offundit, cùm veſpertilionum more nocte intempeſtâ operibus tenebrarum delectetur; ubi ægra mens curanda potiùs eſſet, non occultanda. Sed explicare animum nequit, quia *ſervit propriis paſſionibus, ſervit ſuis cupiditatibus; quarum dominatio nec nocte, nec die fugari poteſt; quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſervitium patitur intolerabile:* S. Hieron. ep. ad Simpl. Ex quo vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore dejicitur. Animus econtrà verè pius in quavis conditione ſervitii liber eſt; neque enim amore laſcivo capitur, neque metu criminis obligatur; quem non terrent præſentia, qui ſecurus expectat futura: cujus ex dolore gaudium, ex fletu plauſus, ex captivitate libertas tamquàm ex limpido fonte ſcaturire videtur. Mens illa pura ac innoxia nihil tegit, omnes Mæandros & diverticula refugit, omnes tenebriones ac latebricolas odio habet: utque generoſus ille Romanus domum in edito colle, ut ab omnibus non conſpici modò, ſed & inſpici poſſit, ædificari ſibi velit: teſtes proindè actionibus ſuis advocat, & Jobi exem-

plo vitæ rationem publicè edere, ac veluti humeris expoſitam omnibus ſerre non veretur. *Juſtus*, ait D. Ambroſius, *non abſcondere à Domino Deo ſuo, ſed ipſe magis ſe offerre conſuevit dicens: Ecce ego ſum; qui non habet criminoſam conſcientiam, quam timeat deprehendi.* Leve ingenium eſt non ſeſe adhuc reducens introrsùs, quod ad vocem & accidentia erigitur; ad omnem crepitum expaveſcens: quod una quælibet vox pro fremitu accepta dejicit; quod motus leviſſimi exanimant,

Lib. 2. de Cain. & Abel cap. 9.

Quodque omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum.

Sen. ep. 56. *Illa tranquillitas vera eſt, in quam bona mens explicatur.* Non tela vibrantia, non arietata in ſe arma agminis denſi, non urbis impulſæ fragor mentem flagiriis purgatam territat. Ideoque viro bono nihil eſt terribile, non Deus, nemo qui magis juvare velit, non Diabolus, nemo qui minus nocere poſſit, non conſcientia, omnia ibi tranquilla ubi affectus non fremunt. Horrificum tonitru parentis ſui vocem benevolam, metuendum fulmen Divinæ Majeſtatis radios, mortem in vitam meliorem tranſitum, Dei judicium finem pugnæ ac ærumnarum appellat. Denique

Integer vitæ, ſceleriſque purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis,
Fuſce, pharetrâ:
Sive per Syrtes iter æſtuoſas;
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum.

Horat. lib. 1. carm. ode 22.

§. 18. In Melitam Inſulam cum aliis S. Paulus appulerat, ibidem ab incolis barbaris licet perhumaniter exceptus. Accidit verò, ut, dum ſarmenta igni fovendo colligeret, vipera manum ejus invaderet: *Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt.* Durior fuiſſe videtur Apoſtoli dextera, quàm ut vipera ſpiculo linguæ penetrare eam poſſet: eventus hujus cauſam reddidit Oecumenius dicens: *Vipera injectis manui Apoſtoli dentibus cùm peccati mollitiem non reperiſſet, protinùs reſiluit, ac in ignem ſaliit tamquàm ſibi pœnam infligens, quòd corpus ſibi nullo modo conveniens petiiſſet, ac oppugnaſſet.* Indè patet; quòd neque venena ſint in viperis, aut ungues in leonibus, ullavè in cæteris animantibus ferociæ inſtrumenta, quæ adversùs juſtum quidquam poſſunt, qui ſcuto inexpugnabili eſt munitus, virtutum & divinæ gratiæ undique

Act. 28. v. 5.

dique præſidio tectus, & Hercules uſquequàque. Nobis peccatoribus tantus ineſt venenatorum animalium metus, quoniam virtutum panopliam non habemus. Ità de Caimo S. Ambroſius: *Potuit quidem & incurſus beſtiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat, nec præſumere de ſubjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi.* Deeſt antidotum, deeſt triaca, quam reſipiſcendo ex ipſis peccatis adversùs peccata conficere negligimus. Omne latet in animo vitium. „Quemadmodùm nihil differt utrùm ægrum in „lecto ligneo an in aureo colloces: quocumque illum transtuleris, „morbum ſuum ſecum transfert: ſic nihil refert utrùm ægri animus „in divitiis an in paupertate ponatur; malum enim ſuum ſequitur. Non conſideramus in adverſitatibus quòd major ſit Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum; & *ſecura mens quaſi juge convivium.* Hæc ſecuritas opponitur curæ atque anxietati: eſtque animi recta placidaque conſtitutio malorum impendentium curâ vacans. Plurimùm illam commendat D. Ambroſius. *Quis*, inquit, *puritate & ſimplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus ſuavior quàm is, in quo animus benè ſibi conſcii & mens innocentis epulatur?* Tuta eſt ubique innocentia etiam in ipſis mortis faucibus. S. Colmannus Regii ſanguinis juvenis proditionis ſugillatus apud Auſtrios, capitur, torquetur, uritur, damnatur, & in crucem agitur: ſed innocentiam ſeſquiannum ſub dio pendens incorruptum corpuſculum fatetur; cani quoque creſcentes capilli & ungues, ſanguis itidem è vulnere numquam non recens vocem ſuam exerit, arbor denique in frondes reviviſcens. *Quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? ſi nobis eſt teſtis in cælo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt.* Item Seneca inculcavit: *Conſcientiæ ſatisfiat, nihil in famam laboremus: ſequatur vel mala, dum benè merearis.*

Lib. 2. de Cain & Abel cap. 9.

Sen. ep. 2.

Prov. 15. v. 15.

In pſalm. 45.

S. Greg. lib. 8. Regiſt. cap. 45.

Lib. 3. de ira cap. 41.

§. 19. Quandoquidem vita juſti ſit quidam celebris ac ſanctus dies feſtus, quem dedicant tranquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ; quæ maxima rerum incommodarum eſt conſolatio, Deum, ne metus ſit à ſæculo, in ſæculo tutorem habens: Meritò Hugoni à S. Victore, *Conſcientia bona titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus & clauſus, & in die judicii aperiendus.* Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura etiam cùm corpus morietur, cùm anima coram Deo præſentabitur. „Mundus enim volubi„litate ſua circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat; num-

Lib. 3. de anima cap. 11.

D. Bern. lib de conſcientia. cap. 4.

„ quam marceſcit conſcientia. Subjugetur corpus in pœna, jejuniis „ maceretur, verberibus laceretur, equuleo diſtendatur, gladio „ trucidetur, crucis patibulo affligatur, & ſecura erit conſcientia. Adſit illa & nullæ res afflictivæ aut triſtes animam dejicient de gradu ſuæ celſitudinis ac maturæ gravitatis mœrore vel calamitate contractam. Sacros apices revolve, nihil reperies innocentiâ firmius, nihil potentius. Occurret protinùs trium puerorum exemplum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidêre pro fletibus; circa quorum Saraballa, ſanctamque cæſariem innoxium luſit incendium. Revocabitur beati Danielis hiſtoria, juxta quem adulantibus caudis prædam ſuam leonum ora timuerunt. Subibit menti nobilis fide Suſanna iniquo damnata judicio, ſed Spiritu Sancto puerum replente ſalvata. Non diſpar in teſtimonium innocentiæ ſeſe manifeſtavit erga mulierem Vercellenſem Domini miſericordia: Suſanna enim liberata eſt per judicem, ne iret ad gladium, hæc à judice damnata, abſoluta eſt per gladium. Falſum illi maritus adulterii crimen impegerat. Dolor expreſſit in juvene, qui accuſabatur ut complex, quòd ſexus infirmior nefas putabat confiteri. Infeliciſſimus volens compendio mortis longos cruciatus vitare in ſuum mentitus ſanguinem accuſavit alienum. At mulier, cùm in equuleo corpus extenderetur, cùm crines ligarentur ad ſtipitem, & vicinus pedibus ignis apponeretur, cùm utrumque latus carnifex foderet, nec pupillis darentur induciæ, immota manſit à dolore corporis ſpiritu ſeparato, dum conſcientiæ bono fruitur. Laſſus tortor ſuſpirabat in gemitus: nec erat novo vulneri locus. Una interim vox illius fuit: *Cæde, ure, lacera, non feci: veniet dies quæ hoc crimen diligenter diſcutiat, habeo judicem meum.* Pari tamen in utrumque latâ ſententiâ damnatos carnifex trahit. Ad primum ictum amputatur juveni caput. Quando verò exertam carnifex dexteram in cervicem fœminæ totis viribus concitavit, ad primum corporis tactum ſtetit mucro lethalis, & leviter perſtringens cutem raſuræ modicæ ſanguinem aſperſit: imbellem manum percuſſor expaveſcens, victamque dexteram gladio marceſcente miratus, in ſecundos impetus torſit; languidus rursùs in fœminam mucro dilapſus quaſi ferrum eam timeret attingere, circa cervicem torpebat innoxiam. Jam & tertius fruſtratus eſt ictus, cùm ſpiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in jugulum, ut qui ſecare non poterat ſaltem premente manu corpori conderetur. O res omnibus ſæculis inaudita! ad capulum gladius reflexus eſt, & velut dominum ſuum victus aſpiciens, confeſſus ſe ferire non poſſe. O quanta vis innocentiæ! quanta ſecuritas! quantum munimen! tandem novus enſis, no-

S. Hieron. ad Innocentium ep. 49.

vus

vus percuſſor appoſitus. Nobilis victima Chriſto tantùm favente munita ſemel percuſſa concutitur, iterùm repetita quaſſatur, tertiò vulnerata proſternitur. Ideò poſt paululum viſa eſt mori, ne pro ea periret innoxius, is ſcilicet ad quem damnatorum cura pertinebat à populo furente & ad fœminam vindicandam armato petitus. Sed tantùm viſa eſt mori, nocte etenim appetente ſubitò fœminæ palpitare pectus cœpit, & oculis quærentibus lumen, corpus, ut erat à Clericis linteo obvolutum animatur ad vitam. Jam ſpirat, jam videt, jam ſublevatur & loquitur. Jam in illam poteſt vocem erumpere: *Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo.* *Pſalm. 117.* En victrix innocentia.

——— *Ipſa de morte triumphat:*

§. 20. Pacem itàque demus animo, quam dabit præceptorum ſalutarium aſſidua meditatio, actuſque rerum bonarum, & intenta mens ad unius honeſti cupiditatem. Quantùm proderit ſi in omni actu, atque verbo quieta mens & placida ſervetur; ſemperque cogitationi Dei præſentia occurrat. Sit humilis animus ac mitis, & adversùs ſola vitia erectus. Ad hoc noſtri ratio inſtituti ſeſe extendere quærit. Si peccatum generet mortem, quid adhuc peccare delectat? „vel mortem time, admonet S. Auguſtinus, ſi peccatum non ti-„ mes.: peccatum enim cùm conſummatum fuerit, generat mortem. *Homil. 42. inter 50.* „Nondùm times peccatum? time quò perducit peccatum. Dulce „eſt peccatum, ſed amara eſt mors. Ipſa eſt inſelicitas hominum; „propter quod peccant morientes hìc dimittunt, & ipſum pecca-„tum ſecum portant. Plutarchus ſignum evidens profectûs illud aſſignat: *Si proficiens nullum jam peccatum exiguum putat, ſed omnia ſtudioſè vitat & obſervat.* *Lib. de profectu virtutum.* Ità „Sancti Domini, qui conſummare pium „certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis, ſicubi fortè ut homi-„nes corruerint, naturæ magis fragilitate quàm peccandi libidine, *D. Ambr. de apolog. David cap. 2.* „acriùs ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparan-„tes certamina: ut non ſolùm nullum attuliſſe æſtimetur lapſus „impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe. Hi dimicantes adversùs peccatum & laborando fortiores effecti victores extiterunt. Nullus enim Athletes ſine certamine fortior dici, nullus ſine victoria poterit coronari; nemo miles ſine prælio hoſtem ſubjecit. Certa pœnitentiæ indicia à peccatore ſunt oſtendenda, quibus fidem faciat de vera & ſincera ſua pœnitentia. Corporalis reſurrectionis ſigna habentur, ſi mortuus ſurgat, incipiat loqui & ambulare: Quod Simoni Mago indicavit S. Petrus. Ille enim conatus *Egeſip. lib. 3. excid. Jeroſol. cap. 2.* fuit adoleſcentem Neronis propinquum magicis ſuis carminibus à

morte ad vitam revocare. Jam videbatur agitare caput adoleſcens, cùm Petrus: *Si reſuſcitatus eſt*, inquit, *ſurgat*, *ambulet*, *fabuletur*. Horum nihil potuit exhibere defunctus. Peccatorem à morte animæ ad vitam gratiæ reſurrexiſſe conſtabit; ſi mentem in Deum erigat, ſi Deum alloquatur, ſi opere & converſatione ad Deum ambulet.

§. 21. Non poſſibilem modò hanc ſpiritualem reſuſcitationem, ſed docet inſuper D. Bernardus animam quantumcùmque vitiis corruptam per amorem poſſe redire ad nuptias ac thalamum ſponſi. „Docuimus, inquit, omnem animam, licet oneratam vitiis, „peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore „carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, „confixam curis, diſtentam negotiis, contractam timoribus, af„flictam doloribus, erroribus vagam, ſollicitudinibus anxiam, ſuſpi„cionibus inquietam, & poſtremò advenam in terra inimicorum, „juxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam „cum his qui in inferno ſunt: licet, inquam, ſic damnatam & ſic de„ſperatam, docuimus tamen hanc in ſe poſſe advertere, non modò „undè reſpirare in ſpem veniæ, in ſpem miſericordiæ queat; ſed etiam „undè audeat aſpirare ad nuptias verbi, cum Deo inire fœdus ſocie„tatis non trepidet, ſuave jugum amoris cum Rege ducere Angelo„rum non vereatur. S. Aldebertus ſecundus Epiſcopus Pragenſis cùm in juventute libertati fræna laxaſſet, morte horrendâ primi Pragenſis Epiſcopi prædeceſſoris ſui territus, & correctus, in virum planè alium mutatus ad frugem ſe recepit. Hoc cùm miraretur Sanctimonialis quædam, quæ ſanctum Epiſcopum tempore adoleſcentiæ ſuæ ſat cognoverat, dicens illi: *Alium Aldebertum video. Cur qui quondam eras homo pulcherrimè lætus, nunc ſeverus es, & inſtar Catonis cujuſdam rigidus? Nonnè cùm magiſter ſcholarum ſapientiam docturus venit ad noſtrum cœnobium, ludendo duxeras totum diem lætum? At ille graviter ſuſpirans projecit verbum cordis: Verè ſcias Domina, quia quidquid ejuſmodi feci vobiſcum jocando, alto & acerbo vulnere nunc afficit animum meum.* profectò lapſi quandòque acriùs ad currendum reſurgunt, ſancti pudoris ſtimulo majora reparantes certamina; nullum jam peccatum exiguum putant, ſed omnia ſtudioſè vitant & obſervant. De marinis aquis, ait Seneca, eas perpetuò ſeſe purgandi ſtudio occupatas eſſe, non ſecùs ac corpora, quæ variis crebrò affligantur morbis, curam requirunt continuam. Ità ſcribit: *Mare cadavera ſtramentaque & naufragorum reliquiis ſimilia ex intimo trahit, nec tantùm tempeſtate fluctuque, ſed tranquillum quoque, placidumque curatur.* Qui cor ſuum in hujus mundi

Serm. 83. in Cantic.

Sur. in vita ejus 23. Aprilis.

Lib. 4. quaſt. natural. c. 26.

Oceano

Oceano tamquam mare conſiderat, inveniet ſemper quod purget, non ſolùm cùm perturbationum tempeſtas ingruet procelloſos affectuum fluctus excitans; quando tumultuarium vulgus rebellium paſſionum adversùs rationis veluti Reginæ imperium inſurgit; verùm etiam tranquillo mari, ſudo cælo, quando videtur extinctus ignis, coercita paſſio, ſopitus pervicacium ſenſuum motus, altâ pace omnia conquieſcentia: *Tranquillum quoque placidumque curatur.* Quantùmvis enim perpolita & exculta ſeſe anima putet, inveniet tamen ſemper & quod emundet & quod emendet.

§. 22. Animadvertit id diligenter accuratiſſimus vitæ ſpiritualis inſtructor S. Bernardus. „ Quis, ait, ità ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? credite mihi, & putata repullulant, & fugata redeunt, & renaſcuntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergò ſemel putaſſe, ſæpè putandum eſt, imò ſi fieri poſſit, ſemper: quia ſemper quod putari oportcat, ſi non diſſimulas, invenis. Quantùmlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Latet ignis ſub cinere, ibique fovetur, qui minimo flatu detegi & reviviſcere poteſt. Ità in ipſa latebra, in quam nos timor ac laſſitudo conjecit, interdùm recrudeſcit ambitio, cùm non exciſa deſiit ſed fatigata, aut etiam abjecta, rebus parùm ſibi cedentibus. „ Idem de luxuria dico (verba ſunt Senecæ) „ quæ videtur aliquando ceſſiſſe: deindè frugalitatem profeſſos ſollicitat; atque in media parſimonia voluptates non damnatas, ſed relictas petit: & quidem eò vehementiùs, quò occultiùs. Omnia enim vitia in aperto leviora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et avaritiam itàque, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ, tunc pernicioſiſſima ſcias eſſe, cùm ſimulatâ ſanitate ſubſidunt. Quid? quod hoſtes animæ noſtræ inſidiari numquam intermittant: quocircà ſemper expeditus quiſque atque in procinctu ad prælium debet eſſe. *Vides*, præmonet S. Methodius, *quòd cogitationes, propter inhabitans in nobis peccatum, forinſecùs nobis inſtant velut canes rabioſi, aut feri vel audentes latrones contra nos ſemper inſtigati à Tyranno ac Principe iniquitatis, probantes nos an reſiſtere ipſis poſſimus & aciem contra inſtruere?* Fomes concupiſcentiæ relictus à Deo nobis eſt in pœnam peccati ad agonem, ut cum eo aſſiduè colluctantes ſupinam depellamus inertiam, vigileſque nos præſtemus in obſequio divino, & in virtute creſcamus.

Serm. 58. in Cant.

Ep. 56.

Apud S. Epiphan. hæreſi 64.

§. 23. Porrò ne tam callido & multiplici hoſti ſuccumbamus, ſed

ſed ex acie victores evadamus, conſiderare maximè nos attinet undè viperinus hic culpæ partus, ex quo mors animæ ſequitur, proveniat? Non erit abſonum peccati generationem ac proſapiam ad modum generationis humanæ per analogiam quandam concipere. Nam mater peccati eſt concupiſcentia, pater libera voluntas: ſemen matris eſt ſuggeſtio, & titillatio, vel voluptas, quam ingerit ſuſcitatque concupiſcentia; ſemen patris ipſe voluntatis conſenſus, [*R. P. Corn. à Lapide in cap. 1. ep. S. Jacobi.*] prout eſt in fieri. Proles ipſe conſenſus, prout conſideratur in facto eſſe, qui eſt ipſummet peccatum. Proles hæc vel eſt imperfecta, vel perfecta: imperfecta velut embryo & fœtus incompletus, talis eſt conſenſus ſemiplenus. Formata & perfecta conſenſus plenus. Nepos peccati eſt actus externus, pronepos conſuetudo peccandi: abnepos mors in peccato: trinepos mors æterna gehennæ. Tam mala & miſera ſoboles quaſi à tritavo proſeminata ſucceſſit. Hinc S. Auguſtinus peccatum eſſe demonſtrat pœnam peccati & cauſam. *Concupiſcentia*, inquit, *carnis*, *adverſùs quam bo-* [*Lib. 5. contra Julian. cap. 3.*] *nus concupiſcit ſpiritus*, *&* *peccatum eſt*, *quia ineſt illi obedientia contra dominatum mentis*; *&* *pœna peccati eſt*, *quia reddita eſt meritis inobedientis*; *&* *cauſa peccati eſt*, *defectione conſentientis*, *vel contagione naſcentis.* Hanc ſciat quiſque eſſe mali illicem; & licet intimè animæ infixam, licet blandientem, licet ſuavem, eſſe ſyrenem exitialem, hoſtemque capitalem; eſſe viperam, quæ ſuo conceptu & partu matrem id eſt rationem & voluntatem enecet; undè ſemper & ubique per omnem vitam nobis cum ea bellum irreconciliabile gerendum, & acriter dimicandum: nam cùm conceperit, parit peccatum, omnium malorum cauſam enititur. „Noli, ait S. Auguſtinus, „conſentire concupiſcentiæ tuæ: non eſt undè [*Hom. 42. inter 50. cap. 8.*] „concipiat, niſi de te. Conſenſiſti? quaſi concubuiſti in corde tuo. „Surrexit concupiſcentia? nega te illi: noli eam ſequi: illicita eſt, „laſciva eſt, alienat à Deo. Noli dare conſenſionis amplexum, ne „plangas partum: quia ſi conſenſeris, ſi amplexatus ſueris, con„cipis. Blandè fraudulenterque irrepit. Serpenti, loco anguſto inſinuare ſeſe dum conatur, ſi caput modò uſpiam detur immittere, protinùs integro corpori facilis eſt tranſitus. Anguis iſtius myſtici caput ſi admittamus, illicò ad ipſa cordis penetralia malum præcurret. Non obtinebimus ut deſinat, ſi incipere permiſerimus. Imbecillis eſt primò omnis affectus, deindè ipſe ſe concitat, & vires, dum procedit, parat; excluditur faciliùs, quàm expellitur.

§. 24. Ut hìc ità & alibi principiis obſtandum, omne in mora periculum eſſe judicat D. Hieronymus; ideoque ſtatim ut libido titillaverit ſenſum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore

lore perfuderit; admonet, ut convertamus mentem ad Deum, ejuſque opem jugiter imploremus. „ Nolo ſinas cogitationem creſ- *Epiſt. 22.*
„ cere (Euſtochium de cuſtodia virginitatis erudit) nihil in te Babylo-
„ nium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, inter-
„ fice. Nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis: beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* *Pſalm. 136.* „ Quia impoſſibile eſt in ſen-
„ ſum hominis non irruere innatum medullarum calorem; ille lau-
„ datur, ille prædicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare ſordida,
„ ſtatim interficit cogitata, & allidit ad petram: *Petra autem erat Chriſtus.* *1. Cor. 10.* Reſiſtendo minuitur concupiſcentia, ne pertrahat in conſenſum, ſicque omnis malignitatis machina evaneſcet. *Si enim non conſentias, minor & minor erit quotidiè, nam ſunt vires ejus ſubjectio tua: ſi enim ceſſeris, das vires.* *S. Aug. ſerm. 45. de temp.*

§. 25. Peritorum in re bellica Imperatorum ad hoc erit imitanda ſolertia, qui ſummâ tum animi attentione, tum diligentiâ hoſtium conſilia & ſtratagemata penetrare moliuntur, ut illorum conatus eludant: ità ſpiritualium adverſariorum perdiſcendi ſunt mores atque conditiones. Quemadmodùm ſcalas quaſdam Jacobæas extare novimus, quibus tamquàm per gradus in cælum enitimur; ità via eſt quædam declivis & prona, quâ lubrico paſſu in perditionem ferimur. *Voluptas* enim *quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta ſolet illicere, quæ ante peccati actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè hâc viâ veniendum nobis eſſe quò gliſcimus.* *S. Cyrill. l. 4. in Joan. c. 51.* Nihil adverſario nequius; quoties aliquem in ſcelus quoddam pellicit, non ſtatim formatum ac ſuis depictum coloribus id ipſum proponit; ſed à parvis ferè initiis non tàm malis, quàm ad malum inſenſibili quodam modo vergentibus rem orditur; atque ità ſenſim ulteriùs progrediendo, id quod intendit, patrat. Ex parvis malis, ſi negligantur, mala irremediabilia naſcuntur. Peſtis, *quæ*, Galleno teſte, *tamquàm & ipſa exiſtat quædam bellua, haud paucos interimit, verùm civitates quoque tota depaſcens malè conficit*, undènam originem trahit? Reſpondebit citatus author: *Prava quædam aëris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines cùm reſpirationis periculum evitare nequeant, ipſum aërem veluti venenum quoddam ad ſe per os attrahunt.* *Lib. de Theriaca ad Piſonem num. 28.* Quis ergò ille tam funeſtus ac fatalis adverſarius? quis tam apertus & mortalis noſtri generis hoſtis? quis gladius, quo tanta hominum ſtrages editur? *Prava quædam aëris ad corruptionem prompta mutatio efficitur.* Quis crederet, niſi experientia magiſtra

doceret, in aëre ſupremam corporum perniciem, quæ eſt peſtis, generari? Malis magnis à parvo paulatim aſſueſcimus, portamque, quâ ingenuus pudor & verecundia erumpant, aperimus, ut deinceps in enormia ſcelera impudenter prorumpamus.

Serm. 3. tom. 2. bibl. vet. PP.

§. 26. Hanc doctrinam tradit S. Dorotheus. „ Ut pernoſcatis, inquit, „ quòd ex minimis his & naturâ vilibus, ad magna & prægrandia contemnenda perfacilè labamur; cùm cœperit quiſpiam „ dicere, quid refert, ſi verbum hoc dixero? quid refert, ſi in hanc „ rem intendero? ex hoc enim, quid eſt hoc? & quid eſt illud? „ quid refert hoc, aut quid refert illud? mala ac perverſa, & amara conſuetudo admittitur, & imbibitur, & datur initium, ut ma„ gna & graviora contemnamus. A non gravioribus gradatim ad magna & pernicioſa aſcenditur. A vanis ac otioſis verbis, à liberiore aſpectu ad obſcœnos actus ſenſim procliviterque dilabimur. Interrogant proindè, *Quid eſt riſus, aut quid umquam è riſu mali ſequitur?* reſpondet S. Chryſoſtomus, *Orta ex immoderato riſu ſcurrilitas, à ſcurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta.* Nemo fit repentè peſſimus, ſed à minimis ad maxima diabolus gradatim ducit. Davidem in homicidium propellere dum vult, otium illi primò ſuggerit ac torporem, mox oculum nequam, hinc adulterium; denique iſtis præmiſſis ut neceſſarium infert homicidium. Omne peccatum ſuperbum eſt, amat aſſeclam.

Homil. 87. in Matth.

§. 27. Conceptio peccati fit per fortem rei concupitæ imaginationem, quam excitat concupiſcentia. Imaginatio iſta rem concupitam, ejuſque pulchritudinem ad vivum intellectui & voluntati exhibet, eique oſtendit, quàm ſit ſuavis, quàm delectabilis, quàm amabilis; hinc facit eamdem iterùm iterùmque cogitari, inſpici, animo volvi ac revolvi; quæ frequens cogitationum iteratio delectationem parit non in appetitu tantùm ſenſitivo, ſed & in rationali, quia uterque colligatus eſt in eadem anima: undè ratio ac voluntas incipit iis affici, imperfectè tamen propter ſemiplenam advertentiam. Si verò pergat in rei concupitæ cogitatione & delectatione plenè advertens illius malitiam, & victa illecebrarum appetitu deliberatè eis conſentit, peccatum conſummat. Concupiſcentia igitur peccatum concipit, cùm illud cogitat; conceptus enim phantaſiæ ac mentis eſt ipſa ejus cogitatio. Antequàm huc uſque perveniatur, nemini modò dubium reor eſſe, quantum ad id conferat mentem à delectabilibus avocare, quod non ægrè fieri poteſt, quando ſedulò quis expendit felicitate impiorum nihil eſſe infelicius: Quis enim bovem nitidum in pratis luxuriantem dum videt, ſecurim non cogitat? Quis taurum ſub jugo

jugo gementem dum conſpicit, macello haud deſtinatum non concludit? aut certè quando fallax, fucatum, & in vana dumtaxat opinione illi inhiantium ſitum omne mundanorum bonum cum Marco Aurelio Imperatore judicat, quod cuncti qui hæſerunt ſeculi vanitatibus immerſi, ſi rectè calculum velint ponere, abſque dubio fatebuntur. Ità de vanitate mundi ad ſuos peroraſſe dicitur. *Quæ ſum expertus liberè proferam, licet cum mei nominis nota, ſed olim forſitan futuro ſæculo profutura: per omnia me vitia exercui, periculumque feci, poſſetnè ſeipſam exſaturare humana malitia. Deprehendi quò plus cibi ſumo, famem acriorem; quò bibo magis, ardentiorem ſitim; quò ſum in ſomno indulgentior, majorem ſomni cupiditatem; quò plura mihi ſunt, adhuc his plura concupiſcere; quò quæro diligentiùs, minùs invenire: nihil demùm obtinuiſſe, quod appetitum ſedaret, ac non aliud habendi potiùs libidinem provocaret.*

§. 28. Si prædicta minimè ſufficiant, advertendum quòd propter illud quis pereat, quod afflictim deperit. Sichimorum Rex pater, & filius Princeps quàm ſolliciti fuerunt pro conjugio filiæ Jacob? qui cùm de prævia circumciſione audiiſſent, inierunt extemplò pactum: *Nec diſtulit adoleſcens, quin ſtatim, quod petebatur, expleret.* Quàm incitato curſu ibant & redibant, communicato cum primariis civitatis conſilio ut voti compotes fierent? neque videbant miſeri, quantâ feſtinatione matrimonium accelerabant, quòd tantâ maturatione, uti contigit, mortem ſibi accerſebant. Contumax populus Iſraëliticus pertæſus cibi cæleſtis, pro victu carnem ſibi dari rogabat: audiit illius voces Deus, & copioſiſſimum coturnicum exercitum eis miſit. Et *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Theodoretus in expoſitione illius Pſalmi ſcribit: *Conſecuti ſunt, quod deſiderarunt, & ingluviem impleverunt, verùmtamen ſatietatis pœnas dederunt.* A reſiduo populo vocatus eſt locus, in quo illi mortem oppetierunt, *Sepulchra concupiſcentiæ.* Quòd non appellaverunt locum ſatietatis, ſed potiùs ſepulchra concupiſcentiæ, ratio eſt, quia *conſecuti ſunt, quod deſiderarunt.* Ad cautelam id factum auguror, ne quid concupiſcamus, quod Dei voluntati repugnat, aut parùm gratum eſt. Etenim illud ipſum quod homo anxiè ex appetitu proprio coucupiſcit, amittet, concupiſcentiæque ſepulchrum ibi ſibi fodit, cui inferatur, mortuus ex rebus, quas demoritur. Ob ſterilitatem erat adeò querula formoſa Rachel, ut marito ſuo diceret: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Vel ut Cajetanus

Geneſ. 34. v. 19.

Pſalm. 77. v. 30.

Num. 11. v. 34.

Gen. 30. v. 1.

ex Hebræo vertit : *En mortua ego.* Quaſi diceret tanto liberorum ac hæredum teneor deſiderio , ut me quamdiù improlem video in mortuis recenſere poſſis. *En mortua ego* , quamdiù infœcunda. Peperit Joſephum , & non contenta illo petiit alterum filium. Secundum itàque parturiens , *egrediente animâ præ* *Geneſ. 35. v. 18.* *dolore , & imminente jam morte vocavit nomen filii ſui Benoni , id eſt filius doloris mei.* Filium doloris ſui vocat , patrem quoque ſuæ mortis vocare poterat. Rachel igitur eſt , cui mortem parit filius , quem ipſa parit ; illa eſt , quæ inter mortuos computari volebat , quamdiù ſterilis erat. Quid ergò eſt quòd filius illi mortem adfert , & nato hærede mater denaſcitur ? illud ſanè , ut ex illo frequenter moriantur homines , cujus deſide- *Honcala in c. 35. Geneſ.* rium atque expectatio vix illos vivere ſinebat. *Tanta eſt humana ignorantia atque temeritas , ut ea interdùm à Deo aſſiduâ improbitate flagitemus , quæ poſtulantibus conceſſa ſunt maximè nocitura.*

§. 29. Eſto plerùmque hoc multis accidat , ut id , quod vehementer optant , quod anxiè quærunt , maximum illis exitium generet ; ſemper tamen illud in nequitiæ ſpiritualis illecebroſo effectu , quem per blandam concupiſcentiæ ſuggeſtionem vehemens animi febris excitavit , locum obtinet , ut peccatum ſit peccanti ſupplicium , mortemque producat. Adversùs igitur hanc peſtem , adversùs illud viperæ ſemen , quod concupiſcentia ſubminiſtrat , Theriacâ opus eſt , quam ars no- *Laurent. Juſtinian. lib. de interno conflictu cap. 8.* ſtra docet conficere. Siquidem *omnis diſciplina Chriſtianæ profeſſionis , non in futura prædicendo , non in eloquio compoſito , Scripturarumque explanatione ; ſed in reſecandis concupiſcentiis commendatur.* Ut Eva tentavit Adamum , ſic nos tentat concupiſcentia ; deindè ſicut febris æſtuantem illicit ad bibendam aquam ſibi noxiam & ſubindè lethiferam. Eſt veluti febris ac calor innaturalis , æſtuſque animæ ; variis enim criminum febribus caro noſtra languet , & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuat ardoribus. Hinc de libidine , avaritiâ , ambitione , iracundiâ D. Ambroſius , *Quæ licet* , inquit , *corporis vitia ſunt* , *ignem* *Lib. 4. in c. 4. Luc.* *tamen oſſibus implicant* , *mentem* , *animum* , *ſenſumque pertentant.* Lena vitiorum eſt concupiſcentia : nam ſicuti lena virum ſollicitat atque à legitima uxore ad ſecum fornicandum abſtrahit , ità hæc animam à Deo ſponſo ſuo abſtrahit , ut in bono com- *Cap. 1. v. 14.* mutabili delicietur. Rectè D. Jacobus : *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Propoſitione boni delectabilis in vitium abripere ſecum voluntatem molitur. Aves & piſces

piſces capiuntur eſcâ, non aliter hæc illecebris animum delinit ac decipit. A S. Ephrem propterea vocatur germen Diaboli, vulnus animæ, percuſſio cordis, arbor malitiæ, vipera. Sed niſi ipſa priùs concipiat non parit, non concipit autem, niſi rei concupitæ imago præceſſerit, eamque vivaciter repræſentaverit. Muniamus igitur mentem adversùs ingruentes cogitationum inſultus, & radicem omnis mali præcedemus. Faciliùs hoſtis iſte non admittitur, quàm excluditur.



SYMBOLUM XXXI.



INter Stoïcos & cæteros Sapientes tantùm intereſſe dicit Seneca, quantùm inter fœminas ac mares (quamvis de Epicureis hoc non abnuat Lipſius; in alios tamen licentiùs dictum exiſtimet) cauſam reddit; quia cæteri Sapientes „ molliter & blandè, „ ut ferè domeſtici & familiares Medici, „ ægris corporibus, non quà optimum & „ celerrimum eſt medentur, ſed quà licet: Stoïci virilem ingreſſi „ viam, non ut amœna ineuntibus videatur, curæ habent, ſed ut „ quamprimùm nos eripiant. Hujus ſanctiſſimæ fortiſſimæque, ut loquitur, ſectæ æmulatori congruum magis ducit, Democritum imitari, quàm Heraclitum, ut omnia vitia vulgi non inviſa, ſed ridicula

De Conſtant. ſap. cap. 1.

dicula ipſi videantur. Hic enim quoties in publicum proceſſerat, flebat; ille ridebat. Huic omnia quæ agimus, miſeriæ; illi ineptiæ videbantur. Humanius putat eſſe deridere vitam, quàm deplorare; quodque ille melius de humano genere mereatur, qui ridet illud, quàm qui luget: quia ille ſpei bonæ aliquid relinquat, hic verò ſtultè defleat, quæ corrigi deſperat. Tum universè contemplanti majoris animi eſſe riſum non tenere, quàm lachrymas, dum nihil magnum, nihil ſeverum, nec ſerium quidem ex tanto apparatu putat. Denique ſatius eſſe publicos mores & humana vitia placidè accipere, nec in riſum nec in lachrymas excidere. Fatendum, nec inutilem eſſe debere triſtitiam, neque fictam ut eorum, qui lachrymas ſolummodò fundunt, ut oſtendant; ,, & toties ſiccos ocu-
,, los habent, quoties ſpectator deſuit: turpe judicantes non flere,
,, cùm omnes faciant. Adeò penitùs hoc ſe malum fixit, ex aliena
,, opinione pendere, ut in ſimulationem etiam ſimpliciſſima res, do-
,, lor veniat. Ad hunc modum Aulici Philippi Regis Macedonum videntes Regem claudicare, vel infirmari, vel aliquid adverſi pati; ex adulatione fingebant ſe hoc idem ſentire, ideoque cum claudicante claudicabant, cum ægrotante infirmabantur: qui mos hodiè apud Moſchovitas invaluit in gratiam Principis. Aliena deridere mala voluptas maximè inhumana eſt; ridicula omnia putare & in his Democritum agere, argumentum eſt hominis ſe negligentis, ſua mala neſcientis, aut neſcire volentis: cùm in hoc humana cura atque induſtria verſari deberet, ut mala propria cognoſcendo ac deflendo Heraclitum Chriſtianum ageret, non muliebriter ac ignavè, ſed viriliter: ut perſpectâ interruptâ dolendi ſerie in his ſublunaribus contrà fortuita animum firmaret, cæleſtibuſque insereret tantò fortior, tantò felicior, quantò per notitiam miſeriarum ad ſolida gaudia ſe poſſit transferre.

De tranquill. animi c. 15.

Idem ibidem.

Alaban los de oy las coſas de ayer, y los de acà las de allende. Todo lo paſſado parece mejor, y todo lo diſtante es mas eſtimado. Tan necio es él que ſe rie de todo, como el que ſe pudre de todo. *Aforiſmo de Lorenço Gracian.*

§. 1. Nihil novum, nihil inſolitum hæc doctrina continet: per dolores in lucem edimur; vitæ exordium à fletu eſt. Sapientis id fulcitur teſtimonio, qui de ſeipſo dicit: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Quantùm anteceſſit hæc naturæ nænia omnia cantica lætitiæ: nænia erat ultimum, quod caneretur defunctis, carmen. Nænia dici poteſt flebilis illa vox, quam natura à naſcentibus exprimit, quando non ad ſepulchrum pergunt, ſed ad vitam miſeriis refertam: ut vice verſâ primum ſit, quod miſeris inſonet.

Sap. 7. v. 3.

Naſcentes morimur. ——————

Non vides, ait Seneca, *qualem vitam nobis rerum natura promiſerit*,

Conſol. ad Polyb. c. 23.

miſerit, quæ primum naſcentium omen fletum eſſe voluit? hoc principio edimur, huic omnis ſequentium annorum vita conſentit: ſic vitam agimus. Alibi dixit hominem corpore eſſe imbecillo, fragili, nudo, ſuapte naturâ inermi, alienæ opis indigenti, ad omnem fortunæ contumeliam projecto; „Quòd cujuſlibet feræ ſit pabu-
Conſol. ad Marciam cap. 11. „lum, cujuſlibet victima, ex infirmis fluidiſque contextum, & li-
„neamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus, laboris impa-
„tiens: ipſo rursùs ſitu & otio iturum in tabem: quocùmque ſe
„movet, infirmitatis ſuæ ſtatim conſcium, non omne cælum fe-
„rens, aquarum novitatibus, flatuque non familiaris auræ, & te-
„nuiſſimis cauſis atque offenſionibus morbidum, putre, caſſum,
„à fletu vitam auſpicatum. Natura, Plinio aſſerente, hominem
Lib. 7. in Proœm. tantùm nudum, & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum; nullumque tot animalium aliud pronius ad lachrymas, & has protinùs vitæ principio. Quid ergò tàm ſecundùm naturam, quàm humanis caſibus ingemiſcere? quocùmque nos vertimus, quoſcumque mortales circumſpicimus, larga ubique ſeſe offeret flendi & aſſidua materia. Non eſt tam delicata res vivere. Qui longam viam ingreſſi ſunt, labantur nonnumquàm oportet, & arietent, & cadant, & laſſentur: per ejuſmodi offenſas homini confragoſum hoc vitæ emetiendum eſt iter. Venit ubi tonat, ubi fulminat, ubi

Luctus & ultrices poſuêre cubilia curæ,
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

„Incertum ac fragile nimirùm eſt hoc munus naturæ, quidquid
Plin. lib. 7. cap. 50. „datur nobis: malignum verò & breve etiam in iis, quibus largiſſi-
„mè contingit, univerſum utique ævi tempus intuentibus. Quid,
„quòd æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ
„ſuæ vivit? pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ niſi con-
„tingit quies. Non reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent,
„non ſenectæ in pœnam vivacis. Tot periculorum genera, tot
„morbi, tot metus, tot curæ, toties invocatâ morte, ut nullum
„frequentius ſit votum. In hoc contubernio vita degenda eſt. Rerum conditionem mutare quis poteſt? omnia natura mutationibus
Sen. ep. 117. temperat, *Nubilo ſerena ſuccedunt, turbantur maria cùm quieverunt: flant invicem venti: noctem dies ſequitur: pars cæli conſurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas conſtat.* Eadem eſt vitæ humanæ conditio, eadem varietas. Multa & varia in homines diriguntur: quædam in illos fixa ſunt, quædam vibrant, & cùm maximè veniunt: quædam ad alios perventura eos ſtringunt. Ad ea
nati

nati ſunt, ne mirentur, æquum eſt jus naturæ, non quo omnes uſuri ſunt, ſed quod in omnes latum eſt. *Alium ambitio numquàm quieta ſollicitat; alius divitias, quas optaverat, metuit, & voto laborat ſuo; alium ſollicitudo, alium labor torquet, alium ſemper veſtibulum obſidens turba; hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe.* *Idem Conſol. ad Polyb. cap. 22.*

§. 2. Lachrymæ deerunt antequàm cauſæ dolendi. Alius ante amicæ fores laqueo pependit: alius ſe præcipitavit à tecto: alius, ne reduceretur à fuga, ferrum adegit in viſcera. Qui in regnum fortunæ (ut ità dicam) & quidem durum atque invictum per januam vitæ pervenerunt multa digna atque indigna ſunt paſſuri. Alii ignibus perurentur vel in pœnam admotis vel in remedium: alii nudi mari jactabuntur, & luctati cum fluctibus ne in arenam quidem aut littus explodentur; ſed in alicujus ventrem immenſæ belluæ detrudentur: alii morborum variis generibus emacerati diu inter vitam mortemque detinebuntur: alii domeſticis inſidiis petentur; aut apertâ vi, aut dolo: alii veneno, alii criminatione. Omnis conditio verſabilis eſt, & quidquid in alium incurrit, poteſt in quemlibet quoque incurrere, morbus, captivitas, ruina, ignis: nihil horum repentinum eſt ei, qui ſcit in quàm tumultuoſum contubernium illum natura concluſerit. Toties in vicinia illius conclamatum eſt, toties præter limen immaturas exequias fax cereuſque præceſſit: ſæpè altiùs ruentis ædificii fragor ſonuit: multos ex his quos forum, curia, ſermo cum illo contraxerat, nox abſtulit. Omnia aliena mala, quorum ingens quotidiè copia, liberum & ad nos poſſunt iter habere;

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Altiùs intuentibus veritatem, omnis vita ſupplicium eſt. „In hoc „profundum inquietumque projecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò allevans nos ſubitis incrementis, modò majoribus damnis deferens, aſſidueque jactans, numquam ſtabili conſiſtimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, ſemper timemus. Nulla domus in toto orbe terrarum eſt, aut fuit ſine aliqua comploratione. Nemo non aut deſiderio ſuorum tortus eſt, aut à ſuis cum maximo animi cruciatu deſideratus eſt. Scipioni Africano mors fratris in exilio nunciata eſt: is frater, qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato. Æmilianus Scipio uno penè eodemque tempore ſpectavit patris triumphum, duorumque fratrum funera. Duorum Lucullorum dirempta eſt morte concordia. Pompeiis ne hoc quidem ſæviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruinâ. *Idem Conſol. ad Polyb. cap. 18.*

Eo tempore, quo Marcus Antonius civium ſuorum vitæ ſedebat mortiſque arbiter, frater illius duci jubebatur ad ſupplicium. Innumerabilia undique omnis ſexûs & ætatis exempla ſuccurrunt, quæ nos docent vitam non per partes deflendam eſſe, cùm tota flebilis ſit. Poſtquàm S. Hieronymus mentionem feciſſet de Xerxe Rege Perſarum potentiſſimo, qui de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem & innumerabilem videns exercitum fleſſe dicitur, quòd poſt centùm annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet; ſubjecit exclamans: „O ſi poſſemus in talem aſcendere ſpe-„culam, de qua univerſam terram ſub noſtris pedibus cerneremus! *In Epith. Nepot.* „Jam tibi oſtenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, Re-„gnis Regna colliſa: alios torqueri, alios abſorberi fluctibus, alios „ad ſervitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum; illos naſci, illos „mori; alios affluere deliciis, alios mendicare, & non Xerxis tan-„tùm exercitum, ſed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in „brevi defuturos. Indè puto emerſiſſe conſuetudinem apud Thraces, *Alex ab Alex. Lib. 2. Genial. c. 25.* Trauſoſque ac Ceſias & Cauſianos, ut puero in lucem edito, circumdati cognati, affineſque illum lamententur, & afflicti jaceant, recentes calamitates vitæque incommoda, cui tantum reſtet malorum, quæ mox ille paſſurus advenit, plangentes. Quando alii Genethliacon, leſſum illi canunt. Iidem verò in funere exultantes jubilant, ſcilicet quòd defuncto incommodis omnibus atque infortuniis, quæ vita fert, ex hac luce & imminentibus malis, atque omni ſævitiâ fortunæ tandem excedere datum ſit: natalitius enim dies in turbulentum hujus vitæ pelagus nos inducit, ubi draco latibulum ſuum poſuit: tranſitus verò è ſtadio nos abducit. In hoc tam proceloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari navigantibus *Plin. lib. 7. c. 7.* nullus portus niſi mortis eſt. *Is profectò vitam æquâ lance penſabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Melior eſt igitur dies mortis die nativitatis.* *Eccl. 7. v. 2.* Imprimis ex ſententia D. Hieronymi, melius eſt exire de ſæculo, & carere tribulationibus, atque in certo vitæ ſtatu, quàm ingrediendo mundum hæc omnia ſuſtinere: vel certè quod in morte quales ſimus notum ſit, in exordio verò naſcendi qui futuri ſimus ignoretur: aut quòd nativitas alliget corpori libertatem animæ, mors reſolvat.

§. 3. Accedit, quòd triſtia hujus vitæ ſolida ſint ac vera, læta *Eccl. 2. v. 2.* verò non niſi vana & umbratica; ideò Sapiens ait, *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtrà deciperis?* Longè abſunt à vera ſapientia, qui ob res voluptateſque mundanas tam viles, tam exiles adeò gaudent, & ſibi applaudunt, ut in effuſum riſum & cachinnos prorumpant. Inſanam illi extaſim patiuntur. Inſanire videntur

dentur ac ſui oblivisci, qui in loco miſeriæ, & valle lachrymarum lætandum ſibi falsò exiſtimant; iſtud eſt hilari inſaniâ inſanire, ac per riſum furere. Errant atque emoræ mentis ſunt, qui gaudent ubi dolere, rident ubi flere deberent. Undè S. Auguſtinus: *Qui rident de rebus vanis, de malo ſuo rident*; Nam deliciæ, quia dolorem pariunt, fletum potiùs quàm riſum ciere debent. Vanitas mundana ſolet inſtar gallinarum vili ovo parto gracillare, atque cantando perſtrepere. Neque tamen is tumultus ſive cantus tàm lætitiæ & riſûs, quàm interni doloris, ſingultûs, & conceptæ vanitatis argumentum eſt. Ità de gallinis teſtatur Columella: *Parituras ſe gallinas teſtantur crebris ſingultibus.* Vix alia cauſa doloris, quàm quòd parto ovo venter vacuus aërem vaniſſimum ſuſceperit. Gallinæ ſubindè pariunt ova ſubventanea, quin inania, & vento turgida; talia prorsùs ſunt vana mundi gaudia. De luxurioſis dicit Seneca: „Cùm fatigaverunt ſe vino & libidinibus, cùm illos nox inter vina „defecit, cùm voluptates anguſto corpori ultrà quàm capiebat inge„ſtæ ſuppurare cœperunt, tunc exclamant miſeri Virgilianum illum „verſum: *Serm. in cap. jejunii.* *Epiſt. 59.*

Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti.

„Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tamquàm „ſupremam, agunt. Sic ſe habent univerſa ſub ſole, ut nihil ſit in eis verè jucundum, ſed ab unó ſemper tranſilire velit homo ad aliud, ſolâque viciſſitudine relevetur utcumque; ac ſi proſiliat ab aqua in ignem, & indè rursùs in aquam reſiliat, utpotè qui neutrum ferre poſſit. Omnis ſiquidem laboris remedium, alterius laboris initium eſt. Scitum Solonis eſt unius è ſeptem Græciæ Sapientibus, *Corpus, cùm oritur putredo eſt, cùm vivit bellua, cùm moritur vermium eſca.* Cur tam modica breviſque voluptas tantis curis, tantâ opum, temporis & famulorum impensâ emitur, quæ mox in mœrorem, ex quo nata eſt, rursùm convertitur? Vinum jucunditatis quàm repentè defuit in Cana Galileæ! Diu apud homines manere vinum, diu lætitiæ conſtare voluptas nequit: nullus quippè reperitur ſtatus, nec aliqua vitæ profeſſio ſine moleſtiis atque ærumnis. Hanc ob rem pullâ veſte indutus Nobilis Hiſpanus pergebat ad convivium, ad quod erat invitatus; cauſam ſciſcitantibus reſpondit, ſe ad domum convivii ire, quo pacto debebat redire. Verè corporis voluptatibus plus moleſtiæ quàm voluptatis ineſt; in nuptiis ſterilitas, zelotypia: in agricultura infœcunditas: in mercatura naufragia: in divitiis inſidiæ. Ipſæ verò deliciæ, ipſa ſaturitas, & aſſiduus voluptatum uſus

frequentes ac varios morbos, multiplices affectiones ſecum trahunt. *Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum timorem, timidamque quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem.*

S. Auguſt. ep. 39. ad Licentium.

§. 4. His tamen vinculis miſeri ſcientes volenteſque manus ac pedes inferunt. Non ignorant laborioſam eſſe vitam temporalem aſtruente D. Gregorio, „leviorem fabulis, velociorem curſore, in„ſtabilitate fluctuantem, imbecillitate nutantem: cui nulla eſt for„titudo, nulla propoſiti conſtantia, nulla à turbationibus requies, „nulla à laboribus reclinatio. Riſus fletum ſequitur, gaudium tri„ſtitia comitatur, eſuriei ſuccedit ſaturitas, ſaturitatem iterùm ex„cludit eſuries: in nocte dies optatur, in die nox quæritur: in „algore calor, in æſtu refrigerium: ante cibum ſuſpiria, poſt ci„bum tribulatio; iræ, indignationes exagitant, innumerabiles mi„ſeros homines motus perturbant. Attamen cùm mundus in ſeip„ſo aruerit, adhuc in cordibus ipſorum floret. Undique percutiuntur, undique amaritudinibus replentur, & cæcâ nihilominùs mente carnalis concupiſcentiæ ipſas ejus amaritudines amant, fugientem ſequuntur, labenti inhærent. Negligentes ac contemptores Diaboli & peccati fraude excæcantur; nihil proindè de ſuo hinc exitu laborantes annos multos & tempora longa ſibi præſcribunt, donec repentinus improvidos apprehendat interitus. Alii benè lugentium ſpeciem referunt, ſimulata verò eſt eorum ac larvata triſtitia, ſicut vita tota ficta, & oſtentationi paratâ. Semper queruli ſunt, continuò moroſi; torquet illos aſſidua obſervatio ſui, & deprehendi aliter, quàm ſolet, metuit: numquàm curâ ſolvuntur, ubi toties æſtimari ſe putant, quoties aſpici. Volumus ſcire quàm benè cedat tanta ſui diligentia ſemper ſub perſona viventibus? cogitemus, quòd plurima ſæpiùs incidant, quæ invitos ſæpè denudant, aut fictos gemitus & dolores in veros convertant. Satius ſimplicitate uti, quæ multum continet voluptatis, ſincerâ & per ſe ornatâ, quàm perpetuâ ſimulatione torqueri. Hujus rei teſtis eſt Cælius; de quo Poëta Martialis lepidam exponit hiſtoriam. Ut evitaret varios diſcurſus ad limina potentiorum, ſalutationes, ſupercilium grave, contumelioſam humanitatem,

In prolog. Pſ. 6. pænit.

Cæpit fingere Cælius podagram.

Quò veriſimiliorem illam oſtenderet; fecit ſibi ungi pedes, vittiſque obligari; laborioſum huic adjiciens inceſſum, integrè ſimulabat ſtatum & habitum podagrici: immiſcuit ludibrio ſeſe fortuna & figmentum ad veritatem perduxit.

Quantum

Quantum cura poteſt & ars doloris! Martialis lib. 7. epig. 33.
Deſit fingere Cælius podagram.

Undè matres non immeritò liberos ſuos graviter objurgant, dum illos vident claudicantium, luſcorum & ſimilium defectus imitari; quòd artus teneri horum aſſuefactione vitium contrahant in naturam procedente tempore tranſiens. Cernere eſt lecto veluti affixos, qui veredo haud difficulter poſſent uti: alios verò, qui omnes percurrunt Medicorum Aphoriſmos ut inveniant pallorem & maciem inducentia, quibus infirmam valetudinem mentiantur.,,Sic ex longa, ,, inquit Seneca, & gravi valetudine expliciti, motiunculis, leviboſ- De tranquill. ,, que offenſis perſtringuntur, & cùm reliquias effugerint, ſuſpicio- animi c. 2. ,, nibus tamen inquietantur, Mediciſque jam ſani manum porri- ,, gunt, & omnem calorem corporis ſui calumniantur.

§. 5. Quid de iſtis ſtatuendum, qui neſciunt vivere, & nolunt mori, quorum univerſa vitia ſervitium eſt, imò ſervitus? ſerviunt hominibus, ſerviunt rebus, ſerviunt vitæ: qui nihil habent propter quod expectent, ubi & ipſas voluptates, quæ remoram poſſent injicere, conſumpſerint? nulla his nova eſt, nulla non jam odioſa ipſa ſatietate; nihil his luxuria in futuros annos intactum reſervavit. Qui nihil fecerunt luce dignum confiteri debent, quòd non fori, non curiæ, non ipſius naturæ deſiderio mortem timent, tardioreſque ad moriendum fiunt: ſed quia inviti à voluptatibus divelluntur, quia inviti relinquunt macellum, in quo nihil reliquerunt. Cur alii mortem optant, ſi neutiquam hujus voti aleam ſubire velint? numquid optant, quia timent? non vult enim mori qui optat. Numquid imbecillæ mentis & ſuâ deteſtatione miſericordiam teſtantis ſunt hæc verba, *Quamprimùm moriar*? Optas mori, & vivere vis: *Quamprimùm moriar*, quod, ut quandoque fiat, etiam invito poſitum eſt. Non accerſita approperabit mors, fortaſsè inter has voces ſenex factus es. *Quamprimùm moriar*; quid in mora eſt? quamprimùm iſtud, quod eſſe vis, citiùs fieri, quàm optas, poteſt. Fruſtrà inanibus verbis ſubtilitas vaniſſima agitatur, cùm propè mors accedet, tergiverſaberis, tremes, plorabis: contra iſtas anxietates obfirmandus eſt animus; cur mortem optas, ſi mori times? ſæpè debemus mori, nec volumus; morimur, nec volumus: perſuademus nobis rerum univerſitatem ex interitu noſtro grave aliquod pati diſpendium, illique condolere. Contingit ex prava affectione viſûs, quòd ipſo deficiente videantur res ipſæ deficere, quemadmodùm navigantibus in mari, montes, campi, urbes, cælum, terraque cum ipſis videntur moveri;

Virg. lib. 3. Æneid. *Provehimur portu, terræque urbeſque recedunt:*

Ità ex perverſo, quo noſmetipſos nimiùm ſuſpicimus, affectu mortem noſtram multùm ponderamus, eamque non credimus ſine prævia ſolemni conſultatione nobis accidere quaſi ſint tot circa unum caput tumultuantes Divi. Ex hac philautia deſcendunt iſtæ voces: ergòne ſine notabili damno tantæ ſcientiæ fiet jactura? Nihilnè inter animam tot præditam dotibus intereſt, & vilem aliquam ac vulgarem? Ab illa dependet ſalus, integritas imò ſpiritus totius Reipublicæ vel Communitatis: quis locum ipſius poterit occupare? quis tanto prædeceſſori dignus invenietur ſucceſſor? quis tam exactus Oeconomicus, tam vigilans Præfectus? quis tam dextrè expediet negotia, tam ſollicitè & providè tuebitur acquiſita? quis tali perficiendo operi ſupremam ingenii valebit adhibere induſtriam?

——— *Nemo, herculè nemo.*

Tantum nobis applaudimus, tantum arrogamus veluti ſoli eſſemus & unici in vaſtiſſimo hoc univerſo, veluti per occaſum noſtrum mundi machina diſſolveretur. Quid minùs ſibi perſuadebat Julius Cæſar, quàm maris ſe Dominatorem, cùm validâ exortâ tempeſtate ſuperbiâ plùs intumeſcens quàm mare fluctibus nauclero dicebat:

Lucanus.

—— Italiam ſi cælo authore recuſas
Me pete: ſola tibi cauſa hæc eſt juſta timoris
Vectorem non noſſe tuum; perrumpe procellas
Tutelâ ſecure mei.

Acceſſit & populi inſania, qui ob mortem Cæſaris credidit Solem per annum integrum nubibus quaſi pullâ veſte contectum luxiſſe.

Idem.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam
Cùm caput obſcurâ nitidum ferrugine texit.

Quàm inepta præſumptio! non tanta cælo ſocietas nobiſcum eſt, ut fato noſtro mortalis ſit ille quoque ſiderum fulgor. Ex quo provenit tanta ſui cura, tanta ſollicitudo, ut conemur pauxillum aquæ & terræ commixtum, corpus inquam, omni arte & remedio Medicorum conſervare? non enim eſt Senecæ aliud homo, quàm *quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile: jactatu, non tempeſtate magnâ, ut diſſipetur, eſt opus.* Quid ergo? non mundus, cùm hinc decedemus, nos deſideraturus eſt, plures enim ac meliores incolæ illi ſupererunt: quapropter, cùm morimur, nec mundum deſideremus, plurima enim ipſo meliora nos expectant, ſi laudabiliter vitæ functi

Conſol. ad Marc. c. 11.

ſumus

ſumus munere. In mundo ubique ingens calamitas, extra illum juſtis ſumma futura eſt felicitas.

§. 6. Quid nobis novum eſt mori? ad hanc legem nati ſumus. Hoc patri aliquorum, hoc matri accidit, hoc majoribus, hoc omnibus ante nos, hoc omnibus poſt nos. In hoc punctum conjecti ſumus, quod ut extendamus, quouſque extendemus? Quid flemus, quid optamus? perdimus operam, fata rata & fixa ſunt, magnâ atque æternâ neceſſitate ducuntur. Series invicta & nullâ mutabilis ope illigat ac trahit cuncta. Non repentè in mortem incidimus, ſed minutatim procedimus; imò vita noſtra jugiter ad occaſum fluit. ,, Nemo noſtrûm, inquit Seneca, idem eſt in ſenectute, qui fuit ,, juvenis: nemo manè, qui fuit pridiè: corpora noſtra rapiuntur flu- *Epiſt. 59.* ,, minum more: quidquid vides currit cum tempore: nihil ex iis quæ ,, videmus, manet. Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Fluit tempus, & avidiſſimos ſui deſerit, nec quod futurum eſt noſtrum eſt, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis hæremus. Quid ergò tàm ridiculum quàm appetere mortem, cùm vitam nobis inquietam fecerimus metu mortis? Extremæ imprudentiæ eſt imò dementiæ timore mortis ad mortem cogi. Ignoramus quòd quotidiè morimur. ,, Quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ, & ,, tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, *Sen. ep. 24.* ,, deindè pueritiam, deindè adoleſcentiam: uſque ad heſternum, ,, quidquid tranſiit temporis, periit. Hunc ipſum quem agimus ,, diem, cum morte dividimus. Eâdem ſcribendi formulâ uſus eſt D. Hieronymus. ,, Sentiſnè, obſecro te (quærit ab Heliodoro) *In Epitb. Nepot.* ,, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robuſtæ ,, ætatis, quando ſenex factus ſis? quotidiè morimur, quotidiè commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus. Hoc ipſum quod ,, dicto, quod ſcribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea ,, tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna ſunt tempo- ,, rum. Scribimus, atque reſcribimus: tranſeunt maria epiſtolæ, & ,, ſcindente carina, per ſingulos fluctus ætatis noſtræ momenta mi- ,, nuuntur. Quiſquis ſe multùm fortuitis dedit, ingentem ſibi materiam perturbationis, & inexplicabilem fecit. An nunc primùm nobis exilium imminere ſcimus, nunc dolorem, nunc acerbos caſus, nunc mortem? In hæc nati ſumus. In aliis quoque naturæ legem mutare non poſſumus: id poſſumus, magnum ſumere animum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ, quæ totum hoc quod videmus regnum mutationibus temperat, conſentiamus. Quarè obluctando, & de ordine mundi malè exiſtimando emendare (quantum in nobis eſt) malumus Deum quàm nos? Malus miles eſt,

les eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur; puſillus ac degener, qui injuſſu Imperatoris ſtationem deſerit; qui non impigrè atque alacer excipit imperia. Quis tam ſuperbæ impotentiſque arrogantiæ eſt, ut in hac naturæ neceſſitate omnia ad eumdem finem revocantis, ſe unum ac ſuos ſeponi velit, ruinæque, etiam ipſi mundo imminenti, ſubtrahi? Abſtinendum à lachrymis non profuturis: non ſolùm inutilis eſt illa quæcumque triſtitia, ſed & pernicioſa plurimùm; nullum opus bonum promovet, & ad omne reddit ineptum; breviſſimam ac maximè ſollicitam ætatem facit, ubi præſentia negliguntur, & futura timentur. Quantulum eſt ſi decrepiti ſenes paucorum annorum acceſſionem votis mendicent? ob id *minores natu ſeipſos fingunt: mendacio ſibi blandiuntur: & tàm libenter fallunt quàm ſi fata ipſa decipiant.* Cùm illos imbecillitas aliqua mortalitatis admonuit, paventes moriuntur, non tamquàm exeant de vita, ſed tamquàm extrahantur. Satius omninò foret ſi cogitaremus id nobis eventurum, quod ante nos paſſi ſunt omnes, omneſque paſſuri. In hoc nobis benignè conſuluit natura, quæ id quod graviſſimum fecit, commune fecit; ut crudelitatem fati conſolaretur æqualitas.

Sen. de brev. vitæ. c. 11.

§. 7. Præparandus eſt animus contra omnia adverſa. Nemo non fortiùs ad id, cui ſe diu compoſuerat, acceſſit, & duris quoque, ſi præmeditata erant, obſtitit. Non eſt itaque nimis amanda vita, neque odio nimis habenda. Vir fortis ac ſapiens non fugere debet è vita, ſed exire. Sic vivendum, ſic loquendum, ut paratos nos mors inveniat atque impigros, ſi volumus illam ultimam horam placidi expectare, cujus metus omnes alias inquietas facit. Attamen ſi rebus tumultum demamus, & videamus quid in quaque re ſit, ſciemus in rebus ipſis nihil eſſe terribile, quin in ipſa morte, niſi ipſum timorem. Ità pueri, quos amant, quibus aſſueverunt, cum quibus ludunt ſi perſonatos videant, expaveſcunt. Non hominibus tantùm ſed & rebus perſonam demebant generoſi Chriſti Martyres; reddebant illis faciem ſuam. Ideò morti imperterritè exprobrabant: Quid nobis gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa frementium? tolle iſtam pompam ſub qua lates, & ſtultos territas. Mors es, quam ſervus, quam ancilla, quam pueri contempſerunt. Quid tu rursùs nobis flagella & equuleos magno apparatu explicas? quid ſingulis articulis machinamenta, quibus extorqueantur aptata, & mille alia inſtrumenta excarnificandi particulatim homines? jube conticeſcere gemitus ſpectantium & exclamationes. Nempè dolor eſt, quem podagricus contemnit, quem ſtomachicus in ipſis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur.

Para prevenidos no ay acaſos, ni para apercebidos aprietos: no ſe hà de aguardar el diſcurrir para el ahogo, y hà de ir de antemano: prevenga con la madurez del reconſejo el punto mas crudo. Toda la vida hà de ſer penſar, para acertar el rumbo: el reconſejo, y providencia dàn arbitrio de vivir anticipado.
Aforiſmo de Lorenço Gracian.

perpetitur. Levi temporis impenſâ invenire cupimus quomodò æterni fiamus: quomodò ad beatam immortalitatem moriendo veniamus. Sancti profectò ſeipſos inter precaria numerant, vivuntque ut ſibi commodati vitam Deo repoſcenti ſine triſtitia redditurí. Nec ideò aliquis illorum eſt vilis ſibi; quia ſcit ſe ſuum non eſſe: ſed omnia tàm diligenter faciet, tàm circumſpectè, quàm religioſus homo ſolet tueri fidei commiſſa. Quandocùmque autem reddere jubetur, non queretur cum fortuna, ſed dicet: Gratias tibi ago Domine Deus, pro eo quod poſſedi, habuique: quia imperas, cedo gratis libenſque. Si quid habere me volueris, etiam nunc ſervabo. Sancti Martini talis in vitæ periodo audiebatur precatio. *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. Fiat voluntas tua.* Quaſi adderet, ſin minùs, recipe animam: non tergiverſor, non refugio. Paratum habes à volente, quod non ſentienti dediſti: aufer. Malè procul dubio vivit, qui neſcit benè mori. „Qui mortem ti-
„ mebit, nihil umquam pro homine vivo faciet. At qui ſcit, hoc *Sen. de tranquill. animi*
„ ſibi cùm conciperetur, ſtatim condictum; vivet ad formulam: *c. 11.*
„ & ſimul illud quoque eodem animi robore præſtabit, ne quid ex
„ his quæ eveniunt, ſubitum ſit. Quidquid enim fieri poteſt, qua-
„ ſi futurum proſpiciendo, malorum omnium impetus molliet.
Plerique tamen vivere volunt, quia ſibi perſuadent, quòd multa honeſtè faciant. Inviti relinquunt officia vitæ, quibus, ut putant, fideliter & cum induſtria funguntur. Quid? an ignorant unum eſſe ex vitæ officiis & mori? Nullum officium relinquunt. *Paucos* ſanè *Idem ep. 58.* *longiſſima ſenectus ad mortem ſine injuria pertulit. Multis iners vita ſine uſu jacuit ſui.* Nam cùm majus periculum ingruit malè vivendi, quàm cito moriendi, ſtultus eſt qui non exigui temporis mercede magnæ rei aleam patitur redimi. *Vita non eſt imperfecta, ſi honeſta eſt. Ubicumque deſines, ſi benè deſinis, tota eſt.* *Idem ep. 77.*

§. 8. Nihil tamen ad hoc æquè nobis proderit, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti; quàm conſiderare, quàm pulchra res ſit conſummare vitam ante mortem, deindè expectare ſecurè reliquam temporis ſui partem. Hæc aſſidua mortis præſtabit meditatio, ut nulli malo ſimus tyrones. Undè, ſi credimus Senecæ, totâ vitâ diſcendum eſt mori. Supervacuum forſan putabimus id diſcere quo ſemel utendum eſt? *Hoc eſt ipſum, quarè meditari* *Idem ep. 26.* *debeamus. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus.* Magno Stoïco Senecæ nullum fuit genus morbi ignotum: hinc dicit de ſe, *Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me tranſierunt.* *Ep. 54* Uni tamen morbo ſe quaſi aſſignatum dicebat, quem Græci Aſthma, ipſe ſatis aptè ſuſpirium dici exiſtimavit. Nihil ei viſum

moleſtius; aliud enim quidquid eſt, ægrotare eſt: hoc eſt animam agere. Propterea meditatio mortis illud à Medicis appellatur. In ipſa tamen ſuffocatione non deſiit cogitationibus lætis ac fortibus acquieſcere. Quin ex ipſo morbo hunc mortis fructum retulit, quòd illam cœpit meditando condiſcere, & diu experiri. „ Una nempè eſt

Sen. ep. 26. „ catena quæ nos alligatos tenet, amor vitæ: qui ut non eſt abji-
„ ciendus, ità minuendus eſt: ut, ſi quando res exiget, nihil nos
„ detineat, nec impediat, quò minùs parati ſimus, quod quando-
„ que faciendum eſt, ſtatim facere. Nemo ſcit noſtrûm quàm pro-

Idem ep. 101. pè verſetur terminus vitæ præfixus: *Sic itàque formemus animum, tamquàm ad extrema ventum ſit; nihil differamus, quotidiè cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quòd imperfecta ſemper eſt, quòd etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidiè vitæ ſuæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore.* Hic veræ ſapientiæ vacat, ſolus vivit: neque enim ſolùm ætatem ſuam benè tuetur: omne ævum ſuo adjicit, dum magnitudine animi humanæ egreſſus imbecillitatis anguſtias ad Sanctorum imitationem ſeſe refert, qui ſucceſſoribus viam ad æternitatem præparaverunt. In illorum geſtis invenit, quod ſuſpiciat, invenit, quod ſequatur; ad res pulcherrimas eorum labore deducitur. Nullo illi ſæculo interdictum eſt, ſed cum rerum natura in conſortium omnis ævi pariter incedit. Nihil pretioſius novit tempore, ideoque nullum non in uſus ſuos confert. Tàm ſedulò gerendum eſt ſalutis negotium, ut ne momentum quidem, ſi fieri poſſit, elabi infructuosè patiamur. Neceſſe eſt enim ut ex futuro ſuſpendatur, cui irritum eſt præſens. Ex temporis indigentia naſcitur cupiditas futuri excedens animum, in ſpe viventibus ſubit aviditas temporis, & miſerrimus atque miſera omnia efficiens metus mortis. Ubi verò quidquid ſibi quis debuit, reddi-

Idem ibidem. dit; *ubi ſtabilita mens ſcit, nihil intereſſe inter diem & ſæculum: quidquid deinceps dierum rerumque venturum eſt, ex alto proſpicit, & cum multo riſu ſeriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitaſque caſuum perturbabit, ſi certus ſit adversùs incerta?* Non eſt impendio vitæ vita inſtruenda. Qui ſecuri atque in tanta temporum fuga lenti menſes ſibi, & annos, ac longam ſeriem, utcumque aviditati ſuæ viſum eſt, exporrigunt, ad ſenectutem imò mortem ipſam imparati inermeſque veniunt. Perdunt hodiernum: quod in manu fortunæ poſitum eſt, diſponunt: quod in ſua, dimittunt. Salubriùs Lucilium ſuum his verbis Seneca inſtituit. *Ideò mi Lucili,*

Ibidem. *propera vivere, & ſingulos dies, ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidiè fuit tota, ſecurus eſt.* Rarò tamen nobis fragilitas noſtra ſuccurrit. Omnia tamquàm mortales timemus;

memus; omnia tamquàm immortales concupiſcimus. At ille (juxta Senecam) *Qui omnes dies tamquàm vitam ordinat, nec optat craſtinum, nec timet.* Qui ſibi quotidiè illud Horatianum inculcat.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum, Ep. 4. ad Albium Tibullum.

Uberem hinc fructum reportabit: nam Poëta ſubjungit,

Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur, hora.

In eamdem ſententiam propendet S. Gregorius ubi dicit: *Qui de ſua ſpe & operatione ſecurus eſt lætus judicem ſuſtinet, & cùm tempus propinquæ mortis advenerit de gloriæ retributionis hilareſcit.* Homil. 13. in Evang.

§. 9. Illud movit viros ſanctos ut cum Salomone judicarent, quòd melius ſit *ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii.* Cauſam ſubdit. *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit.* In domo quippè ſunebri recordatione Eccl. 7. v. 3. conditionis & fragilitatis humanæ ex præſenti cadavere quis commovetur: tamquàm ſibi à defuncto tacitè diceretur, *Memor eſto judicii mei. Sic enim erit & tuum: mihi heri & tibi hodiè.* Stulta Eccli. 38. v. 23. eſt mortalitatis oblivio, mira hominum cæcitas, quando ſunebribus interſunt, quando alios vident quotidiè mori, ſciuntque ſe pariter morituros, ſi nihil de morte cogitent, ad illam ſeſe non præparent. Dilatio illis præſentia eripit dum ulteriora promittit, procùl atque ad omnia ventura, quæ tamen in incerto jacent, ſpes extendit. Saniorem mentem indidêre mortui S. Brunoni optimi conſiliatii. Neminem antehàc tàm efficaciter è Cathedra diſſerentem audierat, quàm è feretro deſunctum. Illius voce perculſus non modò larvam & umbram iſtam hominis, ſed omnes quoque homines ſugere ſtatuit lauros in eremo quærens, quarum umbrâ tutaretur à ſulmine. Hinc novæ Philoſophiæ auctor ſactus, & idea homines dum ſugeret, in ſolitudinem illos attraxit; quos docuit in diem, imò in horam vivere; à mundi commercio ſeceſſu, lugubri ſilentio, lurido in vultu colore funeri proprio continuò intereſſe; hìc gementes ac tacentes, ut gaudeant & cantent tunc, cùm flebunt alii morituri. omnibus ad hunc modum vivam præſentemque ſuadet mortis memoriam S. Ephrem. „ Beati, ait, qui lugent, quia conſolabuntur. „ Inclinemus nos ad ſepulchra & conditionis noſtræ occulta perſpi- Tract. de vita „ ciamus. Ex cadaveribus permixtos oſſium acervos, craniaque ſpirit. n. 40. „ carnibus exuta cum reliquis oſſibus cernemus; & hæc conſi„ derantes nos ipſos in illis tamquàm in ſpeculo quodam con„ templabimur. Ubi juventutis flos & pulchritudo? ubi venu„ ſtus ille genarum color? hæc nobiſcum cogitantes carnis deſide„ ria fugiamus, ne in reſurrectionis ac judicii die confundamur.

Tamquàm ſi ſancto Ephrem pædagogo uſus fuiſſet B. Franciſcus Borgia, ità exactè doctrinam illius obſervavit. Gandiæ enim Dux & Gothalaniæ Prorex non expectavit ut vocem mortui è ſarcophago audiret; ſuffecit illi ad honorum titulos veluti certiſſima mortis ſpolia abjiciendos corpus Iſabellæ Auguſtæ, dum viveret formæ miraculum, in teterrimum verſum cadaveris ſpectrum attentiùs conſideraſſe. Qui tunc demùm vivere cœpit cùm deſiit Imperatrix. Humanæ conditionis vitam ancipitem indeſinenter retractans, ubique naturæ ac vitæ incertæ memor S. Joannes Eleëmoſynarius, cogitabat quotidiè ſe mori; ideò ſepulchrum ſibi fieri curaverat ſed imperfectum conſtituto monirore, qui quotidiè ſibi ſuggereret: *Monumentum tuum uſque hodiè imperfectum eſt Domine: jube ergò illud perfici: incertum eſt enim quâ horâ fur ingrediatur*, *nempè mors*. Impigrè diem mortis ſuæ expectabat, & ad ingrediendum æternitatis iter ſe præparabat, quâ enim horâ minimè putamus veniet mandatum horribile, væ tunc imparatis. Archidamus Spartæ Rex Philippo Macedoni poſt victoriam ad Chæroneam inſolentiùs ſe efferenti ſcripſit: *Metire umbram tuam*, *nihilò reperies auctiorem*. Sapienter & laconicè. Ex devictis hoſtibus ac finibus propagatis nihil tibi acceſſit: non animo, niſi curæ majores & metus; non corpori, *Metire* ſiquidem *umbram*, & hoc videbis. Utinam conſilium iſtud Regibus ac Principibus arrideret, ut cogitarent quid introrsùm & apud ſe ſint; neque ſupra homines ſe, ſed homines eſſe! utinam umbram ſuam metirentur, ſepulchri anguſtias ſedulò contemplarentur! non aliquando querulam aut indignabundam cum Severo Romanorum Imperatore emitterent vocem. Is diu in ambitione ſenio confectus ac moriturus ad ſe urnam adferri juſſit, in qua cineres (ex more) erant recondendi, Et *tu*, ſubjecit, *virum capies*, *quem orbis terræ non capit?* ſed magna & votiva cum faſtu exuerent, atque ad modeſtiam flecterentur. Quod docet Plutarchus: *Si teipſum*, ait, *intùs aperueris*, *vanum quoddam ac multis refertum malis plenum reperies*, *ac mundum quemdam miſeriarum reconditum.*

Leont. in ejus vita.

Lipſ. l. 2. monit. polit. c. 14.

§. 10. Mundus hic, quem terimus, ab omni re ſtabili & bona eſt vacuus, ærumniſque plenus; de quo S. Gregorius magnus: „Quidquid in hoc ſæculo lætum, delectabile, ſublime, aut proſperum cernitur, vanum profectò eſt: quia difficile habetur, & citò „amittitur. Repentè quidem alta ſæculi corruunt, pulchra tran„ſeunt, læta & proſpera evaneſcunt. Nam cùm ſtare in his floribus „ſuis mundus blandiens cernitur, repentinâ fortunâ turbatur, aut „feſtinâ, & omnia deturbante morte, concluditur. Homo verò alter quidam mundus illo magis eſt caducus, miſeriiſque confertus.

In 1. Reg. c. 12.

Paradoxum

Paradoxum quibuſdam videbitur & ſenſui communi repugnare, quod in hanc rem allegat S. Auguſtinus dicens: *Si vitrei eſſemus, minùs caſus timeremus.* Quid fragilius, quid levius ut atteratur, quàm vitrum? Quid ergò dicit S. Doctor homines felices ſi è vitro non è terra ficti eſſent, quia lapſum minùs formidarent, & à fractionis periculo longiùs abeſſent? ſuam nihilominùs ſententiam hâc reſponſione corroborat. *Quid fragilius vaſe vitreo? & tamen ſervatur per ſæcula, & durat per ſæcula? Etſi enim caſus vitreo vaſi timetur, ſenectus ei & febris non timetur. Nos verò fragiliores & imbecilliores ſumus.* Vitrum modò ſervetur, perennat. At homo quantùmvis ſeipſum obſervet, quantùmvis ſe abſcondat, quantùmcumque ſui curam gerat, malorum ſuorum cauſam ſecum circumfert, ſecum gerit calamitatum ſuarum originem, ſecum id, undè naſcuntur infirmitates, ſecum dolores à quibus conficitur, ſecum ærumnas à quibus ſternitur, repentè moritur, ſubitò occidit. Undè rectè de brevitate & miſeriis vitæ conqueritur S. Jacobus in hunc modum: *Quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Dum vapor terrenus putreſcit, vocatur *ſitus* ab Ariſtotele. *Situs*, inquit, *caries vaporis terreni eſt: nam ſi vapor ſe efferens concreſcit, fit pruina: ſin putreſcit, fit ſitus. Sic Comœdi ſenectutis ſitum pruinam nominant.* Ex quo infert, *Rectè dixeris morbum eſſe adventitiam ſenectutem, ſenectutem autem morbum naturalem.* Ità vita noſtra vaporibus naturalibus in catharros, phlegmata & flatus reſolutis corrumpitur ac putreſcit. Quò quis etiam diutiùs in hac vita moratur, hoc plurium malorum occaſionibus exponitur. Regnat, poteſt ſubjici. Dominatur, poteſt ſervire. Quidquid altè ſe ſuſtulit, opportunum eſt ad caſum. Sed vel hoc maximè ſuperbiam humanam debet reprimere, quòd mors immineat, & omnes æquet.

Serm. 1. de verb. Domini. — *Cap. 4. v. 15.* — *Lib. 5. de gener. animal. cap. 4.*

———— *Mors ſola fatetur*
Quantula ſint hominum corpuſcula. — *Perſius.*

Sicut enim vapor reſolutus in pluviam deſcendit, reditque in terram, ex qua exhalando aſcendit: ità corpus noſtrum per morbum mortemque reſolutum redit in terram, ex qua ſumptum eſt. Ideò prudenter Maximilianus Cæſar nihil horum, quæ circa ipſum erant, ſuum judicabat: illumque diem præveniendum eſſe ratus, qui prævenire conſuevit, non ad illum ſeſe aptaverat, quem ultimum ſibi ſpes avida promiſerat, ſed nullum non tamquàm ultimum aſpexit. Triennio enim (alii biennio) ante morbum non ſolùm mortem, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum circumferri

Ipſ. l. 2. monit. polit. cap. 14. ſecum juſſit: cavitque teſtamento ut exanimum corpus ſuum rudi linteo involutum ſine ulla exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribuſque vivâ calce oppletis. Ne momento quidem oculos avertere à caducæ vitæ inſtabilitatiſque ſuæ imagine voluit: proindè monumentum illud ſibi quotidiè repræſentari juſſit, quod diceret, *Cogita mori.* Cogita quid de tanto Imperatore ſupererit. Quem tot provinciæ & regna non capiunt, loculus iſte capiet. Dum pro aromatibus quibus condiretur, calcem cavis illarum partium immiſit, hoc ſpectavit, ut corpus putredini natum, eâ quoque exedente & conſumente materie citiùs conſumeretur atque in terram ſuam iret. *Climacus gradu. 6.* *Probatus quidem ille eſt, qui mortem ſingulis diebus expectat: ſed ille ſanè ſanctus, qui hanc ſingulis horis deſiderat.* Continuam illam mortis meditationem Carolus Quintus tanto avo dignus nepos prætulit tot regnorum ac provinciarum ampliſſimo imperio, quo ſe ultrò abdicavit, ut illi totum ſe traderet.

§. 11. Quid mirum? cùm tantum ſit bonum, tamque inſignita gratia, mortalitatis noſtræ commemoratio, ut non aliundè quàm ex arca theſaurorum miſericordiæ divinæ, quàm ex opulentis gazis inexplebilis beneficentiæ potuerit proficiſci. Decreverat inobedientiam Proto-parentum Deus exilii mulctare ſupplicio; ſed quia nulla eſt Dei pœna quantumvis rigida, & terribilis, quam clemen- *Geneſ. 3. v. 31.* tiæ ſuæ ſuavitate non mitiget: *Fecit illis tunicas pelliceas, & induit eos.* Quòd Deus his veſtes ex pellibus mortuorum animalium circumpoſuerit, hoc fecit (ex communi propemodùm intellectu) ut in pellibus expreſſam ſuæ fragilitatis imaginem cernerent, ex iiſque, quid paulò poſt futuri eſſent, perdiſcerent. Rarum atque excellens iſtud beneficium in hunc modum exaggerat antiquus Eccleſiæ Pater *Apud Lippoman. in Caten.* Theodorus; *Tunicas pelliceas dedit illis Deus ex ineffabilibus theſauris, quarè minimè quærendum eſt, undè eas attulerit.* Ad majorem quoque emphaſim ſignanter loquitur Sacer textus: *Fecit eis tunicas pelliceas*; ubi non veſtes communi nomine ſed *tunicæ* vocantur. In quo curioſè annotavit S. Iſidorus magnam Dei eluxiſſe benevolentiam, quòd talia veſtimenta fecit. *Tunica*, inquit, *eſt ap-* *Lib. 19. Etymol. cap. 22.* *pellata, quia in motu incedentis ſonum facit, tonus enim ſonus eſt. Primùm enim fuêre pelliceæ tunicæ, quibus poſt offenſam Adam & Eva induti ſunt*; Veſtitu (ut ità dicam) vocali, ut illum, quocumque pergerent, perpetuum fragilitatis ſuæ & inſtabilitatis haberent monitorem, qui quòd mortales, ac brevi morituri eſſent, ubique ac ſemper illis inſonaret. Tonus enim ſonus eſt. Abſonè quiſpiam cantat, vel nimis vocem remittens, vel nimis intendens accurrit properè Phonaſcus, tonumque illi occinit ad cujus tenorem modulatè

latè canat. Deus Adæ atque Evæ tunicas ex cadaveribus animalium dedit, quæ ſuo ſono & mutâ voce tonum eis præcinerent, cui omnem vitæ ſuæ attemperarent harmoniam, ne inani lætitiâ nimiùm ſeſe efferrent, aut noxio tabeſcerent dolore; ſed inter ſpem & metum vivendo in actionibus minimè diſſonarent. Quando ſuperbè nimiùm ſeſe erigebant, & de ſe ſupra id quod erat præſumebant, runica illis ſuo ſtrepitu tonum indicabat, & ſubmittere vocem, ac deponere criſtas monebat, ut qui tales mox futuri eſſent, quales exuvias cernebant: cùm verò fracti hujus vitæ ærumnis atque laboribus ità vocem dejiciebant ut in tædium & deſperationem prorumpere vellent, tonum ſtatim edebat tunica, & imagine ſua illos ſolabatut tacitè velut inclamans miſeram vitam brevi terminandam, & calamitati patienter toleratæ præmium laurumque ſempiternam ſucceſſuram. Si tantum includat boni noſtræ recordatio fragilitatis, repræſentatio mutabilitatis in aridis mortuorum animalium pellibus delineata & expreſſa, nullatenùs mirandum quod dixit Theodorus: *Tunicas pelliceas dedit illis Deus ex ineffabilibus ſuis theſauris.* Tonum iſtum docere voluit Delium ſuum, ne ſecundis rebus nimiùm inſoleſceret, Poëta Horatius ita canens;

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli. *Lib. 2.Carm. Ode 3.*

Non dubito quin eundem voluerit edere Gilimer Rex Vandalorum in Africa, qui diù proſperâ uſus fortunâ à Beliſario tandem acie victus in Numidiæ excelſum montem *Pappuam* confugit. Indè ſibi panem mitti petiit, ſpongiam, & citharam; panem, fami relevandæ; ſpongiam, ſiccandis oculis; citharam, leniendo animo. Felix illi ſua infelicitas, quæ mentem hanc dedit ut huic tono potuerit citharam vitæ ſuæ accommodare; quam deinceps in Galliæ angulo privatus quietuſque duxit. *Procop. lib. 4. Vandal. & Cedren.*

§. 12. Pulſavit David citharam, & à Saüle malignus ſpiritus receſſit, recedenſque dæmon cecidit ut cervus ſagittâ percuſſus & in jecore ſauciatus. Hinc dixit S. Chryſoſtomus: *Pſalmus eſt animæ ſanctificatio, eſt pulcher animi concentus, acutiſſimum telum contra dæmones.* *In Pſalm. 14.* Quod S. Baſilius magis amplificat. „ Pſalmus, inquit, dæmones fugat, auxiliares Angelos advocat. In nocturnis terroribus ſecuritas, in diurnis laboribus requies eſt: infantibus tutela, junioribus decor, ſenioribus ſolatium, mulieribus honeſtiſſimus ornatus: ſolitudines celebres facit. Elementum incipientibus, incremen- *Proœmio in Pſalmos.*

„ tum

„ tum proficientibus , conſummatio perfectorum. In quo crebrò invenitur ille tonus , qui mortalem conditionis ſuæ admonet ; quamvis nihil ad labores humanos ſopiendos , curaſque leniendas natura repererit muſicâ opportunius , quæ generat animarum tranquillitatem, pacis arbitra , turbas & fluctus cogitationum compeſcens, iracundiam molliens, amicitiæ conciliatrix, diſſidentium conjunctio , inimicorum reconciliatio : attamen illius periti aſſeverant (cuique enim in ſua arte credendum) ſuaviſſimam harmoniam ex multis oriri ſuſpiriis , quæ ſimul cum aliis notis in unam illam coaleſcunt & conſentiunt. Juſti cæleſtis muſices gnari nullum gratiorem noverunt concentum , quàm qui lætis & triſtibus aptè ſibi cohærentibus conſtat, in quo crebra ſuſpiria, raræ pauſæ.

D. Greg. lib. 31. Moral.

Juſtus quippè *vitam ſuam bonis maliſque permixtam conſpicit , & cogitationes ſuas aliquo modo ſpe & timore confundit.* Solet miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam jucunda permiſcere.

D. Chryſoſt. Homil. in Matth.

Quod in ſanctis omnibus facit , quos neque tribulationes , neque jucunditates ſinit habere continuas : ſed tum ex adverſis , tum ex proſperis juſtorum vitam quaſi admirabili varietate coutexit. Illud exemplo S. Joſephi probatur , qui videndo ſponſam gravidam in conturbationem incidit maximam : ſed adfuit repente Angelus timorem omnem extinguens. Deindè videns puerum natum , maximâ exultatione repletus eſt : ſed rursùs huic gaudio etiam periculum grande ſucceſſit , cùm tota utique civitas turbaretur , ipſe Rex fureret , & ad necem puerum quæreret. Sed & hunc mœrorem alia rursùs lætitia ſubſecuta eſt , apparitio videlicet ſtellæ, & adoratio Magorum. Poſt hanc quoque jucunditatem iterum periculum, iterumque formido: quærit Herodes animam pueri , & fugere neceſſe eſt , & in longinqua tranſire.

En el cielo todo es cootento. En el infierno todo es peſar. En el mundo, como eo medio, uno y otro. Eſtamos eotre dos eſtremos, y aſſi ſe participa de entrambos. Eſte mundo es un cero, à ſolas vale nada, juntandolo con el cielo, mucho. *Aforiſmo de Lorenço Gracian.*

Largiorem tamen electis ſuis materiam triſtitiæ quàm gaudii Deus in hac vita ſubminiſtrat, partim quòd *nihil infelicius eo* (teſte Seneca) *cui nihil adverſi accidit, quia malè judicarunt Dii de ipſo*, & tales meritò dicendos miſeros idem judicat , *qui nimiâ felicitate torpeſcunt , quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet.*

Lib. de provid.

Felicioris inſuper ingenii eſt inſortunia cum dexteritate ferre, quàm ingentem proſperitatem regere prudentiâ ; *Stultus* enim *proſperitatis , tamquàm ebrietatis voluptate nimiùm fervens , ſtultior efficitur.*

Epictetus in Enchirid.

Ex ſapientis porrò ſchola producitur *Cor ſapientum , ubi triſtitia eſt , & cor ſtultorum , ubi lætitia.* Stultus ſiquidem , cùm mentis hebetudine ſolida putet eſſe quæ ſunt in mundo, neque illorum mutationem intelligat , & propterea futuri exitûs ſit ſecurus ; deliciis affluit, voluptatibus indulget ; neque conſiderat citò improborum

Eccl. 7. v. 5.

borum læta in perniciem cadere, quin & ipſam proſperitatem gravi plumbo eſſe ſimilem; quod, *ſi hominem robuſtum non nanciſcatur, qui oneri ferendo par ſit, pronum in terram præcipitat & proterit.* *Conſtant. Manaſſes annal. pag. 160.* Partim etiam, quòd juſtis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non ſit pœna criminis, ſed virtutis examen: in uſus porrò & meritum juſtitiæ mirabili gratiâ ſalvatoris convertitur pœna. Non latet ipſos ſecundis rebus ſapientum animos fatigari, acrioribuſque ſtimulis explorari: *Quia miſeriæ tollerantur, felicitate corrumpimur.* Luculenter S. Auguſtinus: *Nemo gratuletur homini, qui proſperatur in vita ſua, cujus peccatis deeſt ultor, & adeſt laudator. Major hîc ira Domini eſt: irritavit enim Dominum peccator ut iſta patiatur, id eſt ut correctionis flagella non patiatur.* *In Pſalm. 7.*

§. 13. Ideò vir ſapiens in funebri luctu ſecum animo deputat ſe natum de corruptibili carne, brevi ex hac vita migraturum. Mortales cæteros, qui eâdem ſunt nati conditione, affectu pio proſequitur. Contemnit autem quæcumque ſuis oculis obverſantur ut caſui mortique ſubjecta. *Cor ſapientum, ubi triſtitia eſt.* In hac ſapientiæ ſchola diſcunt ſe conformes facere Magiſtro ſuo cæleſti. *Chriſtum ſuper Lazarum & ſuper Civitatem fleviſſe, & in orationibus pernoctaſſe legimus*, inquit S. Bernardus, *riſiſſe verò aut jocatum nuſquàm.* *Serm. 4. de Adventu.* Quin à lachrymis & ſanguine ex ipſo corde promanante redemptionis opus incœpit. Ars ab exterioribus incipit, uti videre eſt in pictore, qui cùm à ſuperficie ordiatur, ad interiora non progreditur. Natura verò ab intra opus ſuum inchoat. Cor enim eſt primum vivens & ultimum moriens. Sic & creationis ac redemptionis negotium à corde, nempè à lachrymis, ſudore cordis principium ſumpſit. Quod factis oſtendit, ſermone quoque docuit, *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* *Luc. 6. v. 25.* Hinc movet quæſtionem D. Baſilius: *An in univerſum ridere non liceat?* ac reſpondet; „ Cùm Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, „ admodùm perſpicuum eſt nullum omninò locum dari fideli, in „ quo ridere debeat; & maximè in tam magno numero eorum, qui „ per tranſgreſſionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti „ ſe dant, quorum vicem mœrere & gemere convenit. Summatim mala ex idololatria orta ſapiens recenſet, quæ hoc tempore non deſierunt modò, ſed etiam invaluerunt. *Neque vitam*, ait, *neque nuptias mundas jam cuſtodiunt, ſed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contriſtat: & omnia commiſta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio & perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantiæ, inor-* *Sapient. 14. v. 24. 25. & 26.*

 dinatio

dinatio mœchiæ & impudicitiæ. Ità Dominus noſter ex vivaciſſima intuitione malorum, quæ imminebant civitati Hieruſalem, amoris & pietatis indices lachrymas fudit. Maximè tamen Hieruſalem ſpiritualem planxit deſtructam: ruina tot animarum omni erat compaſſione digna. Ille dolor de aliena miſeria à corde procedere debet, in quo natura amoris igne guttas lachrymarum diſtillando & decoquendo præ dolore ſudorem animæ exprimit. Quando ſibi repræſentabat S. Dominicus ruinas animarum, quas nec ipſe tamen creaverat, nec redemerat, talibus opprimebatur anguſtiis, ut noctibus integris adinſtar leonis rugitus ederet, ſuiſque ſingultibus vicinos à ſomno excitaret. Si juſti non temperant à lachrymis infeliciſſimum tantùm peccatorum ſtatum contemplando, quantò potiùs ipſimet peccatores flere debent; neque enim purificantur animæ & conſcientiæ niſi lachrymis, non ſubmerguntur niſi in aquâ lachrymarum. *S. Greg.* *Illæ ſunt peccati diluvium, mundi piamentum, iter ad Deum.* Trahunt & ducunt ad illum: veniam poſtulant, & merentur.

Prov. 15. v. 13. §. 14. Non eſt iſta triſtitia, de qua loquitur Sapiens, *in mœrore animi dejicitur ſpiritus*; Sæculi nimirùm triſtitia, quæ juxta Apoſtolum *2. Cor. 7. v. 8.* *mortem operatur*; quæ contemplatricem animi vim obtundit, ſicut fumus *S. Nilus orat. 5. de triſtitia.* oculorum aciem hebetat. *Aquæ profunditas non admittit Solis ſplendorem, & cor triſte non exhilarat lucis contemplatio. Ut guſtus vim adimit febris, ſic animi ſenſus aufert triſtitia.* Hæc acediam cauſat: *Nimia* *S. Baſil. orat. 12. de mœrore.* enim *triſtitia auctor peccati eſſe ſolet, cùm mœror mentem ſubmergat, conſilii inopia vertiginem afferat, penuria cogitationis animum ingratum generet.* Quod multùm improbat S. Doctor & ignominioſum cenſet generoſo animo triſtitiæ aſſultus à ſe non depellere: *Ingeneroſæ prorsùs,* *Hom. de grat. act.* inquit, *nec virilis animæ, & quæ parùm conſtanti ſpe innitatur Deo, eſt, ad eum modum adverſis frangi, rebuſque parùm lætis ſuccumbere.* Quantùm angor iſte functionibus corporis & animi noceat S. Chryſoſtomus apertiſſimè his verbis declarat: *Epiſt. 3. ad Olympiad.* *Triſtitia tinea eſt non oſſium tantùm, verùm etiam mentis, & perpetuus carnifex non latus fodiens,* *2. Cor. 7. v. 8.* *ſed animi vires labefactans.* Sed triſtitiam ſuademus, quæ *ſecundùm Deum eſt, & pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*: Hanc D. Paulus commendat. Gentiles etiam judicarunt lachrymas magis decere *Apud Stobæum ſerm. 72.* quàm riſum. Undè Dion Philoſophus; „ Riſus continuus & intentus „ deterior eſt iracundiâ, idcircò maximè viget in ſcortis & pueris ſto- „ lidioribus. Mihi ſanè facies magis ornari videtur lachrymis quàm „ riſu; lachrymis enim ut plurimùm bona aliqua doctrina conjungi- „ tur, riſui verò laſcivia: & flendo quidem nemo ſibi concitavit aucto- „ rem contumeliæ, ridendo autem ſpem dedecoris auxit. Decipiuntur ex adverſo ſtulti, quibus aſſentatores ac deriſores magis placent,

quàm

quàm ii qui delinquentes corripiunt, & ad ſeriam pœnitentiam exhortantur. Quàpropter cor ſapientis vadat ad domum talis viri, qui ſe corripiat delinquentem, ut adducat ad lachrymas, qui provocet propria lugere peccata: & non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur, & decipit; ubi non converſionem audientium, ſed & plauſus quærit & laudem. Exactiſſimè D. Chryſoſtomus diſcrimen inter lætitiam & triſtitiam nobis, ſolidèque illud Salomonis confirmat. *Cor ſapientum, ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum, ubi lætitia.* „ Si „ vultis, inquit, duas domos deſcribamus: hanc quidem nubentium, „ hanc verò lugentium. Mente utramque ingrediamur, videamus „ utra melior. Invenietur enim lugubris ſapientiæ plena: nuptialis „ enim plena confuſionis. Nam vide turpia verba, incompoſitos riſus, incompoſitiores locutiones; & veſtis & inceſſus deformitate „ plenus: verba multæ ſatuitatis & ſtultitiæ plena, & aliud omninò nihil; riſus omnia & deriſio quæ ſunt illic: non nuptias dico, abſit, ſed „ quæ ſunt in nuptiis: tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus „ fiunt præſentes: hi quidem ut equi hinniunt, hi autem ut aſini calcitrant: multa effuſio, nihil ſtudioſum, generoſum nihil. Diaboli pompa, cymbala & tibiæ, & cantica fornicationis & adulterii plena. At „ non ità illuc ubi luctus; omnia compoſita, multa requies, ſilentium „ multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompoſitum: ſi „ quis aliquid locutus fuerit, omnia ſunt verba Philoſophiæ plena. Sancti igitur viri lugendum in hac vita potiùs cenſent, quàm vanè gaudendum, quò faciliùs veram aſſequantur Philoſophiam, in eaque ſe perficiant. „ Ubi namque triſtitia, ibi prorsùs & Philoſophia. Qui „ anteà dives erat & multùm tumidus, poſt luctum quemlibet ſe ſuſtinebit alloquentem: poſtquàm timor & triſtitia, quaſi quidam „ acrior ignis in ipſius incideret animam, & duritiem emollierit, tunc „ humilis fit, tunc exorabilior, tunc mundanam ſentit mutationem, „ tunc ad omnia patiens erit. In domo luctûs gravitas diſcitur, modeſtia, continentia, refrænatio concupiſcentiæ, patientia, conſtantia, charitas, & virtus univerſa. Quemadmodùm de carcere loquitur S. Chryſoſtomus: *Illic humilitas, ſupplicatio, Philoſophiæ profectus, ſæcularium contemptus, omnia conculcata ſunt & contempta, & tamquàm infanti pædagogus adeſt timor, ad omnia congrua dirigens eum*: Adeò neceſſarius, ut S. Baſilius & S. Ephrem, cujus omnes tractatus non niſi pium luctum atque lamenta reſonant, videantur omninò in Monachis, qui luctum profitentur, damnare riſum. Quibus conſentit S. Chryſoſtomus: „ Verè, ait, lugendi domus eſt Monaſterium, ubi „ ſaccus, & cinis, & ſolitudo: ubi riſus non eſt, neque ſæcularium turba negotiorum: ubi jejunium, & ſtratum humi cubile, omnia

Homil. 62. ad popul.

Idem ibidem.

Ibidem.

Homil. 59. ad popul.

„ pura à nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione & vexatione.

§. 15. Comitas tamen, affabilitas, & hoſpitalitas potiſſimùm nullatenùs ſunt rejicienda, quia ſimilia benevolentiæ officia congruunt naturæ humanæ, quæ ſocialis eſt, & talem converſandi modum poſtulat. Neque omnis riſus proſcribitur, ſed multus, creber, effuſus, cùm non multùm abſit à dementia oris indecora dilatatio, tremor ſpiritûs, totius corporis concuſſio, genarum diductio, dentium, linguarum & palati apertio, colliqúe ac vocis præter rationem fractio,
Eccli. 21. v. 23. quæ ſimul cum fractione ſpiritûs interſecatur. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam*, dicit Eccleſiaſticus, *vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.*
In Enchirid. cap. 43. Quem Philoſophi ſecuti ſunt: inter quos Epictetus graviter admonet: *Riſus ne ſit multus, neque ob multa, nec effuſus.* Eodem modo ſancit D. Bernardus in formula honeſtæ vitæ: *Riſus tuus ſit aut indicans lenitatem animi, aut provocans; rarus tamen. Et ipſe ſit quidem eductus interdùm, effuſus numquàm.* Mellifluum hunc Doctorem in omni ſua con-
Lib. 3. c. 2. verſatione ità compoſitum fuiſſe ſcribit author vitæ ejus, *ut non potius ad ridendum, quàm ad reprimendum ſibi vim facere oporteret, & riſui ſuo ſtimulum magis adhibere, quàm frænum.* Modicus verò & tempeſtivus riſus hominem decet, ejuſque naturæ congruit, quia totam
Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 5. animam tranquillitate ac ſerenitate replet. *Concinna & decora vultûs per riſum remiſsio inſtar inſtrumenti muſici eſt* μειδίαμα *id eſt ſubriſio; inconcinna verò eſt diſſolutio & cachinnatio.* Unde Poëta Martialis.

Lib. 7. Epig. 24. *Nec grata eſt facies, cui Gelaſinus abeſt.*

Gravitatem, modeſtiam, gratam ſeveritatem, maturitatem Sancti requirunt in Religioſis, quando illos à ſe riſum abdicare exhortantur; non rugoſam & contractam frontem, non tetricum aſpectum, non rigidam moroſitatem, non ſimulatam ac pallio tenùs Philoſophiam. Quos licet quandoque plus cruciet compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum ſua paſſio, amabili tamen illis convenit benignitate reliquos ad pietatem & morum honeſtatem invitare atque ad Chriſtum perducere; qui niſi habuiſſet, & in vultu occultaſſet lumen quoddam ſyderium, numquàm ipſum Apoſtoli ſecuti fuiſ-
D. Hier. ſuper cap. 9. Matth. ſent. *Certè fulgor ipſe & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex ipſo primo ad ſe videntes trahere poterat aſ-*
Cap. 42. *pectu.* De cujus hilaritate ad litteram dicit Iſaïas, *Non erit triſtis, neque turbulentus*, ſed æqualitatem vultûs & mentis omni tempore con-
Citatus à P. Joanne Nyder in formicario lib. 1. c. 11. ſervavit. De eodem loquitur S. Bernardus; „ qui vultum lætum mi„ hi oſtendit, qui meam pœnitentiam ſicut innocentiam amplexa„ tur: ubique lætus, ubique bonus, ubique pius, ubique dulcis cum „ magna multitudine dulcedinis. Non facit ſupercilium, oculos

„ non

„ non obliquat, nec retorquet faciem, nec verba reſonat ampulloſa. Imò tenetur homo ex debito quodam naturali honeſtatis aliis hominibus delectabiliter convivere: in humana verò ſocietate ſicut homo nequit vivere ſine veritate, ità nec ſine delectatione; quod Philoſophus docet: *Nullus poteſt*, inquit, *per diem morari cum triſti, nec cum non delectabili.* Reprehenſibilis igitur ſolummodò eſt riſus, ſi eſt immoderatus, ſi pueriliter effuſus, ſi muliebriter fractus. Benè monet Seneca, *Non ſit riſus tuus ſcurrilis, ſed grata urbanitas: ſales tui ſint decentes: ſint joci ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore.* Quam morum elegantiam atque ſuavitatem D. Bernardus in S. Malachia Epiſcopo annotavit. „ Vultûs, inquit, hilaritatem non fuſcavit mœ„ ror, nec lenigavit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totum inſi„ gne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerioſus, ſed non „ auſterus. Remiſſus interdùm, diſſolutus autem numquàm. Ne„ gligens nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans. In omnibus „ his exerebat ſe hilaritas benignitatis modeſtâ tamen condita maturitate nihil habens ineptiæ. *Eth. 1.* *Apud Nyder ibidem.*

§. 16. Sunt ex teſtimonio Chriſti *beati qui lugent.* Et tamen oſtendit eos D. Baſilius mirè gaudere luctum ſanctum cum gaudio pulcherrimè combinans. Sanctorum luctum ſiquidem & lachrymas à fervore charitatis proſilire aſſerit, quâ toti flagrant erga Deum; ſimulque de conſervorum peccantium damno, verùm citra propriæ damnum lætitiæ. Deindè qui luctum ſectatur, non facilè peccabit: & qui cordis compunctione tangitur, mala non cogitat. Nam ex compunctione oritur fletus, in fletu autem à peccatis declinamus: undè provenit puritas ac ſerenitas conſcientiæ, in qua juſtorum lætitia conſiſtit; quæ vera eſt animæ pariter ac corporis recreatio, & ſempiternæ fruitionis præſagium & flos. Luctus ergò hic exhilarat, tum quia manat ab amore, tum quia certam dat fiduciam promiſſæ à Chriſto conſolationis & gloriæ æternæ. Aut certè à caducis animum ſegregat, cæleſtibuſque facit intereſſe; „ Qui enim vi„ tæ hujus fallaciam mundo mentis oculo perſpexerit, & ſublimior „ his effectus, qui in hujus vitæ rebus ſtudium atque operam po„ nunt, intelliget omninò, quòd ſive edat, ſive dormiat, ſive labo„ ret, ſive contempletur, omni die ac horâ ad ſenium & finem tem„ poralis vitæ impellatur: undè tamquàm ſtercora atque quiſquilias „ quæcumque deſpicit, ſtudetque ab hujus vitæ affectione ſe ipſum „ avocare, ut nullam cum rebus humanis ſocietatem habeat. *Matth. 5.* *S. Ephrem Serm. de recordat. mortis.*

SYMBOLUM XXXII.



DUlcis nihilominùs præſens vita eſt, & multæ plena voluptatis, non tamen omnibus, ſed iis tantùm qui illi ſunt affixi: vinculum namque eſt terrenarum rerum affectio. Licet in quolibet homine vita iſta peregrinatio quædam & militia ſit, cùm finis noſter, bonumque conſummatum niſi poſt vitam haberi nequeat; ſpecialiter tamen in bonis peregrinatio eſt, quæ in malis finis, qui errantes bonum ſuum hîc conſtituunt, quamvis verè peregrinentur, ſe peregrinos eſſe non credunt, quia cæci ſunt & lumen cæli non vident. Boni, qui felicitatem ſuam extra labentia hujus vitæ bona ſophiſtica rectè credunt, tamdiù ſuſpirant, quoùſque, quod deſiderant, aſſequantur.

§. 1. Ta-

§. 1. Talis fuit Abel primus mundi peregrinus, *pertinens ad civitatem Dei, gratiâ prædeſtinatus, gratiâ electus, gratiâ peregrinus deorſum, gratiâ civis ſurſum*, quem occidit Cain mundi civis, cæli exul. *Facto prævenit Abraham dicta ſapientum & ſecutus Deum, exivit de terrâ ſuâ.* Vitam ſuam peregrinationem vocavit Jacob quando in hunc modum reſpondit Pharaoni. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt.* ,, Prima virtus eſt, ſi D. ,, Chryſoſtomo credimus, & tota virtus peregrinum eſſe mundi ,, hujus, & hoſpitem, & nihil commune habere cum rebus hujus ſæ- ,, culi, ſed removeri ab eis ſicut peregrinum. Rex erat David, Propheta, in patriâ ſuâ degebat, confeſſus tamen Deo eſt: *Advena ego ſum apud te & peregrinus ſicut omnes patres mei*, qui in tentoriis habitabant, qui ſepulchra pecuniis comparabant: certum quoniam peregrini erant, ut etiam nec ubi ſepelirent ſuos, haberent: non unius terræ ſolùm, ſed totius mundi dicebant ſe peregrinos, quòd nihil conſpicerent in eo quod volebant, ſed omnia peregrina & aliena. Erat David peregrinus in terrâ ſicut omnes patres ejus. ,, Ibi ,, quiſque eſt peregrinus, ubi abſens eſt à patriâ ſuâ. Iſte ergò qui ſu- ,, pernæ Jeruſalem civis aſcriptus eſt, peregrinum ſe profitetur in ,, terrâ, quia certus eſt de hæreditate promiſsâ. Non dixit incola ego ſum apud te ſicut omnes homines; ,, ſed dicendo ſicut omnes Pa- ,, tres mei, juſtos procul dubio vult intelligi qui eum tempore præ- ,, ceſſerunt, & in hac peregrinatione gemitu pio ſempiternæ patriæ ,, ſuſpirarunt. De quibus ſcriptum eſt ad Hebræos, *juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſsionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Prima virtus, prima dos eſt peregrini ut ſciat ſe peregrinum, qui enim deliciis viarum ineſcati obliviſcuntur patriæ, & vice illius hoſpitium imò exilium diligunt, non ſunt in terra alienigenæ ſed terrigenæ; dulcem hanc lucem, quâ nunc utimur, illi dicunt, quòd dulcedinem veræ lucis ignorent, ſed ne auſpicia quidem veri luminis ulla ſenſerint, nec ſciant angelicam vitam ſperandam eſſe animæ cùm ex vanitate hujus vitæ evaſerint. Quàm plurimos vita illa mortalis ſuis capit illecebris, quàm multos ſuis falſis promiſſionibus decipit! ſicut hujus mundi cives viventes cuncta in hac vita negotiantur; & quod Patriarchæ mundo erant, hoc eſt peregrini & mortui, hoc ſunt cælo; quod autem erant illi cælo, viventes nimirùm & cives, hoc ſunt ipſi mundo. Propterea mortui ſunt, quia vitam, quæ verè vita eſt, abnegarunt, & temporalem iſtam elegerunt: terrenis inhiant, neque ab his volunt abſcindi; veluti vermes quidam ex terra in terram, & rurſùs ex ipſa in ipſam convertuntur.

S. Aug. lib. 15. civit. cap. 1.

D. Ambr. de Abr. lib. 1. c. 2.

Geneſ. c. 47.

Tom. 4. Hom. 24. ex cap. 11. ad Hebr.

Pſ. 38.

S. Proſper in Pſalm. 118.

S. Auguſt. in eumdem Pſ.

Hebr. 11. v. 13.

§. 2. Suſ-

§. 2. Suſpiravit anima Davidis præ tædio, & anhelavit ad ſupernam patriam ingemiſcendo dicens, *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt.* Heu, vox eſt miſeriæ, vox eſt calamitatis & infelicitatis, quia hic incolatus tota vita iſta intelligentibus tribulatio eſt, vita caduca, incerta, laborioſa, immunda, plena miſeriis & erroribus: in qua raro admodùm ſpei noſtræ rerum exitus reſpondent, ſæpè præmeditata deſtituunt, inſperata contingunt:,, Ubi ,, homo multis peccatis inquinatur, multis paſſionibus irretitur, ,, multis timoribus ſtringitur, multis curis diſtenditur, multis cu-,, rioſitatibus diſtrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis er-,, roribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus ,, gravatur, deliciis enervatur, egeſtate cruciatur. In qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diverſis generibus mortium: quantò magis creſcit, tantò magis decreſcit; quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit. Jure merito appellavit Jacob dies peregrinationis ſuæ dies malos, quia in laboribus, ærumnis, in fame & ſiti, in anguſtiis multis, in periculis & inſidiis, ab odio fratris Eſau, à fraudibus & perſecutione Laban avunculi, à ſtupro Dinæ filiæ, ob dulciſſimæ conjugis Rachelis præmaturam mortem, de perditione dilectiſſimi filii ſui Joſeph, propter anguſtiam famis quâ cogebatur ſolum vertere, propter Simeonis & alterius filii in carcere detentionem. Thomas Morus pro veritate & Religione in carcerem ab impiiſſimo Rege Henrico octavo conjectus nihil aliud vitam dicebat eſſe, niſi carcerem reorum ad capitale ſupplicium damnatorum, undè alii citiùs, alii ſeriùs evocantur, alii compendioſiore, alii longiore vitâ perducuntur. Juſtus ſanè qui abnegat ſemetipſum crucifigens membra ſua cum vitiis & concupiſcentiis, ut ſibi mundus crucifixus ſit, & ipſe mundo, non habet hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirit; ſuſtinet ſæculum tamquàm exilium, clauſus in corpore, tamquàm in carcere. ,, Nullus ergò Chriſtianus dicat eſſe diem in quo non ſit tribulatus: ,, totum diem, totum tempus intelligimus. Tota die tribulatur. ,, Undè tribulatio? *Quia quamdiù in corpore ſumus, peregrinamur ,, à Domino.* Quodlibet hìc abundet, nondùm ſumus in illa patria, ,, quò redire feſtinamus. Cui peregrinatio dulcis eſt, non amat pa-,, triam. Si dulcis eſt patria, amara eſt peregrinatio. Si amara pere-,, grinatio, tota die tribulatio. Hinc ſuſpiria, hinc gemitus eorum, quorum vita eſt in exilio, vita in periculo, finis in dubio. Captivus liberationem deſiderat, qui navigat in Jonio immenſo fidam littoris ſtationem, ſervus libertatem, peregrinus reditum in patriam, exul optat jure poſtliminii in priſtinum ſtatum reſtitui. De ſe loqui-

tur

Pſalm. 119. v. 5.

Thom. à Kempis lib. 3. de imit. Chriſti c. 48.

Staplet. in vita c. 12.

Sand. lib. 1. ſchiſm. Angl.

S. Aug. in Pſ. 85.

2. Cor. 5.

tur Iſaias, *Quaſi columbæ meditantes gememus.* Pleræque aves vel dul- *Iſa. 59.*
citer cantant ut philomelæ, vel leniter garriunt ut hirundines,
vel ut corvi crocitant, aut veluti ciconiæ & grues inconditas voces
emittunt; proprium columbæ eſt frequentiſſimè ac penè aſſiduè
gemere: *Nihil tam amicum gemitibus quàm columba: die noctuque* *S. Aug. in pſ.*
gemit. Quis non Sanctorum in fletum & planctum in hac valle la- *54.*
chrymarum ſedulò incubuit? quis non tamquàm hoſpes, peregri-
nus & exul ad patriam claritatis æternæ, ad amœnas illas pulchritu-
dines, pulchraſque amœnitates Paradiſi, mundana cuncta faſtidiens,
cæleſtium amori innixus ardenter anhelavit, multiſque ſuſpiriis aſpi-
ravit? quis non inter varias hujus vitæ conſtitutus procellas ad por-
tum ſalutis æternæ pervenire contendit? longævitatem vitæ hujus
ingemiſcebant, diſſolvi & eſſe cum Chriſto pulchriùs æſtimantes. Ge-
mitum Divi Ambroſii audiamus. „ Procul projectus ſum à facie
„ Dei mei, in hanc exilii cæcitatem, ubi expulſus à Paradiſi gau- *Ambr. in ora-*
„ diis, deploro quotidiè mecum ſuper miſerias captivitatis meæ, *tionibus.*
„ lugubre carmen, ingenteſque lamentationes, dum recordor tui,
„ mater Hieruſalem, dum ſtant pedes mei in atriis tuis ſancta & de-
„ cora Sion! Quoties ex oculis S. Auguſtini non proruperunt flumi-
na lachrymarum acceptabile ſacrificium Domino? quoties ex ama-
riſſima cordis contritione durum & dirum caſum Protoparentis ac
infelicium poſterorum deplorando non ingemuit? „ Quarè ſic no-
„ bis obſcuravit lucem (de Adamo conqueritur) & obduxit tenebras? *In lib. medi-*
„ ut quid nobis abſtulit vitam & inflixit mortem ærumnoſam. Un- *tat.*
„ dè ſumus expulſi, undè præcipitati, quo obruti? à patria in exi-
„ lium, à viſione Dei in cæcitatem mentis, à jucunditate immorta-
„ litatis in amaritudinem & horrorem mortis. Miſera mutatio eſt,
„ ſed de quanto bono in quantum malum! grave damnum eſt, gra-
„ vis dolor, grave totum eſt. Deſertum Idumææ (quemadmodùm
fatebatur) cæcus & morbidus poſſeſſor inhabitans auxilium deſuper
implorabat, patriam quærens, filium Dei rogabat viam monſtraret,
manum porrigeret, ne erroneus contabeſceret. Totum illud ex de-
ſiderio anhelantis animæ manabat, quo clamabat; „ O patria no-
„ ſtra, patria ſecura! à longè te videmus, ab hoc mari te ſalutamus, *Soliloq. c. 35.*
„ ab hac valle ad te ſuſpiramus, & nitimur cum lachrymis, ſi quo-
„ modò ad te perveniamus. Aut canticum graduum id fuit, pœni-
tentiæ lamentum illi conveniens, qui adhuc in valle lachrymarum
poſitus jam tum aſcenſiones in corde diſponebat, aut certè tractus,
carmen triſtitiæ huic vitæ tempori accommodum, quod juxta Roma-
næ Eccleſiæ ritum in Septuageſima chorus uſurpat: *Quomodò enim* *Pſalm. 136.*
cantabimus canticum Domini in terra aliena? Septuageſima nam-

que tempus Babylonicæ captivitatis repræſentat ſpiritualiter, in qua ſuper flumina Babylonis ſedentes & flentes in ſalicibus organa ſuſpenderunt. Canitur in ea tractus, qui cùm aſperitate vocum, tùm prolixitate verborum miſeriam præſentis incolatus inſinuat. Hic peregrini ſuſpiramus ſub onere & ſarcina corporis mortalis, gemimus in peregrinatione, exultabimus autem in patria. Qui verò non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia deſiderium non eſt in illo. „Fideli homini & peregrino in ſæculo, nulla eſt jucundior recordatio, quàm civitatis illius undè peregrinatur: ſed recordatio civitatis „in peregrinatione, non eſt ſine dolore atque ſuſpirio.

Innocent. III. de ſacro Altaris myſt. lib. 2. cap. 31.

S. Aug. in pſ. 145.

§. 3. Peregrinatio cùm ſit vita, & multùm cùm deambulaverimus domum redeundum ſit, hic ſiſtere cum divo Petro, & figere tabernacula planè videbitur abſonum. *Sanctis* quippè *in hoc mundo tabernaculum non eſt, quibus patria & domus in cælo eſt.* Non cogitant ſe advenas & peregrinos, qui domos hic, prædia, hortos, palatia conſtruunt, aurum, argentum, & cenſus abſque termino coacervant, ſervos, equos, officia, beneficia accumulant. „Quàm ſtul„tum eſt ætatem diſponere? ne craſtino quidem dominamur. O „quanta dementia eſt, ſpes longas inchoantium! emam, ædificabo, „credam, exigam, honores geram, tum demùm laſſam, & ple„nam ſenectutem in otium referam. Omnia mihi crede etiam fe„licibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere: „id quoque quod tenetur, per manus exit, & ipſam quam premi„mus horam, caſus incidit. Præterquàm quòd homo agit prava quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit ſeipſum; quòd agit turpia, quibus polluit famam, polluit conſcientiam, polluit perſonam; agit quoque vana, quibus negligit ſeria, negligit utilia, negligit neceſſaria. „Currunt & diſcurrunt mortales per ſæpes, „& ſemitas, aſcendunt montes, tranſcendunt colles, tranſvolant „rupes, pervolant Alpes, tranſgrediuntur ſoveas, ingrediuntur „cavernas, rimantur viſcera terræ, profunda maris, incerta flu„minis, opaca nemoris, invia ſolitudinis; exponunt ſe „ventis & ruinis & præcipitiis, imbribus & tonitruis, fulmini„bus & procellis. Metalla cudunt & conflant, lapides ſculpunt & „poliunt, ligna ſuccidunt & dolant, telas ordiuntur & texunt, ve„ſtes incidunt & conſuunt, ædificant domos, plantant hortos; in quibus omnibus labor tantummodò reperitur & afflictio ſpiritûs. Tota ipſis vita mentitur: hanc coarguere, ut proſit, hanc ad verum, ſi acuti ſunt, redigere debent. Neceſſaria judicant, quorum magna pars ſupervacua eſt: etiam quæ non eſt ſupervacua, nihil in ſe momenti habet in hoc, ut poſſit fortunatum beatumque præ-

S. Iſid. lib. 3. ſentent.

Sen. ep. 101.

Innocent. III. de contempt. mundi lib. 1. cap. 12.

præſtare. Diogenes qui duro & laborioſo vivendi modo malignitatem naturæ vicit, & ad ſapientiam ſe non perduxit, ſed extraxit, non in hoc ſolùm mirandus, quòd multò potentior, multò locupletior fuerit omnia poſſidente Alexandro, cùm plus fuerit quod hic nollet accipere, quàm quod ille poſſet dare; ſed quòd jucundum potuerit habere cum paupertate commercium, cui ſumma voluptas erat, capere ex aqua aut fruſto hordeacei panis voluptatem, & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poſſit. Contentus minimo ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte ſe complicuit in dolio, & in eo cubitavit; ſic ad difficilia ſeſe præparabat animus atque firmabat. *Quanta eſt animi magnitudo, ad id ſuâ ſponte deſcendere, quod nec ad extrema quidem redactis timendum ſit? hoc eſt præoccupare tela fortunæ.* Sen. ep. 18. Philoſophia antiquos docuit in aliqua rupe ſuffoſâ, aut exeſæ arboris trunco tecta moliri. Non excogitavit has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, & urbes prementium: nec in hunc uſum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis trementibus, ut ex illâ lacunaria auro gravia penderent. *Mihi crede*, (ait Seneca) *felix illud ſæculum ante architectonas fuit. Iſta nata ſunt, jam naſcente luxuriâ, in quadratum tigna decidere, & ferro per deſignata currente, certa manu trabem ſcindere.* Epiſt. 90. Quis negabit, ſi contenti fuerimus his, quæ natura poſuit in ſummo, poſſe nos habitare ſine marmoreo fabro, poſſe nos veſtitos eſſe ſine commercio Serum, poſſe nos habere uſibus noſtris neceſſaria? In primævo generis humani ſtatu non tecta cœnationi, nec epulum recepturæ, parabantur. Quis tunc erat marmorum uſus, quibus templa, quibus domus fulgent? Quis lapideas moles in rotundum ac leve formatas ſuſpiciebat? gaudebat quiſque ſortuitis tegi, & ſine arte & difficultate naturale ſibi invenire aliquod receptaculum; placebat agreſte domicilium ruſticâ poſitum manu: furcæ utrimque ſuſpenſæ fulcebant iſtam caſam: ſpiſſatis ramalibus ac fronde congeſtâ, & in proclive diſpoſitâ, decurſus imbribus quamvis magnis erat. Non deſiderabant artifices, qui ſequebantur naturam. *Simplici curâ conſtant neceſſaria: in delicias laboratur.* Numquàm Idem ibidem. tam inimica credenda eſt natura, ut cum omnibus aliis animalibus facilem actum vitæ dederit, homini ſoli negaverit poſſe ſine tot artibus vivere. *Ad prata nati ſumus: nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus.* Ibidem. Sufficiebat natura, ut parens in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum ſecura poſſeſſio. Culmus texit liberos: ſub marmore atque auro ſervitus habitat. Sub his tectis vivebant ſecuri adversùs ſævitiam hyemis aut imbris; tam vili receptaculo tuti placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes: ſollicitudo nunc

homines in purpurâ verſat, & acerrimis excitat ſtimulis. Quando receſſit ille naturalis modus, deſideria ope neceſſaria finiens, jam ruſticitatis & miſeriæ viſum eſt, velle quantum ſat eſt. „ A naturâ „ luxuria deſcivit, quæ quotidiè ſe ipſam incitat, & tot ſæculis creſ- „ cit, & ingenio adjuvat vitia: quæ noviſſimè corpori animum ad-
Sen. ibidem. „ duxit, & illius deſervire libidini juſſit; indè cui omnia olim tam- „ quàm ſervo præſtabantur, nunc tamquàm Domino parantur. Ad quid peregrino & hoſpiti ſæcularium tam impenſa cura? quid pretioſa, quid mira, quid magnis multisque conquirenda artibus deſiderat? ſe quiſque conſulat, in ſecretum pectoris ſui recedat & deprehendet omnia iſta non inutilia ſolùm: ſed maximè ſtatui ſuo repugnantia. Magno temporis impendio quæruntur ſupervacua, multique tranſeunt vitam, dum vitæ inſtrumenta conquirunt. Nullius non vita ſpectat in craſtinum: cur in itinere moras nectunt? tantumnè vacat viatori qui tendit ad patriam? non meminit vitam hanc non niſi viam eſſe ab utero matris ad uterum terræ & ſepulchrum? meminerunt ſanè Rechabitæ, ut conditionis noſtræ pariter nos commonerent, qui terram ſibi hoſpitium & exilium, Cælum verò patriam æſtimabant; ideò vitam curis expertem, prædiis carentem, vinique abſtinentiam adamarunt. Nullæ illis domus, nullæ agrorum poſſeſſiones. In tabernaculis habitabant quaſi exules hîc & hoſpites, totique ſpe in Deum defixi. Sub terreſtris peregrinationis imagine Deus Iſraëlitas cæleſtem patriam inquirere docuit, quando per quadraginta annos itineris eos duxit ex Ægypto per vaſtiſſimam eremum ad terram promiſſionis. Multi peregrinantur fateor ſed perperam, navigationes longas, & pererratis littoribus alienis ſeros in patriam reditus proponunt à ſe ipſis continuò peregrinantes; cùm interim ad latus mors eſt, omneque illis tempus elabitur, ubi ſemper irritum præſens fit. Non enim vivunt, ſed victuri ſunt: omnia differunt, ne in ſenectute quidem ſarcinas colligere incipiunt. „ Cæterùm tam improbi ſunt, tamque obliti quò
Sen. Epiſt. 98. „ eant, ut mirentur aliquid ipſos amittere, amiſſuri uno die om- „ nia. Quidquid id eſt cui Dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum „ non eſt. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum
Job. c. 17. v. 1. „ eſt. Quotuſquiſque ſeriâ mente revolvit illud Jobi: *Solum mihi ſupereſt ſepulchrum*: Job tamquam ſuſpirioſus aſthmaticus difficilem illum, tenuem & anheloſum reſpirationis ſibilum trahens incitatiſſimo curſu in mortem ſe contendere dixit. Quid vetat indies de hoc mortales cogitare, quibus uti nihil reliquum, ità nihil quoque ſalubrius, quàm ut ſibi quiſque perſuadeat momentis ſingulis de ſepulturâ, de funere agendum; undè ſibi dicat, jam jam morior, jam me

me expectat ſepulchrum immorantem in vitâ diutiùs. Quid nos retinet, quid ſtultâ fiduciâ decipit? quid enim relinquemus quod vel inviti non cogemur relinquere, aut à quo non priùs deſeremur? Clientes? quorum nemo nos ipſos ſequitur, ſed aliquid ex nobis. Amicos? olim amicitia petebatur, nunc præda. Expectamus donec majora nos excipiant officia, ſublimiores dignitates & ex aliis alia? quis exitus erit? donec deſinamus habere quod cupimus? numquàm erit tempus. Cupiditatum non eſt finis. Numquàm nobis miſeriarum terminum ac ſervitutis vita ſimilis factura eſt. Quàm multa temerè pro pecuniâ, quàm multa laborioſè tentamus! adeone volupe eſt ſeneſcere in tumultu, ac ſemper in novis fluctibus vivere, quos effugere nullâ modeſtiâ, nullâ vitæ quiete contingit? ignoramus tandem in fine vitæ omnibus cedendum eſſe, nec plus nobis quàm ſepulchrum quatuor cubitorum ſupereſſe:

Linquenda tellus & domus & placens — *Horat. lib. 2. od. 14.*
Uxor, neque harum, quas colis, arborum,
Te præter inviſas cupreſſos
Ulla brevem Dominum ſequentur.

Non latuit hoc Imperatorem Severum: cùm ſenſim ad mortem ſe properare animadvertiſſet, linteum in quo tumulandus erat, per caſtra conto levatum circumferri juſſit, & per præconem edici: *En ex amplissimis regni opibus, quod unicum Severus Imperator ſecum auferit.* *Herodian.* Dum maximè nobis proſpectum cupiemus in medio conatu vota nos deſtituent. Sæpè aliquis omnibus ſani ac valentis officiis functus intra pauciſſimas horas diſceſſit; alius cùm hilaris cœnaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, anginâ, vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem; alius qui & mari & terrâ pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens genus quæſtûs, acceſſerat, in ipſo actu benè cedentium rerum, in ipſo procurentis pecuniæ impetu, raptus eſt. *Omnis dies, omnis hora, quàm nihil ſimus oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cùm æterna meditantes reſpicere cogit ad mortem.* *Sen. Ep. 101.* Vita tamen nos cunctantes quaſi aliena tranſcurrit, & ultimo die finitur, omni perit. Præclarè S. Eucherius commonet: *abrumpatur illa interminabilis ſæcularium negotiorum cura, nihil eſt magnum re, quod parvum eſt tempore; nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur.* *Epiſt. ad Valerianum.* Stat quidem terminus nobis, ſed nemo ſcit quàm propè verſetur. „ Ideò ſapientis anima & ejus qui eſt cogni-
„ tione præditus, ut quæ in corpore peregrinetur, eo ſeverè & au- *Clem. Alex. ſtrom. l. 4.*
„ ſterè utitur, non in ipſum nimiam affectionem oſtendens aut

 „ indul-

„ indulgentiam, ut quæ ſit è veſtigio relictura tabernaculum, ſi ex-
D. Bern. Ser. 7. in quad. „ cedendi & migrandi tempus eam vocaverit. *Qui ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit, victum & amictum habens non vult aliis onerari.* Maximum certè vitæ vitium eſt, quòd imperfecta eſt, quòd etiam aliquid ex illa differtur. Verus peregrinus ad cæleſtia curam omnem transferens, ubi ſtabilita illius mens eſt, properat vivere, & ſingulos dies ſingulas vitas putat; quotidiè vitæ ſuæ ſummam ma-
Sen. Ep. 101. num nititur imponere, ſic non indiget tempore; *Cui enim vita ſua quotidiè fuit tota, ſecurus eſt.*

§. 4. Habet tamen civitas quæ Babylonia dicitur, amarores ſuos conſulentes paci temporali, & nihil ultrà ſperantes, totumque gaudium ſuum ibi figentes & ibi finientes. Qui ad blanda & in luxuriam trahentia non abducuntur ſolùm ſed eunt: molliter vivunt, quorum effœminatus animus in ſimilitudinem orii ſui & pigritiæ, in
Sen. lib. 7. quæſt. natur. c. 31. quâ jacet, ſolvitur. „ Invenit his luxuria aliquid novi, in quod inſaniat, invenit impudicitia novam contumeliam ſibi. Invenit deliciarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius molliuſque, quo pereat. Quo pacto ſe peregrinos demonſtrant, (peregrini equidem ſunt) quibus nondùm ſatis eſt robur omne projicere, ſed nituntur adhuc, quidquid eſt boni moris, extinguere lævitate & politurâ corporum. Muliebres munditias antecedunt, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumunt; tenero & molli ingreſſu ſuſpendunt gradum: non ambulant, ſed incedunt. Nulli corpus eorum patientiæ vacat: videtur enervis quiſque, fractus, degenerans vir: nihil adverſi, nihil ſiniſtri, nullum laborem, nullum incommodum ferre poteſt. Quin ad tantas ineptias perventum
Sen. de conſt. ſap. cap. 4. eſt, ut non dolore tantùm ſed doloris opinione vexetur. „ More „ puerorum, quibus metus incutit umbra, & perſonarum deformi-„ tas, & depravata facies; lachrymas verò evocant nomina parùm „ grata auribus & digitorum motus, & alia, quæ impetu quodam „ erroris improvidi refugiunt. Tanta eſt animorum mollities, diſſolutio & vanitas. Delicato huic quælibet ſunt gravia; omnia poſtulat ſibi ex ſententiâ cedant, nihil contra opinionem aut voluntatem. Benè ſibi eſſe cenſet, ubi arrident omnia ſæcularia, cùm nihil in vineâ vel aruit, vel grandinatum eſt, vel ſterile apparuit; quando non acuit cupa, non abortum paſſum eſt pecus, quando non eſt exhonoratus in aliquâ dignitate ſecundùm ſæculum conſtitutus, quando undique amici & vivunt & ſervant illi amicitiam, clientes non deſunt, filii obſequuntur, conjux concors, ſervi contremiſcunt. Ad impoſſibilitatem ſtudium omne converſum eſt. Non ægrotare; non laborare; non dolere; non ſervire; non egere;

egere, non mori volunt omnes. Non peccare vult nullus. Cùm ea vera & maxima ægritudinis, laboris, doloris, ſervitutis, penuriæ & mortis cauſa ſit. *Peregrinus* tamen *ſi prudens eſt, & non obliviſcitur ſuæ peregrinationis, licet cum labore tranſit, & non magnoperè ſæcularibus implicatur.* D. Bern. Serm. 7. in quadrag. Fortiter & conſtanter fert labores itineris, æſtus, frigora, famem, ſitim, omniaque viarum & hoſpitiorum incommoda: non domûs, non pecuniæ, non alimenti, nec alterius ejuſmodi curam gerit; ſed quemadmodùm in aliena verſanti accidit, nihil non agit & procurat ut patriæ ſuæ reſtituatur, & quotidiè urget, quotidiè feſtinat, ut eam quæ illum tulit, videat. De Jacob Patriarchâ loquens divus Chryſoſtomus: „ nonnè, inquit, panem tantùm quærebat, & veſtimentum, quæ „ pertinent ad peregrinos, qui in paupertatem deveniunt multam? Homil. 24. in cap. 11. ad Hebr. „ nonnè perſecutionem patiens, diſceſſit, ſicut peregrinus? nonnè „ mercenarius erat? nonnè decem millia ubique patiebatur mala, „ ſicut peregrini? concludit tandem prædeceſſores ejus ſubnectens: „ illi quidem parturiebant per ſingulos dies, liberari volentes de „ hâc vitâ, & ad ſuam patriam remeare: nos autem contrafacimus. „ Si febris accedat, omnia relinquimus, ſicut pueri planctuoſi „ mortem timemus. Et meritò hoc patimur, quaſi peregrini conver„ ſamur in hâc vitâ: & non veluti, qui feſtinat ad patriam, ſed „ veluti ad pœnas ituri. Diverſus eſt aſcendentium habitus & deſcendentium. In voluptates deſcenditur, in res aſperas & duras ſubeundum eſt, quod viatori proprium. Ad hujus confirmationem non triſtem aut ſuperciliosum aliquem Philoſophum, non publicum Pædagogum, non alienæ vitæ cenſorem, ſed monita cauponis cujuſdam adducam,

Sæpè etiam eſt olitor verba opportuna locutus.

Inclinatâ in veſperam jam die longo & incommodo itinere confectus viator diverſorium intraverat, cui magis opus erat ſomno quàm cibo corpus reficere. Itàque in lecto laſſitudinem poſiturus ſe collocat; verùm mox ſibilum venti per parietinam cubiculum intrare perſentiſcit, de ſtrato proſilit arreptumque caſu ibi repertum malleum cum clavis, toto conatu tabulâ impactâ rimam obturare nititur, imbrem ventumque excludere. Tam validè & clarè ictus repetit, ut ſtrepitu domus tota perſonaret; excitatur ad illum caupo, accensâ candelâ ſubintrans cubiculum ſciſcitatur ab iſto malleatore quænam ipſum agant intemperiæ? cur tales turbas excitet? cur tempus quieti conceſſum non concedat eſſe quietum? hortatur ut quieti ſe reſtituat, cùm nocte unâ ſit illic ſolùmmodo manſurus,

ſurus, & locum aliis advenientibus ceſſurus; adjicit multa viatoribus dura & ex tranſverſo vitam incurrentia perferenda: nunc illos rigida hyems, nunc triſte cælum premet, malignè ſolum ſterile ſuſtentabit; ſuper durata glacie ſtagna eſſe perſultanda. Nulla illis certa domicilia, nullas ſedes, niſi quas laſſitudo in diem poſuit; vilis, & hic nonnumquàm quærendus manu erit victus, horrenda ſæpiùs ingruet iniquitas cæli, quando non niſi culmo aut fronde imber poterit defendi. Si tam probè deceat eſſe inſtitutum peregrinum, ut nihil laboris aut moleſtiarum ſubterfugiat, nullis incommodis ſuccumbat, quò celeriter & expeditè ad optatam patriam pertingat; quid à Nazaræis hujus temporis non deſiderandum? Cur timido animo ſunt Chriſtiani, nec reſpiciunt à D. Petro relictum rete, nec ſurgentem de telonio Publicanum ſtatim Apoſtolum? nonnè criminoſum poſſidere opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & ſallace diabolo non habuerant, *ut ſuſpiret eos Eccleſia divites, quos mundus tenuit antè mendicos*? nonnè prorſus indecorum militi Chriſtiano molli deſidiâ torpeſcere, ſeculi deliciis irretiri, ad minimum laboris doloriſvè ſenſum commoveri, ad nihil grave, nihil arduum pro Domino ſe accingere? ô delicati milites! ubi vallum? ubi foſſa? ubi hyems acta ſub pellibus? viri generoſi juſſa Imperatoris læti arripiunt, imò nonnumquàm præveniunt, alacres & impigri quò tendant, non quid paſſuri ſint cogitant; „avida eſt periculi virtus „ nam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt: ideò gloriantur vulne„ ribus, læti fluentem & meliori caſu ſanguinem oſtentant. In media quoque pace decurrunt ſine ullo hoſte, vallum jaciunt, & ſupervacuo labore laſſantur, ut ſufficere neceſſario poſſint. Undè poſſumus ſcire quantum adverſus paupertatem animi cuiquam ſit, ſi divitiis diffluat? undè poſſumus ſcire quantum adverſus incommoda conſtantiæ habeat, qui nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus queritur? aliàs nervos ſibi, aliàs pedes dolere exclamat? cui nunc dejectio, nunc diſtillatio bilem movet? qui nunc ſibi ſupereſſe, aliquandò deeſſe ſanguinem triſtatur, qui inter voluptates ſomno & ventri vivens ſeneſcit? undè judicabimus amori cæleſtium illum inhærere, qui tam putre corpus ſortitus nihilominùs æterna proponit, & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupat nullâ contentus pecuniâ, nullâ potentiâ? *Quid hac re fieri impudentiùs, quid ſtultiùs poteſt? nihil ſatis eſt morituris, imò morientibus.* Vanum eſt grandi ore crucem abſentem prædicare, ad ejus verò aſpectum pallere & animum deſpondere; ad ærumnas & afflictiones fortiter ferendas alios excitare, blandiente fortunâ vires ac fortitudinem oſtentare; & ingruente tem-

D. Hier. Epiſt. 2. ad Nepot.

Sen. de prov. cap. 4.

Sen. ep. 120.

tempeſtate velut timidum atque iners animal metu deliteſcere. Paupertatem timent? at nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitant? ſed fides famem non timet. Super nudam metuunt humum exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus cum illis jacet. Aſpera multa pertranſeunda ſunt ut victores revertantur in patriam,; ut per Hieroſolymam cæleſtem viri fortes coronati incedant, ut municipatum cum Sanctis capiant, & ejuſdem Civitatis jus aliis petant. Genus atrogantiæ eſt dilatare fimbrias, oſtentui habere philacteria, & conſcientiâ repugnante Phariſaicâ ambitione circumdari: meliùs eſt hæc omnia non in corpore, ſed in corde geſtare, & Deum habere fautorem, non aſpectus hominum. In Monachis ac Clericis & Sacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur Sacerdotio: ad rectè vivendum ambobus firmiter inſiſtendum eſt, ad hoc Sacramentum ſeſe adegerunt, quo pro nomine Chriſti ab ipſis omnia ſpernenda ſunt. Non juraverat in hæc verba Moyſes; „ & cùm „ eſſet in aulâ educatus Regiâ: maluit tamen pro amore juſtitiæ ſub- „ ire exilium voluntarium, quàm in Tyrannidis faſtigio peccati „ perfunctionem deliciis acquirere, *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* „ Quippè naturali æquitatis „ ſtudio provocatus, accipientem injuriam de popularibus ſuis ul- „ tus, invidiæ ſe dedit, voluptatiqúe eripuit: atque omnes Regiæ „ domûs declinans tumultus, in ſecretum Æthiopiæ ſe contulit, ibi- „ que à cæteris negotiis remotus, totum divinæ cognitioni ani- „ mum intendit, ut gloriam Dei videret facie ad faciem.

D. Paul. ad Hebr. 11. v. 26.

D. Ambr. lib. 1. Hexam. c. 2.

§. 5. Electo ſolatium eſt pro honeſto dura tolerare, ad cauſam à patientia reſpicit. Omnia adverſa exercitationes putat. Fugit delicias, fugit enervatam felicitatem, quâ animi permadeſcunt velut perpetuâ ebrietate ſopiti. Optimum quemque novit aut malâ valetudine, aut aliis incommodis affici. *Quid mirum*, inquit Seneca, *ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? numquàm virtutis molle documentum eſt.* „ Tamquàm bonus miles, feret vulnera, enumerabit „ cicatrices, & tranſverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo „ cadet, Imperatorem: habebit in animo illud vetus præceptum: „ *Deum ſequere.* Quiſquis autem queritur, & plorat, & gemit: im- „ perata facere vi cogitur, & invitus rapitur ad juſſa nihilominùs: conquerentium tamen quandoque non vera ſed ficta verba ſunt. In labris nata, non in fibris. Quoties auditur: *Movet me clades patriæ, movet me publica calamitas, fames, egeſtas*: Cùm velatus perſonâ patriæ aut boni communis privata tantùm damna veris & ſpirantibus lachrymis quis luget. Sic ubi calamitas aut tempeſtas ſubita ingruit, videmus agreſtes ſæpè trepidare, & concurrere, & vota

Lib. de provid. cap. 4.

Idem de vita beata cap. 15.

facere, qui ſi ſeparatim examinentur cùm malum deſæviit, reperiemus unumquemque ſegeti ſuo & agello dumtaxat timuiſſe. Movent ad hunc modum vulgò turbantque homines mala publica, non quia plurium id damnum, ſed quia inter plures eos ipſi. Alii ne videantur communi luctui deeſſe triſtitiæ larvam induunt, verbis ſolis miſerias deplorant, illaſque exaggerant, neque miſeris ſolatium ullum vel auxilium præbent. Speciem tantùm dolentium præferunt; nullus interim cruciatus, nulla adverſitas vel extimam cutem delibat. Voluptatibus marcent, otio diffluunt, in pluviâ ſtertunt; nihil ſibi de conſuetâ victûs ratione detrahi volunt, quò pauperibus ſuccurrant; nolunt laborare, nolunt pati ut rectè compatiantur. Meritò S. Job amicos ſuos oneroſos conſolatores vocavit, meritò in illos excanduit, dùm arguerent ipſum ut impatientem & queruloſum per allegationem aliorum qui duriora paſſi
Job. 16. v. 3. fuerant; undè dixit, *Numquid habebunt finem verba ventoſa?* verba veſtra nihil niſi ventum ſpirant, nec meas ſentiunt adverſitates; ſi vos ipſi pateremini & ego vobis adeſſem conſolator, videretis utrùm plura vobis dicerem, quàm ipſi dicitis: ſentite calamitates meas quaſi proprias, & vos in medio pœnarum eſſe conſiderate, &
Ibidem v. 4. 5. & 6. mihi credite alio longè modo loquemini. *Poteram & ego ſimilia veſtri loqui: atque utinam eſſet anima veſtra pro animâ meâ, conſolarer & ego vos ſermonibus, & moverem caput meum ſuper vos, roborarem vos ore meo, & moverem labia mea, quaſi parcens vobis.* Calcatis igitur utilitatibus, calcatis voluptatibus & difficultatibus ad Deum ibit juſtus quòcumque vocavit, quòcumque miſit; quidquid ex univerſi conſtitutione patiendum eſt, magno excipiet animo; feret mortalia, nec perturbabitur his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. Deo parere libertas eſt. Illos meritò judicabit miſeros, quos velut in mari lento tranquillitas tenet. Languent enim per inertiam ſaginata; nec labore tantùm, ſed mole & ipſo ſui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illæſa felicitas, & magis urgent ſæva inexpertos. Grave eſt teneri cervici jugum. Non ignorat, quòd illos, quos amat Deus, probet, induret, recognoſcat, exerceat. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere: molles venturis malis ſervet. Maximum flagellum divinæ juſtitiæ agnovit eſſe David, ubi
Pſal. 80. v. 13. à Deo peccatoribus dicitur, *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Permiſi ut ambularent & operarentur juxta concupiſcentias ſuas, non do eis diſciplinam, neque illos ut virtutum non lævis exactor, aut ſeverus pater duriùs educo. Bonum virum Deus in deliciis non habet: experitur, indurat, ſibi illum præparat: patrium adversùs illum habet animum,

&

& fortiter amat: operibus, doloribus ac damnis exagitari ſinit, ut verum colligat robur. Hâc doctrinâ imbutus exhortatur ſe adversùs difficilia de æquanimitate: adversùs inevitabilia ſe præmunit tolerandi propenſione: ſcit non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu: *Poſſe fieri, imò ſæpè fieri, ut qui diu vixit, parùm vixerit.* Sen. ep. 49. Quòd fortuna ſæpiùs ipſum verberet, ſæpiùs laceret, non in hoc ſævitiam conſiderat, ſed certamen: quò crebiùs illud adit, fortior evadit. Præbendum ſe fortunæ ducit, ut contra ipſam ab ipſa duretur. Quæ paulatim illum ſibi parem faciet. *Ad contemnendam malorum potentiam animus patientiâ pervenit.* Sen. de prov. cap. 4. „ Ut urticam ſi cunctanter attingas, adurit; ſi fortiter, hebeſcit: ſic luctûs aſperitas increſcit, ſi lenioribus remediis attrectes; ſi duris & fortibus, cedit. Lipſ. de conſtant. lib 1. c. 21. Moleſtiarum clivus à virtute frangendus eſt: quæ ſtabit fortiter, & quidquid evenerit, feret. Nam ubi aſſidua fuit illi cum incommodis rixa, callum per injurias ducit, nec ulli malo cedit. „ Sic ſunt nauticis corpora, ferendo mari dura: agricolis, manus tritæ: ad excutienda tela, militares lacerti valent: agilia ſunt membra curſoribus. Id in quoque ſolidiſſimum eſt, quod exercuit. Sen. de prov. ibidem.

§. 6. Quicumque nos verò peregrinos profitemur, exercendi ſumus ad palum ne fortuna nos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Non faſtidiamus grabatum & ſagum, & panem durum ac ſordidum. Hoc triduo & quatriduo feramus, interdùm pluribus diebus: ut non luſus ſit, ſed experimentum. Tunc exultabimus dupondio ſaturi, & intelligemus ad ſaturitatem non opus eſſe fortunâ. Tàm facile autem erit nobis illud pati, quàm aliquando experiri: *Paulatim enim voluptati ſunt, quæ neceſſitate cœperunt.* Idem ibidem Taliter inſtitutum quemlibet deſiderat Epictetus, ſic præcipit. „ Meditare aliquando & uſurpa vitæ rationem, tamquàm infirmus, ut In Enchirid. „ rectè valere etiam poſſis. Abſtine à cibis, aquam pota, aliquando „ omnem appetitum cohibe, ut mox etiam rectè & rationabiliter „ poſſis appetere. Ad hanc normam conformare ſe viator debet; neceſſarium eſt illi parvo aſſueſcere. Aliquando enim experimentum animi ſumendum ſubitum, hoc eſt ſimplicius & verius. *Quidquid vult, habere nemo poteſt: illud poteſt, nolle quod non habet: rebus oblatis uti.* Sen. ep 123. Multæ ſiquidem difficultates locorum, multæ temporum etiam locupletibus & inſtructis à diu optatis prohibent & occurrunt. Nihil grave eſt, quod leviter excipis; indignandum nihil, niſi ipſe indignando adſtruas. Qui non tantùm æquus moleſta, ſed placidus aſpexit; qui non excanduit, non litigavit, nec quod dari deberet, ipſe ſibi deſiderando ſupplevit, qui cogitavit, aliquid dumtaxat conſuetudini ſuæ, ſibi nihil deeſſe; certiſſima ventris benè morati & con-

tumeliæ patientis dedit argumenta. Multa itàque ſupervacua eſſe intelligit peregrinus cæleſtis Hieruſalem: non unctiones, non balneum, non ullum aliud remedium quàm temporis quærit, ut ſcopum ſuum attingat; „ ſciens omnia quæ ſunt acquirenda & quæ rejicienda: quæ-
„ cumque autem bona triplicia eſſe volunt Peripatetici, eis utitur:
Clem. Alex. ſtrom. l. 4. „ quin etiam corpore, ſicut aliquis qui procul peregrè proficiſcitur,
„ diverſoriis & habitaculis, quæ ei in via occurrunt: curam quidem
„ gerens etiam rerum mundanarum & loci in quo diverſatur: habi-
„ tationem autem & poſſeſſionem, ſicut etiam uſum relinquens,
„ nullâ motus perturbatione prompto & alacri animo eum ſequens
„ qui è vita abducit. Ità nihil horum quæ circa ipſum ſunt, ſuum judicat, ſed ut commodatis utitur, peregrinus & properans. In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſuâ ſe vindicat; qui appetenda ac fugienda diſcernit; quem non latet undè ortus ſit, & quò ire debeat; qui novit divinæ providentiæ decreta nemini convellere licitum, nec rerum mutare naturas, cùm niſi duris non eatur ad regnum: ideò ad mortem aſſiduâ meditatione ſe firmat & præparat. Non niſi ſui amor illam horribilem facit, & permanendi conſervandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſolutionis. Undè corporis indeſinenter mortalitatem cogitat; ſcit
Sen. Ep. 120. enim *in hoc natum hominem, ut vitâ defungeretur: nec domum eſſe corpus ſed hoſpitium, & quidem breve hoſpitium: quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hoſpiti videas.* Mors illum tamquàm imparatum non præoccupabit, qui ſibi dicit dormituro, potes non expergiſci: dicit experrecto, potes non dormire ampliùs: dicit exeunti, potes non reverti: dicit redeunti, potes non exire. Etiam ſi ſe mors non ubique propè oſtendat, ubique tamen propè eſt.

§. 7. Palam hoc eſt mortalibus qui nihilominùs colluctantur cum animo ſuo, aliò tendentes, aliò trahuntur; ubi ex Imperio virtutis facilè, paratè & ſine tergiverſatione ad opus deberent procedere, pigritia & hæſitatio pugnam illis & inconſtantiam adſert, ut nihil liberè velint, nihil abſolutè, nihil ſemper. Nemo illorum cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Verùm illos uti veteres inquilinos indulgentia loci & conſuetudo, etiam inter injurias detinet. Quomodò ſuus finis veniet in mentem omnia ſine fine concupiſcentibus? ſolent hujuſmodi viatores, cùm amœna in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. „ *Effœminat animos amœnitas ni-*
„ *mia: nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio.* Non
„ tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debe-
„ mus.

„ mus. Quemadmodùm ait Seneca, inter tortores habitare no- *Epiſt. 51.*
„ lim, ſic nec inter popinas quidem. Non id agunt ut à blandimentis voluptatis animum longè abſtrahant, ut irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiant; ſed econtrà appetunt voluptates & undique & omnes ex conviviis, ex luxuriâ, ex ambitione & circumfuſâ clientium turba, ex faſtus & luxus vanâ oſtentatione: in tali præſentis vitæ requie, quaſi amœnitate viæ quiſque paſcitur, magiſque eum diù pergere, quàm citiùs pervenire delectat: gaudiis ſæculi immorando delinitur, mavult ſomnum ſuum ſymphoniâ quàm claſſico rumpi: dum oblectatur in viâ, obliviſcitur, quod deſiderabat in patriâ. „ Omnes iſtos oblectamenta fallacia & brevia
„ decipiunt: ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam,
„ longi temporis tædio penſat. Sicut plauſus & acclamationis ſe- *Sen. Epiſt. 59.*
„ cundæ favor, qui magnâ ſollicitudine & partus eſt & expiandus. Voluptas certè non eſt perpetua, ſed citò affert ſatietatem; citò poſſeſſorem deſtituit: hoc indicat D. Chryſoſtomus; *Humana omnia*, inquit, *& carnalia nondum rectè advenerunt*, *& avolarunt*. *Homil. 1. in Geneſ.* Detrimentum quilibet dies ſentit, ità ut liberale adhuc ſpatium ſit ſi cum ipſo perſeverent; undè S. Gregorius *gaudia hujus ſæculi tamquàm manentia blandiuntur*, *tamen amatores ſuos citò tranſeundo decipiunt*. *In cap. 38. Ezech.* Nulla res longa mortalium eſt, omniſque felicitas hujus ſæculi dum tenetur, amittitur. Hanc D. Auguſtinus ſuo calculo damnat, illique æternum væ ſic intentat. *Iſte dies qui lætus eſt, cras utique non erit. Tranſeunt omnia*, *evolant omnia*: *væ qui amant talia.* Gravis latet hìc error, miſerabilis inſania, cui nihilominùs quàm plurimi ſubſcribunt: „ Quod de Megarenſibus dicitur, jure
„ miſeris coaptari poteſt: ædificant quaſi ſemper victuri: vivunt qua- *D. Hier. ad*
„ ſi alterâ die morituri. Ætas optata cunctis non viciniam mortis, *Ageruch. de*
„ quæ debetur mortalibus lege naturæ, ſed caſſâ ſpe, annorum no- *monogam. Ep. 11.*
„ bis ſpatia pollicetur. Nemo enim tam fractis viribus, & ſic decre-
„ pitæ ſenectutis eſt, ut non putet ſe unum adhuc annum eſſe victu-
„ rum. Undè ſubrepit oblivio conditionis ſuæ: ut terrenum ani-
„ mal, & jam jamque ſolvendum erigatur in ſuperbiam, & ani-
„ mo cælum teneat. Decrepiti quidam, quòcumque ſe vertunt, argumenta ſenectutis ſuæ vident; quando deberent jam eſſe ad oſtium admoti, quemadmodùm ritu veteri cadaver ad oſtium ſolebat deponi pedibus & facie foras verſis, moleſtum prorsùs illis eſt mortem ante oculos habere; non adeò ſeſe in extremâ ſtantes lineâ credunt, quin improbè quoque unum poſt alterum diem ſperent. Inſuper de vita ſua ac morte ità cenſent, ac ſi mortalium omnium ſalus & interitus ex ipſis penderet: veluti ipſis abeuntibus è vivis ne-

mo ſuperfuturus ſit, qui dignus mundi domicilio æſtimetur; aut mundi fabrica corruet, quaſi illam fulcirent & ſuſtentarent; mutabunt montes, concident à ſede ſua convulſa ſaxa, ruetvè cælum: ità plerùmque animi perturbationibus agitantur, ut quodammodò vellent propter ipſos non ſolùm terræ, ſed etiam rerum cæleſtium ordinem perturbari.

§. 8. Quantò prudentiùs ad imitationem Imperatoris Caroli Quinti ſibi in vitæ tranſitu proſpicerent! ſolerter is judicavit ſic ordinandum eſſe diem omnem, tamquàm cogat agmen, & conſummet atque expleat vitam; hinc circumſtantibus atratis famulis, Monachis exequialem leſſum canentibus, funereis juſtis, funeri ſuperſtes ſuo, pullâ fluxâque opertus veſte, accenſum præferens cereum, eumque ſacrificanti tradens eâdem planè mente quâ Deo animam commendabat, ſibi parentare voluit; veris ſuorum lachrymis, quaſi depoſitus, & ſupremâ lamentatione comploratus eſt. Aſſiduâ meditatione ſuæ morti intentus nullo non ſe die extulit. Auſpicatò ceſſit illi tale præludium, namque altero ab exequiis iſtis die, febri correptus, eâque paulatim exedente conſumptus ingenti ſenſu pietatis ac religionis exceſſit. Ante ſenectutem curaverat, ut benè viveret, in ſenectute ut benè moreretur. *Benè autem mori eſt libenter mori.* Fatendum inſitam eſſe nobis corporis noſtri charitatem: fatendum nos hujus gerere tutelam: nec abnuo indulgendum quandoque illi, ſerviendum nego. Rectè Saluſtius: *Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur.* „ Hujus nos nimius „ amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumeliis „ objicit. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt; „ In hoc unum eant dies, in hoc noctes: hoc opus noſtrum ſit, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. *Antè ad mortem quàm ad vitam præparandi ſumus.* Non hìc ubi hoſpites ſumus & advenæ, ſuperbas nobis erigamus ædificiorum moles; in terrâ verò moraturi, juſtum eſt ut paremus nobis ibi domicilium, *ubi conſtituta eſt domus omni viventi*; domus, inquam, id eſt, ſedes quieta, perpetuaque deſtinata viventibus omnibus, peregrinantibus dum vivunt, ad patrium naturaleque ſolum redeuntibus, dum moriuntur: namque dum vivimus, in tabernaculis ſumus ad breve tempus erectis. Locus hic conſtitutus eſt atque præfixus, ad quem univerſus conventus hominum cogitur certo humanitatis & mortalitatis convenientium fœdere. Mors fidelis, nec non inexorabilis miniſtra divinæ juſtitiæ, quæ hominem poſt lapſum terræ addixit, reddit unicuique quod ſuum eſt, reducitque hominem juxta Dei ſententiam in ſuam originem. Nec aliquid ſibi quiſpiam debet cenſere

Fam. Strada lib. 1 de bello belg.

Sen. ep. 61.

Idem ep. 14.

Idem ep. 61.

Job. 30. v. 23.

ſere magis proprium, quàm ſepulchrum. Quocircà Abraham magnus ille proavus credentium, licet intellexerit ſe peregrinum eſſe ſuper terram, nolueritque in illa poſſidere vel paſſum pedis ſibi proprium, ut notat D. Stephanus, *nec paſſum pedis*; attamen promptâ probatâque pecuniâ comparavit à filiis Hemor agrum ſibi poſteriſque ſuis in jus ſepulchri. Juſtum eſt, ut, qui tam diuturno in terra manſuri ſunt tempore, in ea ſibi habitaculum quærant. Ut Job affirmat de Regibus, *qui ædificant ſibi ſolitudines*, id eſt ſepulchra, quia ſolos ibidem eos relinquunt. Multùm illud proderit ad animum rectè componendum, ne inutilibus aut etiam ſuperfluis nimis incumbat, ne tranſitoriis caduciſque diutiùs inhæreat. Frequens ſepulchri repræſentatio efficiet, ut finem noſtri ſine triſtitia cogitemus. Nihil grave, quod ſponte ferimus, nihil durum, quod ſpontè facimus. Nec enim qui juſſus aliquid facit, miſer eſt, ſed qui invitus. *Qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam ſervitutis effugit, facere quod nolit.* Cùm quis ex Regni primariis indignationem Turcarum Imperatoris incurrit, haud longâ præviâ conſultatione mortis edictum chartæ nigro holoſerico involutæ inſcribit hoc verborum tenore. Scito te Baſſa gratiâ noſtrâ ob tale crimen excidiſſe; proindè caveas conſpectui noſtro te offerre, ſed caput tuum ſanguinolentum incunctanter nobis mittito. Nihil hic lachrymæ proficiunt, nihil lamenta, ſine tergiverſatione mandatum Domini exequendum eſt. Qui libenti & forti decretum peragit animo, qui erectis oculis gladium micantem videt; neque ſuâ intereſſe conſiderat, utrùm anima per os an per jugulum exeat; hujus mors non heroïca modò, ſed & glorioſa apud Turcas cenſetur.

Act. 7. v. 5.
Geneſ. 23. v. 16.
Cap. 3. v. 14.
Sen. ep. 61.

§. 9. Plura deſideranrur ut ſciamus quomodò nobis mortis timor detrahendus ſit? quomodò opiniones totius ævi, quibus infantia imbuitur, illam malum quoddam aſſerentes, evincemus? quod auxilium inveniemus? quid dicturi ſumus imbecillitati humanæ? Laconas nobis proponamus, in ipſis Thermopylarum anguſtiis poſitos, nec victoriam ſperantes, nec reditum. Locus iſte ſepulchrum illis futurus erat. Efficaci concione perſuadendum fuerat, ut totius gentis ruinam objectis corporibus exciperent, & vitâ potiùs quàm loco cederent: audiamus quàm fortiter illos Leonidas allocutus ſit. *Sic*, inquit, *commilitones prandete tamquàm apud inferos cœnaturi.* Non in ore crevit cibus, non hæſit in faucibus, non elapſus eſt manibus: alacres illi & ad prandium promiſerunt, & ad cœnam: mox hortatus eſt (Trachinius ſiquidem Ephialtes, Perſis per montem circumductis, ſuos prodiderat) ut ſe duce per ingentem hoſtium exercitum ituri obvios quoſcumque trucidarent, atque

Sen. ep. 82.
Diodorus l. 11.

atque indè ſeſe ad Regis prætorium conferrent: ſibi namque Regis primum opprimendi (ſi fortuna reſpondeat) conſilium placuiſſe. Maximâ per totam noctem editâ Barbarorum cæde, cùm illuxiſſet, Barbari perſpectâ Græcorum paucitate, obruerunt multitudine ſuâ univerſos. His, ne patria inſtituta deſererent, pro communi Græciæ ſalute ſumma voluptas fuit honeſtè ac fortiter cum Rege ſuo Leonidâ interire, quàm turpi ſervitute ignavam vitam trahere. Magnâ ſanè exercitatione durandus eſt animus, ut conſpectum mortis acceſſumque patiatur. Ità ſe præparabit vir bonus, quem
Sen. Epiſt. 76. neceſſe eſt ſummæ pietatis erga Deum eſſe: undè quidquid illi acciderit, æquo animo ſuſtinebit. „ Sciet enim id accidiſſe lege divi- „ nâ, quâ univerſa procedunt: in virtute enim poſitum eſt & pa- „ rere Deo, nec excandeſcere ad ſubita, nec deplorare ſortem „ ſuam, ſed patienter excipere fatum, & facere imperata. Æquum eſt, ut homini placeat, quidquid Deo placuerit. Quandocùmque jubet ſummus univerſi Imperator, extempló ſtationem ſuam quis relinquere debet: & cur quæſo invitè hoc exequetur? feram avem caveâ incluſam non opus eſt ut aliquis abigat, vel exire compellat, ſed ſimul atque cavea aperta eſt, in apertiorem mox campum & in priſtinam ſe recipit libertatem. tantùmne nobis vacat his terrenis immorari? tantùmne delectat tempus inter iſta conterere? eòuſque retinet amor vitæ; numquàm animus liber habitat in hoc corpore, quod illius pondus ac pœna eſt: premente illo urgetur, in vinculis eſt. Tota illò mente pergendum, ubi libertas ejus eſt. Gravi ſarcinâ corporis preſſus, explicari cupit, & reverti ad cæleſtia: in hoc triſti atque obſcuro domicilio cluſus, quoties poteſt, apertum petit; ſubducere geſtit ſe cuſtodiæ in quâ tenetur, & Cælo refici: purum & apertum aërem in morte nobis recludit Deus: quid ſtamus? quid hæremus? numquid cùm naulum exigitur, ſignum eſt nos in portu eſſe? quid vetat nos Cælo intereſſe? majores ſumus & ad
Epiſt. 65. majora geniti, quàm ut mancipium ſimus noſtri corporis: *Quod equidem*, ait Seneca, *non aliter aſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.* Solem oriri quotidiè & occidere videmus, nec turbamur, quia aſſuevimus, naturæ hunc ordinem ſcimus. Quidni idem de vitâ ac morte judicamus, hominemque ad humana ferenda incitamus? non eripitur hæc vita, ſed interrumpitur, diſtrahenda eſt cum corpore ſocietas; quamdiù illam fovemus optima noſtri parte cæleſtibus abſumus. In puncto temporis diſſolvitur vinculum, quod nos tàm arctè, tàm intimè hujus vitæ deliciis copulat. Irretitos nos mundi, neſcio quibus, illecebris ſat ſcimus, & futile jugum excutiendi ardor nos aliquis interdùm invadit: ſed

irrito

irrito plerùmque conatu. Mox ut paupertas, mox ut labor, mox ut dolor impetum aliquem facit, pedem referimus. *Nos multa alligant, multa debilitant: diù in iſtis vitiis jacuimus. Elui difficile eſt. Non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Sen. ep. 59. Accedit magna vitiorum ſcaturigo, conſuetudinis plerumque non bonæ, impreſſa quibuſdam auctoritas! ad ſupervacua & mimica ducuntur: ſicut qui in theatrum conveniunt ut oblectamento aurium perfruantur, rapit illos inſtigatque rerum pulchritudo. Non quid rectum, ſed quid uſitatum ſit, inquirunt; & quamvis mala conſuetudo, vetuſtas erroris ſit, vivunt nihilominùs ad exempla. Afficiuntur vitiis, quia errantium multitudo eos movet, in quorum affectum vultu & animo tranſierunt. Quid vanitas ità pertinaciter illos tenet? primò quia non fortiter illam repellunt, nec toto ad ſalutem impetu nituntur: deindè, quia illis, quæ à viris ſanctis ſcribuntur, non intendunt, neque leviter quidem magnæ rei inſiſtunt, ſed alienis veſtigiis pedem infigunt.

§. 10. Juſtè indignabitur Dominus ſervo, cui ſummi momenti nuncium quàm citiſſimè perferendum dedit, ſi hunc in viâ cum aliis micantem digitis offendat: numquid juſtius Deus illis qui ſalutis negotium differunt puerilibus ineptiis & crepundiis occupati? qui ſepoſitâ omni mortalitatis ſuæ curâ vitiis penitùs immerguntur, neque juſtiſſimam ſuperni vindicis iram pertimeſcunt, ad cujus nutum ad tribunal inopinatò rapientur? ſic enim (ut crebrò repetii) eſt vita noſtra, quaſi homo in domo aliena, neſciens quâ horâ vel die dominus domûs dicat: Vade foras, quia non eſt tua domus in qua es. Quid de illo diceremus, qui ad furcam, rotam aut rogum duceretur longiore forſitan viæ ſpatio, iſque in via nugaretur, rideret, cachinnaretur? nonnè tunc ad ſeria mentem transferre deberet? nonnè inter maxima illius eſſet opera momentum illud jam jam imminens, à quo pendet æternitas, rectè tranſigere? an carcerem infernum, & perpetuâ nocte oppreſſam regionem, æternumque damnatorum rogum ſibi perſuadet fabulas eſſe & vana terriculamenta, nec quidquam defunctis ſupereſſe quod timeant? Quàm expediret ipſum in hoc temporis articulo totum in ſalutem incumbere! Captivos profectò morti deſtinatos videmus quòd in carcere ſeipſos negligant, & de ſolo ſuo judicio ac proceſſu cogitent. Mundus reorum carcer eſt, ex quo ſinguli ad mortem citantur: in quo interrogemus noſmetipſos non ſemel, ſed indies, & ſi fieri poteſt, ſingulis horis, quò vadis miſer? quò vadis? Cani Julii animum æternitate dignum, admirandamque in media tempeſtate mentis tranquillitatem mirificè laudat Seneca, quòd latrunculis luderet, cùm

 centu-

centurio agmen periturorum trahens illum quoque citari juberet.
De tranquill. animi. c. 14. Quòd vocatus numeraverit calculos, ſodaliquę dixerit: *Vide ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe.* Nemo tamen inter Chriſtianos tempus illud adeò pretioſum, in quo ſalutis noſtræ ſumma vertitur, luſu exigendum judicabit. Optimum vitæ ſpatium benè collocandum eſt; non per nugas, non per tenebras ævum emetiamur; *Non ut diù vivamus, curandum eſt: ſed ut ſatis. Longa eſt vita, ſi plena eſt.* *Sen. ep. 93.* Per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ æternæque proluditur. Propè eſt hominum terminus, propè eſt illud undè felix ejicitur, & illud undè infelix emittitur. Ideò non ad eum diem ſe quis aptare debet, quem ultimum ſibi ſpes avida promittit, ſed nullum non tamquàm ultimum aſpicere, ut intrepidus, cùm hora illa decretoria, quæ corpori non animo ſuprema eſt, aderit, diſcat è vita exire. Nihil in hac parte negligendum, neque tam ſerium negotium in craſtinum transferendum; non enim res ſubſiciva eſt benè mori. Nocuit procraſtinatio Archiæ Thebanorum Tyranno, qui ſi litteras ab altero Archia Hierophantæ filio ad ipſum deſtinatas non inanem ſuſpicionem afferentes, ſed omnem conjurationis ſeriem (ut poſteà *Plutarch. in vit. Pelopid.* cognitum eſt) aperientes legiſſet, neque in craſtinum diem hæc quæ ſeriò ſcripta erant, jam temulentus differenda judicaſſet; poterat ipsâ nocte, quàm voluptatibus & libidini dedicârat, Charonis & Melonis, qui cum Pelopida ipſius necem conſpiraverant, manus effugere, & de facinoroſis ſupplicium exigere. Detexiſſet Julius Cæſar nefarias Bruti & Caſſii cæterorumque inſidias, & caput periculo ſubduxiſſet, ſi oblatum ab Artemidoro Græciæ præceptore eloquentiæ libellum inſpexiſſet; cùm ipſemet Artemidorus ad hoc illum vehementiùs in hunc modum urgeret, *Hunc Cæſar confeſtim ſolus per-* *Plutarch. in Vit. Cæſ.* *lege. In eo enim magna & quæ tua vehementer inter ſint, conſcripta ſunt.* Quantæ dementiæ fuit (de quo plurimi non ſine cauſa mirantur) Balthaſari Regi Chaldæorum, quòd obſeſsâ in urbe eamdem noctem tàm privatim, quàm publicè epulis & ludis voluerit eſſe genialem, quam vitæ & imperii extremam vidit? In hoc enim rerum *Herodot. lib. 1. Xenoph. lib. 7. Cyropæd. Daniel. 5. v. 29.* articulo, quo civitas tota nimio luxu diffluebat, Babylon in Perſarum venit poteſtatem, & *eâdem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæorum,* inter epulas ſcilicet & fatales ludos.

Duxit ſupremam falſa inter gaudia noctem.

Vitia homines tempore Noë veluti quædam felicitatis argumenta adeò faſcinabant, ut cùm ſe non procùl à diluvio, ſed quaſi ſub ictu vindicis cogitare deberent, ſollicitiores de voluptatum prorogatione, quàm de ſalute nullo metu concuterentur divinis prædictionibus

ctionibus refractarii ac contumaces, donec illicitas voluptates interitus repentinus incidit. *Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem, qua intravit Noë in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.* *Luca 17. v. 26.*

§. 11. Hoc ſtultitiæ proprium quis non dixerit, ignavè & contumaciter facere quæ facit, & aliò corpus impellere, aliò animum, diſtrahiq́ue inter diverſiſſimos motus? quantò ſatius eſt peregrino iter ſuum non interrumpere, pertinaciter ad præfixum locum properare, ire apertâ viâ & rectâ, quàm ſibi ipſi, propter vanæ felicitatis blandimenta ubi occurrunt, flexus diſponere quos cum magnâ moleſtiâ debeat relegere? magno quandoque ſolent parva conſtare. Dinæ curioſitas pro lenocinio fuit: *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius*, furtim videlicet ac incomitata, nemine conſcio de tabernaculo Patris ut videret mulieres Sichimitas, quæ tunc numeroſæ & ornatæ adfeſtum ſolemne convenerant. Vilem curioſitatem, brevem evagationem magno detrimento, raptu nimirùm ſui atque infami ſtupro luit. Et ante mortem & poſt mortem pereunt, quòd non ad poſteros uſque tranſiliant, neque ſedent in memoriam niſi deteſtandam; qui reditum in patriam beatitudinis abominantur; quia in exilio miſeriæ, in peregrinatione ipſis bene eſt, quia eos moroſus delicatuſq́ue vitiorum municipatus ſui juris eſſe non patitur. In eo quotidiè vanitatis circulum & concitatè quidem conficiunt, undè non datur exitus, quia idem evenit illis, quod in labyrintho properantibus, quos ipſa velocitas implicat. *Voluptatibus itàque ſe mergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eò perveniunt, ut illis, quæ ſupervacua fuerant, facta ſint neceſſaria.* Sapiens verò utitur creaturis, non fruitur. Sine nequitiâ, ſine fraudibus degit. Afficitur voluptatibus, ſed ſolidis, ſed innoxiis, quas ex facili capit ſine ullo pudoris aut pœnitentiæ metu. Præſentibus gaudet, non concupiſcit abſentia. Non æſtuat, non diſtringitur, nec multas habere manus cupit, ſcit pauca hominibus, & incerta, & abitura contingere. Omnes creaturæ ex naturâ ſuâ veſtigia quædam ſunt, & tritæ quædam viæ, per quas ſapiens ad Creatorem tendit; quin etiam illuſtriores quaſdam notas ſecum afferunt, quarum contemplatione urget ac ſtimulat ſeipſum ad amorem Creatoris. *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Hinc quidquid natum eſt hominem promovere ad cognitionem & dilectionem Dei, tandemq́ue ad fruitionem ejus, oſtium, porta, feneſtra, via cæli meritò appellari; omne verò quod impellit & trahit ad damnationem, porta inferni vocari poteſt.

Geneſ. 34. v. 1.

Sen. Epiſt. 39.

Sap. 14. v. 11.

Utrumque in creaturis reperitur, per has tenditur ad Deum, per eaſdem ab illo declinatur. Neque ſolùm creaturæ docent & dirigunt quò eundum ſit, ſed etiam delectant euntes. Undè Propheta Re-
Pſ. 91. v. 5. gius: *Delectaſti me Domine in factura tua.* Quocircà in ſpecie creaturæ delectari propter Deum nedum licitum, ſed & meritorium eſt, in creatura porrò delectari proter ipſam, ejus amori inhærendo, inordinatum & perverſum. Plerique tamen à creaturis non ſe duci
Ibidem v. 7. permittunt, ſed ſeduci; propterea *vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Uſum à corruptela ob depravatum rationis judicium non poterit diſcernere. Opinione illorum bona erunt, quæ nomen quidem commune habent cum veris bonis, proprietas tamen in illis boni non eſt. Illa non inter ſubjecta & humilia, inter mancipia à talibus numerantur, ſed inter præcipua vitæ commoda; quæ dum accedunt, tenaciter adhærent. Utitur verò ſapiens illis, non gloriatur; utitur parcè tamquàm depoſitis apud ſe & abituris, ſine ulla ſui laceratione diſcedunt. Ideò ſolerter advertit Hugo Cardinalis, quòd Propheta non dicat: *Factura tua delectavit me, ſed in ea delectaſti me*: Facturæ quippè delectant malos; verùm Creator earum delectat bonos in eis: Hoc modo *creaturæ Dei in*
Sap. 14. v. 11. *odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Ab auro illiciuntur homines ad avaritiam & furtum, à vino delicato ad crapulam, à dignitatibus ad ambitionem & faſtum, à ſcientia ad curioſitatem & ſuperbiam, à ſpecie mulierum ad luxuriam; quòd tamen per illa in malum ruinamque incidant, id non fit creaturarum vitio, ſed culpâ propriâ, quòd inſipienter illis utantur. „ Non enim Deus fecit creaturas ad ma-
D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. „ lum hominum, ſed hoc conſecutum eſt propter inſipientiam hominum. Undè ſubditur: Et in muſcipulam pedibus inſipientium, „ qui ſcilicet per ſuam inſipientiam utuntur creaturis ad aliud, quàm „ ad quod factæ ſunt. Nihil malum aut turpe ab ipſo Conditore; licet ærugo æri, ſordes inhæreant corpori, non tamen æruginem fecit faber, nec ſordes auctor produxit, ità nec malitiam Deus. Scire quorsùm quæque res ſpectet, & quis ejus ſit uſus, non minima pars eſt civilis prudentiæ; juxta quam peregrinemur ut apes, non ut araneæ; quod in quaque re commodi eſt, id excerpamus. Araneæ floribus inſident, atque ex iis venenum ſugunt, quo turgent, alioſque inficiunt: apes ex iis mel ſuaviſſimum conficiunt; quod item ex thymo, herbâ amariſſimâ extrahunt, hirudo contrà ex ſano corpore vitioſum ſanguinem. Verùm nobis ferè accidit quod animalibus, quæ in aliam regionem tranſlata, ad genium loci, in quo habentur, indolem formant: ſpem vitæ melioris indies animo

conci-

concipimus, ac ſimul atque in media urbe nos res hominesque circumſtrepunt, ſubitò hinc tumultus ac turbas haurimus: alienis vitiis abripimur, & contagione plerùmque inſanimus. Utinam Deo auſpice Alpheum fluvium in Elide Peloponneſi regione ſedulò imitemur, quem tradit Pauſanias libro quinto occultis meatibus mare Siculum ſubterlabentem ſine mixtione undarum in Arethuſam Siciliæ fontem (in cujus velut amplexus ruit) deſinere: teſtatur idem Virgilius ità canens,

—— Alpheum fama eſt hùc Elidis amnem Lib. 3. Æneid.
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.

Maris pertranſit medium & ſuam nihilominùs undam, colorem, piſces ſibi ſervat; utinam ſic per levitates vanitateſque ſæculi tranſeuntes, iis non miſceamur! nève, velùti piſcis marinus in ſalſis undis non ſalſus, ex hoc mundi pelago ſalſuginem trahamus. Licet terram contingant Solis radii, ibi tamen ſunt undè mittuntur. Utinam ſic animus nobis verſetur inter humana, ut adhæreat intereà Deo origini ſuæ! Peregrinis illud nobis potiſſimùm convenit, qui non debent de commodis hujus vitæ tam brevis & fugacis eſſe ſolliciti, ſed quantum valent properare, peregrè hoſpites ſunt & advenæ, ideò non diù hoſpitio immorantur, neque in eo ſedem & patriam conſtituunt, ocyùs illud pertranſeunt atque ulteriùs pergunt. ,,Quomodò ergò, ait S. Auguſtinus, ſi eſſemus peregrini, ,,qui beatè vivere niſi in patria non poſſemus, eâque peregrinatio- ,,ne utique miſeri, & miſeriam finire cupientes in patriam redire ,,vellemus, opus eſſet vel terreſtribus vel marinis vehiculis, quibus ,,utendum eſſet, ut ad patriam, quâ fruendum erat, pervenire valeremus; quòd ſi amœnitates itineris & ipſa geſtatio vehiculorum ,,nos delectaret, converſi ad fruendum his, quibus uti debuimus, ,,nollemus citò viam finire, & perversâ ſuavitate implicati alienaremur à patriâ, cujus ſuavitas faceret beatos: ſic in hujus mortalitatis vitâ peregrinantes à Domino. Si redire in patriam volumus, ubi beati eſſe poſſumus, utendum eſt hoc mundo, non ,,fruendum, ut inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta ,,conſpiciantur; hoc eſt, ut de corporalibus temporalibuſque rebus ,,æterna ac ſpiritualia capiamus.

Lib. 1. de doctr. Christ. cap. 4.

§. 12. Qui curas & cogitationes omnes defigunt in hâc vitâ (quæ tamen non niſi hoſpitium eſt unius quaſi noctis) *præteritorum obliviſcuntur, præſentia negligunt, de futuro timent. Cùm ad extrema venerint, ſerò intelligunt miſeri tamdiù ſe, dum nihil agunt, occupatos fuiſſe.*

Sen. de brev. vitæ cap. 15.

ſe. Longè ſecùs fecit D. Paulus cujus vita continua fuit peregrinatio; quàm diuturna, quàm laborioſa! undèquaque periculis, undèquaque laqueis cincta! totum penè orbem circuivit. Non alienis, non futuris, non vanis, inutilibus vel noxiis, ſed propriis, ſed præſentibus, ſibique & aliis ſalutiferis ætatem impendens; Judæos fugiens Cæſaream Phœnices venit, indè Tharſum, hinc Antiochiam Syriæ, à quâ cum Barnaba Hieroſolymam miſſus eſt: undè Antiochiam Syriæ rediit, deindè Seleuciam adiit; hinc per mare Salaminam Cypri, terrâ Paphum, mari Pergen Pamphyliæ, Antiochiam Piſidiæ, Iconium Lycaoniæ, ex quo Lyſtram, poſteà Derben ſuperiorem oppida Lycaoniæ fugit. Piſidiâ, Pamphyliâ, Phœnice, Samariâ, Phrygiâ, Galatiâ, Myſiâ, Samothrace inſulâ, Macedoniâ, Amphipoli, Apolloniâ, Theſſalonicâ, Berœâ peragratâ, Athenas; deindè Corinthum, hinc Lenochreas navigavit. Troadem quoque Alexandriam cognomine, Mitylenem, Lesbum, & Chium inſulam pertranſiens Samum appulit; indè venit Myletum, poſt hæc Coum, ſequenti die Rhodum, indè Pataram; & præternavigatâ Cypro Tyrum, deindè Ptolomaidem, poſtridiè Cæſaream Palæſtinæ tandem Hieroſolymam. Denique à Porcio Feſto Præſide miſſus ad Cæſarem (quem appellaverat) Sidone ſolvens Regionibus plurimis præternavigatis ad extremum Romam pervenit. Tot labores, tot diſcrimina ſubivit ut totum ſeſe Deo & proximorum ſaluti traderet; tamquàm apis diligentiſſima mel ſalutis dulciſſimum ubique colligens, aliaſque apes ad Eccleſiæ convocans alvearia ſedulis operariis illa fœcundavit. Vixit ergò & ſibi & aliis, vixit Deo non Mammonæ, vixit cælo non ſæculo, vixit non tempori ſed æternitati. Cujus haud dubiè vita fuit longiſſima, cùm non tempore ſed actu vita ſit metienda. Gratiſſima ſunt Deo obſequia ab animo & voluntate profecta; quia amor cauſa illorum eſt, cui, quantumcumque fecerit aut tulerit, ex quantocumque fervore ac ſpiritûs devotione, non adhuc ſufficit, ſed ad ulteriora ſine remiſſione propellit. Hoc igne flagrabat D. Paulus, quando diſſuadentibus iter Hieroſolymitanum magnanimum illud dedit reſponſum inſtar claſſici quòd aliis fidelibus ac Martyribus canebat eos ad carceres & certamina invitans: Act. 20. v. 13. *Ego enim*, ajebat, *non ſolùm alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu.* Pro chariſſimo Magiſtro ſuo, ut amoris vices illi rependeret, & ardentiſſimum illius ſtudium pro ſalute hominum æmularetur (cui modicum ſemper viſum fuit quidquid pro homine, ſive egit, ſive toleravit) ad omnem incurſum munitus & intentus, contra pericula interritus ibat, & inter illa. Tàm diligenter in omnibus, tàm exquiſitè Deo ſervire & placere ſtuduit,

ut

ut quantumlibet pro eo fecerit, numquàm ſibi ſatisfecerit, nec ullas tam magnas exhauſerit laborum, aut dolorum difficultates, quin majores & graviores eſurierit. Sicut enim nec fauces aliquando exſaturantur, neque umquàm ſatisfit palato, quantoſcumque cibos tranſmittant (quod ſapor, uti habet aliquid velut ſpiritualitatis, ità nec fert menſuram, nec voluptas ejus finem admittit) eodem planè modo tantam patiebatur famem plura pro Chriſto & faciendi & patiendi, omniaque dura tam avidè tantoque cum deſiderio admittebat, ut ſaturari minimè poſſet. In tali charitatis æſtu veriſſimè cum Davide exclamare poterat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Tantam voluptatem hauriebat Apoſtolus ex modo ſuo famulandi & obſequendi Redemptori, quantam Propheta Regius ex obſervatione divinorum mandatorum, quæ illi ſupra nectar omnemque ambroſiam ſuavè ſapiebant. Ut intenſiſſimam eorum dulcedinem exprimeret, dixit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Non verò quàm dulcia ſtomacho, licet ille ſit officina quædam, ubi coquitur cibus, & ad uſum omnium membrorum diſtribuitur, quia juxta Hugonem de S. Victore. „Cibus corporalis carnem reficit, „ſapientia mentem paſcit. Cibus corporalis tria habet in ſe, ſapo„rem, nutrimentum, maſſam. Sapor delectat, nutrimentum „ſuſtentat, maſſa onerat: ſapor quodammodò ſpiritualis eſt, & „ideò ſolummodò delectat, non gravat. Gula percipit ſaporem, „ſtomachus nutrimentum, & maſſam; alterum ad refectionem, „alterum ad gravamen. Indè eſt, quòd fames in faucibus ſatiari „numquàm poteſt, quia ibi nec appetitus menſuram habet, nec de„lectatio finem.

Pſ. 118. v. 103.

Tom. 1. cap. 76. in pſ. 118.

§. 13. Fuit profectò D. Paulus in universâ domo Dei inclytus, neque tamen ſolus famen illam inſatiabilem ſenſit, habuit verò in eo Apoſtolorum Principem conſortem: noverunt viri Sancti experientiâ teſte orationis beneficio (quâ nulla exercitatio voluptuoſior eſt animæ, quæ Dei familiari conſuetudine oblectatur) famem crebrò ſedatam; poſt orationem nihilominùs fames D. Petrum invaſit. *Aſcendit Petrus in ſuperiora, ut oraret circa horam ſextam, & cùm eſuriret, voluit guſtare.* Ab orationis tàm lautâ, quàm abundanti menſâ quomodò potuit famelicus Petrus, tantâque cum eſurie recedere? „Mirandum, ait D. Ambroſius, cur ſanctum virum poſt „orationem fames ſequatur, cùm ſoleat fames oratione depelli, & „eſuriens anima non niſi oratione ſaginari? Hâc tamen ſcribendi formulâ ſacer textus indicare voluit, quàm anxiè, quàm ſollicitè, quàm affectuosè ardenterque beatus Chriſti Vicarius ſaluti animarum inhiabat: undè congruenter ſibi reſpondet D. Ambroſius his verbis;

Act. 10. v. 9.

Serm. 10. de Sanctis.

Ibidem. verbis ; „ Exiſtimo Petrum poſt orationem non cibum eſuriiſſe ho-
„ minum , ſed ſalutem , nec ediâ vexatum eſſe corporis, ſed ino-
„ piâ credentium laboraſſe. Cùm enim Judaïcus populus perfidus,
„ & ingratus, illo prædicante , Chriſto non crederet , famem quo-
„ dammodò Petrus officii ſui ſuſtinebat.. Poſt orationem ergò eſuriit
„ Petrus. Seriò & enixè imitari Chriſti ſummos conatus voluit, quos
ille adhibuit ad omnia, quæcumque vel nobis contulit, vel pro nobis pertulit ; adeò *famem quodammodò Petrus ſui officii ſuſtinebat*, nec ſaturabatur fideliſſimus Domini Miniſter, quantumcumque ſtudii, ac laboris in prædicando collocaret. Poterat & ipſe Davidicum iſtud ingeminare, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo!* Tantam ineſſe dulcedinem functioni muneris ſui videbat, ut ex hoc fames iſta ſpiritualis ſine termino creſceret : quàm ut divinus Pſaltes exaggeraret ; „ Non , ait, ex doctrinâ Hugonis de S. Victore, ventri
Tom. 1. cap. 78. in Pſal. 118. „ meo ſed faucibus meis, non ſtomacho meo ſed ori meo , ac ſi di-
„ ceret : venter carnalitatis premitur , ſed palatum cordis intùs ſa-
„ pore dulcedinis delectatur, quia etſi foris infirmitatem gravat la-
„ bor operis, intùs tamen deſiderium paſcit dulcedo & guſtus ſua-
„ vitatis. Ex amoris fonte promanarunt ſpontanea continuò & grata officia ab animo benevolente ac prompto venientia, quæ magni fiunt. „ Etenim diſplicuerunt ſemper Domino coacta miniſte-
Oleaſter in cap. 28. Deut. „ ria , & ſummè placuerunt læta ſervitia. Hâc de causâ neminem
„ voluit Dominus cogere ad cultum, & miniſterium ſuum, quo-
„ niam ſolent triſtia eſſe hujuſmodi miniſteria , & hilarem datorem
„ diligit Deus. Amat Deus ſervos, qui tam ſunt prompti ad ea quæ facere jubentur, obeunda , ut ea perſecerint, cùm vix imperata: imò nec ibi ſiſtant, ſed ad alia incunctanter ſeſe accingant. Cùm loco maledictionis benedictionem impenderet populo Iſraëli Propheta Balaam, dicebat: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob & tentoria tua Iſraël!* In ſenſu myſtico per populum Jacob intellexit Origenes electos & ſanctos viros, qui ſe totos tradunt uni ſervitio Dei, & huc omnes tàm corporis, quàm animi vires convertunt : illud tamen meritò inquirit, cur in tentoriis vitam egerint, quos magis amplæ decebant ædes ? Reſpondet „ Non domos laudat, ſed taber-
Num. 24. v. 5.
„ nacula miratur, in quibus ſemper ambulant, & ſemper proficiunt,
„ tanto eis proficiendi via augetur, & in immenſum tenditur, &
„ ideò iſtos ipſos profectus eorum per ſpiritum contuens, taberna-
„ cula ea nominat Iſraël. Perindè fuit ac ſi dixiſſet veri Jacob, ſeu Iſraëlis liberos illuſtriorem promeruiſſe laudem, quòd in mapalibus, non autem in ædibus degerent, hoc eſt, quòd ſemper in itinere poſiti viam perpetuò carperent, & hoc unum indeficiente ſtudio, toto

conatu,

conatu, & ſummâ ſollicitudine agerent, ut quod gratiſſimum Deo putarent, hoc facerent, & ſempiternam ei, eamq́ue fideliſſimam ac devotiſſimam ſervitutem ſervirent. Ex his facilè colligemus quarè Chriſtus cùm Diſcipulos ad prædicandum mitteret, tam ſtrictè illis præceperit *neminem per viam ſalutaveritis.* Diſcipulos ſuos noluit eſſe *Luc. 10. v. 4.* inciviles & ruſticos ut ſalutati à quopiam eumdem verbo non reſalutarent; ſed prolixam vetuit ſalutationem *impedientem miniſterium,* *Euthymius in cap. 10. Lucæ.* *quæ per moram ſæpè trahit offenſam.* Vanam confabulationem & diſtractionem ac moram voluit præſcindi, ut totâ mente collecti, ſeduli celereſq́ue in opere, ad quod mittebantur, toti prædicationi Evangelii intenderent.

§. 14. Quàm diverſi ac deſides à Chriſto & Apoſtolis nos ſumus. Illi modicum judicabant omne quod pro ſalute hominum ſuſtinebant, nos verò ſi aliquid pro Deo facimus aut patimur non modicum, ſed maximum eſſe putamus, ſtatim de laboris diuturnitate, & gravitate iſtæ proferuntur querimoniæ, quis tantum ferat jejunium? tam frequentes confeſſiones? tot tribulationes? quodvis momentum in his quæ in profectum animarum cedunt pro ſæculo, quamvis horam pro æternitate habemus: ut illa verò conſequamur quæ mundus offert, tametſi plurimam adjunctam habeant difficultatem, nihil grave, nihil moleſtum nobis apparet, heu quàm agiles, quàm prompti ad mala & damnoſa! quàm tardi & impediti ad bona atque utilia! undè juſtiſſimè noſtram in his ignaviam nobis exprobrat S. Petrus Chryſologus: „ Quando, exclamat, tantum „ Deo, quantum mundo, quando tantum Cælo, quantum ter„ ræ, quando tantum virtuti, quantum vitiis fragilitas humana *Serm. 114.* „ famulatur? totus homo miſer ſic carni deditur, ſic rebus præſen„ tibus occupatur, ut nihil in ſe quod futuræ vitæ, quod divinis „ bonis deſerviat, derelinquat. Luculentiſſimè vitâ ſuâ Henricus Octavus Angliæ Rex hanc confirmavit ſententiam. Quantum inter ipſum & Conjugem honeſtiſſimam Catharinam interfuerit liquidò conſtabit, ſi vitam utriuſque, mores & inſtitutum conferamus. Ambo peregrinationis curſum abſolverunt, ſed quàm diſpar vitæ tranſitus! quanta morum diſſimilitudo, quanta diſcrepantia! ſummam felicitatis humanæ in carne ponendam eſſe ratus Henricus, virtutis tramite relicto, ſuppreſſâ generoſæ indolis ſpe ab omnibus requirebat ubi voluptas ſummum ipſius bonum domicilium haberet? & quemadmodùm qui beſtiarum cubilia indagat, ut illarum veſtigia premat, potiora deſerit, multiſq́ue officiis renunciat: ita ipſe ſectando voluptatem omnia poſtponebat, libertatem negligens totuſq́ue à ventris nimiâ intemperantiâ & amore cæco dependens.

Venenum illi erat quidquid veritas præcipiebat, eſca verò quidquid Diabolus ſuggerebat. Enervare vires veritatis, & denſis vanitatum nebulis ſerenitatem ejus Diabolus conatur obſcurare, idcircò callidis utitur perſuaſionibus, ut Reges aliivè Prælati (qui ſunt oſſa corporis Reipub. ut quæ conſiſtat per illos) robur firmitatemque virtutum perdant, ne ampliùs Rempublicam valeant ſtabilire. Artificium

In Pſal. 21. iſtud detegit Hugo Cardinalis, *De oſſibus*, inquiens, *Domini & Eccleſiæ facta eſt caro Diaboli. Diabolus enim quaſi ſimia contrafecit Dominum: Dominus enim de oſſe fecit mulierem, & Diabolus de oſſibus Domini facit molles & effæminatos.* Ædificatam à Deo vidit ex oſſe fœminam, quæ ruinæ mundi occaſionem præbuit; tentat ad inſtar ex oſſibus Dei, ex Superioribus Eccleſiæ, carnem id eſt effœminatos facere, curat ut ſolutiori ac liberiori vitæ ſe tradant, ad quod

Pius II. Pont. Max. Epiſt. 64. ſubverſio Reip. conſequitur. *Quales* enim *ſunt Principes, tales & cives eſſe conſueverunt, & mutantur ſervi ſtudio Dominorum.* Tali Dæmonis aſtu captus Henricus tam inflammatâ quotidiè ferebatur libidine, ut eum non pudor ullus, non pietas, non macula familiæ, non ſacrum matrimonii vinculum, non hominum fama, non conjugis filiæque mœror, non Dei timor, non Romanæ Sedis authoritas ab illâ revocaret. Quomodò impudentiæ finem aliquandò faceret, cùm punctum temporis nullum vacuum ſcelere præterite paſſus ſit? tam temerè & effrænatè ad potiundum avidâ corporis voluptate incitabatur, ut nemini rectiùs congruere videa-

Cap. 2. v. 24. tur hoc Prophetæ Jeremiæ vaticinium, *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* Onager animal ſilveſtre eſt velociſſimum, efferum atque ſalaciſſimum, cùm æſtuat, atttahit ventum & auram, quam maximè amat; aut potiùs cùm libidine incenditur, ſumma montium conſcendit teſte Oppiano, ad odorandam & captandam auram fœminæ quam amat, & in eam totus fertur, ut nullus eum avertere poſſit, adeò ut in rabiem & proprii pulli perniciem agatur: Quò non illa peſtis immanis & importuna Henrici prorupit? quæ monita aut minæ furentis iſtius Onagri curſum & impetum ſiſtere potuerunt? nullatenùs deſiderium ſedare poterant voluptates, quæ præceps ferebantur, infinitæque erant, & quò magis implebantur, eò magis inexplebiles. Non voluptates tanto impendio ſibi emerat, ſed ſe voluptatibus vendiderat, quarum copiâ ſtrangulabatur veluti & penitùs obruebatur, ut veriùs ipſum voluptates haberent, quàm ipſe voluptates. „ Ut feras cum labore periculoque venamur, & captarum quo-

Sen. de vitâ beatâ c. 14. „ que illarum ſollicita poſſeſſio eſt: ſæpè enim laniant dominos: ità „ habentes magnas voluptates. In magnum malum evaſêre, ca-

„ ptæque

„ ptæque cepêre. Quæ quò plures majoreſque ſunt, eò ille minor, „ ac plurium ſervus eſt, quem felicem vulgus appellat? Non obtrudatur mihi quòd vix ſævire poſſit, qui amat; neque patriæ bonus tutor ac vindex, aut oppreſſorum propugnator eſſe poteſt, quiſquis ad voluptates vergit; neque rectè umquàm judicat mens oppreſſa crapulis, ſoluta vino, & toto quodammodò luxuriæ demerſa naufragio. Numquid Herodes amando ſævit? Herodianæ cœnæ cruentas epulas, conjugium ferale, tàm terra quàm cælum exhorruit. Quid aliud poterant parere totis noctibus protracta convivia? quid generare vinum cum menſura emptum, ſine menſura potatum? quo non præcipitatur caro, cùm ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis? Quid Herodi collatus Henricus non perpetravit? nullum ſcelus aut facinus fuit, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis eum impulerit: neque opus ut cum Herodis improbitate certaret, longè illum multùmque ſuperavit, ſecum ipſe certavit quoad vixit, idque egit ut ſemper ſuperius ſuum facinus novo ſcelere vinceret. *Omnia horrenda facinora, quæ timentur in ſceleratis hominibus, videte de qua labe conſurgant.* Jacebat in Henrico caro oppreſſa crapulis, & ebrietate captiva, quæ tintillante luxuriâ, & non tàm ludente, quàm illudente laſciviâ, ſibi licitum judicabat quidquid turpitudo ſuaderet. Onager ille repudiatâ conjuge religioſiſſimâ, repulsâ prole legitimâ anhelus & ſitibundus inſaniebat in adulteram, quæ reſpondit ſuo turpis generi, dum marito complacuit turpiori: de adulterio namque non niſi turpis debuit procreari. Hâc inſtigante omnia perfugia bonorum, præſidia innocentium, ſubſidia Reipublicæ, conſilia, auxilia, jura ceciderunt: Adeò verum eſt,

S. Aug. Serm. 246. de temp.

——— *Sua cuique Deus fit dira cupido.*

Virg. Æneid. lib. 9.

Non agnoſcebat alium Deum Henricus quàm Veneris iſtius idolum cui ut plenè inſerviret caſtitas & pudicitia in exilium mitti debebat, innocentia opprimi; ſummæ integritatis, magni & erecti ſpiritus viri, exactæ prudentiæ, indeclinabilis juſtitiæ huic monſtro immolari. Serpens tunc latuit in fœminâ, quæ reptans greſſibus obliquis lethale toto corpore virus in Regem effudit; ut mentem furor, venenum corpus ſauciaret, illumque verteret in beſtiam qui non tàm vino quàm ſanguine potaretur. Adeò tamen non pudebat Henricum probri ſui, ut palam innumeros criminis ſibi teſtes aſſumeret, totque haberet facinoris ſui arbitros, quot habuit præſides diſciplinæ. Tam multa in Deum homineſque impiè nefarieque commiſit, ut ſingularem quamdam pœnam iſtius immanis atque importuna natura videretur deſiderare; cùm Religio divina eſſet

Es Caribdis de la excelencia, la exorbitancia iraſcible, y Scila de la reputacion, la demaſia concupiſcible.
Lorenzo Gracian en ſu Heroe.

Tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio lo-

cus, ubi, quæ fuerant vitia, mores ſunt. Sen. ep. 39.

eſſet expianda, & cruciatus multorumque innocentium ſanguis iſtius ſupplicio luendus. Illud tamen Numinis vindicta ad alterum ſæculum reſervârat, agonizantem ſolummodo permiſit, ſcelerum pœnis agitari, & à mente conſilioque deduci: agebant eum præcipitem pœnæ multorum illuſtrium virorum quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit; Clericorum quoque & Monachorum quos diverſis exquiſitiſque cruciatibus de medio ſuſtulit nullius ætate, aut miſeriâ commotus, ſed in omnium gemitu & communi Regni calamitate lætans. Expetebant de ipſo ſupplicium Sanctorum Martyrum venerandi cineres in aërem diſperſi, ſepulchra & monumenta diruta, jura Catholicæ Religionis, univerſæ Sacrorum Fanorumque cæremoniæ violatæ. Tot furiis agitatus in mortis articulo damnationis ſuæ ipſemet ſententiam protulit, ad unum namque è ſuis converſus, *omnia* (inquit) *perdidimus*; inter mortuis deindè vocibus Monachorum nomen aliquoties ingeminaſſe dicitur, atque ità expitaſſe.

Sand. lib 1. de ſchiſm. Angl.

§. 15. Benè incœpit Henricus, aſt peſſimè deſiit. Finxerat enim natura ipſum ad honeſtatem, gravitatem, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum: acceſſit his doctrina, quâ librum illum nominatiſſimum de ſeptem Sacramentis contra Lutherum compoſuit, ob quem titulum defenſoris Fidei à Romano Pontifice conſequi meruit. Verùm tot bona, tot decora una inſatiabilis libido extinxit. *Virtus* nimirùm *boni operis perſeverantia eſt.* Omnibus quidem ſine ulla exceptione Chriſtianis hæc competit; maximè tamen Principibus. Cujus duo ſunt officia, unum, dare eſſe virtutibus; ceſſante enim perſeverantiâ ceſſat virtus, aſſiſtente virtutem perſeverantiâ manet virtus in ſuo eſſe. Alterum eſt, ut tamquàm ſpecula virtutum, diſcooperiat, prodat, repellat vitia, quæ (multò magis quàm adverſitates corpori humano) virtutibus inſidiantur. Ad omnes præctereà virtutes perſeverantia ſeſe extendit, omnes circumdat & protegit: quælibet virtus ſine perſeverantiâ dolet & gemit, quia ſine illa præmium ſuum non aſſequitur. Hinc non ſolùm eſt virtutum protectrix, decor, ornamentum & complementum, ſed inſuper bonorum operum merces & corona. *Si non uſque in finem ſperaveris*, ait S. Auguſtinus, *deletur totum quod ſperaveris. Quod à principio ratum non fuit*, uti loquuntur Juriſperiti, *non poteſt tractu temporis convaleſcere*: Multoties quoque è contrario evenit aliquid in principio ratum & validum ſucceſſu tamen temporis, propter occurrentes circumſtantias, diſſolvi. Qui domo egrediens ad locum ſibi determinatum tendit, ſi in medio itinere aliò diverterit, neque in primæva rectitudine perſeveraverit,

D. Greg. Hom. 25. in Evang.

in Pſalm.

veraverit, à termino defixo deviet neceſſe eſt. Non rarò granum purum in principio, in fine putreſcit, & à vermibus corroditur. Cuilibet rei periculoſum ubique eſt initium & finis, ſed finis periculoſior; fateor arbores quoad flores in Vere periclitari, ſed nonnè magis periclitantur quoad fructus in Autumno, dum ad maturitatem perveniunt? numquid tunc & ab avibus comeduntur, & à vermibus corroduntur, & à ventis dejiciuntur? deindè (ut ad mores ſermonem referamus) numquid errores, qui in principio accidunt, ſæpiſſimè corrigi poſſunt; qui verò in fine, non modò non poſſunt corrigi, ſed & omnia quæ præceſſerunt, inficiunt? ità eſt, quemadmodùm bonus finis opus coronat, ità malus opera præcedentia coinquinat. Nihil profuit Henrico virtutis ſtadium benè inchoaſſe, ubi in medio curſu & maximè in termino defecit. Quantùm in regimine & moderatione vitæ fœmina virum antecelluit! laudabile initium laudabilior finis excepit. Quam cum lacte imbiberat pietatem Regina Catharina, ad ultimum vitæ ſpiritum conſervavit; cujus non poterat obliviſci, quotieſcùmque ſibi avita & domeſtica proponebat exempla. Religioſiſſimas enim quovis tempore mundo dare Reginas nos niſi Hiſpaniæ beneficium videtur. [a] Dedit olim Blancham matrem S. Ludovici, cujus inſtitutioni & ſollicitudini excellentem piiſſimus filius debuit in virtutibus progreſſum. Dedit ex Arragoniæ Regum ſanguine Luſitaniæ Reginam Iſabellam hoc nomine donatam ob alteram Iſabellam nempè paternæ aviæ Violantæ ſororem, quæ ad vitæ puritatem caſtitatis votum ſuperſtitis mariti conſenſu addiderat, & tàm ſanctè obierat, tot miraculis clara, ut Gregorius IX. Pontifex Maximus digniſſimam, quæ Sanctarum catalogo adſcriberetur, judicarit. Hæres aviti nominis & ſanctitatis præ reliquis virtutibus Regum, regnorumque pacificatrix & bellici ſedandi furoris prærogativâ claruit; hoc enconium obtinuit ab Eccleſiâ Catholicâ, quæ virtutibus & prodigiis illuſtrem in ſanctarum faſtos retulit. Ex eâdem proſapiâ ſecundam protulit Iſabellam Ferdinandi Regis Catholici uxorem, Matrem Sereniſſimæ Catharinæ noſtræ, lectiſſimam fœminam, virilis animi curæque, rariſſimæ frugalitatis, ut in omni vitâ nec vinum libârit: *quæ virtus, fomes, ut ſcimus*, ait Lipſius, *eſt caſtitatis & modeſtæ gravitatis.* Quid vetat his annectere tertiam Iſabellam Claram Eugeniam, Philippi ſapientiſſimi Regis filiam, Caroli Imperatoris neptem, Alberti Archiducis uxorem, Belgii noſtri optimam quondam Principem, Religionis columen, pauperum matrem, Religioſorum Patronam, fautricem litterarum, in ſubditorum cordibus ſemper habitaturam: quæ identitate vitæ & nominis, morumque

Paul. Æmil. lib. 7. Hiſt. Franc.

[a] Gran parte de la heroyca ſantidad de Luis nono de Francia ſe deve à la enſeñança de la Eſpañola Doña Blanca ſu gran madre.

Lorenço Gracian en ſu politico Fernando.

Lipſ. lib. 2. exempl. polit. cap. 2.

ſimilitudine tam perfectè characterem Pannonicæ & Arragonicæ Iſabellæ expreſſit, ut in unâ Auſtriacâ Sanctas has duas Iſabellas renatas crederes, & in tribus non eumdem ſolùm animum ſed & ſpiritum habitaſſe: nam contempto veſtium luxu, maritis defunctis fidem ſervarunt, ſecundas nuptias abhorruerunt, habituque Seraphico aſſumpto, quaſi vota ſolemnia emiſiſſent, rigidum illud amplexatæ ſunt inſtitutum. Hodiè quoque de pretioſiſſimo Hiſpaniæ fructu, (qualem numquàm Indiæ è divite ſinu poſſent educere) Annâ & Mariâ Tereſiâ Reginis ſibi applaudit Gallia, quarum inter eminentes animi & corporis dotes pietas ſublimiſque mentis vigor præcipuum regio Diademati confert ornamentum.

En Eſpaña hàn paſſado ſiempre plaça de varones, las varoniles hembras; y en la caſa de Auſtria hàn ſido ſiempre eſtimadas y empleadas. *Lorenço Gracian en ſu politico Fernando.*

§. 16. Sic erat orta Heroïna noſtra,ſic educata, ſic inſtituta inter optimos nempè ad optima, ut,degenerare ſi vellet,mala eſſe vix poſſet. Puerile nihil umquàm habuit præter ætatem, nequitiam execrata antequàm noſſet, virtuti ſuæ collactanea & coæva, ità quæſivit ex moribus claritatem, acſi nullam habuiſſet ex genere. Formaverat illam Deus propenſione immensâ in virtutes omnes: quarum præcipuas ex Iſabellâ Thuringiæ Dominâ, & alterâ Iſabellâ Luſitaniæ Reginâ collegiſſe videtur. Non minùs quàm illæ vigiliis ſuis ſopitos excitavit, jejuniis famelicos. Mirum in Regina & ardens virtutis ſtudium. Non tàm paſſiones caſtigare, quàm in ſe deſævire credebatur. Non ſufficiebat illi paulatim aulæ delicias dediſcere, ſed omnibus Feriis ſextis & Sabbathis jejunabat; omnibus B. Mariæ vigiliis ſolo pane & aquâ vivebat; nulla in ſe admittens peccata, omnia puniens, quartis & ſextis Feriis conſcientiam ſuam Sacerdoti aperiebat. Incertum fecit magiſnè fuerit admiranda devota ipſius ſedulitas an ſedula devotio? In his utraſque prædictas Sanctas ità expreſſit, ut dum viveret earum neminem extinctam putares. Ne tempus ipſi deficeret, ipſa numquàm deficiebat tempori, optima illius diſpenſatrix. Ad ſtatas preces exſolvendas adventum Auroræ (quæ ſomno gravida teneris corporibus maximè blanditur) non ſolùm non expectabat, ſed antevertebat antelucanas amans vigilias: hinc familiare illi mediâ nocte è ſtrato ſurgere, ut nocturnis Religioſorum precibus intereſſet. Manè horâ quintâ ornabat ſe quàm citiſſimè, nihil ſibi temporis, præter hoc ſolum in quo veſtiebatur, perire dictitans: Quantum, obſecro, poterat illi ad blanditias aliquas & cupiditatis illecebras ſuppetere? erant ei oneri & gemmæ & lapilli, auriſque emblemata, quibus aliæ conſueverunt alere vanitatem. Hinc ſub regio veſtitu D. Franciſci habitum (ad cujus tertium Ordinem ſe aſcripſerat) gerebat. Singulis Dominicis ſacratiſſimâ reficiebatur Euchariſtiâ. Indies Officium B. Mariæ Virginis recitabat.

Sand. lib. 1. ſchiſm. Angl.

Idem ibidem.

Sex

Sex horis continuis manè in Templo ſacris officiis vacabat. Horas pomeridianas tùm lectioni ſacræ ancillis aſtantibus, tùm precibus ad cœnam uſque ſtudioſè impendebat. Sic illi totus decurrebat dies, cujus nullam partem (ità temporis pretioſi erat avara) ſine fructu tranſire patiebatur. Exactam iſtam Deo famulandi diligentiam traxit ex utero: mater enim Iſabella, in ſacrorum cultu mirifica, & aſſidua, ab hoc nullâ poterat occupatione aut delectatione demoveri; ſed horas Canonicas ſacerdotali exemplo quotidiè legere ſolebat. Non erat in his omnibus juvenilis fervoris oſtentatio, ſed ſenilis prudentiæ conſtantia. Non explicabat Catharina virtutum comas ut Amygdalus, quam ideò Poëtæ arborem fatuam appellant, quia nimis tempeſtivè floret, & periculo frigoris atque ventorum flores exponit: ſed virtus ipſius cum ætate adoleſcens, magiſque corroborata non flores ſolummodò, ſed tali quoque radice dignos fructus uberrimè proferebat. *Pulchrorum etiam autumnus pulcher eſt*: quid nì virtutis, ubi quotidiè fortior fit & qualibet auſteritate major? res adverſæ aliis ſanctis exercitatio fuerunt, viragini huic votum. Undè ſæpiſſimè domeſticis dicere ſolebat, ſi alterutra, aut aſperrima, aut leniſſima eligenda eſſet fortuna, malle ſe triſtiſſimam quàm blandiſſimam: infelicibus enim raro deeſſe conſolationem, fortunatiſſimis ferè ſemper mentem. Non defuit optioni ſucceſſus. Incidit in illa tempora, in quibus ſi miſera eſſe noluerat, proba eſſe non poſſet. Sed conſtans in omni vitâ æquabilitas animique magnitudo contemptrix timendorum, munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, illam aſſueſcere fecit ærumnis, & veluti adamare: ne illam diuturnitas moleſtiarum & tribulationum à continuatione bonorum operum deterreret, nève à mentis culmine dejiceret, ſed ut dolores, preſſuras, calamitates, injurias ſuâ fortitudine opprimeret paterno maternoque ſtimulabatur exemplo. Patrem ejus Ferdinandum tradunt per omnem ætatem firmo conſtantique animo fuiſſe: & cùm utramque ſæpè ſortem expertus eſſet, proſpera atque adverſa ſic compoſitè ac ſedatè tuliſſe, ut nulla umquam in vultu ejus conſiliorum aut affectuum veſtigia deprehenderentur. Mater verò non adverſæ ſolùm valetudinis, ſed in partûs acutiſſimis doloribus, & gemitum & vocem ſupprimebat. Quid nì utroſque filia vinceret, cui majus in palæſtrâ tolerantiæ certamen Deus præparârat? S. Iſabella Arragonica pecunias pauperibus diſtribuendas, ut Regem laterent, hiberno tempore in roſas convertit; voluit Deus hujus ſæculi roſas Catharinæ mutari in ſpinas, ut poſt conſtantiæ triumphum ſpinæ in alterâ vitâ converterentur in felicis æternitatis roſas. Arborem illam effecit robuſtiſſimam, quæ ventis agita-

Lipſ. lib. 2. exemp. polit. cap. 2.

Plutarch.

Sand. ubi ſuprà.

Lipſ. l. 1. exemp. polit. c. 7.

La innata Mageſtad echava un ſello à los ſuſpiros en ſu real pecho, ſin que ſe le oyeſſe un ay, y un velo de tinieblas à los deſmanes del ſemblante.

Lorenço Gracian en ſu Heroê.

agitari, evelli numquam: tam fermas enim in virtutum agro radices jecerat, ut agitari quidem poſſet adverſitatibus, dejici numquam. Navis erat nullis ſævi maris fluctibus, nulla vi, nulloque ventorum impulſu quaſſanda, ſed in cœpto propoſito immobiliter perſeveranda. Turtur pudiciſſima comparis adulteri inceſtam contaminationem abominata voluntarium ſibi in terris indixerat exilium, ut veram in Cælis patriam reperiret. Didicerat à matre arctam ſervandam eſſe in fide conjugali concordiam, ſed quomodò illam teneret Henricus qui ab Eccleſiæ Catholicæ unitate ſe disjungere non exhorruit? idcircò nullo umquam periculo adduci potuit, ut vel monaſterium ingrederetur (cùm tamen in illam vitam mirificè propenderet) vel quidquam aliud faceret in matrimonii ſui præjudicium. Cùm jam Reginæ nomine eſſet ſpoliata, Maria Filia dignitatibus exuta, plurimiſque injuriis & contumeliis expoſita, quas illi æmula ſua, Anna Bolena infligebat (nam flagitioſiſſimorum hominum, quia non incurrebat in mores, incurrebat in odium, ideò hoſtis habita quòd vitâ planè diſſimilis) nullâ quoque ratione ei perſuaderi potuit, ut vel in Hiſpaniam vel Belgium concederet, quò tamen honorificentiſſimis conditionibus ab Imperatore Carolo Nepote ſuo invitabatur. Calamitates ſuas & infelices matrimonii ſucceſſus peccatis ſuis adſcribebat in ſe ipſam rigidam exercens cenſuram. In aſſiduo dolorum ac calamitatum concurſu conjugalis amoris numquam fuit oblita. Non deteſtabatur niſi vitia Henrici nullatenus perſonam; cujus in extremo vale quod illi fecit morte jam adventante adeò tenerum & evidens præbuit indicium, ut quemlibet exanimare præ compaſſione & interimere poſſent ultima ipſius Regi ſcripta verba in hanc ſententiam. *Domine mî Rex ac conjux dilectiſſime, adventante jam mortis meæ horâ, amor quo te proſequor facit, ut admoneam te paucis, æternæ ſalutis animæ tuæ, quam univerſis hujus mundi bonis ac rebus mortalibus anteferre debes, neglectâ tui etiam corporis curâ; propter quam & me in calamitates multas, & te ipſum in plures ſollicitudines conjeciſti. Sed ego tibi ex animo omnia condono, precorque ut eadem tibi condonet Deus. Quod reliquum eſt, commendo tibi Mariam communem noſtram filiam, ut Patris officium in illam præſtes. Tres item ancillas, & miniſtros meos omnes, ut illæ nuptui commodè tradantur, his autem præter id quod jam eis debetur, etiam unius anni ſtipendium integrum, velut cumulus accedat, ne planè inopes deſerantur: poſtremò, hoc unum teſtor, quòd oculi mei te ſolum præ rebus omnibus mortalibus deſiderant. Vale.* Non poterat Henricus in univerſo Orbe meliorem reperire conjugem, nec illa pejorem maritum. Tandem eo felicitatis genere felix, quòd infelicior eſſe

Sand. lib. 1. Schiſm. Angl.

Sand. ibidem.

Conſiſte la ſimpatia en un parenteſco de los coraçones, ſi la antipatia

eſſe vix poſſet, fatis conceſſit in villâ quæ dicitur Cimbaltona. Poſſedit omnia virtutis ornamenta quæ in magnam Principem cadunt. Vitæ ſuæ amorem in ſe extinxerat, ſed illius memoriam in omnium Principum cordibus excitavit, à virtute ætatem exorſa in virtute confecit; quam econtrà Henricus in cœno & vitiis perdidit. Vitæ diſſimilitudo mercedis diſparitatem fecit. Hic (uti vix dubitandum) cum Herodiade ſuâ mercedem ſcelerum ſuorum in tartaro percepit: illa (ut piè omninò credimus) pretio tribulationum ſuarum emit immortalitatem, & accepit coronam de conſummatione virtutis: illa audit cæleſtem jugiter harmoniam, hic inferni ſemper gemitum & ſtridorem. Illius vita in extremo judiciò coram omnibus adulterii & inceſtûs arguet crimina: *Tunc* enim *ſtabunt juſti in magnâ conſtantiâ, adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.*

[en un divorcio de las voluntades. *Lorenço Gracian en ſu Heroe.*]
[*Sap. 5. v. 1.*]

§. 17. *Tribulatio igitur noſtra ſuperni gaudii introitus eſt.* Electi ad ſeptuaginta palmas nequaquàm pertingunt, niſi priùs amaras Marath tranſierint aquas: peregrini Domini, pedem ſuum terræ promiſſæ nequaquàm inferunt, niſi poſt frequentes cum ſeptem Barbaris nationibus ſuperatos conflictus. Joſeph in Ægypto non dominatur, niſi Iſmaëlitis à propriis fratribus venditus. Jacob ad patriam ſuam divitiis onuſtus non revertitur, niſi poſt longum quoddam laborioſumque exilium. David ad Regnum non eſt ſublimatus, niſi poſtquàm diuturnam à Saüle perſecutionem paſſus eſt. Job abundantiâ & felicitate à Deo ſibi multiplicatâ non fruitur, niſi poſt extremas ruinas. Ideò electis ſuis ad ſe pergentibus Dominus, hujus mundi iter aſperum facit, ne vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcantur: & cuique illorum potiſſimùm, qui vitam Apoſtolicam ſunt profeſſi. Illud olim Abrahæ dictum repetit. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi.* Ad ſingula debent tentari ut fortes, incitari ut fideles, provocari ut juſti. „Conſideremus, ait S. Am„broſius, ne fortè hoc ſit exire de terra ſua, de hujus terræ, hoc „eſt de corporis noſtri quâdam commoratione egredi, de qua „exivit Paulus, qui dixit: *Noſtra converſatio in cælis eſt*: & de ille„cebris & delectationibus corporalibus, quas velut cognatas ani„mæ noſtræ dixit; quam compati neceſſe eſt corpori donec „ejus colligata vinculo adhæret. Ergò exire de converſatione ter„rena, & à ſæcularibus oblectamentis, & ſuperioris vitæ mori„bus atque actibus debemus, ut non ſolùm loca ſed etiam noſ„metipſos mutemus. Si cupimus adhærere Chriſto; deſeramus cor„ruptibilia. Religioſis, quibus caſtum corpus, ſobria menſa, pura

[*S. Greg. lib. 5. in cap. 1. Reg.*]
[*Geneſ. 12. v. 1.*]
[*Lib. 1. de vita Abraha c. 2.*]
[*Ad Philip. 3.*]

ra mens imprimis debet placere, non ſufficit ab illicitis voluptatibus tantùm, ſed opus eſt à ſupervacuis etiam circumſcribere gulam & ventrem. Illorum non eſt deſiderare ſemper oculorum atque aurium ſenſum, bonam valetudinem, non fœdum aſpectum corporis, & habitu manentem ſuo, ætatis prætereà longius ſpatium; ſed exactiſſimè in omnibus quæ accidunt divinæ ſeſe conformare voluntati. Voluptas non eſt digna, ad quam reſpiciant, ut tranſeant

Sen. Epiſt. 92. in libertatem filiorum Dei; *Nemo etenim liber eſt, qui corpori ſervit.* Cur aurum quoque argentumque, illis in quibus jacuêre tenebris digniſſima, magnifacerent, cur ſplendorem hunc æſtimarent, quo imperitorum verberant oculos, qui tenentur ſcire alibi poſitas eſſe divitias, quàm quò congeruntur: animumque impleri debere non arcam? Naturæ lex eſt, quòd non liceat cuiquam plus efferre,

Idem Epiſt. 102. quàm intulerit: *Excutit* enim *redeuntem natura, ſicut intrantem*; imò etiam ex eo, quod in vitam attulerit pars magna deponenda eſt. Detrahetur illi hæc circumjecta, noviſſimum velamentum ſui, cutis: detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis, diſcurrenſque per totum: detrahentur oſſa nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Illi verò non ſolùm intelligunt ſe tali neceſſitati obſtrictos, ſed ſpontaneè ſe omnibus hujus vitæ & hoſpitalis loci ſarcinis per ſolemnem votorum emiſſionem ſpoliaſſe, ut in cæleſtium bonorum poſſeſſionem Deus illos induceret, & in Deo cuncta poſſiderent, qui cum opibus ſuis ſæculi divites ſupernè deſpicit. Inter quos beatior inſuper cenſendus eſt, non ille, quem nullus infeſtavit dolor, ſed qui cum malâ fortunâ „ cum hoſtibus tàm externis quàm internis ſæpè luctatus eſt. Quomodo prodit ſe animi robur ſi non laceſſitur? in certamine vir erectus probatur, an dura videlicet placidè ferat, &

Sen. de conſtant. ſap. c. 6. ſecunda moderatè; „ nec illis cedens, nec his fretus, unus idem- „ que inter diverſa ſit, nec quicquam ſuum, niſi ſe putet eſſe, eâ „ quoque parte quâ melior eſt? an omnia ſic patiatur, ut hiemis rigorem peregrini, intemperantiam cæli, fervores morboſque, & cætera accidentia? illi enim ſedes habent incertas, laborant, deſudant, vias ambulant difficiles, periculis plenas: undique inſidiæ, ubique errorum calliculi ſunt præparati. Aſperam proindè virtutis viam aſſerebat Heſiodus, ei tamen qui ad ſummum ejus perveniſſet, omnia læta eſſe & jucundiſsima. *Tribulatio noſtra ſuperni gaudii introitus eſt.* Quotquot ſunt Cæli incolæ veſtem geſtant ex byſſo contextam, quæ percuſsionum vi atque frequentiâ dealbatur. Quotquot prędeſtinati, juxta Ezechielem, crucem portant in fronte ſignatam: quotquot è populo Dei electo, teſtante Moyſe, mare paſsionis rubrum pertranſeunt: omnes innocentes, ſecundùm D. Paulum

lum

lum continuis infallibiliter ſubjacere debent paſſionibus : omnes beati laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni : omnes Filii Dei ex merâ pietate Patris flagellantur : omnes quotquot accepti ſunt altiſſimo, per tentationem neceſſariò probantur : omnes ad refrigerium Paradiſi, per flammas patientiæ & tribulationis aquas pertingunt. Non mediocri labore itur in cælum. Ad ſumma nitentes, pergenteſque ad illam ſupremam Neapolim, id eſt, civitatem novam, cæleſtem Jeruſalem, ubi *magnus nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copioſa turba deſiderat, jam de ſua incolumitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita*, pergentes ad illa ordinata, intrepida, ſecura, benigna; nihil humile, nihil terrenum concupiſcere debemus. Hoc iter nacti audacter per humanos caſus divino incedamus animo, contemptores omnium. Ceſſent nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere tranſeuntia. „ Recedant omnia ſeductoria, recedant blandimenta falſa, recedant ea „ quæ nobis quotidiè dicunt : Ubi eſt Deus tuus ? effundamus ſuper „ nos animam noſtram, confiteamur in lachrymis, gemamus in „ confeſſionibus, in miſeriis ſuſpiremus. Quidquid nobis adeſt præ- „ ter Deum noſtrum, non eſt dulce. Quid enim eſſe poteſt à ratione alienius quid craſſius iis, qui cælo propoſito, & iis bonis, quæ ſunt in cælis, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit*, ore hiante umbras ſtupent, nec volunt vitæ præſentis Euripum trajicere, in perpetuis fluctibus, tempeſtatibus & naufragiis volutati ? Fateor quod hìc occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus : ſed ut in pelagi fluctibus adhuc verſantes ſuſpiremus ad ſalutis portum, ut patriam quærendo gemamus, & illam quærentes deſideremus. *Promiſſum eſt enim nobis aliquid, quod nondum habemus : & quia verax eſt qui promiſit, in ſpe gaudemus : quia tamen nondum habemus, in deſiderio gemimus.* Ineffabile enim cæli gaudium, vitæ præſentis inopia nullatenùs habere meretur, ſed prægustans illud ſpe, ſitit & eſurit quod guſtaverit, donec ſpes mutetur in rem, & fides in ſpeciem. Cantat tamen anima Deo amatoria gemens inenarrabiles gemitus, & dicit : *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Spe laborem ſolatur viator : nam quando laborat ambulando, ideò laborem tolerat, quia pervenire ſperat. „ Ideò recordans Hieruſa- „ lem extendo in eam ſenſum cordis, ait S. Auguſtinus, Hieruſa- „ lem patriam meam, Hieruſalem matrem meam, teque ſu- „ per eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, patro- „ num, rectorem, paſtorem, caſtas & fortes delicias, ſolidum „ gaudium & omnia bona., ineffabilia ſimul omnia, quia unum

S. Cyprian. tract. de mortal.

S. Aug. in pſ. 85.

1. Cor. 2. v. 9.

S. Aug. in pſ. 148.

Pſ. 118.

Lib. Medit. cap. 18.

„ ſum-

„ſummum & verum bonum. Sed aliud eſt ſolatium captivorum, aliud gaudium liberorum. Peregrinum nobis eſt in hoc mundo Alleluia, ideò & Hebraico vocabulo exprimitur, tantùm futuræ beatitudinis proprium. „ Ibi tranſiet labor & gemitus, ibi non „ oratio, ſed laudatio, ibi Alleluia, Amen, ibi vox conſo- „ na cum Angelis, ibi viſio ſine defectu, & amor ſine faſtidio. Ibi ſemper erit vita ſine morte, dies ſine nocte, certè ſive fortè jucunditas ſine dolore, ſecuritas ſine timore, tranquillitas ſine labore, fortitudo ſine debilitate, rectitudo ſine perverſitate, pulchritudo ſine deformitate, veritas ſine fallacia, felicitas ſine miſeria.

Idem in pſ. 85.



SYM-

SYMBOLUM XXXIII.



NIhil verò per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit, quam ſi ſuaderem, jam Carthuſiani, Eremicolæ & alii Religioſi, qui ſibi ſpontè mutationes locorum interdixerunt, in hoc mundo peregrini eſſe non poſſent. Ideò nil adjuvari pleroſque exiſtimo regionum varietatibus, in quas ſubindè priorum tædio migrant : non multum conferet locus, niſi ſe ſibi præſtet animus. Sed peregrinatio notitiam dabit gentium, novas alicui montium formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicujus fluminis ſub obſervatione naturam : cæterùm neque meliorem faciet, neque ſaniorem, imò ſæpiùs deteriorem. Quod in cauſâ fuit

quominùs Laconibus peregrinari conceſſum erat, ne morum peregrinorum vitæque incompoſitæ contagium attraherent; undè adoleſcentem ex eorum numero qui exercebantur, increpuerunt quòd viam noſſet quæ ducit in Pyleam: adeò ſtudebant ſuos à peregrinationibus ac rerum exoticarum cognitione ſervare alienos; ne per occaſionem à patriis inſtitutis degenerarent, præſertim cùm Arcadia, cujus eſt Pylea, luxu deliciiſque Barbaricis eſſet corrupta. Quandonam voluptates temperavit peregrinatio? quandonam cupiditates refrænavit, iras repreſſit, indomitos amoris impetus fregit, mala denique animo eduxit?

Plutarch. in Lacon.

§. 1. Socratem querenti cuidam, quòd nihil ſibi peregrinationes profuiſſent, reſpondiſſe ferunt: *Non immeritò hoc tibi evenit: tecum enim peregrinabaris.* Quid terrarum juvare novitas aliquem poteſt? quid cognitio Urbium, aut locorum? in irritum cedet iſta jactatio: nullam illi opem feret iſte diſcurſus dum peregrinatur cum affectibus ſuis, & mala ſua illum ſequuntur. Longâ peregrinatione & plurimorum locorum varietatibus non diſcutiet triſtitiam gravitatemque mentis, quia ſecum atque in pectore ſuo circumfert fontem fomitemque mali ſui. Licet vaſtum trajiciat mare, ſequentur illum, quòcumque pervenerit, vitia: utinam quidem ſequerentur! longiùs abeſſent: ſed fert illa, non ducit, aut veriùs migratione transfert. Quid juvabit mutationibus ut remediis uti, ut hâc de cauſâ peregrinationes ſuſcipiantur vagæ, & littora peragrentur, & modò mari ſe, modò terrâ experiatur ſemper præſentibus infeſta levitas? ut quæ petierat cupidiſſimè loca, cupidiùs deſerat, & avium modo tranſvolet, citiuſque quàm venerat, abeat? medicina ægro, non regio quærenda eſt. Animum, multis locis fractum & extortum, credimus locorum mutatione poſſe ſanari? levia tædia quædam animorum & velut nauſeas poterit tollere peregrinatio, leves fortaſſe quoſdam languores ſanabit, non ſanabit veros. Non mirùm quòd primi motus in ſummâ (ut ſic dicam) animorum cute hærentes levi quamvis ſpongiâ valeant abſtergi: non ità inveterati illi affectus, quibus ſedes imò regnum in ipſâ animi mente. Majus eſt iſtud malum quàm ut geſtatione curetur. Non campi conſpecti, flumina & montes. *Nullum, mihi crede iter eſt*, dicit Seneca, *quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus ſiſtat: aut ſi quod eſſet, agmine facto, gens illuc humana pergeret.* Motio ipſa & mutatio recreat nonnumquam attollitque jacentem animum & omnis iſta hominum locorumque varietas avocat fortaſsè interdum à doloris ſenſu, dum novitate nos capit, ſed nec in longum, nec in firmum: ſic picturâ, quamvis egregiâ, oculi non

Lipſ. de conſt. lib. 1. cap. 2.

Epiſt. 104.

diù delectantur. *Aberratio hæc aliqua à malis eſt, non fuga: nec ſol-* Lipſ. ibidem. cap. 3.
vit peregrinatio doloris hanc catenam ſed laxat. Quinimò inſidiantur
plerumque externæ hæ omnes voluptates, & ſpecie juvandi magis
lædunt, nam, quemadmodùm medicamenta minùs valida non
extrahunt humorem noxium, ſed movent, ſic irritant in nobis
fluctum cupidinum & adaugent. Aut ſi pauliſper cogitationem à
dolore removent illumque velut obducunt, hoc faciunt, ut major
indè naſcatur cupiditatum febris. *Creſcunt enim interpellatæ quædam* Idem ibidem.
cupidines, & vires capiunt ex intervallo.

§. 2. O quàm benè cum quibuſdam ageretur, ſi à ſe aberra-
rent, qui non peregrinantur, ſed errant, & aguntur, ac locum
ex loco mutant! ſed nunc primi ſeipſos ſollicitant, corrumpunt,
territant. Non diù illorum à ſe aberrat animus, ſed velut invitus
domum mox compellitur, & in vetus contubernium malorum:
ibi pugnat ille ſecum, pugnabitque ſemper diſcors, appetitu, fugâ,
ſpe, deſperatione. Putent ſe veniſſe Romam, putent Hieroſoly-
mam: Campaniam felicem petant, laudatamque cæli mitioris aurâ
Neapolim, amœno montis Pauſilippi conſpectu luxurioſi oculi rele-
ventur: eligant arbitrio ſuo civitatem: quid refert, ad quàm paca-
ta loca venerint? bellum trahunt ſecum. Ad quàm quieta? turbæ
illos circumſtant, imò in ipſis ſunt. *Quid prodeſt*, judicio Senecæ, Epiſt. 104.
mare trajicere, & urbes mutare? Si vis iſta, quibus urgeris effugere,
non alibi ſis oportet, ſed alius. Quid ad rem pertinet, quos civitas
aliqua mores habeat? tuos adferes. *Onus animi deponendum eſt: non* Idem ep. 28.
antè tibi ullus locus placebit. Lucifer in cælo intumuit, in Paradiſo
Adam inobedientiæ reatum incurrit, Loth in monte peccavit, Iſraë-
litæ in eremo refractarii & contumaces fuêre: hinc D. Bernardus:
Nec Lucifero, ait, *profuit locus cæli, nec Adæ locus Paradiſi, nec*
Loth locus montis excelſi, nec filiis Iſraël deſerti. Si locus vel beatos, Apud Joann. de S. Gemi-
vel reprobos efficeret, certa eſſet omnis Religioſi ſalvatio, indubia mano l. 3. c. 7.
quorumvis ſæcularium damnatio. Idcircò Joannes de S. Geminia-
no dicit: *Nota quòd peccatori non prodeſt tranſmutatio loci ſine muta-*
tione animi. Non eſt nimiùm confidendum loco, in quo degimus:
homo enim ſeipſum, quocumque pergit, circumfert: undè & præ-
lii occaſionem & pugnæ cauſam eòdem conducit: omnis itineris ſui
ſocios habet mores ſuos, nativaſque propenſiones. Non mutatur
cum regione ingenium.

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt. Horat. lib. 1. epiſt. ad Bullatium.

Cùm infirmum fervens & maligna febris in lecto adurit, creberri-
mè intra ardentem ſtrati (in quo numquàm quietus intolerabili con-
flagrat

flagrat incendio) fornacem ſe hàc atque illàc verſat, ardoris ſui refrigerium in loci mutatione ſitum exiſtimans, ſed morbi pertinacia ſuum illi errorem detegit; nam cùm ſecum ignem conferat, & affectæ valetudinis malum effugere nequeat, quòcumque ſe conjicit, inhærentem ſibi habet carnificem, à quo affligitur, proximum tyrannum qui eum inſectatur & vexat. Mutentur loca, nova quis indies domicilia quærat, terrasque alias ex aliis perpetuus hoſpes oberret;

Lucretius apud Senecam de tranquill. animi c. 2.

Hoc ſe quiſque modo ſemper fugit;

„ Sed quid prodeſt, ait Seneca, ſi non effugit? ſequitur ſe ipſe, & urget „ graviſſimus comes. Itaque ſcire debemus, non locorum vitium eſſe „ quo laboramus, ſed noſtrum. Parùm confert illi, quem pravi affectus malè ſanum habent, mutare patriam, in continuâ peregrinatione verſari, cùm ſe ipſum evadere, quòcumque vadat, non poſſit: ſed ſe haud aliter, ac umbra corpus, ubique ſequatur, ſui ipſius ſemper individuus, ſed moleſtiſſimus & oneroſiſſimus ſocius? *Sui ipſius graviſſimus comes.* Atque utinam corruptum corruptoremque animum ſecum haberet ſolùm ut comitem! ſed vereor ne ut ducem: quia non ſequuntur nos affectus noſtri, ſed trahunt; ubicumque premunt, & paribus incommodis urunt.

§. 3. Religioſi quidam ubi ſe tentationibus alicubi vexari, aut graviore triſtitiâ premi vident, in alia Monaſteria tranſmitti enixè rogant, in quibus tamen non ceſſat illa lucta, ſed iiſdem urgentur bellis, eoque pejus frequenter ſe habent, quò crebriùs è loco in locum demigrant. Præclarè id docet Fauſtus Rhegienſis his verbis. „ Quid prodeſt, quòd diſcedis, qui undique adſtrictus es „ vinculis paſſionum? quem hinc, atque hinc circumvallant vitia „ ſua? dignè aliquis diſcederet, ſi eò ire poſſet, ubi eum Diabolus in„ venire non poſſet. Nemo ſe fallat, non fugiet adverſarium de „ loco ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad „ emendationem. Si eum fugiat, ſequitur. Emenda te, & fugiet „ te, ſicut ait Apoſtolus: *Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* O quàm felici fugâ quis elaberetur, ſi in locum Dæmoni inacceſſum, ejuſque telis impervium recipere ſe poſſet! nunc verò hoſtem illum nemo effugiet, quamvis hàc atque illàc fugiat; à tergo ſequitur continuò, ac perſequitur, quòcumque pergimus. Quàpropter magnus Hiſpanorum Patronus non dixit, mutate locum ex loco, ſed *Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* Quod tale eſt ac ſi diceret, pugnam ſpiritualem non ſemper & per omnia ſimilem eſſe corporalis conflictûs in quo locus præcipuàm ſæpè

Serm. 2. ad Monach. tom. 8. Biblioth. PP.

Jacobi 4. v. 7.

ſæpè cauſam & momentum victoriæ obtinet; in ſpirituali verò certamine plurimùm valet obnitentia, & faciliùs triumphat qui vitæ mores emendat. Ardentibus deſideriis Propheta Regius ſanctum ab hominibus ſeceſſum, & ſolitariæ vitæ ſecurum otium ſibi exoptabat anxiè clamans, *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam!* è mediis proceloſi mundi turbis in quietæ ſo- *Pſalm. 54. v. 7.*
litudinis amœnam tranquillitatem, in remotum ab arbitris locum columbinarum alarum remigio ſubvehi cupiebat, ubi animus omni terrenarum rerum curâ & ſollicitudine vacuus ab omni procul negotio cæleſtibus ſtudiis intentam navaret operam, totumque ſe internæ meditationis pabulo ſaginaret. Expletum fuit hoc illius deſiderium cùm ait: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Jam *Ibidem v. 8.*
ſacer Rex in penitiſſimæ eremi ſecretiſſimo loco, quem tam ardenter ſuſpiraverat, degebat; quàm magnâ igitur quiete perfruebatur & pace! quàm liber ac ſecurus vivebat, non habens ſcilicet hoſtem, à quo impeteretur, nec appetitum, à quo impugnaretur! quòd longè aliter ſeſe res habuerit vitæ ſuæ, quam in ſolitudine egit, ſtatum rationeſque exponendo, declarabit: *Expectabam,* *Ibidem v. 9.*
inquit, *eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritûs & tempeſtate.* Omnipotentem Dominum cujus auxiliares manus ſæpiùs expertus fui, præſtolabar, & porrò appellabam ut dejectum erigeret, atque procellis, quibus jactabar, eximeret. Sed quomodo habet ô Rex ſancte! puſillanimitatem ſpiritûs eremus & ſolitudo tempeſtates? nonnè paulò antè dicebas, ſi extra turbam omnemque mundi ſtrepitum inter latebras poſitus fuero, *Requieſcam*, atque in eremo non ſecùs ac in cælo, quod nullas patitur impreſſiones, vivam? Ergòne & ſeceſſus ex hominibus habet infeſtos hoſtes! imò verò habet. Nonnè videtis ut homini ſit benè ſecundùm animam, atque ut ſpiritu augeſcat & virtutum incrementa faciat, non in ſolo loco eſſe poſitum? David enim *necdùm in ſolitudine liberum ſe intelligit à periculo, dum aduuc ſe flagitat liberandum.* Optimum proindè ab hoſte effugium eſt vitæ ſanctioris ſtudium: omne in illo malorum remedium & infirmitatum antidotum eſt poſitum, præſtantiſſimum medicamentum, nova videlicet ſanctæ vitæ conſilia ſuſcipere & efferatas paſſiones cicurare. Optimè commonet Seneca: *S. Paſchaſius lib. 4. in cap. 4. Matth.*
„ Tamdiu iſta urgebunt mala, macerabuntque per terras ac maria
„ vagum, quamdiu malorum geſtâris cauſas. Fugam tibi non *Epiſt. 104.*
„ prodeſſe miraris? tecum ſunt, quæ fugis, te igitur emenda, one-
„ ra tibi detrahe, & deſideria: ſaltem intra modum contine. Om-
„ nem ex animo erade nequitiam. Si vis peregrinationes habere ju-
„ cundas, tuum comitem ſana. Hærebit tibi avaritia, quamdiu

„ avaro ſordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiù cum ſu-
„ perbo converſaberis: numquam ſævitiam in tortoris contuber-
„ nio pones: incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia. Si
„ velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. Ava-
„ rus, corruptor, ſævus, fraudulentus, multum nocituri ſi propè
„ à te fuiſſent, intra te ſunt. Ad meliores tranſi.

§. 4. In foro ſanctus, Dæmon in reconditiſſimâ eremo quis eſſe poteſt. *Non Hieroſolymis fuiſſe*, ait D. Hieronymus, *ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt.* Degere in monaſterio & Conventu Religioſo parum utilitatis adfert, niſi vita loco correſpondeat. Parum refert frequentaſſe ſcholas Lovanienſes, niſi diligenter in litterarum ſtudia quis incubuerit. Uti non juvit Tantalum proxima ori ejus aqua, ſic avaro divitiarum affluentia nihil commodat, cùm & ille ſitim in mediis aquis paſſus ſit, & hunc nulla vis auri valeat exſaturare. Neque ſeipſum inconſtantiæ redarguit S. Hieronymus, damnatque quod facit: ut fruſtrà videatur, ad exemplum Abraham, & ſuos, & patriam reliquiſſe, quando conſtanter aſſerit à loco nec virtutem naſci, nec vitium deſcendere; ſed quia non audet Dei omnipotentiam anguſto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit cælum: proindè dicit; *Singuli quique credentium, non locorum diverſitatibus, ſed fidei meritò ponderantur.* Et infrà; „ Crucis igitur & reſurrectionis loca proſunt

Epiſt. ad Paulinum.

In Epiſt. ad Paulinum.

„ his, qui portant crucem ſuam, & cum Chriſto reſurgunt quotidiè,
„ qui dignos ſe tanto exhibent habitaculo. Cæterùm qui dicunt: *Templum Domini, templum Domini.* Audiant ab Apoſtolo, *Vos eſtis templum Domini, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* „ Et de Hie-
„ roſolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cæleſtis. Totum
„ inductione ſic dilucidat. Antonius, & cuncta Ægypti, & Me-
„ ſopotamiæ, Ponti, Cappadociæ & Armeniæ examina Monacho-
„ rum, non vidêre Hieroſolymam: & patet illis abſque hac Urbe
„ Paradiſi janua. Beatus Hilarion, cùm Palæſtinus eſſet, & in Pa-
„ læſtina viveret, uno tantùm die vidit Hieroſolymam; ut nec con-
„ temnere loca ſancta propter viciniam, nec rurſus Deum loco
„ claudere videretur. Nonnè S. Joannes Baptiſta carcerem intravit ignominiam ipſi loco detrahens? neque enim poterat carcer videri, in quo Joannes erat, ſed illum intrando purgavit, omniq́ue honeſtiorem curiâ reddidit. Ibi tractabatur de operibus Chriſti, de excellentiâ miraculorum illius & ſublimitate doctrinæ, quod affirmat S. Baſilius Seleucus: *Vide*, inquit, *mihi primum, ubi Joannes agens quæſtionem habeat. Ubi? in vinculis*, in ergaſtulo, in carnificinâ, inter conſceleratos latrones, homicidas, & id genus homi-

Hier. 7.

Orat. 34.

hominum utiliſſimam movet de Salvatoris adventu quæſtionem. Cùm eodem tempore graviſſima in Deum ſcelera in Templo perpetrabantur, & turpibus nundinationibus, ſordidis quæſtionibus, inconceſſis lucris Domus Dei in ſpeluncam latronum vertebatur. Ut hinc accipiamus non eſſe in loco poſitam ſanctitatem, ſed in eo, ut quiſque Dei auxiliis ad benè vivendum rectè uti velit; ubicumque enim ſit, poteſt inculpatiſſimè vivere, & heroicarum virtutum exercendarum occaſiones arripere, in quo virtus etiam per ea ipſa, per quæ petitur, illuſtrari poteſt. In carcere Socrates diſputavit, & exire (cùm eſſent qui promitterent fugam) noluit: triginta dies in hoc & in expectatione mortis exegit, ut fruendum amicis extremum Socratem daret. Sæpiùs revocatus ab exilio S. Athanaſius ut denuò pelleretur extra patriam diù, extra ſe numquam; numquid omnia ad quæ pervenit loca nobilitavit? nonnè S. Marcellus Papa beſtiarum catabulum oratorium effecit? an non S. Ludovicus Toloſanus Antiſtes in captivi parentis locum ſuffectus puer optimam mentem, nec vinci, nec vinciri poſſe probavit? „ Si Deum benevolum habeas, aiebat S. Chryſoſtomus, licet in fornacem incidas, ne deſperes; ſicut ſi ſuccenſeat, licet in Paradiſo ſis, ne confidas. Etenim in Paradiſo erat Adam, & poſtquàm Deum irritavit, nihil profuit Paradiſus. In fornace erant iſti (Ananias nempè, Azarias, Myſaël) & poſtquàm ſe benè egerunt, nihil obfuit fornax. In Paradiſo erat Adam, & quia ſegnis erat, ſupplantatus fuit. Fimo inſidebat Job, & quia vigilabat, ſuperavit: etſi quanto Paradiſus eſt fimo melior: ſed nihil loci virtus inhabitanti profuit, poſtquàm ſe ipſum ille prodidit. Nihil virtuti confert loci dignitas, nihil obeſt vilitas. *Homil. 4. ad Pop. Antioch.*

§. 5. In ultimas terras expellatur vir ſanctus, in quolibet Barbariæ angulo collocetur: hoſpitalis illi qualiſcumque iſta ſedes erit. *Magis quis veneris, quàm quò, intereſt: & ideò nulli loco addicere debemus animum. Cum hac perſuaſione vivendum eſt: non ſum uni angulo natus: patria mea totus hic eſt mundus.* *Sen. Ep. 28.* Undè, cui quævis terra patria eſt, ſi jubeatur ire exulatum, unius tantùm civitatis exul eſt. Certè bene vivere, in omni loco poſitum eſt. Docet id Horatius:

——— Navibus atque *Lib. 1. Epiſt. ad Bullatium.*
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic eſt,
Eſt Ulubris: animus ſi te non deficit æquus.

Num quid tàm turbidum fieri poteſt, quàm forum? ibi quoque licet quietè vivere, ſi neceſſe ſit. *Sen. Epiſt. 28.* Quin in medio tumultuariæ multi-

tudinis remotiſſimam ſibi quis ſolitudinem conſtruere poterit. Ita
Cap. 6. conſt. Monaſtic. ſentit S. Baſilius magnus, cujus hæc ſunt: „Qui verè Philoſophus eſt,
„ is cùm corpus ſuum curarum ſuarum domicilium, & animi ſedem
„ firmiſſimam habeat, licet caſus illum in forum attulerit, licet in
„ maxima conventûs alicujus celebritate verſetur, licet in monte
„ aliquo, licet in agro, licet in mediâ multitudinis frequentia ſit,
„ ſtabilis tamen in naturali ſuo monaſterio manet, quippè qui men-
„ tem ſuam introrsùm ad ſeipſum recollectam habeat, & de rebus
„ ad officium ſuum pertinentibus philoſophetur. Qui verè ſolitarius
eſt, is, quòcumque pergat, ſibi ipſi Monachus, & Anachoreta, &
Eremicola eſt innatum ſecum circumferens Monaſterium, quod ſo-
litudo dicitur. Nulla ſiquidem hominum quamquàm confertiſſima
concio, nullæ turbæ aut tumultus efficere poteſt ut interiorem quie-
tem deſerat: *Stabilis tamen in ſuo naturali monaſterio manet.* Tam
procul abeſt, ut locus nobis ſolus vel impedimento vel adjumento
D. Chryſoſt. apud Anaſtaſ. Nicenum q. 2. in ſcript. eſſe poſſit ad profectum animæ: *Fieri* enim *poteſt, ut medias urbes in
tumultibus habitantes, ſoli ſimus.* Cùm magna rerum omnium eſſet
confuſio in mundi primordio, & aquæ majorem æquo locum occu-
parent, juſſæ ſunt in anguſtiorem ſeſe recipere, & terræ cedere,
quò & ipſa conſpicua foret. *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt,*
Gen. 1. v. 9. *in locum unum, & appareat arida*, inquiebat Dominus. Non di-
xit, *Appareat humefacta, ſed arida*: ſi conſequenter & in rigore
Philoſophico loquendum fuiſſet, videtur dici debuiſſe, *appareat
humida terra*, quæ ex commixtione & infuſione aquarum haud du-
bium commaduerat. Ad myſticum illud transferre ſenſum ſic lice-
bit, quòd aridæ nomen retineat terra quamvis aquis tota perfuſa,
ut ſignificetur virum probum ac juſtum id ſibi de auxiliis Dei effica-
cibus promittere poſſe, quod in mediis aquis, & occupationum
negotiorumque tumultibus, ſuam retinebit quietem, nec à ſuo re-
ceſſu extrahetur, dum ſecum modò libenter habitet. In Idumææ
ſolitudine, in loco ab hominibus remoto, qui æquè inops erat
aquarum, ſterilisque bonorum fructuum, ac ferax lolii, carduo-
rum, lapparum, non minùs reverenter Deum convenit David,
quàm in tabernaculo adiiſſet, ubi thure, victimis, aliisque oblatio-
nibus religioſam erga illum obſervantiam alii teſtabantur. *In terra*
Pſ. 62. v. 3. *deſerta*, inquit, *& invia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui
tibi*: quod Theodoretus ita exponit. *In terra deſerta, & invia, &
inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi*; „ id eſt, nullum damnum à
„ ſolitudine percepi, ſed ut ille, qui tuo tabernaculo aſſidet, ſic ti-
„ bi laudes offero, hoc enim *in Sancto*, tabernaculum dicit, non-
„ dum enim divinum Templum erectum erat. „ Procul à taberna-
culo

culo erat, tabernaculi tamen nullum ſentiebat defectum, quia ſicut affectuoſiſſimè Deum amabat, laudabat & benedicebat; ſic Deo ſuum conſtruebat quoquo modo tabernaculum: homini quippè, qui ſecum morari amat, totus mundus templum eſt. *Qui ab intra ſcit ambulare*, ait Thomas à Kempis, *& modicum ab extra* Lib. 2. de imit. Chriſti cap. 1. *res ponderare, non requirit loca, nec expectat tempora, ad habenda devota exercitia.* Quid obfuit S. Catharinæ Senenſi quòd Mater ipſi omnem ſecretò precibus vacandi facultatem eripuerat, quòd viliſſima domûs cogebatur obire miniſteria, quando intra ſeipſam ſibi fabricaverat conclave, ſpirituale domicilium, undè numquàm cujuſcumque rei gratiâ egrediebatur? in illo Chriſtus habitabat, quo In vitâ 30. Aprilis. ſuaviſſimo hoſpite contenta & freta omnes facilè Diaboli technas eluſit; quidquid officii parentibus ac domeſticis impendebat, totum illud Chriſto ſe præſtare credebat; ita ut dùm in culinâ verſaretur, ſemper eſſet intra Sancta Sanctorum, & menſæ inſerviens animum ſuum mirè ex imaginatione præſentiæ Salvatoris paſceret. Quis in ipſis mortis faucibus S. Ignatio Antiocheno ſecurior illam metuere neſciente, provocare non metuente? non defuit illi inter Leones pietatis fervor, quorum dentibus frangi voluit, illius qui ſe panem fecerat omnium, panis eſſe cupiens intimo prorsùs ab igne concoctus. Nulla virtus latet: & latuiſſe, non ipſius eſt damnum. Majeſtas illius deprimi neſcit, ſed velut ſol per caliginem ſplendet. Nihil obſtitit inſulæ Pontiæ exilium S. Silverio quominùs ſui muneris rationem haberet, his verbis ſcribens ad Amatorem Epiſcopum; *Suſtentor pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ, nec tamen dimiſi aut dimitto officium meum.* Quod re ipſa probavit, ibi coactoConcilio multorum Epiſcoporum quædam conſtituens ad in- In vitâ 20. Iunii ut in Brev. tegritatem fidei Catholicæ, & ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentia. Illìc procul dubio erat fortitudo, cujus patientia & perpeſſio, & tolerantia, rami ſunt: illìc prudentia, ſine quâ nullum initur conſilium; quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quàm fortiſſimè ferre; illìc conſtantia, quæ dejici loco non poteſt, & propoſitum nulla vi extorquente dimittit. Quàm præclarum eſt memorabilem mori, & in aliquo opere virtutis!

§. 6. Non igitur in loco, ſed in bonâ noſtrâ, aut vitioſâ propenſione ſalus, aut pernicies noſtra ſita eſt. Ut tepidi atque ignavi Religioſi ex Monaſteriis carceres faciunt, ità ferventes Chriſtiani in Monaſteria vertere poſſunt carceres. „ Sciendum eſt, inquit D. Apud Anaſtaſium Nicenum q. 2. in ſcript.
„ Chryſoſtomus, quòd ad orationem non quæritur locus, ſed mo-
„ dus. Jeremias erat in cœno, & Deum attraxit, Daniel erat in lacu
„ Leonum, & Deum ſibi reddidit propitium; Job in ſterquilinio

„& Deum vidit, latro in cruce, & aperuit Paradiſum. Tantô Deus tenetur ſalutis & profectûs noſtri deſiderio, ut obſequia noſtra, quocumque in loco illi ſerviamus, habeat accepta; nos enim quærit, non loca, in quibus degimus. Ergo ubique illi famulari poſſumus, neque à loco negligentiam noſtram purgare olim coram

Homil. de Anna & precat. ſupremo tribunali valebimus. D. Chryſoſtomus rursùs hoc nobis ſic inſinuat: „ Ne igitur occaſiones quæramus, dicendo non eſſe „ propinquam precationis ædem, nos enim ipſos ſi ſobrii fuerimus, „ templa faciet divinæ gratiæ Spiritus, ut magna undique nobis „ precandi facultas affluat. Licet enim mulieri colum tenenti, aut „ telam texenti ſuſpicere in cælum, & ardenti pectore Deum invo„care. Licet etiam viro in foro verſanti, aut iter facienti attentè „ precari; alteri item in officinâ ſedenti, ac coria ſuenti animam „ ad Deum dirigere. Licet ſervo obſonanti, aut ſurſum, deorſum „ curſanti, vel in culinâ, ſi non vacet ire ad Eccleſiam, precatio„nem intentam ex imo pectore ciere. Mentem alicui, dicit Seneca, inter clamores varios & diſſitos poſſe conſtare, ſeque talem fremitum non magis curare, quàm fluctum ac dejectum aquæ, il-

Epiſt. 62. loſque mentiri, *Qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt: ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant.* „ In iis quæ ipſum ſine avocatione circumſtrepebant, eſſedas tranſ-

Ep. 56. „ currentes ponebar, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, „ aut hunc qui ad metam ſudantem tabulas experitur & tibias, nec „ cantat ſed exclamat. Sic ad omnia iſta ſe duraverat, ut audire vel pauſarium poſſet, voce acerbiſſimâ remigibus modos dantem.

Ibidem. *Animum*, ait, *cogo ſibi intentum eſſe, nec avocari ad externa.* „ Ubi„ cumque ſum, meus ſum; rebus enim non me trado, ſed com-

Idem Ep. 62. „ modo: nec conſector perdendi temporis cauſas: quocumque „ conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo „ ſalutare verſo. Multos ad virtutis uſum imbecilles, & minus prudentes aſcetas ludificat veterator Diabolus, qui cum multis communem vitam ducunt, dum illis perperam ſuadet quò meliùs ſpiritum excolant, & majora virtutum ac ſanctitatis incrementa minore negotio faciant, ut ex hominibus in ſolitudinem ſecedant:

Init. 1. adhortat. artificium hoc nobis manifeſtat S. Ephræm hoc modo: *Et quidem in cœnobio degentem eremum imaginari facit, cùm tamen ſatis multa in cœnobio ſit ſolitudo.* Manifeſtus certè dolus eſt vaferrimi tentatoris, quòd ſeceſſum ſuggerit, cùm *ſatis multa in cœnobio ſit ſolitudo*: nam cui animæ profectus & perfectionis ſtudium reverà eſt cordi, is in monaſterio numeroſiſſimo anachoretam, ſi vult, abſtruſiſſimum agere poteſt. Archimedem mirabilem illum inventorem ac machina-

chinatorem bellicorum tormentorum operumque nec captæ urbis Syracuſanæ ruina, nec tumultus, quantum in diſcurſu prædam diripientes milites ciere poterant, nec propinquæ mortis metus à ſuis cogitationibus potuit abſterrere.

——— *Crudelis ubique* *Virg. l. 2. Æn.*

Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Dum animo & oculis in terram defixis formas deſcribit militi, qui prædandi gratiâ domum irruperat, ſtrictoque ſuper caput gladio quiſnam eſſet, interrogabat: propter nimiam cupiditatem inveſtigandi quæ requirebat, nomen ſuum indicare non potuit: ſed per- *Val. Max. lib. 8. c. 7.* tracto manibus pulvere, noli inquit (obſecro) iſtum circulum diſturbare; ac perindè quaſi negligens imperii victoris obtruncatus ſanguine ſuo artis ſuæ liniamenta confudit. *Tunc ergò*, dicit Seneca, *ſci- Epiſt. 56.* *to te eſſe compoſitum, cùm ad te nullus clamor pertinebit: cùm te nulla vox tibi excutiet: non ſi blandietur, non ſi minabitur, non ſi inani ſono varia circumſtrepet.*

§. 7. Econtrà diſſolutus, vagus ac effuſus ex ſolitudine Civitatem populoſam, ex incultâ eremo forum turbis repletum facit. Hinc S. Baſilius; *Fieri etiam poteſt, ut & qui ſe intrà parietes conti- Cap. 6. conſt. Monaſtic.* *neat, is ſi negligenter ſe gerat, mentis agitatione circumvagetur foris.* Ità quandoque puella, quam parentes domi vigilantiſſimè obſervant, cogitationibus & variis imaginationibus multò licentiùs oberrat publicum, quàm mulier, quæ in medio foro verſatur, nec abeſſe à populo per occupationes & negotia poteſt. Nam quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt? ſi animus cuiquam obſtrepit? hic placandus eſt, hujus compeſcenda ſeditio. Intra nos gerimus noſtræ & felicitatis, & miſeriæ cauſas, loca ad ſanctitatem noſtram, aut perniciem vix quidquam faciunt: nam inter inconſtantes undas in fluctuabundo ligno Noë evaſit ſalvus; Adam verò in Paradiſo per lignum miſerabiliter prolapſus, omnes in communem ruinam, & eumdem limum traxit poſteros: ob hoc S. Baſilius Seleucus exclamat! *O arca Paradiſo firmior! illic namque navigabat ſerpens, illic lignum mortis fuit inſtrumentum, hic lignum ſalutis fuit gubernaculum, illic Adamum prævaricari docebat, hic perfugio Noëmum petit.* Non igitur bonum aut malum noſtrum in loco conſiſtit, ſed in noſtrâ affectione & induſtriâ, quâ rectè agere, loco, occaſione rebuſque, prout occurrunt, bene utendo, curamus. Propheta Regius aiebat. *Dominus regnavit, exultet Pſalm 96. v. 1.* *terra, lætentur inſulæ multæ.* Inſularum appellatione veniunt ex partes terræ, quas proceloſum mare undique claudit, & perpetuâ

velu-

veluti obſidione cinctas tenet, illas quidem undarum ſuarum fluctibus verberat, illas pertinacibus ſuis aſſultibus oppugnat, ſed nequaquam expugnat: licet enim furenter irati fluctus in eas invehantur, licet validiſſimo impetu frementes procellæ appetant, non ſubigunt tamen, non dimovent loco, neque efficiunt, quominùs fortitudinem ſuam conſtanter retineant. Idcircò quòd inſulas gaudere & feſtos dies triumphatori Domino agere Rex Sanctus mandat, perindè eſt, juxta ſpiritualem horum verborum ſenſum, ac ſi homines magno animo eſſe, nihilque timere jubeat, quamdiù Deus auxiliatrice dexterâ illos tutatur: tametſi enim ſicut inſulæ quædam ſint toto mari periculorum, tentationum, negotiorum, occupationum mundi circumcinctæ & obſeſſæ, non propterea ſubmergentur, nec ullum erit tam negotioſum, tam moleſtum commercium, quod conſtantiam ipſorum, modò Deus adſit, labefactabit, non ſecùs ac ſi in abditiſſimâ Thebaide, aut Lybiæ deſertis, procul ab omni humano conſortio degerent. Hunc conceptum nobis commodavit Nyſſenus, qui ait: „ Pulchrè animas, quæ licet

Tract. 2. in Pſ. 96. c. 9. „ tentationibus agitatæ, ſtabilitatem & fortitudinem retinent, inſulas appellavit, quas undique quidem circumdat malitiæ ſalſugo, „ ſed tamen allapſu ſuo facere non poteſt, ut æſtu aliquo virtutis „ conſtantiam labefactet. Quid obeſt ergò locus, quandoquidem

Epiſt. 55. pro eremo quiſque ille eſſe, & ex aulâ fieri ſolitudo poſſit? *Non multum ad tranquillitatem locus confert: animus commendat omnia: vidi ego*, ait Seneca, *in villâ hilari & amœnâ mæſtos, vidi in mediâ ſolitudine occupatis ſimiles.* Neque eſt idem evadere locum, & hoſtem, quin hic nos haud ſecùs ac lux ſolem ſequitur: ea propter Beatiſſimus Pontifex Gregorius de S. Benedicto ſcribebat: *Sanctus vir ad alia demigrans, loca, non hoſtem mutavit.*

§. 8. Verum eſt, nemo ex imprudentibus ſibi relinqui debet, ſolitudine malè utuntur: nam *Ut mali tragœdi*, ait Epictetus, *ſoli canere non poſſunt, ſed cum pluribus: ſic quidam ſoli deambulare non poſſunt.* „ Quia tunc mala conſilia agitant: tunc aut aliis, aut ipſis futura

Sen. Epiſt. 10. „ pericula ſtruunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: tunc quid„ quid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: tunc au„ daciam acuit, libidinem irritat, iracundiam inſtigat. Crates Philoſophus cùm vidiſſet adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogavit, *quid illic ſolus faceret? mecum*, inquit, *loquor.* Cui Crates: *Cave*, inquit, *rogo & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.* At bonum tutò ſibi credimus, qui bonis cogitationibus meliorem ſe reddere poteſt. Ideò Antiſthenes interrogatus, *Quid ex Philoſophiâ feciſſet lucri? poſſe mecum loqui & verſari*, inquit. Diſſentit

tit ab his Seneca „ qui in fluctus medios eunt ; & tumultuoſam pro- „ bantes vitam, quotidiè cum difficultatibus rerum, magno animo „ colluctantur. Sapiens, inquit, feret iſta, non eliget: & malet „ in pace eſſe, quàm in pugnâ. Implevit hoc (ut jam antè memoravimus) Imperator Carolus Quintus adeò Hieronymiani ſeceſſûs ſolitudine & maximè curarum oblivione captus, ut nihil potuerit animum illius tot retrò annis negotiis bellicis aſſuetum à conſilii ſemel ſuſcepti conſtantiâ dimovere, ejuſque tranquillitatem paulùm interturbare. In poſtremo vitæ actu hanc ſimilitudinem patris aiunt optaſſe Joannem Auſtriacum, „ & paucis ante obitum menſibus „ decreviſſe, inter Serrati montis Eremicolas ei demùm inſervi- „ re Domino, qui (ut aiebat) plura quàm Philippus frater & poſ- „ ſet, & vellet. Plurimùm erigunt animum, & aculeos ſubdunt exempla nobilia. In ſolitudine diſcitur quid ſit juſtitia, quid pietas, quid patientia, quid mortis contemptus, quantum bonum ſit bona conſcientia! in eâ qui ad ſtudia ſe revocaverit, omne vitæ faſtidium effugiet: nec noctem fieri optabit tædio lucis, nec ſibi gravis erit, nec aliis ſupervacuus. Magnum ex ſeceſſu ſuo fructum cepit Carolus Quintus, licet ibi nihil aliud didiciſſet, niſi ut moriens Philippo filio inter alia præcepta relinqueret hoc ſingulare, ut fidem ſanctam conſervaret ac defenderet etiam cum detrimento divitiarum & maximis ſumptibus: prætereà ne cum Rege Angliæ aut ejus Miniſtris aliquid concluderet, quod eſſet directè vel indirectè nocivum fidei. Si hoc monitum ad juſtam rationis trutinam revocarent, atque illam haberent examinis ſui velut normam & obruſſam, quidam inter Criticos ſe profitentes

Epiſt. 28.

Strada l. 1.

Idem lib. 10. ſub finem.

R. P. Petrus Poſnanienſis inſtitut. mor. in Domin. 5. poſt Paſcha.

——— *Naſutos aut denique naſos.*

Quid obſtaret, quominùs de antè actis verum amplexarentur judicium & ſenſum? quominùs Philippi II. in bello Belgico rectam penetrarent intentionem ac ſcopum, & ſanioribus præſentium temporum opinionibus imbuti Chriſtianæ politiæ Marchiavelliſticam longè poſthaberent? Notum eſt quantum nocuerit Regi Joſaphat amicitia cum Rege Achab idololatra, & quanto vitæ periculo illum expoſuerit. Ex quo Judas Machabæus cum Romanis ob res egregiè geſtas ſocietatem contraxit, nullam ex hoſtibus notabilem victoriam reportavit; imò poſt ictum amicitiæ fœdus in primo conflictu profligatus occubuit. Idem Jonathæ & Simeoni fratribus ejus contigit. Itaq; fructuosè tempus ſubductum negotiis in quiete impenditur, quando omnis labor aliquò refertur, aliquò reſpicit. Quis umquam inquietam aliquorum probavit inertiam, domos, plateas & fora pererrantium, qui alienis

3. Reg. 22.

1. Machab. c. 8. & 9.

ſe negotiis offerunt, ſemper aliquid agentibus ſimiles? „ ſine propoſito vagantur quærentes negotia: nec quæ deſtinaverunt, agunt, „ ſed in quæ incurrerunt. Inconſultus illis vanuſque curſus eſt: „ qualis formicis, per arbuſta repentibus, quæ in ſummum cacumen, deindè in imum inanes aguntur. Nam domum cum „ ſupervacuâ redeuntes laſſitudine, jurant neſciſſe ſe ipſos, quare „ exierint, ubi fuerint, poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia. Horum omnium multò utilior negotio quies eſt. *Si liceat diſponere ſe*, ait Seneca, * *conſpectum quoque & viciniam fori procul fugiam. Nam ut loca gravia, etiam firmiſſimam valetudinem tentant: ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ, & convaleſcenti, ſunt aliqua parùm ſalubria.* Proindè juxta D. Hieronymum, qui dicuntur Monachi, id eſt ſoli vel ſolitariè degentes, urbes debent fugere, quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum; officia quoque, ſalutationes & convivia, veluti quaſdam catenas voluptatum. Habent illi propoſiti ſui Principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios. Illorum Princeps Helias eſt, illorum Heliſæus, illorum Duces filii prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Jordanis. Hæc ſuadebat Vir ſanctus vitam ſolitariam profeſſis, cujus dulcedine adeò capiebatur, ut ſæpiùs dixerit, *Oppidum mihi carcer, ſolitudo Paradiſus eſt.* Quid enim ſatiùs in hoc periculoſo ſæculi pelago inter concurſantes procellas aſſiduè jactari, an in ſoliditate littoris

Sen. de tranq. animi c. 12. — Epiſt. 28. — In Epiſt. ad Paulinum de inſtit. Monach.

Neptunum procul è terrâ ſpectare furentem.

Horat. lib. 1. ep. ad Bullatium.

Summæ ſtultitiæ eſſe judicavit D. Hieronymus, *Renunciare ſæculo, dimittere patriam, urbes deſerere, monachum profiteri, & inter majores populos periculoſius vivere, quàm eras victurus in patriâ.* Senſit Hippolytus (fabulæ quoque ad mores conducent) omnem impudicæ Phædræ caſto corpori tactum noxium, hinc manibus novercæ & periculo elapſus conſortio fœminæ nemora & feras prætulit. Ita conqueritur apud Senecam tragicum.

Epiſt. 13. ad Paulinum.

Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipſe toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit ſceleris. O ſilvæ! ô feræ!

Sen. in Hippol.

§. 9. Exilia interdum calamitateſque in remedium ceſsêre, & levioribus incommodis graviora ſanata ſunt, ubi parùm audit præcepta animus, nec curari molliùs poteſt. Excerpunt ideò prudenter quidam ſe mundo & in tranquilliorem portum, plus diutiuſque jactati

jactati quàm ætas ferre videbatur, tandem recedunt. Cogitant quot fluctus ſubierint, quot tempeſtates partim ſuſtinuerint, partim in ſe converterint: quòd major pars ætatis & quandoque melior ſæculo data fuerit: aliquid temporis ſui etiam ſibi dedicare volunt quod ſolum in lucro ponunt; qui enim huic ſapientiæ vacant, ſoli vivunt. Nec enim ſuam tantùm ætatem bene tuentur, omne ævum ſuo adjiciunt: ſceleratis & impiis dies omnes vacui, juſtis autem & piis ſunt pleni. Hoc præſago ſuo ſpiritu cecinit Regius vates: *Dies pleni invenientur in eis*, pleni virtute, meritis, & copioſâ apud cælites gratiâ: „ videntes enim juſti malorum perditionem qui
„ priùs peccatores zelati fuerant cernentes pacem eorum revertun-
„ tur ad Deum, ut plenitudinem dierum capiant æternorum. *Dies*
„ *pleni* ad indulgentiam & gratiam *invenientur in eis* ita converſis: ſed *Pſ. 72.*
„ iniqui nec ad Deum accedunt. Vel in converſis hìc ad Deum *in-*
„ *venientur* in futuro *dies pleni*, id eſt dies æternitatis pleni omni gau- *Ex M. S. R.*
„ dio & ſuavitate. Et ſi quis computet opus ſuum quid omni die re- *P. Joannis de Bercht Can.*
„ cepit à Domino, quidve fecit pro Deo: inveniet omni die præſti- *Reg. Virid. Val.*
„ tiſſe mercedem operis ſervo, id eſt cibum, veſtem, ſanitatem, fa- *in Pſ. 72.*
„ cultatem & hujuſmodi omnia. Juſti porrò quidquid annorum bene actum eſt ſibi tantummodò acquiſitum ducunt. Agnovit hoc pius Senex Barlaam qui Joſaphato quærenti quânam ipſe eſſet ætate? Reſpondit, *annos ni fallor quinque & quadraginta natus ſum*, cumq́; Regis filius opponeret quòd ſibi ſeptuaginta annos excedere videretur; addidit Barlaam: „ Si annos meos ab ipſo vitæ ortû noſſe quæ-
„ ris, rectè ſanè eos pluſquàm ſeptuaginta eſſe conjeciſti. At mihi *D. Joan. Damaſc. in hiſtoria cap. 10.*
„ quidem nullo omninò modo inter vitæ annos cenſentur, qui in
„ hujus mundi vanitate conſumpti ſunt. Nam cùm peccatis in ſer-
„ vitutem addictus, carni viverem, quantùm ad interiorem ho-
„ minem attinet, mortuus eram: quamobrem mortis annos, vi-
„ tæ annos numquam appellaverim: ex quo autem mundus mihi
„ crucifixus eſt, & ego mundo, atque exuto veteri homine, qui
„ ſecundùm erroris deſideria corrumpitur, non jam carni vivo, ſed
„ vivit in me Chriſtus: quòd autem vivo, in fide vivo Filii Dei, qui
„ dilexit me, & pro me ſeipſum tradidit: hos vitæ annos & ſalutis
„ dies optimo jure vocaverim. In extremâ ætate dies vitæ ſuæ relegens, ex iis Dei obſequiis impenſos, adeoque plenos recenſuit, alios ſæculo datos, & ideò vacuos ſilentio preſſit. Quid mirum? illos quoque ſolos cælum reponit in faſtis, calculoque dierum ſolos illos probat; *Novit* enim *Dominus dies immaculatorum*: multis proindè *Pſ. 36.*
diſtentum negotiis Seneca Paullinum ad ſtudium ſui conatur redu- *De brev. vitæ*
cere: *Mihi crede*, inquit, *ſatius eſt vitæ ſuæ rationes, quàm frumenti pu-* *cap. 18.*

blici noſſe. Hæc fortè legerat Augerius Busbequius Cæſaris apud Turcam legatus, & excelſum animi vigorem, rerum maximarum capaciſſimum, à miniſterio honorificentiſſimo, ſed parum (uti credebat) ad beatam vitam apto, ad ſe revocare nitebatur. Ipſemet fatebitur. „ Evolare me ex aula & domum redire geſtientem, reti- „ nent etiamnum privata negotia. Nam mihi quidem vita aulica „ uſquequaque cordi non eſt. Notæ mihi ejus ærumnæ. Falſo ſplen- „ dore multæ ejus miſeriæ obtenduntur. Fuci in eâ multum, can- „ doris parum eſt, nulla eſt aula quæ vacat invidiâ, in qua non „ deſideretur amicitiæ fides, ubi voluntatum mutatio, & ſubita „ ruina metuenda non ſit. Aula vera bona non novit niſi ſerò. „ Umbris, famâ, ſpecie, fallaciis, errore populari ducitur. Op- „ tabile eſt ſibi poſſe vivere, & muſis; & cum paucis & non falla- „ cibus amicis in agelli angulo conſeneſcere: mihi ſolitudo & ſtu- „ diorum nutrix quies, turbâ & ſtrepitu aulico potior. Non ſe ad ſegnem aut inertem quietem incitabat: non ut ſomno, & caris turbæ voluptatibus quidquid in ipſo erat indolis vivæ demergeret. Inveniebat majora omnibus adhuc ſtrenuè tractatis operibus, quæ repoſitus & ſecurus agitaret.

Epiſt. 4. legationis Turcicæ.

§. 10. Magno Arſenio de ſtatu vitæ ſeriò deliberanti vox cælitùs audita eſt. *Arſeni, fuge, tace, quieſce*, ut ſcilicet devitet fugâ frequentiam: taciturnitate jactantiam: quiete, fluxarum atque fragilium rerum ſollicitudinem. Proindè ſecedens in partes Syriæ, eo loci qui Troën dicitur, ſedit ſolitarius annos xl. deindè in deſerto vaſtiore ultra Babylonem Memphim verſus, annos decem: poſteà ad Canopum Alexandriæ, annos tres; rurſum in Troë, annos duos. Taliter peracto vitæ curſu nonagenarius terram reliquit, & ad Dominum migravit. Vita ejus ſanè longiſſima fuit, cui quantumcumque patuit, totum ipſi vacavit. Nihil indè incultum otioſumque jacuit: nihil ſub alio fuit. Quamobrem autem ſe ab ullo hominum adiri ægrè patiebatur, cum Deo & hominibus ſimul ſe omninò eſſe non poſſe, dixit: uſque adeò vel modicâ alicujus interpellatione à divinæ contemplationis dulcedine ſe avocari indignè ferebat. Neque enim quidquam reperit dignum quod cum tempore ſuo permutaret cuſtos ejus parciſſimus. Veraciter, quamvis adhuc in terris eſſet, jure ſuo cum Apoſtolo dicere poterat: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Numquid magni & ſupra humanos errores eminentis viri eſt, nihil ex ſuo tempore delibari ſinere? diſpungant aliqui & recenſeant vitæ ſuæ dies: videbunt paucos admodùm & reſiculos apud ipſos reſediſſe. *Non eſt itaque*, aſſerente Senecâ, *quod quemquam, propter canos aut rugas, putes diu vixiſſe: non enim ille*

Metaphraſt. & Sur. tom. 4.

Ad Philip. 3.

De brev. vitæ cap. 8.

diu

diu vixit, *ſed diu fuit.* Re omnium pretioſiſſimâ, tempore ſcilicet rectè ſemper uti viri juſti ſtuduerunt, & relictis omnibus impedimentis, cùm divitiis, officiis, voluptatibus renunciaſſent, hoc unum in extremam uſque ætatem egerunt, ut vivere ſcirent. Ut vitam procul ab omni negotio ageret, ut nihil ex illa delegaretur, nihil negligentiâ interiret, nihil detraheretur, nihil ſupervacuum eſſet, nihil aliò atque aliò ſpargeretur, in montis Alvernæ cacumine quadragenarium S. Franciſcus ad honorem Archangeli *D. Bonavent.* Michaëlis jejunium inchoavit, meruitque ibi ſupernæ contem- *in Legendâ.* plationis dulcedine abundantiùs ſolitò perfundi, & ſupernarum immiſſionum cumulatiùs dona ſentiro, divinorumque arcanorum particeps fieri. Sanctus etiam Carolus Borromæus paulò ante obitum in ſolitudinem Varalli montis, ubi ſculptis imaginibus Dominicæ paſſionis myſteria repræſentantur, ſecedens: aliquot ibi diebus *In vita uti in brev.* voluntariâ caſtigatione aſperam, ſed Chriſti dolorum meditationibus ſuavem vitam duxit. *Habet*, *ubi ſe etiam in privato lare explicet* *Sen. de tranq.* *magnus animus. Nec ut Leonum animaliumque impetus caveis coërcetur:* *animi cap. 3.* *ſic hominum*, *quorum maximæ in ſeductu actiones ſunt.* Per laborioſa documenta exhibita eſt virtus S. Simeonis Stylitæ: utilitatem & ſui ſigna etiam ex longinquo ſudit; multos in amicitiam attraxit, affluxitque ad eam optimus quiſque. Hic vir omnibus retrò ſæculis inimitabile præbuit exemplum: ad quinquaginta annos in columnis diuturnâ ſtatione non tamen otioſâ ſunctus eſt, vigiliaſque ſervavit *Evagr. Hiſt.* magis adhuc animo quàm corpore erectus. Omnem converſatio- *Eccle. lib. 4.* nem tollere & generi humano renunciare, vivereque in cælum *cap. 33.* tantùm converſus nitebatur, cùm undequàque ex urbibus hominum frequentiam ad ſui ſpectaculum provocabat.. „ Hinc virtus li-
„ ve exſpatiatur & fruitur ſuo jure, ſive precarios habet acceſſus, co- *Sen. de tranq.*
„ giturque vela contrahere, ſive otioſa mutaque eſt, & anguſto *animi cap. 3.*
„ circumſcripta, ſive adaperta: in quocumque habitu eſt, prodeſt.

§. 11. Stabat quidem magnus ille pugil omnibus cæli inclementiis expoſitus in gradu ſuo immobilis, longè tamen lateque peregrinabatur, peregrinatione maximis viris propriâ, quâ, corpore in terris exiſtenti, animo cæleſtibus interſunt; quorum etſi corpus adhuc in Babylonia tenetur, cor tamen ad cæleſtem Hieruſalem præmittitur. *Non movetur anima pedibus ſed affectibus.* „ Nam quemad- *S. Aug. tract.*
„ modum, inquit Seneca, flamma ſurgit in rectum, jacere ac de- *45. in Joan.*
„ primi non poteſt, non magis quàm quieſcere: ita noſter animus *Epiſt. 39.*
„ in motu eſt, eò mobilior & actuoſior, quò vehementior fuerit. Sed
„ felix qui ad meliora hunc impetum dedit! Ad res pulcherrimas cogitationibus deducebatur, in cælum admittebatur magnitudine

animi humanæ imbecillitatis anguſtias egreſſus. Ab hoc exiguo & caduco temporis tranſitu in illa toto ſe dabat conatu, quæ immenſa, Sen. Epiſt. 55. quæ æterna ſunt, quæ cum melioribus communia. *In anguſto viveremus, ſi quidquam eſſet cogitationibus clauſum*: verùm naturale eſt in immenſum mentem ſuam extendere; magna porrò & generoſa res eſt humanus animus: nullos ſibi poni terminos patitur, quin omni volucre,

——— *Ipſoque velocior Euro,*

in puncto temporis nunc Romæ eſt, nunc Pragæ, nunc Mantuæ Carpentanorum, nunc Pariſiis, nunc Londini, tum in Indiâ, tum in Norvegiâ: hic nubes, aëra, Angelos, ſideraque tranſgrediens ipſum cælum Empyreum attingit. „ Corpus peregrinatur locis, anima pe- S. Auguſt. in Pſal. 120. „ regrinatur affectibus: ſi amaveris terram, peregrinaris à Deo: ſi „ amaveris Deum, aſcendis ad Deum. Intendens tempus peregri- „ nationis ſuæ (David videlicet) dixit ſe peregrinari in tabernaculis Pſalm. 83. „ Cedar. Quare! *Quia multum peregrinata eſt anima mea.* Ibi pere- „ grinatur, ubi aſcendit. Non corpore peregrinatur, non corpore „ aſcendit. Sed ubi aſcendit? aſcenſiones, inquit, in corde. Si ergo „ aſcendit in corde, non aſcendit per aſcenſiones cordis, niſi anima „ quæ peregrinatur. Humilem deindè non accipit patriam: Romam aut Lutetiam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt, quodcumque ſuprema & univerſa ſuperficies circuitu ſuo cingit: hoc omne convexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis cæleſtia ſecernens etiam conjungit, intra quod diſpoſiti tot Angelici ſpiritus in actus ſuos excubant. In eo fidelium ſeſe manifeſtat lumen animarum, *in-* S. Leo ſerm 2. de Aſcenſ. Domini. *cunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere deſiderium, quò nequeas inferre conſpectum.* „ Prætereà arctam ætatem „ ſibi animus dari non ſinit. Omnes, inquit, anni mei ſunt. Nul- „ lum ſæculum magnis ingeniis clauſum eſt, nullum non cogitatio- Epiſt. 102. „ ni pervium tempus. Cùm venerit dies ille qui mixtum hoc divini „ humanique ſecernat corpus hoc, ubi inveni, dicit Seneca, relin- „ quam: ipſe me diis reddam. Nec nunc ſine illis ſum, ſed gravi S. Damaſc. in Hiſt. c. 12. „ terrenoque detineor. *In hoc itaque ſeceſſus à mundo conſiſtit, ut propter earum rerum quæ naturâ ſublimiores ſunt, cupiditatem, voluntarium ſui ipſius odium quiſpiam concipiat, ac naturam abjuret.* Videt enim quòd expletâ aliquâ voluptate, per quandam plenitudinem rurſus accendamur, quæramuſque facere, quod cùm fecerimus, iterum pœniteamus. Nam cùm per portas ſenſus quaſi quidam perturbationum cunei ad arcem noſtræ mentis intraverint; deficit libertas,

tas, deficit fortitudo ejus, maximè cùm reminiſcentia depingat ſibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam compati, & quodammodò exercere quod non agit. „ His igitur „ rationibus invitati multi Philoſophorum, reliquerunt frequentias „ urbium, & hortulos ſuburbanos, ubi ager irriguus, & arborum co- *D. Hier. lib. 2. adverſus Jovin.* „ mæ, & ſuſurrus avium, fontis ſpeculum, rivus immurmurans, „ & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abun- „ dantiam copiarum, animæ fortitudò molleſceret, & ejus pudicitia „ conſtupraretur; inutile quippe eſt, crebrò videre, per quæ „ aliquando captus ſis, & eorum te experimento committere, qui- „ bus difficulter careas. *Non enim multum prodeſt vitia ſua projeciſſe, ſi cum alienis rixandum ſit.* *Sen. Epiſt. 28.* „ Ideò Pythagoræi hujuſcemodi frequen- „ tiam declinantes in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueve- „ rant. Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus „ verſabantur: ut admoniti anguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil *D. Hier. ibidem.* „ aliud quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipſe Plato cùm eſſet „ dives & toros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret: ut poſſet „ vacare Philoſophiæ, elegit Academicam villam, ab urbe procul, „ non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem: ut curâ & aſſiduitate „ morborum libidinis impetus frangeretur, diſcipulique ſui nullam „ aliam ſentirent voluptatem niſi earum rerum, quas diſcerent. „ Quoſdam legimus effodiſſe ſibi oculos, ne per eorum viſum à „ contemplatione Philoſophiæ avocarentur.

§. 12. Inter cæteros Philoſophos eminere volebant Stoici quibus unicum erat inſtitutum ſecundùm animam vivere. Hâc de cauſâ diſcebant continentiam augere, luxuriam coërcere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aſpicere, frugalitatem colere, deſideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere. Neminem illorum humilia & ſordida delectabant: magnarum verò rerum ſpecies ad ſe vocabat & extollebat. „ Chæremon Stoicus, „ vir eloquentiſſimus, narrat de vitâ antiquorum Ægypti ſacerdo- „ tum, quòd omnibus mundi negotiis curiſque poſtpoſitis, ſem- *Idem ibidem.* „ per in templo fuerint, & rerum naturas, cauſaſque ac rationes „ ſiderum contemplati ſint: numquam mulieribus ſe miſcuerint: „ numquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint. Spes effrænatas & animum in futura eminentem velut ſub vinculis habebant, idque agebant, ut divitias à ſeipſis potiùs quàm à fortunâ peterent. Quærebant omnes iſti levi temporis impensâ invenire; quomodò æterni fierent, quomodò ad immortalitatem moriendo venirent: quaſi à carne ſe removentes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in animâ conſtituentes, ponebant ſummum bonum

in virtute ſua. Cùm ad urbem Athenienſium, ubi iſtæ Philoſophorum diſciplinæ ſtudio & contentione fervebant, veniſſet Apoſtolus Paulus; „ contulerunt cum illo quidam Philoſophorum Epicureorum, ſecundùm carnem viventes, & Stoicorum contulerunt „ cum illo ſecundùm animam viventes, contulit cùm illis ſecundùm Deum vivens. Dicebat Epicureus, mihi frui carne, bonum „ eſt. Dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente, bonum eſt. Dicebat „ Apoſtolus, mihi autem adhærere Deo, bonum eſt. Dicebat „ Epicureus, beatus cujus eſt in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus, immo beatus cujus eſt in fructu virtus animi ejus. „ Dicebat Apoſtolus, beatus cujus eſt nomen Domini ſpes ejus. Errat Epicureus: falſum eſt enim, eſſe hominem beatum cujus eſt in „ fructu voluptas carnis ejus. Fallitur & Stoicus: falſum eſt enim & „ omninò mendoſiſſimum, beatum eſſe hominem cujus eſt in fructu virtus animi ejus. Beatus ergo cujus eſt nomen Domini ſpes „ ejus. Quàm egregiè D. P. Auguſtinus utrorumque dogmata refellit, ex eo quòd nec illi nec iſti ſecundùm Deum viverent. Molles & effœminati erant primi; aliorum, licet maſculam præferret frontem, ficta ut plurimùm erat vita & oſtentationi parata. Romanos laudis aviditas & cupido gloriæ ad maxima impulit, laudabilia ſcilicet atque glorioſa ſecùndùm hominum exiſtimationem. Gloriam ardentiſſimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hâc & mori non dubitaverunt. *Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſerunt.* In laudibus Cæſaris poſuit Salluſtius, quòd ſibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus eniteſcere poſſet: hæ ſunt illæ bonæ artes, quas deprædicarunt per virtutem ſcilicet, non per fallacem ambitionem ad honorem, & gloriam, & imperium pervenire. Via virtus eſt quâ bonus (uti aiunt) nititur ad poſſeſſionis finem, id eſt ad gloriam, honorem, imperium. „ Hoc inſitum habuiſſe Romanos, etiam Deorum „ apud illos ædes indicant, quas conjunctiſſimas conſtituerunt virtutis & honoris, pro Diis habentes quæ dantur à Deo. Unde intelligi poteſt quem finem volebant eſſe virtutis, & quò eam referebant, qui bòni erant, ad honorem ſcilicet. Non diſſimulavit id Tullius, ſed in libris quos de Rep. ſcripſit, ubi loquitur de inſtituendo Principe Civitatis, quem dicit alendum eſſe gloriâ. Et conſequenter commemorat, majores ſuos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate feciſſe. In ipſis quoque Philoſophiæ libris univerſalem hanc protulit generalemque ſententiam: *Laus alit artes, omneſque accenduntur ad ſtudia gloriâ, jacentque ea ſemper quæ apud quoſque improbantur.* „ Non laudationem dicit, quæ corrumpit ar-

Act. 17.

S. Aug. Serm. 13. de verbis Dom. cap. 7.

S. Aug. lib. 5. de Civit. c. 12.

Idem ibidem.

Sen. Ep. 102.

„ tes;

„ tes; nihil enim æquè & eloquentiam, & omne aliud ſtudium „ auribus deditum vitiavit, quàm popularis aſſentio. Aliud proindè eſt laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit: Laus etiam taciti eſt benè ſentientis, ac bonum virum apud ſe laudantis. Deinde ad animum refertur laus, non ad verba, quæ conceptam laudem egerunt, & in notitiam plurium emittunt. Poteſt enim citra vocem illa contingere, contenta judicio, non tantùm inter tacentes, ſed etiam inter reclamantes. Negat tamen Lactantius honorem vel laudem quæ artes conſequitur eſſe ſummum bonum. „ Artes, inquit, diſ„ cuntur ut exerceantur, exercentur autem vel ad ſubſidia vitæ, vel „ ad voluptatem, vel ad gloriam; non eſt igitur ſummum bonum, *Lib. 3. c. 8.* „ quod non propter ſe expetitur. Quid ergo intereſt utrum ſcien„ tiam ſummum bonum putemus, an illa ipſa, quæ ſcientia ex ſe „ parit, fructum, gloriam, voluptatem? quæ non ſunt homini „ propria, & ideo ne ſumma quidem bona. Amorem laudis, pro quo pecuniæ cupiditatem, voluptates, & multa alia vitia Romani comprimebant, vitium eſſe cognovit Horatius,

Laudis amore tumes, ſunt certa piacula quæ te *Lib. 1. Epiſt.*
Ter purè lecto poterunt recreare libello

Ideo ad reprimendam dominandi libidinem ita cecinit,

Latius regnes, avidum domando *Lib. 2. carm. ode 2. ad Salluſt.*
Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas: & uterque Pœnus
Serviat uni.

Huic ergo vitio non ſolùm non reſiſtebant verùm etiam id excitandum & accendendum eſſe cenſebant: hoc utile eſſe Reip. exiſtimantes.

§. 13. „ Quandoquidem gloria eſt, cujus illi cupiditate flagra- *S. Aug. l. 5. de civit. cap. 12.* „ bant, judicium hominum bene de hominibus opinantium: & „ ideo melior eſt virtus quæ humano judicio contenta non eſt, niſi „ conſcientiæ ſuæ. Unde dicit Apoſtolus: *Nam gloria noſtra hæc* *1. Cor. 1.* *eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Seneca quoque ſuos ita edoctos voluit: *Conſcientiæ ſatisfiat, nihil in famam laboremus; ambitio ſce-* *Lib. 3. de ira. c. 41.* *nam quærit*; at bona mens ſeſe revocat ad conſcientiam Deique tribunal, quid interſit inter claritatem & gloriam idem docet: *Gloria,* *Epiſt. 102.* inquit, *multorum judiciis conſtat, claritas bonorum*. „ Tam claritas (quæ „ eſt laus bono à bonis reddita) quàm gloria eſt umbra virtutis: etiam „ invitos comitabitur. Etiamſi omnibus tecum viventibus ſilen„ tium livor indixerit, venient qui ſine offenſâ, ſine gratiâ judi-

„cent. Si quod eſt pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit. Ad
Epiſt. 79. „quos quidem (ut loquitur Seneca) nihil pertinebit poſterorum
„ſermo: tamen etiam non ſentientes colet, ac frequentabit. Nul-
„li non virtus & vivo & mortuo retulit gratiam. Undè, ſi gloria
Lib. 5. de Civit. c. 12. debeat ſequi virtutem, rectè colligit S. Auguſtinus quòd *honores quos petivit Cato, petere non debuit, ſed eos civitas ob ejus virtutem non petenti dare.* Verùm licet ipſemet Cato apud Salluſtium dicat quòd majores ſuos magnos fecerint domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius; causâ nihilominùs honoris, laudis & gloriæ conſuluerunt patriæ, in quâ ipſam gloriam requirebant. Obliquè inſinuavit idem Seneca cùm dixit:
Epiſt. 79. *Quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando ſequitur: ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendamque ſe præbet, aliquando in averſo eſt, majorque quò ſerior, ubi invidia ſeceſſit.* Ea propter ſe benefeciſſe gaudet, & gratos inveniſſe virtutum interpretes lætatur. Nec illi nec Philoſophi veris germaniſque
Lib. 3. offic. virtutibus præditi fuerunt, Cicerone teſte, qui ait, *Sed nos veri juris, germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus, umbrâ & imaginibus utimur, eaſque ipſas utinam ſequeremur.* Quomodo in iſtis eſſet vera perfectaque juſtitia, ſi deſit fides,
Rom. 10. *juſtus ex fide vivit.* Porrò ſi veram juſtitiam non habent, profectò nec alias virtutes comites ejus & ſocias. *Neque enim eſt vera virtus,*
S. Aug. de Civit. l. 5. c. 12. *niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt.* Virtutes à vitiis non officiis, ſed finibus diſcernuntur. *Officium*
Idem lib. 4. contra Jul. c. 3. *eſt autem quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt.* Ad cognoſcendum itaque utrum veræ ſint non hoc tantummodò intuendum quod agitur, ſed cauſa quærenda eſt cur agatur. *Quidquid autem boni fit ab homine & non propter hoc fit, propter quod fieri*
Idem ibidem. *debere vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Etenim niſi ad conſequendam veram beatitudinem proſint virtutes, abſit ut veræ conſummatæque eſſe poſ-
D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. ſint. Ad opera ſiquidem moraliter bona poteſt Infidelibus bonum naturæ conducere, non ad opera meritoria. Licet Stoici ſummum bonum non corpori, ſed animo dederint, illud equidem non comprehenderunt, quia ſummum bonum non in ſummo quæſierunt, ſed in imo. Negarunt ſine virtute effici quemquam beatum poſſe, virtutemque propter ſeipſam eſſe expetendam, ſed propter vitam beatam, quæ virtutem neceſſariò ſequitur. Obſcuratum verò eſt inſipiens cor eorum: „Quoniam non eſt vera ſapientia,
S. Aug. lib. 19. de civit. c. 20. „quæ intentionem ſuam in his quæ prudenter diſcernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, juſteque diſtribuit, non in illum di-

„rigit

,, rigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus, æternitate certâ, ,, & pace perfectâ. Intelligere debuerunt, ideò propoſitam nobis eſſe virtutem, ut perdomitis libidinibus, rerumque terreſtrium cupiditate ſuperatâ, puræ ac victrices animæ ad Deum, id eſt originem ſuam revertantur. Idcircò enim ſoli animantium ad aſpectum cæli erecti ſumus, ut ſummum bonum noſtrum in ſummo Deo eſſe credamus.

§. 14. In moribus ſuis Philoſophi quidam parſimoniæ, continentiæ, caſtitatis, ſobrietatis, mortis pro patriæ ſalute contemptu, ſervatæque fidei non ſolùm civibus, verùm & hoſtibus, imitandi meritò proponuntur. *Quæ quidem omnia quando non referuntur ad finem rectæ veræque pietatis, ſed ad faſtum inanem humanæ laudis & gloriæ, etiam ipſa inaneſcunt quodammodò, ſteriliaque redduntur.* *Idem. tom. 2. ep. 99.* ,, Sed apud eos vera pietas, id eſt verax veri Dei cultus (unde om- ,, nia rectè vivendi duci oportet officia) non invenitur; non ob ,, aliud, quantum intelligit D. Auguſtinus, niſi quia beatam vi- *Epiſt. 52. ad Macedon.* ,, tam ipſi ſibi quodammodò fabricare voluerunt, potiuſque patran- ,, dam quàm impetrandam putaverunt, cùm ejus dator non ſit ni- ,, ſi Deus. Quid mirùm ſi in hac ærumnoſâ vitâ, in his moribundis membris, ſub hac ſarcina corruptibilis carnis, authores ſuæ beatæ vitæ & quaſi conditores eſſe volentes, velut propriis eam virtutibus appetentes, jamque retinentes, non ab illo fonte virtutum petentes atque ſperantes, Deum ſuperbiæ ſuæ reſiſtentem ſentire minimè potuerint? quid aliud decernit Seneca, quando omnia virtutem agere, omnia poſſe etiam tolerare, & in Phalaridis tauro beatum eſſe ſapientem aſſeverat? unde fateri cogitur vitam beatam aliquando eſſe fugiendam; quandoquidem exaggeratis malis corporis cedendum judicet, atque in eorum moleſtiis graviſſimis ex hac vita abſcedendum. ,, Nihil meliùs, inquit, æterna lex fecit, quàm ,, quòd unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos: ego ,, expectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cùm poſſim per *Epiſt. 70.* ,, media ire tormenta, & adverſa diſcutere? non opus eſt vaſto ,, vulnere dividere præcordia. Scalpello aperitur ad illam magnam ,, libertatem via: & puncto ſecuritas conſtat. Quantum nefas ſeipſum occidere inſontem, cùm omnino non debeat vel nocentem! omnes Orthodoxi veram ſapientiam aſſecuti vim afferendam vitæ ſuæ negant, & nefas judicant ipſum interemptorem ſui fieri, & Seneca hoc ſuadet, inquiens: *Bono loco res humanæ ſunt, quòd nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Placet? vive. Non placet? licet eò reverti unde veniſti.* *Ibidem.* Ne verbis ſuis pondus deſit, Deum ad vitæ moras abrumpendas inſtigatorem inducit. ,, Ante omnia cavi, ne quis vos teneret

„ invitos. Patet exitus. Attendite modò & videbitis quàm brevis „ ad libertatem, & quàm expedita ducat via. Omne tempus, „ omnis vos locus doceat, quàm facilè ſit renunciare naturæ, & „ munus ſuum illi impingere: non ſunt vulnere impreſſo ſcrutanda „ præcordia: in proximo mors eſt. Sive fauces nodus eliſit; ſive „ ſpiramentum aqua præcluſit; ſive in caput lapſos ſubjacentis ſoli „ duritia comminuit; ſive hauſtus ignis curſum animæ remeantis „ interſcidit: quidquid eſt, properat. Ecquid erubeſcitis, quod tam cito fit, timetis diu? egregia ſanè, Deo digna, & parænetica exhortatio! itanè ſapientem adverſus caſus inſtruet longa meditatio, & magiſtra rerum omnium ratio? nondum concludit, ſed ut acriores ſtimulos admoveat, oſtendit viros fortes hoc momentum efflandæ animæ contempſiſſe. Catonem narrat generoſum illum contemptoremque omnis potentiæ ſpiritum mortifero corpori inflicto vulnere non emiſiſſe, ſed ejeciſſe; Cn. quoque Pompeii ſocerum Scipionem, cùm teneri navem ſuam videret ab hoſtibus, ferro ſe transverberaſſe. Tullium Marcellinum morbo & non inſanabili correptum, ſed longo ac moleſto, & multa imperante triduanâ inediâ vitam finiiſſe. *Quamvis enim*, ait, *mortem ſibi conſciverit, tamen molliſſimè exceſſit, & vitæ elapſus eſt.* Vel apud imperitos & vulgi homines miraculum ſui facere ſtuduerunt, quemadmodum Indorum Brachmanes, & Æthiopum gymnoſophiſtæ ob victûs continentiam, vel ſuperſtitiosè nimis voluerunt Sectis ſuis inhærere, honeſto ſapientiæ nomine inducti, aut inanis virtutis ſplendore decepti. „ Nam Cato videtur mihi, inquit Lactantius, cauſam quæſiſſe mo„ riendi, non tam ut Cæſarem fugeret, quàm ut Stoicorum decre„ tis obtemperaret, quos ſectabatur, nomenque ſuum grandi ali„ quo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, ſi vive„ ret, non invenio. Non reticuit Seneca ultimâ illum nocte Platonis librum legiſſe, poſito ad caput gladio, idcirco dicit: *Duo hæc in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut poſſet.* Videtisne quomodo Romanæ ſapientiæ Princeps ad ſummum nefas Philoſophi authoritate compulſus ſit? Nonnè Ambraciotes ille, qui cùm eumdem librum Platonis, qui ſcriptus eſt de æternitate animarum, perlegiſſet, præcipitem ſe dedit, ob nullam aliam cauſam veriſimile eſt id feciſſe, niſi quòd Platoni credidit? cur multi Philoſophi ut Cleanthes, & Chryſippus, ut Zeno ſibi ipſis manus intulerunt, niſi quòd æternas eſſe animas ſuſpicarentur, & hoc modo in cælum migraturi eſſent? quid Empedoclem impulit ut in ardentis Æthnæ ſpecum intempeſtâ nocte ſe dejiceret: niſi ut abjiſſe ad Deos crederetur, cùm repentè non appareret?

De provid. in fine.

Epiſt. 77.

Lib. 3. de falſa ſap. c. 18.

Epiſt. 24.

Lact. ut ſuprà.

quantum

quantum verò in hoc ſceleris ſit numquid perſpicimus? nam ſi ho-
micida nefarius eſt, *qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri ob-
ſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Imò majus eſſe fa-
cinus exiſtimandum, cujus ultio ſoli Deo ſubeſt, cùm extincta in-
nocentis anima inulta eſſe non poſſit. „ Si ſciſſet Plato atque do-
„ cuiſſet, à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & *Idem ibidem.*
„ quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impe-
„ giſſet in mortem volunrariam, nec Catonem: ſed eos ad vitam
„ & juſtitiam potiùs erudiſſet. Execrabilis prorsùs ac fugienda do-
ctrina, quæ abigit homines à vita. In hanc non noſtrâ ſponte ve-
nimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum no-
bis aſſignatum eſt, ejuſdem juſſu nobis recedendum eſt, qui nos
in hoc corpus induxit tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.

§. 15. Non libet proindè cum Tullio exclamare. „ O vitæ Philoſo-
„ phia Dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quando
„ non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu *In quæſt. Tuſcul.*
„ inventrix legum, tu magiſtra morum ac diſciplinæ fuiſti. Quì po-
„ teſt fieri ut ſana & ſalubria præſcribat conſilia, qui ſibi contradicit?
in doloribus & immaniſſimis calamitatibus ſapientem beatum præ-
dicat; econtrà hortatur, ut ſi eum non interemerint, ipſe ſe interimat,
& ad portum non ſentiendi hac liberatus virtute perveniat. Cedit
igitur ſapiens dolori atque ſuccumbit in tantum, ut per illum coga-
tur & in ſeipſum homicidium perpetrare. Ubi nunc ſunt Platonico
nomine ora crepantia? an in lingua tantùm non in corde ſapientia
eſt? mendacium eſt incongruens atque ineptum, non in pectore, ſed
in labiis habere bonitatem. Res non ornatu eſt ponderanda, ſed
veritate. Modò dicat Seneca quòd ſapiens Deos æquet, quòd in
hoc à naturâ rerum formatus ſit, ut paria Diis velit. Approbet di-
ctum Sextii, *Jovem plus non poſſe quàm bonum virum.* Quòd Deus non *Epiſt. 73.*
vincat ſapientem felicitate, etiamſi vincit ætate. Nunc alleget eſſe
aliquid, quo ſapiens antecedat Deum. *Ille*, inquit *naturæ benefi-
cio, non ſuo ſapiens eſt: ecce res magna habere imbecillitatem hominis, ſe-
curitatem Dei.* Denique idem Deum ſuum confiteri faciat dum ad *Epiſt. 53.*
tolerantiam homines ſic incitat: *Animos veſtros adverſus omnia arma-
vi. Ferte fortiter: hoc eſt, quo Deum antecedatis. Ille extra patien-* *De Provid. c.*
tiam malorum eſt, vos ſupra patientiam. Quid erit hoc aliud quàm ſe- *6.*
cum pugnare, & erroribus ſeſe intricare? ſi non poteſt, ut dicit,
ſapiens ex beato in miſerum decidere; cui ſi adjicias cæcitatem,
non fit miſer, adjicias debilitatem, non fit miſer, adjicias dolo-
res continuos & graves, non fit miſer: quare conſulit ſapienti ut
beatam vitam fugiat, abrumpat, abjiciat, ſeſeque ab ea ferro

etjam, ſeu veneno, vel aliâ voluntariâ morte ſubducat? eſtnè aliquando beata vita, quam ſapiens ferre non poſſit, vel quod abſurdius eſt, quam ferre non debeat? *O nimium ſuperba jactantia, ſi beata vita eſt in cruciatibus corporis, cur in ea non manet ſapiens ut fruatur?* de vitâ queritur quaſi vixerit, aut umquam illi ratio conſtiterit, cur omnino ſit natus. Nonnè igitur huic verus ille & communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit, *Prius diſce quid ſit vivere: ſi diſplicebit vita, tum iſtoc utitor.* „ Ad hoc enim „ debet unicuique prodeſſe benè vivere, ut detur illi ſemper vivere: „ nam cui non datur ſemper vivere, quid prodeſt benè vivere? quia „ nec bene vivere dicendi ſunt, qui finem benè vivendi per cæci- „ tatem neſciunt, vel per inflationem contemnunt. Quaſi quidquam mereantur boni qui patrem, qui Dominum, qui Regem ſuum neſciunt; qui quamvis clariſſimam lucem intueantur oculis, mente tamen cæci ſunt, & in profundis ignorantiæ tenebris jacent? *Non eſt autem cuiquam ſpes vera & certa ſemper vivendi, niſi agnoſcat vitam, quæ eſt Christus, & per januam intret in ovile.* Ergò Philoſophi etiam de virtutibus & vitiis ſubtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſimè concludentes, *Quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam.* Studuerunt ſapientiæ, ſed ideò falſæ, quia religionem ſummi Dei omiſerunt, qui eos ad veri ſcientiam potuit erudire. Simplex veritatis fides eſt, *Simplex oratio eſt*, ait Seneca, *ideóque illam implicare non oportet*: & alibi. *Veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi.* Quid igitur mirum ſi ipſi involuta veritas in alto latuerit, in Democriti videlicet puteo demerſa? numquid illam per ſapientiam terrenam eruet, quæ varia eſt, multiplex, ſibique contraria? ſicut unus eſt hujus mundi conſtitutor & rector Deus, una veritas, ita unam eſſe ac ſimplicem ſapientiam neceſſe eſt. Nullum verò in Stoicorum diſciplinâ magiſterium virtutis eſt, *Cùm etiam illi, qui honeſtiora præcipiunt, aut non faciunt ipſi quæ ſuadent, aut ſi faciunt (quod raró accidit) non diſciplina eos ad rectum, ſed natura perducat, quæ ſæpiùs etiam indoctos impellit ad laudem.* Seneca qui ſibi legem non dixit, ut in omnibus Stoicos ſequeretur, non audens ab illis deſciſcere ita ſcribit: *Interim, quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ aſſentior. Ab illâ non deerrare; & ad illius legem exemplumque formari, ſapientia eſt.* Inde patet quantum naturæ permiſerit, cùm vel ratio vel ſcientia, vel lex bene vivendi, niſi in unica, vera & cæleſti ſapientia ſit conſtituta.

S. Aug. epiſt. 52. ad Maced. — *Lact. l. 3. de falſa ſap. c. 18.* — *S. Aug. tract. 45. in Joann. poſt initium.* — *Idem ibidem.* — *Baruch. 3. v. 28.* — *Ep. 49.* — *Ep. 79.* — *Lact. lib. 3. de falſa ſap. c. 15.* — *De vita beata c. 3.*

§. 16. Quotuſquiſque Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus,

ratus, ita animo & vita conſtitutus, ut ratio poſtulat qui diſciplinam veram, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi & decretis pareat ſuis? ,, plerique (inquit *Apud Lact. lib. 3. de falſa ſap. cap. 15.* ,, Seneca in exhortationibus) Philoſophorum tales ſunt diſerti in ,, convitium ſuum: quos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ,, ambitionem perorantes, judicium ſui putes profeſſos: adeò re- ,, dundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa; quos non aliter ,, intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, ,, pyxides venena. Ex his quidam amorem veterem, amore novo tamquam clavum clavo ejiciendum putant.

Succeſſore novo pellitur omnis amor. *Ovid. l. 2. de remed. amor.*

Non relinquenda decernunt vitia, ſed commutanda, quod improbat Felix Papa: *Non enim detrahentibus*, inquit, *bonum eſt, de-* *In Epiſt.* *trahere, aut palo, ſecundùm vulgarem fabulam, excutere palum.* Nonnè dementia eſt pro malis mala legere? nonnè impudentia patrocinia turpitudini ſuæ fingere, ut etiam honeſtè peccare videantur. Miror quòd rigidus ille virtutis judex Seneca, eòuſque exorbitaverit, ut diceret: ,, Faciet ſapiens etiam quæ non probabit, ut *Apud Lactant. ubi ſuprà.* ,, etiam ad majora tranſitum inveniat, nec relinquet bonos mores, ,, ſed tempori aptabit, ut quibus alii utuntur in gloriam, aut vo- ,, luptatem, utatur agendæ rei cauſa. Deindè quis hæc à tali viro dicta ferat? ,, omnia, ſubjungit, quæ luxurioſi faciunt, quæque im- ,, periti, faciet & ſapiens: ſed non eodem modo, eodemque pro- ,, poſitò. Poteſtnè igitur finis quantumvis bonus abſtergere operis de ſe pravi maliriam? licitumnè fortaſſe erit furari ad eleemoſynam faciendam? *Atqui nihil intereſt quo animo facias, quod feciſſe vitio-* *Idem ibidem.* *ſum eſt: Quia facta cernuntur, animus non videtur.* Neque enim actus ab objecto malus accipere bonitatem poteſt, etiamſi ab operante in bonum finem referatur: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperum* *Eccl. 34.* *quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Qui legit Ariſtippum Cyrenaicorum magiſtrum conſuetudinem cum Laïde nobili ſcorto ſic defendentem, ut diceret multum inter ſe, & cæteros Laïdis amatores intereſſe: quòd ipſe haberet Laïdem, alii verò à Laïde haberentur; nonnè confeſtim percipit hoc inter perditos homines & gravem illum Philoſophiæ Doctorem intercedere diſcriminis, quòd illi bona ſua perderent, ipſe gratis luxuriaretur? quidni agnoſcent ipſo ſapientiorem meretricem fuiſſe: ,, Quæ ſic Philoſophum habuit *Lactant. ubi ſuprà.* ,, pro lenone, ut ad ſe omnis juventus Doctoris exemplo, & autho- ,, ritate concurreret corrupta ſine ullo pudore? O præclara & imi- ,, tanda bonis ſapientia! huic verò liberos in diſciplinam dares, ut

,, diſceeent

„ diſcerent habere meretricem ? quid ergò interfuit, quo animo
„ Philoſophus ad meretricem famoſiſſimam commearet. Cùm eum populus, & rivales ſui viderent, omnibus perditis nequiorem? ut vitam impudiciſſimam aliis probaret, docere etiam libidines cœpit, moreſque ſuos de lupanari ad ſcholam transferens, diſſeruit voluptatem corporis eſſe ſummum bonum. O execrabilis doctrina & pudenda, non in corde Philoſophi, ſed in ſinu meretricis nata! effœminarum & ſemivirum non vita ſolùm ſed dogma quoque propalabat, non poterat aliter docere qui ſic erat inſtitutus.

Horat. lib. 1. epiſt. 2.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Ex quo conficitur actui ex genere ſuo malo nihil conducere rectam intentionem bonumvè finem, & operi bono finem indebitum multum officere.

§. 16. Epicuri diſciplina celebrior ſemper fuit quàm cæterorum: non quia veri aliquid afferebat, ſed quia multos ad populare nomen voluptatis invitabat. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Neque ſolùm delicatam illam & umbraticam hominum turbam, in convivio ſuo Philoſophantium habuit ſectatricem; ſed moderni quoque omnes Pſeudopolitici videntur ſeſe Epicuro ſimiles præſtare. Hic ut ad ſe multitudinem contraheret, appoſita ſingulis quibuſque moribus loquebatur. Deſidioſum vetabat litteras diſcere, avarum populari largitione liberabat; ignavum prohibebat accedere ad Rempublicam, pigrum exercere, timidum militare. Qui irreligioſus audiret, Deos nihil curare, inhumanus & ſuis commodis ſerviens, jubebatur nihil cuiquam tribuere; omnia ſui cauſa facere ſapientem. Fugienti turbam ſolitudo laudabatur, qui nimium parcus erat, diſcebat aquâ & polentâ vitam poſſe tolerare. Cui odio erat uxor, huic enumerabantur cælibatûs bona: habenti malos liberos orbitas prædicabatur. Adverſus impios parentes nullum eſſe vinculum naturæ; impatienti, ac delicato dolorem eſſe omnium malorum maximum dicebatur; forti, etiam in tormentis beatum eſſe ſapientem. Qui claritati, ac potentiæ ſtudebat, huic præcipiebatur Reges colere; qui moleſtiam ferre non poſſet, huic Regiam fugere. Ita homo aſtutus ex variis, diverſiſque moribus circulum colligebat: & dum ſtudebat placere omnibus, majore diſcordiâ ſecum ipſe pugnavit, quàm inter ſe univerſi. Cùm diſputat omnia ſapientem ſuâ causâ facere, ad utilitatem ſuam refert omnia, quæ agit. Cùm providentiam negat, Deoſque irâ vel gratiâ tangi: animæ quoque immortalitatem, ullos eſſe omnino inferos:

Lactant. lib. 3. de falſa ſap. cap. 17.

volup-

voluptatem dicat maximum eſſe bonum ; nullam eſſe humanam ſocietatem : ſibi quemque conſulere, neminem eſſe qui alterum diligat, niſi ſuâ causâ ; numquid anſam præbet Machiavelliſtis ut nihil boni faciendum putent; quoniam bene facere ad utilitatem ſpectat alienam ? nec à ſcelere abſtinendum, quia maleficio præda conjuncta eſt ? Archipirata quiſquam vel latronum ductor, ſi ſuos ad graſſandum cohortetur, quo alio ſermone uti poſſet, quàm ut eadem dicat, quæ præclarus hic morum Pædagogus ? rectiſſimè ad Ciceronem ita ſcribit Cornelius Nepos : „ Tantum abeſt, ut ego „ magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beatæque vitæ perfe„ ctricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, „ quàm pleriſque qui in ea diſputanda verſantur. In hoc equidem Philoſophi & Oratores & Poëtæ pernicioſi ſunt quòd incautos facilè irretire poſſunt ſuavitate ſermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Scriptura Sacra apud pleroſque inani Philoſophiâ & 1 forenſi eloquentiâ tumentes fide caret, quòd communi ac ſimplici dictione ſit expoſita : contemnitur enim ab iis qui nihil audire vel legere niſi expolitum & diſertum volunt : nec quidquam inhærere animis eorum poteſt, niſi quod aures blandiori ſono permulcet. Idcirco nihil verum putant, niſi quod auditu ſuave eſt : nihil credibile, niſi quod mentem poteſt afficere voluptate. Non credunt divinis, quia fuco carent, non credunt Apoſtolis, quia proletario ſermone uſi ſunt : illorum dicta, anilia, inepta, vulgaria exiſtimantur. Hoc errore detentus S. Auguſtinus faſtidiit Scripturam Sanctam, quia viſa eſt ipſi indigna quam Tullianæ dignitati compararet. Unde ajebat : „ Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & „ acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat „ quæ creſceret cum parvulis, ſed ego dedignabar eſſe parvulus, & *Lib. 3. conf. cap. 5.* „ turgidus faſtu mihi grandis videbar. Plus à pueritia curaverat vitare Barbariſmum quàm vitia morum ; in eloquentiâ eminere cupiebat, ideo fine damnabili & ventoſo per gaudia vanitatis humanæ, magis illum Hortenſius Ciceronis excitavit ad ardorem Philoſophiæ, quàm ſacræ litteræ ad cognitionem veritatis, quia verbis apertiſſimis & humillimo genere loquendi rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis demonſtrabant. Eloquentia verò ſæ- *Lactan. lib. 5. c. 1.* „ culo ſervit, populo ſe jactare & in rebus malis placere geſtit. Si qui„ dem veritatem ſæpiùs expugnare conatur, ut vim ſuam monſtret; „ opus expetit, honores concupiſcit, ſummum denique gradum dig„ nitatis expoſcit. Ergo hæc quaſi humilia deſpicit, arcana tamquam „ contraria ſibi fugit : quippè quæ publico gaudeat, & multitudi-

„ nem celebritatemque deſideret. Sunt igitur qui ſeducant per Philoſophiam magno, blando atque honeſto nomine colorantes & fucantes errores ſuos: hinc Apoſtolus, qui fuerat Athenis, ibique expertus linguatam civitatem cùm omnes illic ſapientiæ, atque facundiæ deguſtaſſet fontes, concepit præmonitorium iſtud edi-

Ad Coloſſ. 2. v. 8. ctum: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Vocat illam 1. ad Timoth. cap. ult. verſ. 20.

Lib. de anima cap. 3. falſi nominis ſcientiam. Rectè Tertullianus *Hæreſes*, inquit, *à Philoſophiâ ſubornantur.*

§. 17. Accedit quòd cum ſectatoribus ſuis diverſa & adverſa ſentientes, ad ſacra communia nullo prohibente veniebant: undè apparet aliud eos in religione ſuſcepiſſe cum populo, aliud eodem

S. Aug. tom. 1. lib. de vera relig. cap. 2. ipſo populo audiente & teſte defendiſſe privatim. Socrates de uno Deo fidentiſſimè ſuam expoſuit ſententiam, attamen & ipſe cum populo ſimulachra venerabatur. Poſtea ſuavius ad legendum, quàm potentius ad perſuadendum ſcripſit Plato. *Non enim ſic iſti nati erant, ut populorum ipſorum opinionem ad verum cultum veri Dei à*

Ibidem. *ſimulachrorum ſuperſtitione, atque ab hujus mundi vanitate converterent.* Multitudinis potiùs conſuetudini cedendum duxiſſent, quàm populos in fidem orthodoxam voluntatemque traducerent. Nam ſi celebri ſuo hoc proverbio Socrates, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos,* intellexerit nihil ad nos cælum, ad cujus contemplationem ſumus excitati, nihil denique lucem ipſam pertinere; qua ratione potuit veram religionem aſtruere? ſi neget hunc mundum tam mirabili artificio perfectum aliquâ providentiâ gubernari, quomodo tanta moles ſtare ſine rectore tamdiu potuit? Domus ab habitatore deſerta dilabitur. Navis ſine gubernatore in ſcopulos impingit. Corpus relictum ab animâ defluit. Nihil denique eſt, quod poſſit ſine ullo moderatore conſiſtere. Rectiùs ſenſit Ovidius, qui propter mentem cæleſtium capacem hominem cæteris omnibus animantibus præcellere his verſibus aſſeruit:

Lib. 1. met. fab. 2.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

Ex corporis proindè conſtitutione quam Deus ipſi tribuit, judicat debere ſupernarum rerum contemplationi deditum eſſe.

Ibidem.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Certè

Certè victus noſtri cauſa de cælo eſt; qui ergo cenſet nihil de cæleſti-
bus eſſe diſputandum, ne illorum quidem rationem poterit com-
prehendere, quæ ſub pedibus habet. Quid ineptius quam homi-
nem à fine ſuo avocare? *Ad contemplandum* enim *Creatorem homo* D. Greg. lib. 8.
conditus fuit, ut ejus ſemper ſpeciem quæreret, atque in ſoliditate illius Mor. cap. 12.
amoris habitaret. Neque Plato, licet à Cicerone Philoſophorum Deus
fuerit appellatus, ad virtutem perſuadendam multum potuit confer-
re; qui tam enormiter in doctrinâ morum erravit. Docente ſiquidem
Socrate non ſugit ipſum, juſtitiæ vim in æquitate conſiſtere, ſed pu-
tavit ſe inveniſſe juſtitiam, cùm eam prorſus everteret; cùm vel-
let omnibus virtutem dare, omnibus ademit. Matrimonia placuit
illi communia eſſe debere: ſcilicet ut ad eamdem mulierem viri
multi, tamquam canes confluant. Nihil igitur apud illum valuit
virtus caſtitatis? Nihil fides conjugalis, quæ ſi tollas, omnis juſti-
tia ſublata eſt? hanc vero intulit rationem turpiſſimi illius conſilii:
Civitas, inquit, *concors erit, & mutui amoris conſtricta vinculis,* Apud Lact. lib.
ſi omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & li- 3. cap. 21.
beri.,, Quæ iſta confuſio generis humani eſt quærit Lactantius? quo-
,, modo ſervari poteſt charitas, ubi nihil certum eſt quod ametur?
,, quis aut vir mulierem aut mulier virum diliget, niſi habitaverint *Ibidem.*
,, ſemper unà: niſi devota mens, & ſervata invicem fides indivi-
,, duam fecerit charitatem? quid eſt aliùd tollere temperantiam,
tollere caſtitatem, quæ virtutes in utroque ſexu maximæ ſunt; tol-
lere verecundiam, pudorem, ac modeſtiam, ſi honeſta & legiti-
ma eſſe incipiunt, quæ ſolent flagitioſa, & turpia videri? commu-
nitas hujuſmodi nihil præter vitiorum licentiam poteſt gignere, &
juſtitiam virtutum omnium matrem ſubvertere. Redigere igitur
humanam naturam voluit ad ſimilitudinem non dico volucrum,
ſed pecudum, ac belluarum. ,, Nam volucres penè omnes faciunt *Idem c. 22.*
,, matrimonia, & paria junguntur, & nidos ſuos tamquàm ge-
,, nitales toros concordi mente defendunt, & fœtus ſuos quia,
,, certi ſunt amant: & ſi alienos objeceris, abigunt. Nonnè beatæ,
juxta illum, futuræ fuiſſent civitates, ſi aut Philoſophi regnarent,
aut Reges philoſopharentur? quis huic tam juſto, tam æquo viro
regnum daret, qui proſtitueret pudicitiam mulierum, & contra
morem hominum, contraque naturam, quæ ſequeretur, elige-
ret? quod nullus umquam non modò Rex, ſed ne tyrannus qui-
dem fecit.

§. 18. Expendamus modò quàm congruè Tullius, qui ſe imi-
tatorem Platonis oſtendit, Philoſophiam vitæ ducem aut parentem,
magiſtram morum ac diſciplinæ, veritatis indagatricem nominet:

cujus enim vitæ ſuit dux ? cùm ipſi doctores antè fuerint ſenectute, ac morte confecti, quàm conſtituerint quomodo vivere quis debeat. Cujus verò virtutis extitit magiſtra, quæ ipſa ubi ſita ſit, adhuc Philoſophi non expediunt ? quid ergo magiſtra illa morum ac diſciplinæ nos docere poteſt, quæ, juxta Platonem, tot perverſa dogmata continet ? quo pacto ad mores proficiet, quomodò, illam qui benè intellexerit & didicerit, quid in quaque re faciendum ſit, ſibi ipſe præcipiet ? quomodò hanc vim ex illius diſciplinâ & exercitatione quis capiet, ut, quocumque vult, illâ utatur, & quod didicit agendo confirmet ; quandoquidem ipſemet Cicero ſcribat Marco filio noſcenda quidem eſſe præcepta Philoſophiæ, vivendum autem eſſe civiliter. Ad quid noſcenda ſunt præcepta Philoſophiæ, niſi ut rectè ſapienterque vivamus ? nam ſi ſapientia eſt quæ dicitur Philoſophia, ſtultè profectò vivit, qui non ſecundùm Philoſophiam vivit ; vel ſi civiliter vivendum eſt, non eſt igitur Philoſophia ſapientia : ſiquidem melius eſt civiliter, quàm Philoſophicè vivere. Hinc colligimus quantum ex ipſius mente ſcita Philoſophiæ ad mores habeant ponderis, quomodò affectus noſtros, velut edicto coërcere & obligare poſſint. Rectène veritatis indagatrix appellabitur, quæ in plures ſectas diſciplinasque diffuſa nihil habet certi, nihil denique de quo univerſi una mente ac voce conſentiunt ; adeo ut facilius inter Horologia quàm inter Philoſophos conveniat ? perpetua inter ipſos diſſidia, & omnem ſuam vitam nihil aliud quàm in eloquentiâ peragunt. „ Quid poteſt eſſe tam falſum, quàm regulam „ vitæ Philoſophiam vocari, in qua diverſitas præceptorum rectum „ iter impediat & turbet ? aut legem benè vivendi, cujus capita longè „ diſſonant ? aut ſcientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, „ contraria ſæpè dicendo, quàm ut nemo quicquam ſciat? Quædam diverſis locis jacent ſparſa, quæ contrahere exercitata quoque mens non valet. Alia, quæ ingenti ſupercilio Philoſophi jactant, ſi ludum litterarium intraverimus, ſciemus in puerili eſſe præſcripto. „ Antiqua ſapientia, inquit Seneca, nihil aliud, quàm facienda „ & vitanda, præcepit : & tunc longè meliores erant viri : poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aper„ ta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque „ diſputare, non vivere. Fueruntnè igitur apud Platonem recta & honeſta decreta, quæ percurare mentem ægram poſſent & vitiis liberare, aut vacantem quidem, ſed ad peiora pronam, præoccupare ? *Ineſt* enim *animo pravis opinionibus malitia contracta: aut ſi non eſt falſis occupatus, ad falſa proclivis eſt, & citò ſpecie quò non oportet trahente, corrumpitur.* Habentnè ſatis roboris, ut muniant, ut ſecuri-

Lact. lib. 3. c. 14. — Idem. c. 15. — Epiſt. 95. — Sen. Epiſt. 94.

ſecuritatem hominum, tranquillitatemque tueantur, ut totam vitam, totamque rerum naturam ſimul contineant: quæ homines non privatim ſolùm, ſed & publicè furere docent, dum tantummodo concordiæ causâ uxores velint eſſe communes? *Nulla ſiquidem vehementior diſcordiarum eſt causâ, quàm unius fœminæ à multis maribus appetitio.* Multa animalia ob hoc vel acerrimè pugnant; & homines ſemper ob eam rem graviſſima inter ſe bella geſſerunt. O mira Platonis æquitas! ô Philoſophia lex vitæ! quàm egregiè poteſt quiſquam ſic formatus, & totâ ratione compoſitus, atque in hanc doctrinam velut transfiguratus toto animo ad honeſta conari, omnes exſequi numeros, ut ſciat quid oporteat, quando, & in quantum, cum quo, & quemadmodum? *Lact. lib. 3. c. 21.*

§. 19. Aliorum verò Stoicorum dogmata non eouſque præcepta virtutis & exemplar continent, ut dent animis inflexibile judicium ad honeſtum continuò ſequendum; cùm opiniones falſas, quibus laborant homines, inducant potiùs, quàm expellant: neque quid eſſet verum ipſum ſciebant, neque quo modo, aut ubi, aut quâ mente quærendum. Quinimò plurima quæ tanta cum emphaſi & applauſu Philoſophi à ſe dicta exiſtimant, plerumque verborum certamini dumtaxat, non rerum examini ſunt deputanda. Unde Cicero in libris de finibus bonorum & malorum, Stoicos verbis magis, quàm rebus adverſus Platonicos, ſeu Peripateticos certare convincit. Peripatetici affectiones ſive perturbationes animi dicunt etiam in ſapientem cadere, ſed moderatas rationique ſubjectas, ut eis leges quodammodo, quibus ad neceſſarium redigantur modum, dominatio mentis imponat; Stoicis cadere ullas hujuſmodi paſſiones in ſapientem non placet. In his utroſque de verbis potiùs quàm de rebus facere controverſiam, neque diverſum ſentire, quantum ad vim rerum attinet, D. Auguſtinus judicat. Quod ex A. Gellio (viro ex ipſius teſtimonio elegantiſſimo eloquii & multæ ac facundæ ſcientiæ) evidentiſſimè oſtendit. A Caſſiopeia ad Brunduſium mare Ionium, violentum & vaſtum & jactabundum A. Gellius ſe cum quodam Philoſopho nobili navigaſſe ſcribit. Quando ſævâ exortâ tempeſtate turbines crebriores, & cælum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas nautæ typhonas vocabant, impendere imminereque ac depreſſuræ navem videbantur. Tum Philoſophum in diſciplina Stoica celebratum, neque parvâ virum auctoritate, ſatisque attentè juvenes continentem, in tantis periculis, inque illo tumultu cæli marisque, in ipſa denique mortis vicinia ipſe ac cæteri requirebant oculis, ſcite cupientes quonam ſtatu animi, & an intrepidus interritusque eſſet? *Lib. 9. de Civit. cap. 4.* *Lib. 19. noct. attic. cap. 1.*

 animad-

animadverſum ploratus quidem nullos, ſicut alii faciebant, edidiſſe, cæterà impavidum: ſed coloris & vultus turbatione non multum à cæteris fuiſſe differentem. Deinde ubi cælum enituit, & deferbuit mare, ubi ardor ille periculi deflagravit, præbente jam ſecuritate colloquendi vel etiam garriendi locum; quidam ex his, quos navis illa portabat, dives Aſiaticus multis corporis animique deliciis diffluens Philoſophum compellavit, illudens quòd extimuiſſet atque palluiſſet, cùm ipſe manſiſſet intrepidus in communi quod impendebat exitio. At ille Ariſtippi Socratici reſponſum retulit, qui cùm in re ſimili eadem verba ab homine ſimillimo audiſſet: reſpondit non de pari anima res agitur, illumque proindè pro anima nequiſſimi nebulonis meritò non fuiſſe ſollicitum, ſe autem pro Ariſtippi anima timere debuiſſe. Poſtea verò cùm Brunduſium advenraſſent percontatus eſt A. Gellius à Philoſopho quænam eſſet illa ratio pavoris ſui: qui ut doceret hominem ſciendi ſtudio gnaviter accenſum protulit mox de ſarcinulâ ſua librum Epicteti Stoici quintum διαλέξεων in quo ſcripta eſſent, quæ congruerent decretis Zenonis & Chryſippi, qui Stoicorum Principes habiti ſunt. In eo libro ad hanc ſententiam ſe legiſſe dicit A. Gellius. „ Vires animi quas φαντασίας, id „ eſt imagines, Philoſophi appellant: non voluntatis ſunt neque ar„ bitrii: ſed vi quâdam ſuâ inferunt ſeſe hominibus. Noſcitandæ „ probationes autem, quas συγκαταθέσεις (id eſt aſſentiones) vocant, „ quibus eadem viſa noſcuntur ac dijudicantur, voluntariæ ſunt, „ fiuntque hominum arbitratu! propterea cùm ſonus aliquis formi„ dabilis, aut è cælo, aut ex ruina, aut repentinus neſcius periculi „ nuncius, vel quid aliud ejuſmodi factum eſt, ſapientis animum „ pauliſper moveri & contrahi, & palleſcere neceſſum eſt, non „ opinione alicujus mali præceptâ, ſed quibuſdam motibus rapidis, „ & inconſultis, officium mentis, atque rationis prævertentibus. „ Mox tamen ille ſapiens ibidem viſa iſtæc animi terrifica non ap„ probat, non aſſentit, neque coopinatur, ſed abjicit, reſpuitque „ nec ei metuendum eſſe in his quidquam videtur. Idque intereſſe cenſent Stoici inter animum ſapientis & inſipientis, quòd ſtulti animus eiſdem paſſionibus cedit, atque accommodat mentis aſſenſum, ſapientis autem quamvis eas neceſſitate patiatur, ſtatum tamen vigoremque ſententiæ ſuæ retinet, quam de hujuſcemodi viſis ſemper habuit, ut de minimè metuendis, ſed fronte falsâ, & formidine inani territantibus. „ Quæ ſi ita ſunt, aut nihil, aut penè nihil „ diſtat inter Stoicorum aliorumque Philoſophorum opinionem de „ paſſionibus & perturbationibus animorum: utrique enim men„ tem rationemque ſapientis ab earum dominatione defendunt. Et „ ideo

Laërt. in Vita Ariſtippi.

S. Aug. lib. 9. de civit. c. 4.

„ ideo fortaſſe dicunt eas in ſapientem non cadere Stoici, quia ne-
„ quaquam ejus ſapientiam, quâ utique ſapiens eſt, ullo errore ob-
„ nubilant, aut labe ſubvertunt; accidunt autem animo ſapientis,
„ ſalvâ ſerenitate ſapientiæ, propter illa quæ commoda vel incom-
„ moda appellant, quamvis ea dicere nolint, bona vel mala. Rectè itaque docuit Tullius Stoicos ſolâ novitate verborum ab Academicis & Peripateticis diſſentire; rectè quoque D. Auguſtinus ſenſit totam illorum controverſiam in verbis potiùs & in modo loquendi, quàm in re ipſa fuiſſe: cui conſonat D. Thomas: quia Stoici, uti dicit, tantummodò nominabant *paſsiones*, quæ à ratione exorbitant, quas quidem omnes malas eſſe certum eſt; eas verò quæ ſunt rationi conformes, quas item bonas eſſe nemo dubitat, non appellabant *paſsiones*, ſed comprehendebant nomine voluntatis. Hoc ſenſu benè negabant Stoici *paſsiones* in ſapientem cadere: verùm melius Peripatetici & cum eis Philoſophi reliqui ac Theologi omnes motus appetitus ſenſitivi, ſive rationi ſint conformes, ſive difformes, *paſsiones* nominant, ſicque nonnullæ erunt bonæ, aliæ malæ.

§. 20. Zenonis autem paria peccata quis probat? *Hoc de parilitate peccatorum, ſoli Stoici auſi ſunt diſputare* (ait D. Auguſtinus) *Epiſt. 29.* *contra omnem ſenſum generis humani.* Laudatque idcirco S. Hieronymum quòd illorum vanitatem in Joviniano, qui in hac ſententia Stoicus erat de Scripturis Sanctis dilucidiſſimè convicerit. Sed omittendum id, quod eſt ab omnibus ſemper irriſum. Satis erit ad coërcendum furioſorum hominum errorem, ſi oſtendero, quòd inter vitia & morbos miſericordiam poſuerint. Etenim miſericordiam ægritudinis, ægritudinem perturbationis ſpeciem faciunt. Undè Cicero inter cætera Stoicorum dogmata, hujus etiam meminit, inquiens: „ Fuit Zeno vir, cujus inventorum æmuli Stoici nomi- *Orat. pro Murena.*
„ nantur. Hujus ſententiæ ſunt etiam præcepta ejuſmodi, ſapientem
„ numquam gratiâ moveri, numquam cujuſquam delicto ignoſ-
„ cere, neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem, viri
„ non eſſe, neque exorari, neque placari. Non dubitavit Seneca miſericordiam appellare ægritudinem animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem, aut triſtitiam ex alienis malis conceptam, quæ accidere immerentibus credit. Ideo miſericordiam à clementiâ diſcernit eo modo, quo Religio à ſuperſtitione differt; *ut quemadmodum* *Lib. 2. de clem. cap. 5.* *Religio Deos colit, ſuperſtitio violat, ita clementiam manſuetudinemque omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis.* Ita nobis adimunt affectum, quo ratio humanæ vitæ penè omnis continetur. Ad perferendam vim temporum, vel ad incurſiones à ſuis corpori-

bus

bus arcendas naturalibus munimentis cætera animalia providentia
Lact. lib. 3. cæleſtis armavit ; ,, Homini autem , quia nihil iſtorum datum eſt, ac-
cap. 23. ,, cepit pro iſtis omnibus miſerationis affectum , qui planè vocatur
,, humanitas, quâ noſmet invicem tueremur. Nam ſi homo ad con-
,, ſpectum alterius hominis efferaretur, quod facere videmus ani-
,, mantes, quarum natura ſolivaga eſt, nulla eſſet hominum ſocie-
,,tas, nulla urbium condendarum vel cura, vel ratio. Sic neque
,, vita quidem ſatis tuta, cùm cæteris animalibus expoſita eſſet imbe-
,, cillitas hominum,& ipſi inter ſemetipſos belluarum more ſævirent.
Numquid iidem plerùmque fatentur ſocietatis humanæ commu-
nionem eſſe retinendam ? quid igitur ab ea planè ſeipſos inhumanæ
Lact. lib. 6. virtutis ſuæ rigore diſſociant ? *Falſæ* profectò *virtutis ſpecie capti, mi-*
cap. 10. *ſericordiam ſuſtulerunt : & dum volunt ſanare , vitia auxerunt.* Quis
ambigit utrum emotæ mentis fuerit ille , qui patrimonium in num-
mos redactum effudit in mare ? *Abite*,inquiebat , *in profundum malæ*
cupiditates : ego vos mergam , ne ipſe mergar à vobis. Si tantus erat pecu-
niæ contemptus , poterat illam facere beneficium , facere humani-
tatem , largire pauperibus. Poterat hoc quod perditurus erat , mul-
tis ſuccurrere , ne fame , aut ſiti, aut nuditate morerentur. Poterat
& pecuniam effugere , & tamen benè collocare : quia ſalvum eſt
quidquid pluribus profuit. Sed obſtabat proculdubio impium &
Lib. 1. de mo- crudele dogma. *Stulti* enim (de Stoicis agit D. Auguſtinus) *cùm mi-*
rib. eccl. c. 27. *ſericordiam quaſi vitium devitant , quia officio ſatis moveri nequeunt , ſi*
nec perturbatione commoventur, congelaſcunt potiùs rigore inhumanitatis ,
quàm rationis tranquillitate ſerenantur. O ingenia hominibus in-
digna , quæ has ineptias protulerunt ! ô miſeros , atque miſerabiles,
qui ſtultitiam ſuam litteris, memoriæque mandaverunt ! qui præ-
ceptis ſuis indoctorum animas prius dureſcere vitando miſericor-
diam , quàm benignitatem appetendo miteſcere faciunt ! quid ni
nefarius , & paricida exiſtimandus ſit , qui ſummum inter homines
vinculum (quod eſt humanitas) diſrumpit. Cùm enim præſidii cau-
sâ homines ſocietatem cum hominibus inierint , & ſanxerint (nam
Deus præter cætera hunc pietatis affectum homini indidit, ut con-
ſortem naturæ ſuæ tueatur , diligat , foveat contra omnia pericula,
& accipiat , & præſtet auxilium) fœdus illud à principio ſui ortûs
inter homines initum aut violare , aut non conſervare ſummum ne-
fas putandum eſt. Quid hallucinaris Stoice ? etiam ab omni miſe-
ria liber poteſt eſſe ſapiens cùm præſtat ſubſidium depreſſis , & labo-
rantibus , cùm impertitur victum non habentibus , cùm veſtit nu-
dum , peregrinum tecto excipit , oppreſſum liberat , cùm denique
humanitatem ſuam uſque ad ſepulturam porrigit mortuorum ?

Etiamſi

etiamſi id faciat mente tranquillâ, nullis aculeis doloris inſtinctus, ſed adductus officio bonitatis, miſericors tamen vocandus eſt: huic enim nihil obeſt nomen, cùm abſit miſeria. Numquid in aliis hominibus nos ipſos cogitare debemus? undè qui ſe à præſtando auxilio removet, etiam ab accipiendo ſe removeat neceſſe eſt: quia nullius ope indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Quomodo verò merebimur auxilium, ſi negamus? quomodo merebimur à periculo liberari, ſi non ſuccurrimus? adeòne credimus hominem ſine homine ullo modo poſſe vivere? an perire arbitramur quidquid egentibus impertimur? fortaſſè nobis arridet deteſtanda ſententia Plauti, qui dicit. D. Aug. de mirab. Eccl. lib. 1. cap. 27.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat:
Nam & illud, quod dat, perit:
& illi producit vitam ad miſeriam. Plaut. citat. à Lact. l. 6. c. 11.

Longè meliùs & humaniùs, & piorum ſenſibus accomodatiùs Cicero in Cæſaris laude locutus eſt, ubi ait: *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt*: quin ſi altiùs rerum originem reperamus, Deus ipſe, cujus bonitate atque clementiâ fit omnino ut aliquid ſimus, miſericors dicitur: & quoniam ab ipſo inſpirati ſumus omnes, & animati, nihilque aliud quàm fratres effecti, & quidem conjunctiores, qui animis, quàm qui corporibus; ob hanc neceſſitudinem germanitatis docet nos Deus, mala numquam facere, bonum autem ſemper, & vinculum ſocietatis humanæ retinere: conſervare autem humanitatem, quid aliud eſt, quàm diligere hominem, quia homo ſit, & idem quod nos ſumus? quapropter nocere homini contra naturam, prodeſſe verò ſecundùm naturam eſt; *Quod qui non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat: quia humanitatis officium eſt, neceſſitati hominis, ac periculo ſubvenire.* Lact. lib. 6. c. 11.

§. 20. Poſtremò quæ vitia Philoſophi putaverunt, non operoſum erit oſtendere non tantùm vitia non eſſe, verum etiam magnas eſſe virtutes. Metum, ſeu timorem in maximo vitio ponunt, ſummamque imbecillitatem animi exiſtimant, cui contraria ſit fortitudo: quæ ſi reperiatur in homine, nullum judicant eſſe timori locum. Fateor nullos tam perniciosos, tam irrevocabiles, quàm lymphaticos metus eſſe. *Cæteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt.* In his nonnumquam nullis apparentibus ſignis, quæ mali aliquid prænuncient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ ſignificationis detorquet in pejus: ſuſpicionibus quoque ſæpiſſimè laborat: quidquid etenim ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Non dicit ſibi, cùm aliquid perla- Sen. Ep. 13.

tum eſt, vanus eſt auctor, aut finxit, aut credidit: ſed dat ſe referentibus, expaveſcit dubia pro certis, non ſervat modum rerum, ſtatim in
Pſ. 13. timorem venit ſcrupulus. Bene Pſalmiſta, *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Citò accedunt homines opinioni: non coarguunt illa, quæ ipſos in metum adducunt: nec excutiunt, ſed trepi-
Sen. Ep. 5. dant. *Timoris* iſtud *tormentum memoria reducit, providentia anticipat:* credit ergone aliquis fieri poſſe, ut metus ſingularis ſit, & eximia virtus, ſumma fortitudo? in ſapientibus, & viris in exemplar natis, firmam Seneca deſiderat, ut magnitudinem animi quam in ſcholis didicerunt, effectu probent: cùm timidi & imbecilli ſit animi aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem; quiſquis autem hæc omnia non exhorruerit omnium ſuffragiis fortiſſimus judicatur. Qui verò Deum me-
D. Ambr. Ser. tuit, illa univerſa non metuit. Eſt etiam infirmitas ad ſalutem, eſt
21. in Pſ. 118. etiam timòr ſanctorum. *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Et *beatus vir qui timet Dominum.* „ Quâ ratione beatus? quia in man-
Pſal. 33. Pſal. 111. „datis ejus cupiet nimis. Hic in cauſa eſt quod maneat apud Chriſti pugiles fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum velut petræ objacentis fortitudine ſuâ & mole obſiſtat. Undè nihil intereſt unde illis aut terror, aut periculum veniat; qui terroribus ac periculis vivunt obnoxii, & tamen fiunt de ipſis terroribus ac periculis glorioſi. Steterunt ſervi Dei voce liberâ, mente incorruptâ, virtute divinâ; telis quidem ſæcularibus nudi, ſed armis fidei credentes armati: „. ſteterunt torti tortoribus fortiores; & pulſantes
D. Cyprian. l. 2. Epiſt. 6. „ac laniantes ungulas pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpu„gnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita; „quamvis ruptâ compage viſcerum torquerentur in ſervis Dei jam „non membra ſed vulnera. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix atque invicta patientia ſine ullo gemitu pertulit: atqui hanc virtutem, quæ omnibus populis atque provinciis, & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit, nihil aliud quàm metus
Serm. 21. in Dei fecit. Quod eleganti Hypotypoſi D. Ambroſius exprimit. „ Po-
Pſ. 118. „ne, inquit, Martyrem inter pericula conſtitutum, cùm inde im„manitas beſtiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde „ſtridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis ex„æſtuet, ex parte alia perſonent tractus gravium catenarum, hinc „carnifex cruentus aſſiſtat, pone circumſpectantem omnia plena „ſuppliciis,. deindè cogitantem mandata divina, illum ignem „perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ „recrudeſcentis ærumnam; trepidare corde, ne dum præſentibus

cedat,

„cedat, perpetuis ſe dedat exitiis, perturbari animo, dum futu-„ri judicii romphæam illam terribilem quâdam conſpectûs ſpecie „intuetur: nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri conſtantis, „æqualis in eumdem concurrit effectum confidentia cupientis „æterna & divina trepidantis? itaque non evellendus eſt ut Stoici; neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt (inter quos hæc res in controverſiâ eſt & litem conteſtatam habent) ſed in veram viam dirigendus eſt; auferendique ſunt metus, ſed ita, ut is ſolus relinquatur, qui quoniam legitimus ac verus eſt, ſolus efficit ut poſſint cætera non timeri. Quemadmodum ingreſſus quis balneas, ſolis deponit æſtus, & calor excludit calorem, ita multo magis Divini judicii terror terrorem excludit humanum; fervorem gratiæ ſecularis, gratiæ fervor æternæ. Utinam ego talis eſſe merear, „exclamat D. Ambroſius, ut ſi fortè perſe- *Ibidem.* „cutor ingruerit, non conſiderem ſuppliciorum meorum acerbita-„tes, non metiar tormenta, non pœnas; non cogitem ullius atro-„citatem doloris, ſed hæc omnia levia ducam; trepidem ante „Chriſtum, ne Chriſtus me neget, ne Chriſtus excludat, ne me „repellat de concilio Sacerdotum! ſi indignum collegio me judica-„verit, videat magis licet permotum corporalium terrore pœna-„rum, plus tamen trepidantem futura judicia. Cupiditas quoque ab illis inter vitia numeratur, *quidquid enim cupiditati contingit*, *Senec. lib. 7. de benef. cap. 3.* *penitus hauritur & conditur: nec intereſt, quantum in id quod inexplebile eſt, congeras.* Unde tantum Alexandro defuiſſe probat Seneca, quantum cupiit: quandoquidem illius ne ea quidem erant, quæ tenebat, aut vicerat, cùm in Oceano Oneſicritus Præfectus Claſſibus præmiſſus explorator erraret, & bella in ignoto mari quæreret: cùm extra naturæ terminos arma proferret, ſeſeque in profundum, inexploratum & immenſum, aviditate cæca prorſus immitteret. Neque hoc Alexandro tantùm vitium adſcribit, ſed omnibus, quos fortuna irritavit implendo. *Cyrum*, ait, *& Cam-* *Ibidem.* *byſen, & totum regni Perſici ſtemma percenſe! quem invenies, cui modum imperii ſatietas fecerit? qui non vitam in aliquâ ulteriùs procedendi cogitatione finierit?* Attamen ſi terrenis inhiet, vitium eſt cupiditas; virtus autem ſi cæleſtia concupiſcat. Qui enim juſtitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem ſempiternam, eaque omnia quæ Deus homini pollicetur, conſequi cupit; de finibus poſſeſſionum propagandis nihil cogitabit, nihil de arationibus porrigendis aut de circumſcribendo prædiorum modo: non volet latifundiis ſuis mare cingi; neque ut trans Adriaticum, & Jonium, Ægæumque villicus ejus regnet: ſed opes facilè omnes, honores, potentatus &

regna ipſa contemnet. Sic fiet ut nihil iſtorum cupiat, quia omnia intra ſe videt quæ nullo apud ipſum ſunt in pretio, ad meliora ſiquidem deſiderium extendit. Philoſophos fuiſſe commemorat Plutarchus, qui Elpiſtici Græcis ſunt appellati, hi vitam potiſſimùm ſpe contineri affirmabant: eâque abſciſsâ, & oblectatione, quæ ex eâ oritur, vitam non poſſe tolerari. Nónne pari ratione aſtruere poſſumus vitam juſtorum ſpe cæleſtium, quam divina gignunt promiſſa ſuſtentari? hæc meliora proponendo à caducis ad æterna mentem tranfert, in qua ſupernorum bonorum cupiditatem accendit, ut jam nihil quod caro blanditur, libeat. Metus igitur & cupiditas, ſi projiciantur in terram, vitia fient; virtutes autem, ſi ad divina referantur. Nam iſtæ concitationes animorum juncto currui ſimiles ſunt: in quo rectè moderando ſummum rectoris officium eſt, ut viam noverit: quam ſi tenebit, licet quàm concitatè ierit, non offendet. Si autem erraverit, licet placidè ac leniter eat; aut per confragoſa vexabitur, aut per præcipitia labetur: aut certè, quò non opus eſt deferetur. Ideo potiùs affectus, quibus pravè uti vitium eſt, in rectum dirigamus. Parſimoniam verò non mediocriter commendant, ſine illius curâ ſtudium ſalutare fieri poſſe negant. Frugalitatem quippe paupertatem voluntariam appellant: exinde dicunt quod liceat ad Philoſophiam etiam ſine viatico pervenire. Poteſt, juxta Senecam frugalitas producere ſenectutem: parſimonia ſiquidem, & earum quæ aviditatem evocant modus, & diligens ſui tutela, perduxit Platonem ad ſenectutem multis prohibentibus cauſis: hujus porrò beneficio contigiſſe opinatur, quòd natali ſuo deceſſerit, & annum unum atque octogeſimum impleverit, ſine ullâ deductione. Ita judicat poſſe aliquatenus noſtrâ quoque providentiâ longiorem prorogari noſtro corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere & coërcere. Sic *manent cuncta, non quia æterna ſunt, ſed quia defenduntur curâ regentis. Immortalia tutore non egent: hæc conſervat artifex, fragilitatem materiæ vi ſuâ vincens.* Quòd ſi ſtudium habendi ſit parſimonia, ſi ex eâ expectetur velut fœnoris quæſtus aut compendium, non poteſt eſſe virtus: quia in augendis vel tuendis terreſtribus bonis tota verſatur; & multis paraſſe ſic divitias non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio, quia non tam in rebus quàm in ipſo animo vitium eſſe dignoſcitur. Summum verò bonum non eſt referendum ad corpus, ſed omne officium ſolius animæ conſervatione metiri debemus: quod ſi patrimonio minimè parcendum eſt, ut humanitatem juſtitiamque teneamus, non eſt virtus hoc modo frugi eſſe: quod nomen virtutis ſpecie fefellit, ac decepit:

Quæſt. Convival. 4. cap. 4.

Lact. lib. 6. cap. 17.

Epiſt. 58.

Plutarc. 8. quæſt. Convival. quæſt. 1.

Sen. Ep. 58.

pit: licet enim frugalitas ſit abſtinentia voluptatum: eò tamen vitium eſt quod ex amore habendi deſcendit: cùm ſit & voluptatibus, & pecuniæ ratione exigente minimè parcendum. Numquid inhumanum quod ſuaſit M. Tullius non eſſe omninò largiendum? ſic enim dixit: largitio quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit, ita benignitas benignitate tollitur: quâ quò in plures uſus ſis, eò minùs in multos uti poſſis. Videlicet profeſſor ſapientiæ, refrænat homines ab humanitate: monetque ut rem familiarem diligenter cuſtodiant, malintque arcam, quàm juſtitiam conſervare. Certè parcè nimis uti pecuniâ quaſi quædam puſillitas eſt animi, aut pertimentis ne ſibi deſit, aut deſperantis, poſſe ſe illam reparare: aut contemptum terreſtrium non capientis. Multum tamen refert utrumnè ſcortis propter libidinem largiaris, an miſeris propter humanitatem? utrum pecuniam tuam aleatores, lenoneſque diripiant, an illam pietati ac Deo præſtes? utrumnè illam ventri ac gulæ ingeras: an in theſauro juſtitiæ reponas? *Si virtus eſt non parcere opibus quæ poſſunt reparari, ut hominis vitam ſuſtentes, quæ reparari non poteſt, vitium igitur parſimonia eſt.* Quis non inſaniæ proximum dixerit hominem evulſis affectibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis velle perducere? hoc faciunt, qui ſtudent animum à perturbationibus liberare, & ut (ipſi dicunt) quietem tranquillumque reddere. Non adeò Seneca in verba magiſtrorum juraverat, ut non aliquandò ab ipſorum ſcitis auderet diſſentire: ideo liberrimè hæc protulit. „ Natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem & in ea- „ dem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſocia- „ biles fecit: illa æquum juſtumque compoſuit: ex illius conſtitutio- „ ne miſerius eſt nocere, quàm lædi. Et illius imperio paratæ ſunt ad juvandum manus: Igitur natura non tantum vult hominem non nocere homini, ſed precipit etiam prodeſſe; naufrago ſcilicet manum porrigere, erranti viam monſtrare, cum eſuriente panem ſuum dividere. Unde qui hanc immutabilitatem animi aſſerunt, omne benignè faciendi ſtudium tollere ſatagunt, imo vitâ ſuâ animum privare: quia vita actuoſa eſt, mors quieta. Quod neque fieri poteſt quia vis & ratio mentis ſemper in motu eſt: neque oportet quidem: quia ſicut aqua ſemper jacens & quieta, inſalubris, & magis turbida eſt: ſic animus immotus ac torpens, inutilis eſt, etiam ſibi, nec vitam ipſam tueri poterit, quia nec faciet quidquam nec cogitabit, cùm cogitatio ipſa nihil aliud ſit quàm mentis agitatio. Miris efferunt laudibus conſtantiam, ſed humanæ virtutis vanum decus, & ingentem imaginem falſæ rei concipiunt.

Apud Lact. lib. 6. cap. 11.

Lact. lib. 6. cap. 17.

Ibidem.

Ep. 95.

Lact. lib. 6. c. 17.

piunt. „ Virtus quidem eſt conſtantia: non ut inferentibus inju-
Lact. ibidem. „ riam reſiſtamus, his enim cedendum eſt: ſed ut jubentibus face-
„ re nos contra Dei legem, contraque juſtitiam, nullis minis, aut
„ ſuppliciis terreamur, quominùs Dei juſſionem hominis juſſioni
„ præferamus. Nihil majus aut fortius novit Seneca quàm malam fortunam retundere, ideoque tam crebrò Socratem omnibus imitari volentibus magnum undique circumfert exemplar; „ Nimirum
„ perpeſſicium ſenem, per omnia aſpera jactatum, invictum ta-
„ men & paupertate, quàm graviorem illi domeſtica onera facie-
Epiſt. 104. „ bant; & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus
„ ille domi exercitus. Sive uxorem ejus ſpectes moribus feram, lin-
„ guâ petulantem; ſive liberos indociles, & matri quàm patri ſimi-
„ liores. Addit deindè illum ferè aut in bello fuiſſe aut in tyrannide, aut in libertate bellis ac tyrannis ſæviore: demùm noviſſimam damnationem ſub graviſſimis nominibus impletam: objecta enim eſt & Religionum violatio, & juventutis corruptela, quam immittere in Deos, in patres, in Rempublicam dictus eſt: poſt hæc carcer & venenum. Quæ omnia dicit uſque eò animum Socratis non moviſſe, ut ne vultum quidem moverint; qui ſemper æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ. Videamus quò ſpectabat illius conſtantia, utrum laudem ex illâ tam mirabilem & ſingularem uſque ad extremum verè ſervaverit? non potuit virtutem in animæ ſuæ dirigere ſalutem cùm à vera religione eſſet alienus, neque immortalitem animæ, quam credidit, proprium æternæ felicitatis præmium manebat, cùm tam eminentis gloriæ largitorem ignoraret. Quid enim meritò atque optimo jure laudandum credemus, qui ante mortem familiares ſuos rogavit, ut Æſculapio gallum, quem noverat, pro ſe ſacrarent? timuit videlicet ne apud Rhadamantum receptorem voti reus fieret ab Æſculapio. „ Dementiſſimum homi-
Lib. 3. c. 20. „ nem putarem (ait Lactantius Firmianus) ſi morbo affectus periſſet.
„ Cum vero hoc ſanus fecerit, eſt ipſe inſanus, qui eum putet eſſe
„ ſapientem. Alterum exemplum accipite à Seneca propoſitum M.
Epiſt. 104. Catonem, cum quo infeſtiùs fortunam egiſſe ſcribit, & pertinaciùs. Totam illi ætatem aut in armis eſſe exactam civilibus, aut in ætate concipiente jam civile bellum. In Præturâ, in repulſa, in accuſatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte, denique in illâ Reipublicæ trepidatione, cùm illinc Cæſar eſſet decem legionibus pugnaciſſimis ſubnixus, tot externarum gentium præſidiis hinc Cn. Pompeius, ſatis unum adverſus omnia. A nemine mutatum Catonem toties mutatâ Republica viſum, cùm eumdem ſe in omni ſtatu præſtiterit. Illum fortunæ omnibus locis obſtitiſſe,

ſtitiſſe, noviſſimè & in morte: ubi oſtendit virum fortem poſſe invitâ fortunâ vivere, invitâ mori. At virtus quidem eſt mortem contemnere; non ut appetamus, eamque ultrò nobis inferamus & ſic jugo illius collum ſubducamus; quod ſceleratum in Catone & Philoſophis plurimis ac nefarium nemo non judicat: „ ſed ut coacti Deum relinquere, ac fidem prodere, mortem ſuſcipere malimus: libertatemque defendamus adverſus impotentiam ſtultam, „ vecordemque violentiam: ut omnes ſæculi minas, atque terrores „ fortitudine animi provocemus. Sic ea quæ alii timent, excelsâ „ & inſuperabili mente, dolorem mortemque calcamus. Hæc eſt „ virtus, hæc vera eſt conſtantia, in hoc tuenda & conſervanda ſolo, ut nullus nos terror, nulla vis à Deo poſſit avertere. Talem ſe præbuit D. Athanaſius, viva virtutis imago, Herculi ſuppar qui qui non unum laboribus ſuis fatigavit Euriſtheum, Conſtantii, Juliani, Valentis, iras ideo non metuit, quia ferre poterat; in hoc cum veritate conſentiens quod Regibus diſpliceret: ſæpe ab invidis quæſitus ad necem, ſemper ad duriora fuit ſervatus; nec aliâ ratione Hoſtes in Athanaſium Deus alliſit quàm ut frangeret: hoſte denique deficiente quem vinceret, eſt revocatus è pugna. Nec miror illo S. Joannes Chryſoſtomus ſælectus pro Dei causâ patronus, non minùs in dicendo quàm in agendo diſertus imperterritè Principibus obſtitit, quia divinis legibus obſtabant. Sed cùm perditos nec tolerare poſſet, nec corrigere ſemel atque iterum à Barbaris pulſus ad Barbaros pro exilio veram patriam reperit. Non te ſilebo magne Euſebi Vercellenſium Antiſtes, qui Athanaſium damnare renuiſti, ne te quoque damnares; qui maluiſti cum eodem exul abire, quàm judex in eumdem ſedere, nolens illis placere quibus æquè virtus ac veritas diſpliceret. Qui tuis redditus multiplici ſupplicio deleri potuiſti, non terreri. Cæcilium Cyprianum (qui ſuum etiam Carthagini Tullium dedit, ut non armis tantum ſed & facundiâ cum Roma contenderet) legimus pro veritatis patrocinio ſæpè progreſſum in forum: qui licet diu delituerit non quia timidus ſed quia prudens; noviſſimè ſe ita vixiſſe, ut ſtrenuè mori mereretur, oſtendit. Quid Polycarpum Smyrnenſem referam qui obrutæ non ferens ſe veritati ſupereſſe, vitam ſuam moriens clariorem fecit in flammis? Quid Hilarium Pictavienſem? qui, cùm ultra voce non poſſet, ſtylo decertavit numquam tamen moribus perditum Principem ceſſans arguere; qui magis indoluit quòd à Phrygia rediret in Patriam, quàm quòd abiiſſet; pugnaſſe ſe pro veritate nequaquam reputans quod in certamine non occubuiſſet. Annectamus his innumeros, quos poſt conſummationem laborum per diverſa

Lact. lib. 6. c. 17.

verſa & exquiſita ſupplicia, & devictum triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præſens hæc vita parturiit: illos omnes non cruciatus, ſed cauſa Martyres fecit. Beatus eſt igitur Chriſtianus in tormentis: ſed cum torquetur pro fide, pro juſtitia, pro Deo: illa patientia doloris beatiſſimum facit.

§. 21. Bonum afferunt Philoſophi unius horæ aut fortaſſe momenti, expedietne propter illud in tota vita miſeriis & laboribus confici? ex eorum quippe ſententia Beatus eſt ſapiens etiam cum torquetur. Si propter gloriam, patientia non fruetur, in tormentis enim fortaſſe morietur. ſi propter memoriam, aut non ſentiet, ſi occidunt animæ: aut ſi ſentiet, nihil ex ea conſequetur. Poteſtnè fieri, ut quod bonum, quod honeſtum illis videtur, mercede ac præmio careat? ſitque tam ſterile ut nihil ex ſe commodi pariat? labor ille magnus, & difficultas, & eluctatio adverſus mala, quibus hæc vita plena eſt, profectò aliquid magni boni producere deberet: ſi voluptatem iſtud eſſe dicamus, quomodo aliquid turpe ex honeſto naſci poteſt. Si divitias, ſi poteſtates: at ea quidem fragilia ſunt & caduca. Si gloriam, ſi honorem, aut memoriam nominis; at hæc omnia non ſunt in ipsâ virtute, ſed in aliorum exiſtimatione, atque arbitrio poſita. Deinde ſi nihil aliud ex virtute captetur, niſi gloria, quandoquidem hæc aut ſupervacua & brevis ſit, aut pravis hominum judiciis non ſequenda; reſtat ut nullus proveniat ex virtute fructus, præſertim ubi & ipſa virtus mortalis eſt & caduca. Apud Ciceronem tamen juſtitiæ defenſor Lælius inquit: *Vult planè virtus honorem, nec eſt virtutis ulla alia merces*; ergòne ab homine præmium virtuti ſolvi poteſt, quod illi ſit omninò proprium? virtutis bona divina judicas, cùm nihilominùs adjungas: *Sed ſi aut ingrati univerſi, aut invidi multi, aut inimici potentes ſuis virtutem præmiis ſpoliant.* O quàm fragilem, quàm inanem virtutem induxiſti, ſi ſpoliari poteſt ſuo præmio! tibimet contradicis, nam qui poſſunt exiſtere tam ingrati, tam invidi, tam potentes, qui virtutem ſpoliare valeant iis bonis, quæ fuerint in eam collata divinitùs? ſed videlicet ignorantia veri facit incertam, labantemque ſententiam. Magna diſceptatio eſt inter eos qui de mortis bono diſputant, & quia nihil veri ſciunt in hunc modum argumentantur: ſi nihil eſt poſt mortem, non eſt malum mors: aufert enim ſenſum mali. Si autem ſemper ſunt animæ, eſt etiam bonum, quia immortalitas ſequitur. Ideo Cicero: *Gratulemur nobis quoniam mors aut leviorem, quàm qui eſt in vitâ, aut certè non deteriorem eſt allatura ſtatum. Nam ſine corpore animo vigente divina eſt vita, ſenſu carenti nihil profectò eſt mali.* Utrumque illud non conſtat, docent enim ſacræ litteræ non extin-

Lact. lib. 3. cap. 27.

Lact. lib. 5. cap. 19.

Cic. de leg.

gui animas, ſed his aut pro meritis præmia decerni, aut pro ſceleribus ſupplicia: neque enim fas eſt, aut eum, qui ſceleratus in vita feliciter egerit, effugere quod meretur; aut eum qui ob juſtitiam miſerrimus fuerit; ſuâ mercede fraudari. Non malè Euclides conditor Megaricorum diſciplinæ ſummum bonum dixit quod ſimile ſit, & idem ſemper. Illud haud dubiè eſt immortalitas, quia ſola nec imminui nec augeri, nec immutari poteſt. Undè nemo umquam extitit qui hanc brevem vitam cum omnibus bonis ſuis contemneret, aut ſubiret mortem, niſi ſpe vitæ melioris ac longioris: nam illi qui propter ſalutem civium voluntariæ ſe neci obtulerunt, ſicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius & Mures duo Decii, numquam mortem vitæ commodis prætuliſſent, niſi ſe immortalitatem opinione civium conſequi putaviſſent. Neſcierunt quidem immortalitatis viam, res tamen ipſos non fefellit. Si autem virtus facit honeſtè, quòd voluptates vitioſas turpeſque contemnit, & fortiter: quòd nec dolorem nec mortem timet, ut officium ſervet: ſi voluptates contemnit quia breves, divitias quia fragiles: ergo magis aliquod bonum aſſequatur neceſſe eſt, quàm ſunt illa quæ ſpernit: quid aliud reſtat, niſi ut ad cæleſte aliquid aſpiret, quia terrena univerſa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia deſpicit: at verò morte ſuſceptâ, quod ulterius bonum ſperari poteſt, niſi æternitas? quòd enim voluptates quis, opes, potentias, honores, atque omnia, quæ pro nobis habentur, non concupiſcat, non appetat, non amet, quod cæteri faciunt victi cupiditate, aliud ſublimius, atque præclarius efficit: nec fruſtra his præſentibus bonis reluctatur niſi quòd majora, & veriora deſiderat: horum ſiquidem omnis jactura immortalitate compenſatur. Non igitur virtus eſt ipſa ſummum bonum, ſed effectrix & mater eſt ſummi boni: quoniam perveniri ad illud ſine virtute non poteſt. Quod tamen reperiri nequit, niſi in eâ Religione atque doctrina, cui ſpes immortalitatis adjuncta eſt.

Lact. lib. 3. c. 12.

§. 22. Propterea naturam hominis hanc Deus eſſe voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens eſſet, Religionis, & ſapientiæ: namque in his duobus inſeparabiliter connexis & officium hominis & veritas omnis incluſa eſt, cùm non raro fallantur qui aut religionem ſuſcipiunt omiſsâ ſapientiâ, aut ſapientiæ ſoli ſtudent omiſsâ Religione:

Lact. lib. 3. c. 11.

Alterius ſic res altera poſcit opem.

Ob eam cauſam ſapientia cum Religione conjungenda eſt, ne quid ſtudioſis inanis illa Philoſophorum doctrina poſſit officere: ut jam

 ſcien-

Lact. lib. 5. c. 1. „ ſcientia literarum non modò nihil noceat Religioni, atque juſti-
„ tiæ, ſed etiam proſit quàm plurimum: ſi is, qui eas didicerit, ſit vir-
„ tutibus inſtructior, & veritate ſapientior: præterea etiamſi nulli
„ alii, nobis certè proderit: delectabit ſe conſcientia, gaudebit
„ mens ſe in veritatis luce verſari, quod eſt animæ pabulum incre-
„ dibili quadam jucunditate perfuſum. An non magni fiet quod
Ep. 95. plauſibiliter dictum eſt à Seneca; „ proponamus oportet finem ſum-
„ mi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum di-
„ ctumque reſpiciat: veluti navigantibus ad aliquod ſidus dirigen-
„ dus eſt curſus. Vita ſine propoſito, vaga eſt. Scopus igitur Chri-
ſtianorum erit pro illa æterna cæleſtique patria, cuncta ſæculi hujus
quamlibet jucunda blandimenta contemnere, ſi pro hac temporali
atque terrena filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere ne-
minem cogit. Si Manlius Torquatus, filium, non quia contra
patriam, ſed etiam pro patria, tamen quia contra imperium ſuum
ab hoſte provocatus juvenili ardore pugnaverat, licet viciſſet, oc-
cidit; nonnè pro immortalis patriæ legibus, omnia quæ multò
minus quàm filii diliguntur, bona terrena ſunt contemnenda? ſi
Mutius ſpectator diſtillantis in hoſtili foculo dextræ ſteterit, nec an-
tè removerit nudis oſſibus fluentem manum, quàm ignis illi ab
hoſte ſubductus eſſet; acrior exiſtens ad occupanda pericula virtus,
quàm crudelitas ad irroganda: quis regno cælorum imputaturus eſt
merita ſua, ſi pro illo non unam manum, neque hoc ſibi ultrò fa-
ciens, ſed perſequente alio patiens, totum flammis corpus impen-
derit? ſi Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ ſe
præcipitem dedit, Deorum ſuorum oraculis ſerviens, qui juſſerant,
S. Aug. lib. 5. de civit. c. 18. ut illuc id quod Romani haberent optimum mitteretur: „ quid ſe
„ magnum pro æterna patria feciſſe dicturus eſt, qui aliquem fidei
„ ſuæ paſſus inimicum; non ſe ultrò in talem mortem mittens, ſed
„ ab illo miſſus obierit, quandoquidem à Domino ſuo eodemque
Matth. 10. Rege patriæ ſuæ certius oraculum accepit: *Nolite timere eos qui corpus
occidunt, animam autem non poſſunt occidere.* Si Decii Romanam
aciem inclinatam penè jam & proſtratam videntes, caput ſuum
Val. Max. lib. 5. c. 6. pro ſalute Reipublicæ devoverunt; ac protinus concitatis equis in
medium hoſtium agmen irrumpentes, factâque ingenti ſtrage plu-
rimis telis obruti corruerunt: ex quorum vulneribus & ſanguine in-
ſperata victoria emerſit: quid dignum Sancti Martyres pro illius pa-
triæ participatione, ubi æterna eſt & vera felicitas, ſe feciſſe arbi-
trabuntur; licet uſque ad ſanguinis ſui effuſionem non ſolùm ſuos
fratres pro quibus funditur, verùm & ipſos inimicos, à quibus
funditur, ſicut eis præceptum eſt, diligentes charitatis fide & fidei
chari-

charitate certent? ſi M. Regulus ne hoſtibus de violatâ juriſjurandi Religione teneretur, ad eoſdem regreſſus, ſeſe documentum fidei & patientiæ præſtitit: Carthaginenſes enim, quoniam contra eos in Romano Senatu egerat, graviſſimis eum ſuppliciis necârunt. Fixerunt cutem clavi, ut quòcumque fatigatum corpus reclinaret, vulneri incumberet, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa fuerunt lumina: qui cruciatus non ſunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cujus beatitudinem fides ipſa perducit? quantum ſibi applaudere de voluntaria paupertate audebit Chriſtianus, ut in hujus vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipſe Deus eſt, cùm legat vel audiat Valerium Publicolam, qui tres conſulatus acceptiſſimos Reipublicæ geſſit; & plurimorum ac maximorum operum prætextu titulum imaginum ſuarum amplificavit, in ea deceſſiſſe paupertate, ut mortuo lectus funebris & rogus defuerit? quid ſi latifundia L. Quintii Cincinnati conſideret, cui quatuor tantùm jugera poſſidenti & ſuis manibus colenti dictatura delata eſt? quid ſi Q. Elium Tuberonem, *Qui paupertatem & ſe dignam & Capitolio judicavit, cùm fictilibus in publica cœna uſus, oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus Dii etiamnum uterentur?* ligneos enim lectos in publicum ſternere, hœdinasque pro ſtragulis pelles collocare, & ante ipſius Jovis cellam proponere convivis vaſa fictilia, nihil aliud fuit, Seneca judice, quàm paupertatem in Capitolio conſecrare. Unde cenſuram fuiſſe illam affirmat, non cœnam, & omnibus ſæculis Tuberonis fictilia duratura. Vide quàm locuples fuerit illius familia Elia: ſedecim eodem tempore Elii fuerunt: quibus una domunculâ fuerat eodem loci, quo nunc ſunt, ait Valerius, Mariana monumenta: & ũnus in agro Vejente fundus, minùs multò cultores deſiderans quàm Dominos. Adjiciat his Romuli caſam, veteris Capitolii humilia tecta, æternos Veſtæ focos fictilibus vaſis contentos: „ Quando animi virorum & fœminarum vigebant in civi„tate; eorumque bonis dignitatis æſtimatio cunctis in rebus pon„derabatur: hæc imperia conciliabant, hæc jungebant affinitates; „ hæc in foro, hæc intra privatos penates plurimum poterant. Pa„triæ enim rem unuſquisque non ſuam augere properabat. Pau„perque in divite, quàm divites in paupere imperio verſari malebat. Quando illa ſibi proponet, numquid pro regno Dei aliquid ipſe facere cupiet animosè ut ſit inter exempla? multum juvat habere ad quod excitemur, ad quod nos conciremus, cujus denunciatione & incurſu firmitatem animi noſtri tentemus; nam vitam ſecûram & ſine ullis fortunæ incurſionibus mare mortuum Demetrius Philo-

Sen. Epiſt 98.

Epiſt. 95.

Val. Max. lib. 4. c. 4.

Idem ibidem.

Sen. Ep. 67.

ſophus vocat. Quomodo aliquis ſinet ſe ab æternæ illius patriæ ſocietate præmio mundi ſeduci, cùm Fabricium didicerit Pyrrhi Regis Epirotarum aurum repuliſſe, majuſque regno judicaſſe, regias opes poſſe contemnere? cùm M. Curium exactiſſimam normam Romanæ frugalitatis Samnitum divitias contempſiſſe, ut ſe legatis eorum nec acie vinci nec auro corrumpi poſſe ſit profeſſus, cùm eo tempore ad focum cœnaret illas ipſas radices, & herbas, quas in agro repurgando triumphalis ſenex vulſerat? ad humanam gloriam præſentiſque temporis ſatis digna vita illorum exiſtimabatur, nonnè igitur potiori jure non pro terrenis & temporalibus beneficiis, quæ divina providentia permixtè bonis malisque concedit, ſed pro æterna vita muneribusque perpetuis & ipſius ſupernæ civitatis ſocietate virtutes utcumque ſimiles exercebimus? „ eſt enim Deus, qui
Lact. lib. 3. c. 27. „ ſolus poteſt honorare virtutem, cujus merces immortalitas ſola eſt: „ quam qui non appetunt, nec religionem tenent cui æterna ſubjacet vita: profectò neque virtutis vim ſciunt, cujus præmium „ ignorant: neque in cælum ſpectant, quod ipſi ſe facere putant, „ cùm res non inveſtigabiles quærunt: quia ratio in cælum ſpectan„ di nulla alia eſt, niſi aut religionem ſuſcipere, aut hanc animam „ ſuam immortalem eſſe credere. Quiſquis enim aut Deum colen„ dum eſſe intelligit, aut immortalitatis ſpem ſibi propoſitam ha„ bet, mens ejus in cælo eſt. Et licet id non aſpiciat oculis, animæ „ tamen lumine aſpicit.

§. 23. Ex his colligunt, qui non ſcire tantùm volunt ſed & ſapere & facere, qui in amœniore & externa doctrina exculti ad meliores curas tranſeunt; & doctrinam parant, quæ non in pompam ſibi ſpeciemque ſit, ſed in uſum: quantum ad rectè beateque vivendum hiſtoriæ conferant. Illic etenim ſæculorum res ſunt, illic, quàm latè patent ſola hæc terrarum: in illis ſenſus breves authores, aut monita inſeruërunt, quàm recta, quàm ſalutaria, ſi bona mens eligit & excerpit; ſi oculos in illo velut ſpeculo defigit exem-
Sen. Ep. 6. plorum! Longum quippè *iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla:* quæ non ſolùm præſtant ut quis proficiat, ſed ut proſit. Opus eſt aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Non ad hoc Cato nobis eligendus, aut remiſſioris animi vir Lælius: longè præſtantiores nobis Sanctorum faſti proponunt; ex his eligamus eum, cujus nobis maximè placet & vita & oratio; ipſiusque animum ante nos ferentes ac vultus, illum ſemper nobis oſtendamus, vel cuſtodem, vel exemplum. Ad virtutem quoque ſunt quædam
Lib. 2. de doct. Chriſt. c. 39. Philoſophorum decreta, ſi legitimè iis utamur. Quod ita declarat D. Auguſtinus: „ Philoſophi autem qui vocantur, ſi qua fortè vera „ & ſi-

,, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non
,, ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tamquam injuſtis
,, poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda. Exemplo populi Iſ-
raëlitici probat, qui non ſolùm idola Ægyptiorum & onera gravia
deteſtatus eſt & fugit, ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro &
argento, veſtemque exiens de Ægypto, ſibi potiùs tamquam ad *Exodi 3. v.*
uſum meliorem clanculo vendicavit, non autoritate propriâ, ſed
præcepto Dei: ,, Sic doctrinæ omnes gentilium non ſolùm ſimula-
,, ta & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacui laboris *Idem ibidem.*
,, habent, quæ unuſquiſque noſtrûm Duce Chriſto de ſocietate *cap. 40.*
,, gentilium exiens, debet abominari atque devitare, ſed etiam
,, liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam mo-
,, rum præcepta utiliſſima continent; deque ipſo uno vero Deo
,, colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eo-
,, rum tamquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt,
,, ſed de quibuſdam quaſi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique
,, infuſa eſt, eruerunt; & quo perversè, atque injurioſè ad obſequia
,, dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo
,, ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad uſum juſtum prædican-
,, di Evangelii. Concordat D. Hieronymus in hunc modum de Da-
niele & ſociis loquens: *Qui de menſa & vino Regis nolunt comede-* *Relatus diſt.*
re, ne polluantur utique: ſi ſapientiam atque doctrinam Babylonio- *37. can. qui*
rum ſcirent eſſe peccatum, numquam acquieſcerent diſcere, quod non li- *de menſa.*
cebat. Fuſiùs multò & impenſiùs venerabilis Beda ſæculares literas
Clericis prohibendas negat: ,, Turbat, inquit, acumen legentium &
,, deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus libris omnibus modis *Relatus ibidem can.*
,, exiſtimat prohibendos: in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi *turbat.*
,, ſua ſumere licet: Alioquin Moyſes & Daniel ſapientia & literis
,, Ægyptiorum Chaldæorumque non paterentur erudiri: quorum
,, tamen ſuperſtitiones ſimul & delicias horrebant: nec etiam ipſe
,, Magiſter gentium aliquot verſus Poëtarum ſuis vel in Scripturis,
,, vel dictis indidiſſet. Neque obſcurè innuit Eugenius Papa in ſtu- *Ibidem can. de*
diis literarum liberaliumque artium dogmatibus divina manifeſtari *quibuſdam.*
atque declarari mandata: & D. Hieronymus ſuadet hæc eſſe diſcen-
da ut probentur ea, quæ à Sanctis Prophetis ante ſæcula multa præ- *Vbi ſupra can.*
dicta ſunt, tam Græcorum quàm Latinorum & aliorum gentilium *qui de menſa.*
literis contineri. Veſtem quoque Philoſophorum & aliorum genti-
lium, id eſt inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati,
quâ in hac vita carere non poſſumus accipere atque habere licebit
in uſum convertenda Chriſtianum. ,, Non aſpicimus, ait S. Augu- *Lib. 2. de doct.*
,, ſtinus, quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de *Chriſt. c. 40.*

 ,, Ægypto

„ Ægypto Cyprianus Doctor ſuaviſſimus & Martyr beatiſſimus?
„ quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut
„ de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci? *Socrates totam Philoſophiam revocavit ad mores, & hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam,*
Sen. Epiſt. 71. *bona malaque diſtinguere.* Quid nì idem faciamus, & quod in quolibet authore bonum repererimus, in uſum noſtrum ſeligamus? in morali quippe tota Philoſophiæ ratio continetur. Ex qua præter oblectationem utilitas quoque depromitur: vitam corrigit, animum turbidum ſordidumque tranquillat & illuſtrat. Illa eſt quæ virtutem imprimere, quæ conſtantiam ſuggerere poteſt & templum bonæ mentis aperire. „ Et quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, formandiſ-
„ que moribus periculo majori peccatur, majorem diligentiam ne-
„ ceſſe eſt adhiberi, ut ſciamus quomodo nos oporteat vivere. Il-
Lib. 3. cap. 7. „ lic enim (de Phyſica loquitur Lactantius) poteſt venia concedi,
„ quia ſive aliquid dicunt, nihil proſunt: ſive delirant, nihil nocent.
„ Hìc verò nullus diſſidio, nullus errori eſt locus. Omnes unum
„ ſentire oportet, ipſamque Philoſophiam uno quaſi ore præcipere:
„ quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori par-
„ te, ut periculi minùs, ita plus difficultatis eſt. Quod obſcura re-
„ rum ratio cogit diverſa & varia ſentire: hìc ut periculi plus, ita mi-
„ nùs difficultatis; quòd ipſe uſus rerum, & quotidiana experimen-
„ ta poſſunt docere, quid ſit verius & melius. Unde nullam reputat
Epiſt. 68. Seneca ætatem aptiorem eſſe ad bonam mentem, *quàm quæ ſe multis experimentis, longâ ac frequenti rerum patientiâ domuit: quæ ad ſalutaria, mitigatis affectibus, venit.*

§. 24. Præſtabit id nobis moralis Philoſophia etiam ex antiquorum placitis atque inſtitutis deſumpta, ut meliorem vitam ſequamur quàm vulgus. Promittit enim ſenſum communem, humanitatem & congregationem: à qua profeſſione morum diſſimilitudo
Sen. Ep. 6. ſeparat. Docet amicitiæ certiorem fiduciam habere, nempe *illius veræ, quam non ſpes, non timor, non utilitatis ſuæ cura divellit: illius, cùm qua homines moriuntur, & pro qua moriuntur.* Docet vitam temperare inter bonos mores & publicos; ut illam omnes ſuſpiciant, ſed & agnoſcant. Docet vera à falſis diſcernere, metuenda declinare; & quidquid conſilio proſpici poteſt, proſpicere: quodcumque læſurum eſt, multò antè quàm accidat, ſpeculari & advertere. Sed nihil invenitur tam manifeſtæ utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa: beneficia quoque naturæ utentium pravitate perpenduntur, nihil non noſtro malo accepimus; imo vitâ parantur ea, in quibus vita conſumitur: *Malus omnia in malum vertit,*
Sen. Ep. 98. *etiam quæ ſpecie optimi venerant.* Uti præclara quæque facere, non
eſt

eſt dos temporum ſed perſonarum, ſic nemo luxuriam & negligentiam boni moris rectè temporibus objicit. „Hominum ſunt „iſta, non temporum: nulla ætas vacuit à culpâ. Ad deteriora fa-„ciles ſumus: quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe; & res etiam „ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum eſt tantùm ad „vitia, ſed præceps. Et, quod pleroſque inemendabiles facit, „omnium aliarum artium peccata, artificibus pudori ſunt, offen-„duntque deerrantem: vitæ peccata delectant. Quomodo ſapientia omne opus ſuum implere poterit, ſi nondum tota ſe nequitia protulit? adhuc naſcitur, & huic omnes operam damus: huic oculi noſtri, huic manus ſerviunt. Philoſophiæ nulla cura eſt, ad illam enim quis accedit? quis dignam judicat, niſi quam in tranſitu noverit? quis ullum liberale reſpicit ſtudium, niſi cùm ludi intercalantur, cùm aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet? veritatem in ſumma terra & levi manu quærimus, quam ſi totis viribus inveſtigaremus, & in hoc penitùs incumberemus, vix ad fundum veniretur in quo poſita eſt. Initiatos nos credimus; & adhuc in veſtibulo ejus hæremus. Arcana illius non promiſcuè nec omnibus patent: reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. In eorum ſolummodo notitiam perducuntur qui gnaviter in veritatis indagatione Deo propitio deſudant, qui ſedulò manum operi admovent, qui peſſima relinquunt ut optima conſequantur, qui cuncta, quæ didicerunt recta, ad animi profectum referunt. Igitur ex intentâ illâ Archimedis ad ſtudium Mathematicum attentione diſcimus quàm enixè ſalutis negotium gerendum ſit. Natura omne animal quâdam agilitate (quæ ſpontaneus motus eſt) & ſolertiâ ad uſum ſui ac conſtitutionem impellit. „Ita, quamvis nullum tormentum „ſentiat ſupinata teſtudo; inquieta eſt tamen deſiderio naturalis „ſtatus: nec ante deſinit niti, quatere ſe, quàm in pedes conſti-„tit. Sic infans qui ſtare meditatur, & ferre ſe aſſueſcit, ſimul „tentare vires ſuas cœpit, cadit: & cum fletu toties reſurgit, do-„nec ſe per dolorem ad id quod natura poſcit, exercuit. An non magnopere nobis curæ debet eſſe, ut animus noſter ad ſtatum ſuum, boni nimirum honeſtique notitiam perveniat? quam obſervatio colligere poteſt, & rerum ſæpè factarum inter ſe collatio, per analogiam noſtro intellectu & honeſtum & bonum judicante. In ſimili conſiſtit hæc analogia. Novimus corporis ſanitatem: ex hac collegimus eſſe aliquam & animi. Ex corporis viribus collegimus eſſe & animi robur. In hiſtoriis aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia invenimus; quæ tamquam perfecta cœpimus admirari ſimul ac imitari. Suberant illis multa vitia ſub ſpecie alicujus conſpicui

Sen. Ep. 97.

Sen. lib. 7. nat. quæſt. in fine.

Sen. Ep. 121.

cui facti fulgoreque occultata, quæ diſſimulanda duximus. Oſten-
dit virtutem nobis ordo ejus, & decor, & conſtantia, & omnium
inter ſe actionum concordia, & magnitudo ſuper omnia ſeſe effe-
rens.

§. 25. Hæc nos inſtigabunt ut magnorum virorum animos in-
duamus, & ſecedamus ab opinionibus vulgi; ut altius quid ſubli-
miusque meditemur. „ Electorum mentes teſte D. Gregorio, dum
„ tranſitoria cuncta nulla eſſe conſpiciunt, ad quæ ſunt conditæ
Lib. 1. moral. cap. 26. in c. 1. Job. „ exquirunt: cumque eorum ſatisfactioni nihil extra Deum ſufficit,
„ ipſa inquiſitionis excitatione fatigata illorum cogitatio, in condi-
„ toris ſui ſpe, & contemplatione requieſcit, ſupernis inſeri civi-
„ bus apperit; & unuſquiſque eorum adhuc in mundo corpore po-
„ ſitus, mente tamen extra mundum ſurgit: ærumnam exilii,
„ quam tolerat, deplorat, & ad ſublimem patriam inceſſantibus
„ ſe amoris ſtimulis excitat. Optat illum diem, qui ipſum revelet,
& ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Sit, quòd alia
origo, alius ipſum rerum ſtatus expectat. Imaginatur ſecum, quan-
tus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus, quod
nulla ſerenum umbra turbabit; ſed æqualiter ſplendebit omne cæli
latus, quando diſcutietur caligo, & lux undique clara percutiet.
Sen. Ep. 79. „ Tunc animus noſter habebit quod gratuletur ſibi, cùm emiſſus
„ his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexit,
„ ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo ſuo fuerit. Indubiè ſe
vixiſſe in tenebris dicet, cùm totam lucem totus aſpexerit: quam
nunc per anguſtiſſimas oculorum vias, obſcurè intuetur, & tamen
admiratur procul. Animus ſiquidem magnus & ſacer & in hoc de-
miſſus ut propiùs divina noſſemus, ineſt quidem corpori, ſed
Idem Ep. 41. hæret Deo tamquam origini & fini ſuo. *Illinc pendet: illuc ſpe-
ctat ac nititur: noſtris tamquam melior intereſt.* Surſum vocat il-
lum natura ſua. Eſt autem illìc, etiam antequam corporis cu-
ſtodiâ exſolvatur, cùm vitia dejecit, puruſque ac levis in cogita-
tiones divinas emicuit. „ Cùm ergo dolens videt juſtus, quàm ſit
D. Greg. ubi ſupra. „ æternum quod perdidit, invenit ſalubre conſilium, temporale hoc
„ deſpicere quod percurrit: & quò magis creſcit conſilii ſcientia ut
„ peritura deſerat, eò augetur, quòd necdum ad manſura pertin-
„ gat. Quæ cogitatio nihil ſordidum animo illius ſubſidere ſinit,
nihil humile, nihil crudele. Deum omnium rerum teſtem eſſe ait,
illi ſe approbari, & in futurum parari deſiderat, æternitatem ſibi pro-
ponens. Omnem proinde operam dat, ut ſe multitudini educat,
& aliqua dote notabilem faciat: magnanimitas enim Chriſtiana eſſe
non poteſt, niſi omnia velut minuta contempſerit, quæ pro maxi-

mis

mis vulgus optat. „ Unde S. Baſilio perfecta renunciatio eſt vincu- *Homil. qua habetur in Brev. 14. Junn.*
„ lorum terrenæ hujus ac temporalis vitæ ſolutio atque ab humanis
„ negotiis liberatio, per quam ad ineundam viam, quâ ad Deum
„ pervenitur, aptiores & promptiores efficimur: & expedita ratio
„ ad acquiſitionem uſumque rerum, quæ ſuper aurum & lapi-
„ dem pretioſum multum, longè ſunt pretioſiores: & in ſumma,
„ cordis humani ad cæleſtem converſationem tranſlatio, ita ut di-
„ cere liceat: noſtra converſatio in cælis eſt: & (quod maximum
„ eſt) initium unde ad Chriſti ſimilitudinem evadimus, qui cum di-
„ ves eſſet, propter nos pauper eſt factus. Altè aſcendere debet virtus, nec illi per ſecura vadendum eſt: quod Sol apud Ovidium inſinuat Phaëtonti,

Ardua prima via eſt; & quâ vix mane recentes *Lib. 2. Met. Fab. 1.*
Enitantur equi: medio eſt altiſsima cælo;
Vnde mare & terras ipſi mihi ſæpe videre
Fit timor, & pavidâ trepidat formidine pectus.
Vltima prona via eſt; & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me ſubjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Thetys ſolet ipſa vereri.

Hæc cùm audiſſet ille generoſus adoleſcens: „ Placet, inquit, via: *Sen. de provid. cap. 5.*
„ aſcendo. Eſt tanti per iſta ire caſuro. Non deſinit acrem ani-
„ mum metu territare.

Vtque viam teneas, nulloque errore traharis; *Ovid. ibidem.*
Per tamen adverſi gradieris cornua Tauri,
Hæmoniosque arcus, violentique ora Leonis.

Poſt hæc ait:

Junge datos currus.

„ His quibus deterreri me putas, incitor: libet illic ſtare, ubi ipſe
„ ſol trepidat. Humilis & inertis eſt, tuta ſectari: per alta virtus it. Ita mens hominis ſui juris quærit eſſe; adeò libera & vaga, ut ne ab hoc quidem carcere cui incluſa eſt, teneri queat, quo minùs impetu ſuo utatur, ingentia agat, & in infinitum comes cæleſtibus exeat. Capax ad hoc eſt noſter animus: perfertur in cælum, ſi vitia non deprimant: credamus Deo monſtranti pulcherrimum iter, & clamanti.

——— *Hâc itur ad aſtra:*

Hâc, ſecundùm frugalitatem; hâc, ſecundùm temperantiam; hâc, ſecundùm fortitudinem; hâc, ſecundùm humilitatem. Non eſt Deus

faſtidioſus, non invidus: admittit, & aſcendentibus manum porrigit. Sen. Ep. 73. Miramur hominem ad Deum ire? *Deus ad homines venit*, imò (*quod propius eſt*) *in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt.* Ab hac tamen divinâ contemplatione abductum animum in ſordida & humilia perrrahimus, ut avaritiæ ſerviat, ut relictis cæleſtibus terram rimetur, & quærat quid ex illâ mali effodiat, non contentus oblatis. Vitia noſtra, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quàm excutere. Satis Deus homini offert roboris; cur illo non utimur? cur vires non colligimus, ac totas obſecundante divinâ gratiâ pro nobis, non contra nos concitamus? Nolle plerumque in cauſa eſt: non poſſe prætenditur. Cur omnia nobis tenebras facimus, nihil videnres, nec quid noceat, nec quid expediat? Quare totâ vitâ incurſitamus, nec ob hoc reſiſtimus, aut circumſpectiùs pedem ponimus? ſi velociter illò quò intendimus, ire cupimus, ne addicamus animum voluptati: cui indulgere initium malorum eſt. Ne tradamus ambitioni & famæ cæteris æquè vanis & inanibus. Non eſt multum ad hoc peregrinandum, quæcumque chara animo poſſidenda ſunt. Qui numquam abeſt: quemcumque amicorum vult, quotidie videt. Converſari cum abſentibus licet: & quidem quoties, & quamdiu volumus. Cum Divo Paulo vivere, cum Divo Petro, cum reliquis Apoſtolis. Imo & D. Patri Auguſtino convivere, cum S. Benedicto & Franciſco verſari: quorum alter nos continentiam docebit, alter profundam humilitatem: hac quoque via poſſumus in contubernium Martyrum tranſire, ab illis veram fortitudinem haurire: hi jubebunt nos animum indurare & adverſus minas erigere. Adverſus caſus muniendi ſumus. Nullus extrinſecus contra fortunam inexpugnabilis murus eſt: intus inſtruamur. Si illa pars tuta eſt, pulſari homo poteſt, capi non poteſt. „ Illud „ præſtat animus divino ſubnixus auxilio, intuens vera, peritus fu- Sen. Ep. 66. „ giendorum ac petendorum, non ex opinione, ſed ex natura pre- „ tia rebus imponens, toti ſe inferens mundo, & in omnes ejus actus „ contemplationem ſuam mittens, cogitationibus actionibuſque in- „ tentus, ex æquo magnus ac vehemens, aſperis blandiſque pariter „ invictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contin- „ gunt accidun tque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viri- „ bus ſanus ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis „ frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant: ob ipſa quæ aliis perperam diſplicent, ſibi placens: qui profectum ſuum vitâ æſtimet, & tantum ſcire ſe judicet, quantum non cupit, quantum non timet.

§. 26. Cùm ſe in hanc ſublimitatem tulit, corporis quoque velut oneris

oneris neceſſarii, non amator, ſed procurator eſt: inſtigat hominem ne officia boni civis, boni amici, boni filii, boni ſubditi, boni Chriſtiani in ulla parte ceſſet exequi, ſed hoc agat, ut quemadmodum pretioſa rerum, ſic vita non pateat multum, ſed multum pendat. „ Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, „ ut aliquid ex illo vacet perdere; & vide, quàm multa etiam dili- *Sen. Epiſt. 97.*
„ gentiſſimis pereant. Aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuo- „ rum: aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupaverunt: vitam „ nobiſcum dividit ſomnus. Ex hoc tempore tam anguſto, & rapi- „ do, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in va- „ num? cùm maximè cogebatur eſſe in turba, tunc præcipuè in ſe Archimedes ſecedebat: multum confitebatur ſe debere ſuperis quorum adminiſtratione ac providentiâ contingebat illi pingue otium, & arbitrium ſui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies; quid dico? in tanto tumultu graſſantium huc illucque militum & prædam undique diripientium à ſtudiis animum minimè avocavit; de hoc tantùm ſollicitus ne quod inveſtigabat, relinqueret minùs abſolutum & rude. Imaginariæ porrò opus ſuum dedicabat æternitati, quod ad perfectionem ſtudebat perducere. Nihil enim prodeſt fornicem ædificare, lateres fortiter cæmento compaginare ac conglutinare, niſi tegatur; ſi enim non contegitur, facilè pluviâ vel vento diſſipatur: lateres qui poſteriùs applicantur, illi ſunt qui fornicem fortificant. Quid prodeſt aquam extrahere, ſi homo vel animal extrahens circa medium vel ultra deficit. Incipientibus non diſtribuit Deus præmia, ſed perſeverantibus. Quapropter neminem diuturnitas moleſtiarum & tribulationum à continuatione bonorum operum deterrere debet. Zeuxis excellentiſſimus pictor tardè nimis & multo cum temporis diſpendio in uno opere conſummando perſiſtebat; cùm æmulus illius Agatharchus colores quos ad reddendam ſimilitudinem multos varioſque ante ſe poſuerat, celerrimè denotaret, & inter tabulam opuſque facili vultu ac manu commearet, breviſſimo tempore quodlibet opus perficiens. Ob id populo murmuranti & ſubiraſcenti Zeuxis ait: *Diu pingo, quia pingo æternitati.* Bona opera Chriſtianorum, quæ dum præſens vita durat exercentur, ſunt illa, quibus non ſolùm æternitas depingitur, ſed meritoriè quoque comparatur; ideo diuturnitas vel mora non debet hæc interrumpere, neque difficultate faſtidium mentibus ingenerare. Generoſos animos labor nutrit. Non eſt viri, timere ſudorem, ad honeſta verò nitentes quantò magis incubuerint, minuſque ſe vinci permiſerint, cuncti admirantur. Strenuus & virtutis exactæ metuenda cæteris, ſi alicujus honeſti pretia ſunt, non

Sen. Ep. 31. tantùm fert, ſed amplexatur, a videq́ue audire cupit: *Tanto melior ſurge, & reſpira: clivum iſtum uno, ſi potes, ſpiritu exſupera.* Dicet, diu laboro; diu operor, quia operor æternitati; nihil me deterret quia

—— Labor improbus omnia vincit.

Eugenius Antiſtes ingentis animi vir, cùm jam ſtatuiſſet potiùs pro fide Catholicâ mortem oppetere, quàm vel ad latum unguem ab eadem ſecedere, ac ſententiam rogaretur, reſpondit. *Illud eſt vita æterna, mori pro juſtitia.* Quàm fideliter cum Regio Pſalte annos æternos in mente habuit! quos ut lucri faceret, momentaneos hos lubens amiſit. Ex Greg. Turonenſ. Hiſt. Franc. lib. 2. c. 3.

§. 27. Sive natura rebus agendis, ſive otioſo ſtudio contemplationiq́ue aptior ſit; eò nimirum inclinandum eſt, quò nos vis ingenii defert: *Malè enim reſpondent coacta ingenia. Reluctante naturâ, irritus labor eſt.* Nullum tamen non tempus in uſus noſtros eſt conferendum, ut omnes dies tamquam vitam ordinemus; cogitemuſq́ue nullam dilatione majorem vitæ jacturam eſſe: quæ primum quemque extrahit diem, & eripit præſentia, dum ulteriora promittit. Dum differtur vita, tranſcurrit. „ Nemo verò reſtituet „ annos, nemo iterum te tibi reddet, inquit Seneca. Ibit quà cœ„ pit ætas, nec curſum ſuum aut revocabit aut ſupprimet: nihil tu„ multuabitur, nihil admonebit velocitatis ſuæ, tacita labetur. Languida ingenia, & in ſomnium itura, aut in vigiliam ſomno ſimillimam, in otio relicta æſtuant, nec quomodo id diſponant, aut extrahant, ſciunt. Tardè ire horas queruntur, omnis dies longus, omne tempus grave videtur: interim vita feſtinat, nuſquam divertit, nuſquam remoratur; ſicut juſſa eſt à primo die currit: & mors non intellecta ſurrepit, cui, velimus, nolimus, vacandum eſt. Cur non omnes horas complectimur? ſic fiet, ut minùs ex craſtino pendeamus, ſi hodierno manum injecerimus. Quò ſpectamus, quò nos extendimus? omnia quæ ventura ſunt, in incerto jacent: protinùs vivamus. Audiamus vatis ad unumquemque ſalutare carmen. Sen de tranq. animi cap. 6. De brevit. vitæ c. 8.

Martialis. *Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.*

Id agamus in primis, ut opera noſtra longâ meritorum ſerie ſint contexta, ut quotidiè nobis laboris fructus conſtet, nihil ex illo noſtrâ negligentiâ intereat. Benè agitur cum ſenectute, ſi ad conſtitutum terminum longo ſtudio intentóq́ue perveniat. Nonnulli in ſtadio religioſæ vitæ aliquo uſque progreſſi jam ſeſe emeritæ militiæ arbitrantur atque exinde labores detrectant, virtutiq́ue metas figunt,

gunt, neque plus ultra conatum volunt intendere, quaſi verò ſeſe non per omne vitæ tempus obſequio divino conſecraſſent? neque in poſterum obſervant quantum temporis velut ex pleno & abundanti perdiderint; quantum ſtulta lætitia, avida cupiditas, blanda converſatio abſtulerit: breve illud tempus, quod deliciis quod nugis impenditur, & præceps eſt, breviusque multo fit proprio vitio: quod verò ad Deo vacandum donatum eſt; ævum reputatur. Satisnè æquum eſt laboribus multis & incommodis ſæculares affici, Religioni addictos integris corporibus ſolutos ac delicatos incedere & maximè ſaginando ventri inſudare? milites arma ſumere, in caſtris pernoctare, & pro vallo obligatis ſtare vulneribus: interim illos, qui Chriſto merent, ſecuros eſſe, incurios, turpique inertiâ languentes? nonnè olim Veſtales nobiliſſimæ Virgines ad ſacra facienda noctibus excitabantur? & viri modò ad Dei cultum deputati altiſſimo ſomno fruentur? profectò *labor optimos citat* ad mentem Senecæ. *Senatus per totum diem ſæpè conſulitur: cùm illo tempore viliſſimus quiſque, aut in campo otium ſuum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat.* Idcirco Dominus apud S. Joannem Evangeliſtam dicit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Super hoc S. Gregorius Nyſſenus ait. „ Egreſſa eſt anima verbo uſa duce, ita ut numquam nec ingrediundi, nec egrediundi finem faciat, ſed deſinat „ ubi ſuperiora proficiendo eſt ingreſſa, & ſemper extra illa verſetur, „ quæ fuerunt à ſe comprehenſa. Quæcumque Deum verè diligit anima, ea per illum velut unicam portam ad ipſum vadit, ut illi ſerviat, ac placeat, quem finem ut glorioſiùs aſſequatur, per hanc portam regiam perpetuò eat, redeatque neceſſe eſt. Hinc ingredi & egredi non eſſe aliud S. Doctor affirmat, quàm numquam ſatisfeciſſe putare quidquid aliquis fecerit; ſic ut exeundi, & intrandi nullum finem faciat, veluti ſi in illam horam uſque feriatus ſit: neque laboris aut exercitiorum finem inveniat; & quando in heroicis operibus ſtrenuiſſimè pro Dei obſequio deſudaverit, ubi cæteri extremum ſe præſtitiſſe exiſtimare poſſent, ille primùm ſe accinxiſſe operi, & præ vehementiſſimâ ſerviendi cupiditate nondum rectè cœpiſſe obſequi, aut famulari ſibi videatur. *Boni viri* (ut loquitur Seneca) *laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidem: non trahuntur à fortuna, ſequuntur illam, & æquant gradus: ſi ſciſſent, anteceſſiſſent.* Pereleganter dictum à S. Gregorio Nazianzeno,

De provid. cap. 5. *Joan. 10. v. 9* *Homil. 15. in Cant.* *De provid. cap. 5.*

Stare loco mala res: ergo torpore remoto
Ut capias, propera, donec virtutis ad arcem
Supremumque gradum perveneris auſpice Chriſto. *Carm. 3.*

Mala certè res eſt ſubſiſtere, neque progredi; propter certum periculum, ne procul retrò maneat, qui non incitatiſſimo curſu fertur ad obſequia Dei. Propterea non antea deſinere debet quàm terminum attingat, & hoc unum perpetuò ſuſpirare, quomodo in horas promovere gradum, pergere, ac pervenire ad ulteriora queat.

§. 28. Ferendum eſſet ſi multi non abſimiles eſſent vaccis Suſidis, quæ percaluiſſe Arithmeticen videbantur: cùm enim conſtitutum haberent diurnæ operæ penſum, centumque aquæ cados ex more exantlarent, nec popiſmatibus nec minis, aut etiam fuſtibus adduci poterant, ut vel unum cadum ſupra centeſimum educerent. In hanc rem ita ſcribit Ælianus: „ audivi Arithmeticæ non „ expertes eſſe Suſidas vaccas, & ſermone hominum pervagatum „ eſt; Suſis Regi ſingulas quotidie centum cados ad irrigandos hor- „ tos haurire, ut earum nullas laboris inertiâ ad hoc penſum conſti- „ tutum remolleſcere videas; ita ad alterum ſupra, quàm diximus „ cadum hauriendum, nec verberibus, nec blanditiis adducere poſ- „ ſis. Quamvis perſuadere nequeamus ut ſuprà, quàm tenentur, faciant; utinam tamen præciſè, quod juſſi ſunt facerent, ut ſupremo legis rigori ſatisfacerent. Sed ne injunctum quidem muneris debiti penſum explent: alii pro ipſis vicariam operam præſtare faciunt, rati, quoniam aliquot annos officio licet remiſsè ſatis impenderint, illius modò vacationem ſe meruiſſe: non deſinunt quietem ſibi precari, otiumque ſperare, quaſi jam ut boni gladiatores multis relatis palmis rudem accepiſſent: quare unuſquiſque eorum non ceſſat aliis inculcare ſe emeritum, ideoque illorum humeris poſthac omne laboris onus imponi debere: nec minùs de adhibendâ in Dei cultu aliquâ diligentiâ conqueritur, quàm Poëta Horatius de Mecœnate, quod ad verſus illum rurſus impelleret.

Lib. 7. de animal. cap. 1.

Lib. 1. Epiſt.

Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quæris
Mecœnas iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens.

Omnis illorum ſermo ad hoc ſemper revolvitur, ut dicant, benè & gnaviter ſuo tempore in miniſterio Dei ſe verſatos fuiſſe, proinde rationi conſonare, ut tyronibus hoc negotium relinquant. In temporis tamen jactura profuſiſſimi fuêre, cujus unius honeſta avaritia eſt. Libet itaque ex ſeniorum turbâ interrogare aliquem, utrum ad computationem ætatem ſuam revocare poſſit? licet enim ad ultimum ætatis humanæ pervenerit, fatebitur (ſi benè ſingula tempora expendat) ſe multò pauciores annos habere, quàm numerat. Repetat memo-

memoriâ ſecum, quando certus conſilii fuerit; quotuſquiſque dies ut deſtinaverat receſſerit; quàm multum ſine uſu jacuerit; an otii ſui illi ſenſus fuerit, an non ad intelligendos corporis ſui habitus indice opus habuerit? cogitet an non in voluptatibus & curâ corporis penè totam conſumpſerit vitam; ita ut nedum reliquias vitæ ſibi reſervaverit; neque vel id tempus bonæ menti deſtinârit, quod in nullam rem conferri poſſit? ſtulta ſanè mortalitatis oblivio eſt ultra quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſana conſilia, neque adhuc inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt.

§. 29. At qui gloriæ ducunt eſſe, ac videri prompti, alacres ardenteſque Dei ſervi; hi non contenti feciſſe quæ in mandatis habuêre, verùm omnis arithmetices ignari, præcepta obſequendi aſſiduitate ac diligentiâ ſuperant, & officiorum tum magnitudine, tum multitudine expectationem Domini prætervertunt: probè norunt virum bonum ſemper tyronem eſſe. An non id ipſum David voluit inſinuare cùm aiebat; *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.*? Ubi ex Hebræo, ut eſt apud Burgenſem, poteſt transferri: *Quoniam non cognovi, ſeu neſcio numerare*; imperitus ſum Arithmeticæ, idcircò potentiam Dei ſolam prædicabo, qui majora ac ſublimiora de illo commemorare per inſcitiam non poſſum. Symmachus & plures Rabbini apud Genebrardum vertunt: *Quoniam non cognovi numeros*. Quod Burgenſi tantundem eſt, ac ſi dictum: *Quoniam non cognovi numerare laudem*. Veluti ſi Rex Propheta dixiſſet; non ſcivi vel ſupputare tempus, quod in obſequia tua expendi; vel recenſere horas, quas in te colendo exegi. Veraciter amantium eſt proprium, numquam ad calculos revocare horas, quibus ſe oblectant, quando, & quamdiu cum familiaribus amicis dulces ſermones miſcent; ſed dies horis breviores, & horas velut momenta reputant. Ita mihi accidit, inquit David, qui tantâ ex laudibus tuis dulcedine perfundebar: numquam enim ad numeros ſubducebam horas, quas tuis officiis dabam, exiguumque mihi videbatur quidquid amore tui ſeu faciebam, ſeu patiebar. Quid enim? Bonus vir ſemper eſt tyro, ſemper ad ulteriora ſe extendit, numquam conatum virtutis ſuſpendit, qui ſcit quòd Deus in hac vitâ neminem emeritum habeat. Agnovit iſtud Martinus Azpilcueta Doctor Navarrus, ſentiens virtutis ſtudium hoc magis intendendum, quò minus ſupereſt: quod turpe ſit ab honeſto inſtituto refrigeſcere. Conſentaneum judicabat uſque ad ultimum vitæ in actu eſſe, nec deſinendum communi bono operam dare, adjuvare ſingulos, opem ferre etiam inimicis. Ille erat qui nullis annis vacationem dabat; apud quem uſque eò nihil ante mortem otioſum fuit, ut neque mors ipſa eſſet otioſa..

Pſal. 70. 16.

otioſa. Iſti non ſentiunt in animo ætatis injuriam, quamvis ſentiant in corpore. Tantùm vitia, & vitiorum miniſteria in ipſis ſeneſcunt. Viget animus, & gaudet non multum ſibi eſſe cum corpore. Magnam oneris ſui partem deponit, exultat & ſenectutem ait eſſe florem ſuum. Tunc deſpicere juvat, quid propter tranquillitatem & modeſtiam morum ætati debeat: quàm parum ſit adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuit; levia quippe eſſe poſſunt iſta, & fallacia pignora animi, multiſque involuta lenociniis: quid profecerit, morti crediturus eſt. Verè & fortiter Seneca loquitur: *Diſputationes & literata colloquia, & ex præceptis ſapientium verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi: eſt enim oratio etiam timidiſsimis audax. Quid egeris, tunc apparebit, cùm animam ages.* Egregia porrò res eſt, mortem condiſcere, neque timidè componi ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac fucis Deus de nobis judicaturus eſt an magis fortia locuti ſumus quàm fecimus. Incertum itaque cùm ſit quo nos loco mors expectet; illam omni loco expectemus: ut accipiamus conditionem, nec reformidemus judicium.

Ep.ſt. 26.

§. 30. Huic meditationi nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia uſque ad longiſſimos humani ævi terminos vita protenditur. In ſtudio cæleſtis ſapientiæ & rerum delectu, qui perfectionem ambit, perſeverare debet ut cœpit, & quantum poteſt properare, quò diutiùs frui emendato animo & compoſito poſſit. Fruetur quidem etiam dum emendat, etiam dum componit: *Alia tamen voluptas eſt, quæ percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe puræ & ſplendidæ.* Non hoc volo ut pertinaciter uni rei incumbat, ſibi numquam ferias concedendo: non in eadem intenſione æqualiter retinenda mens eſt, ſed nonnumquam relaxanda, ad jocos revocanda,

Sen. Ep. 4.

Statius.

—— Vires inſtillat, alitque
Tempeſtiva quies.

Admittit vacantia tempora etiam virtus; ſuadet aliquid ex his ſanitati concedi, aliquid amicis, aliquid honeſtæ naturalique voluptati. Dummodo à continuatione diſcedens non totaliter interrupta maneat. Multum enim intereſt, remittas aliquid, an ſolvas. Quapropter otium induſtriæ ſubnecti debet, non quo evaneſcat virtus, ſed quo recreatur.

Horat. lib. 2. Serm. Satyr. 1.

Quin ubi ſe à vulgo, & ſcenâ, in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli:
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti.

Neque

Neque hoc quidem tempus parum idoneum eſt ſtudio ſalutari; quidquid inciderit nihil impediet eum, quo minùs ſe quotidie meliorem faciat, cujus animus in omni negotio lætus atque alacer eſt. Magnum huic à natura præſidium eſt, in quolibet negotio occurrenti ingenii præſentiâ valet. Hoc quotidie meditandum, ut poſſimus æquo animo vitam relinquere, quam multi ſic complectuntur & tenent, quomodò qui à torrente rapiuntur, ſpinas tenent & aſpera. „ Non enim in via debemus deficere, ſed uſque in fi- *Card. de Vitriaco in Dominica 6. poſt Penth.*
„ nem in bono perſeverare: ſicut ſcriptum eſt: poſt Dominum Deum
„ tuum ambulabis, & poſt me ingredi non ceſſabis. Finis autem
„ erit ambulandi, quando ſtantes erunt pedes noſtri in atriis tuis
„ Hieruſalem. Quò ut perveniamus numero annorum non eſt opus. *Quemadmodum in minore corporis habitu, poteſt homo eſſe perfectus: ſic & in minore temporis modo, poteſt eſſe vita perfecta.* Non enim vivere bonum eſt, ſed benè vivere: neque qui plurimum citharâ cecinit, aut oravit, aut navem gubernavit, ſed qui optimè, commendatur. Itaque vir bonus vivit, quantum debet, non quantum poteſt. Videbit ubi victurus ſit, cum quibus, quomodò, quid acturus. Cogitat ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Non longiſſima vita, ſed honeſtiſſima, eſt optima. Paucorum quoque verſuum liber laudandus erit atque utilis. Satyræ Perſii quàm decoræ ſunt, quàm proficuæ! meruit plus veræ gloriæ uno libro, quàm alii vaſtis voluminibus. *Sen. Epiſt. 93.*

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in tota Marſus Amazonide. *Martialis.*

Æquè eſt vita quorumdam brevis & quæ Perſii librum ſequitur, cùm omne temporis quod in eâ contigit, benè collocatum ſit. Ampliſſimum verò ſpatium vitæ eſt, uſque ad conſummationem virtutis vivere. Cur tantopere vitæ longos dies nobis optamus? unus dies par omni eſt. Nihil enim habet longiſſimi temporis ſpatium, quod non in uno die invenias, lucem & noctem, alternas mundi vices. Sed benè ordinandus eſt quilibet dies, ut quotidie ad lucrum ſurgamus, quia non vult præſentem diem bene tranſigere, niſi qui proponit velut ultimum illum tranſigere. Ideo juſtus in hoc corpore tamquam migraturus habitat. Proponit ſibi quandoque hoc contubernio carendum. Nihil exiſtimat ſuâ referre an tardiùs, an citiùs finem accipiat; neque de hoc tamquam de magno detrimento timet, quòd non multum ex ſtillicidio poſſit perdere. Numquid enim vita noſtra velut guttatim per horas & dies fluit, & mox deſinit? *Citiùs mori, vel tardiùs, ad rem non pertinet: benè mori, aut* *Sen. Epiſt. 70.*

malè ad rem pertinet. Nam ſicut vita ipſa bonum eſt, quando cum virtute vivitur, malum ſi cum ſcelere: ita mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda eſt. Stat proinde vir conſtans intrepido vultu, firmo non vacillanti corde, colore numquam mutato, ad flagella hilaris, ad ſupplicia lætus, ad tormenta propenſus. Huic & ſoli cæ-
2. Tim. 4. v. 8. lum promittitur aſſerente de ſe D. Paulo: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex.* Sed quomodo beatitudo poteſt eſſe corona juſtitiæ? Siquidem corona æqualitatem requirit; præmii autem æterni ad temporalia merita nulla eſt æqualitas, ſicut æternitatis ad tempus nulla æqualitas eſſe poteſt. Quomodo igitur eſt corona juſtitiæ ratione perſeverantiæ in virtute? Reſpondere poſſumus, ratione propoſiti, & animi quo quis ſtatuit, quòd etiamſi viveret, non ſolùm centum aut mille annos, ſed per æternitatem, numquam à virtutis tramite recederet. Tale propoſitum eſt quoddam infinitum & æternum. Quamvis enim executionem præpropera mors impediat, animi nihilominùs conſtantiam non la-
Sap. 4. v. 13. befactat; ratione cujus dicitur de homine juſto: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.* „Portus (ut loquitur Seneca) eſt aliquando
Epiſt. 70. „petendus, numquam recuſandus. In quem ſi quis intra primos „annos delatus eſt, non magis queri debet, quàm qui citò navi„gavit. Alium enim uti ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, & „tranquillitatis lentiſſimò tædio laſſant: alium pertinax flatus celer„rimè perfert. Idem evenire nobis puta. Alios vita velociſſimè ad„duxit, quò veniendum erat etiam cunctantibus: alios maceravit „& coxit. Quid refert cui eadem menſura ſummæ felicitatis contingit, an ætatis fuerit diverſa? utrum majorem an minorem circulum ſcribas, ad ſpatium ejus pertinet, non ad formam: licet alter diu manſerit, alterum ſtatim obduxeris, & in quo ſcriptus pulverem ſolveris, in eâdem uterque formâ fuit, & æquè perfectâ.

§. 31. Quàm intentè, quàm ſollicitè circulum ſuum Archimedes in pulvere radio deſcribebat? toto in hoc opus animo incumbebat. Quanto cum timore & tremore Zeuxis artem ſuam exercebat, veritus ne in aliquo erraret, præcipuè circa finem operis quia æternitati pingebat? nonnè plus aliquid à veris Chriſtianis exigitur, quò conſummato laudabiliter ætatis circulo, omnibuſque vitæ humanæ ſtipendiis functi, æternitatis circulum feliciter complectantur? nonnè majorem curam adhibebunt, ut operi dierum ſuorum perfectam coronidem imponant? an non rectè omnia impedimenta ſunt dimittenda ad vacandum bonæ menti? quando quis æger eſt curam rei familiaris intermittit, forenſia illi negotia excidunt, neque quemquam tanti putat, cui advocatus in rem ipſe deſcendat;

ſed toto animo id agit ut quàm primùm morbo liberetur: quid ergo? non & nos idem faciemus ut integram mentis incolumitatem excluſo vitiorum morbo conſequamur? quid nos delectat alienum negotium agere? nemo ad hanc perveniet frivolis aut inutilibus occupatus. Educendi ſumus ex occupationibus ſpecioſis & malis. Nihil indignum bono viro faciendum patiendumvè erit: quis enim non dico conſummatæ ſapientiæ vir, ſed vel procedentis ſordido ſe & contumelioſo labore conteret, & in negotiis erit negotii tantùm causâ? ,, Ne illud quidem, quod exiſtimas eum facturum, ,, faciet, ut ambitioſis rebus implicitus, earum ſemper æſtus fe- ,, rat. Sed cùm viderit brevia in quibus volutatur, incerta, anci- ,, pitia: repetet pedem, nec vertet terga,, ſed ſenſim recedet in tu- ,, tum. Quid igitur tergiverſamur errores noſtros coarguere? *Vitia* enim *ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt.* Facilè erit occupationes evadere, ſi occupationum pretia contempſerimus: illa ſunt, quæ nos morantur & detinent. Illud tamen exiſtimo, leni eundum viâ: ut quod malè implicuimus, ſolvamus potiùs, quàm abrumpamus; dummodò, ſi alia ſolvendi ratio non erit, vel abrumpamus. Non eſt enim inter horas ſubſicivas & ſecundas curas habendum æternæ ſalutis negotium. Fateor equidem multa eſſe licet non illicita, attamen impedientia, ne expeditè poſſimus ad conſtitutam virtutibus laurum pervenire, ſi pertinaciùs iis adhæreamus. Unde Poëta.

Sen. Epiſt. 22.

Sen. Ep. 53.

Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere luſum.

Nemo cum ſarcinis facilè enatat. Emergendum eſt ad meliorem vitam Deo propitio. Sed non ſic, quomodò iſtis propitius videtur, quibus bono ac benigno vultu honores, divitias, mala magnifica tribuit: iſta quæ urunt, quæ excruciant, optantibus data ſunt. Non recuſemus laborem, honeſta per ſe petenda ſunt; & placere ſuapte naturâ deberet virtus, quæ adeo gratioſa eſt, ut inſitum ſit etiam malis, probare meliora: quæ in omnium animos lumen ſuum præmittit: etiam qui non ſequuntur illam, vident. Viro forti & ſtrenuo ipsâ rerum difficultate creſcit animus.

—— *Nec enim levia, aut ludicra petuntur*
Præmia.

Virg. lib. 12. Æneid.

Operæ pretium habebit virtutis perſeverantia. De æternitate agitur. Cur inanes honorum eſſe volumus, quorum in fine deſiderio laborabimus? non tantâ propoſitâ mercede, ſed ut in Stoïco perſiſterent vivendi inſtituto, quidam occupationes omnes ſubmoverunt,

 à tur-

à turbâ & ſocietate hominum penitùs ſecreti. Memoriæ prodidit Michaël de Montagne, quòd Pictavii inviſerit Decanum S. Hilarii tam altæ immerſum ſolitudini, ut cubiculo cui ſe incluſerat ſpatio viginti duorum annorum ne ad momentum quidem fuerit egreſſus. Semel in die miniſter cibum introferebat non niſi ingrediens & continuò egrediens. Difficillimum ſe præbebat ut vel ſemel in hebdomadâ alicujus conſortium admitteret. Ne latum quidem unguem ab hac vivendi ratione voluit diſcedere, ſed in eâ ad mortem uſque obſtinato animo perſeveravit. Attamen pauci ab occupationibus recedunt, properant ante tempus, & ceſſant in tempore; vitia excutere nolunt,

Lib. 2. cap. 8.

—— Quia mente minus validi, quàm corpore toto
Nil audire velint, nil diſcere quod levet ægros.

Hoc enim plerùmque evenit in iis morbis, quibus afficiuntur animi: quò quis pejùs ſe habet, minùs ſentit. Aut quia non quàm benè vivant, ſed quàm diù, curant: *Cùm* tamen *omnibus poſſit contingere, ut benè vivant; ut diù, nulli.* Quin curas ſuperfluas atque occupationes noxias ſine perpetua illâ ſolitudine deponere poſſumus; non expectandum ut aliqua vis major interveniat, & auferat libertatem recedendi: at etiam rectè cavetur nihil eſſe tentandum, niſi cùm aptè poterit tempeſtiveque tentari; cùm verò illud tempus diù captatum venerit, exſiliendum erit. Aliquid quod & mihi & omnibus prodeſſe poſſit, allegabo. Ad id nullum non tempus conducet, & ſemper erit in promptu. An tota cohors Stoicorum probatura ſit, an omnes Zenones & Chryſippi ſuadebunt? parùm attendo. Dummodò id ex legiſlatoris Moyſis præcipuis decretis eſſe conſtiterit: aureum nempe iſtud *attende tibi ipſi*, orthodoxorum & potiſſimùm D. Baſilii Magni judicio & aſſenſu comprobatum. Hoc nos continuò excitabit, hoc ſomnum gravem excutiet. Cui nos totos dedicemus, omnibuſque aliis rebus nos negemus, fortiter, apertè. Fundamentum hoc vitæ perfectivæ, imo culmen eſt. Ad ſumma pervenit, qui ſe ipſum ſcrutando novit, qui rectè diſcernit, quid agendum fugiendumque ſit, qui non ex longinquo, ſed cum rebus ipſis ſcit deliberare. *Non tantùm præſentis, ſed vigilantis eſt, occaſionem obſervare properantem.* Non poſſunt Medici per epiſtolas, cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda eſt. Ira ex difficillimis nequit aliquis ſperare ſalutarem exitum, niſi ſe ipſum diſcutiat, & quod ad manum eſt conſilium capere valeat ut gladiator in arenâ, ſicque contra adverſariorum ſpiritualium, maximè verò domeſticorum aſſultus ſe præparet ac muniat. „ Pauci

Sen. Ep. 22.

Idem ibidem.

„ ſunt

„ ſunt (teſte Seneca) qui conſilio ſe ſuaque diſponant: cæteri eorum „ more quæ fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur. Ex „ quibus alia lenior unda detinuit, ac molliùs vexit; alia vehemen- „ tior rapuit; alia proximè ripam, curſu languente depoſuit; alia „ torrens impetus ejecit in mare. Quomodo illi qui ex aliis propo- ſitis in alia tranſiliunt, aut ne tranſiliunt quidem, ſed caſu quo- dam tranſmittuntur, habere quidquam certum manſurumvè poſ- ſunt, ſuſpenſi ac vagi? conſtituendum ſemel eſt quid velimus, & in eo perſeverandum. Intimet igitur ſibi quiſque: *Attende tibi ipſi, ne quando abſconditum ſit in corde tuo verbum iniquum.* „ Faciles nos „ homines ad peccata, quæ cogitatione admittuntur, ſumus. „ Quamobrem ille omnium conditor, qui corda ſingulorum finxit, „ animadvertens nos plurimùm per motum voluntatis peccare, pu- „ ritatem primam ſervandam in parte animæ rationali tamquam re- „ ctrice & gubernatrice quadam mandavit. Actio ſiquidem recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. Ab hac enim actio. Rurſus, voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim voluntas. Habitus porrò animi non erit in optimo, niſi per atten- tionem & diligentiam, & continuum rationis imperium, quid de quoque judicandum ſit, exegerit, cùm res ad verum redege- rit. Quodlibet animal ex Deo omnium authore propriam vim, pro- priaque arma ad naturæ ſuæ conſervationem habet. Illis tutelam ſui & ejus peritiam tradidit. Non inſeritur illis, ſed innaſcitur aut ſalu- taris aut mortiferæ rei intellectus. Sine ulla cogitatione, ſine con- ſilio fit, quidquid natura præcipit. „ Itaque tenera quoque anima- „ lia è materno utero vel quoquomodo effuſa, quid ſit infeſtum „ ipſis, protinus norunt, & mortifera devitant: umbram quoque „ tranſvolantium reformidant, obnoxia avibus rapto viventibus. Quod illis ex naturali inſtinctu, hoc nobis rationis auxilio Deus provenire voluit, & quod in animalibus rationis expertibus citra doctorem & artem contingit, hoc à nobis voluit diligenti ſolertiâ, & experimento colligi; ut per divinitùs nobis collata ſubſidia pec- catum quidem, quemadmodum bruta quæ in cibis ſunt noxia de- vitant, fugiamus; juſtitiam vero, velut illa ſalubres paſcendo herbas conſectantur, omni ſtudio proſequamur. Numquam obli- viſcuntur animalia hujus tutelæ & diligentiæ. Æqualis eſt illis à per- nicioſo fuga & ad ſalutifera appetitus. Attendat igitur quiſque ſibi ipſi, ut noxium à ſalubri diſcernere valeat. Novit rectus atque integer corrigere prava fortunæ, & dura atque aſpera ferendi ſcien- tiâ mollire: idemque & ſecunda gratè excipit modeſteque, & ad- verſa conſtanter atque fortiter. Duplex autem attentio requiritur:

Epiſt. 23.

D. Baſil. in verb. Moyſ. attende tibi.

Sen. Epiſt. 121.

primùm oculis corporeis viſibilia diligenter circumſpicere : deinde inviſibilia mentis contemplatione ac virtute luſtrare. Multa namque ſunt, quæ oculis corporeis negantur, neque ſub ſenſum cadunt. Quis enim ſeſe his totum valet circumſpicere? mentis verò cogitationumque motus citra externum indicium, quo paterent, citra tempus ullum fiunt, citra laborem abſolvuntur, citra negotium aliquod conſiſtunt, omne tempus habent opportunum. Quid porro vetat, aliquem gravitatem, frugalitatem, modeſtiam externè apud omnium oculos profiteri, adeò ut beatum illum reliqui ob virtutem ferant & prædicent: ,, qui in receſſu cordis in varia pec-
D. Baſil. ubi ſupra. ,, catorum genera ſubito ac inviſibili mentis impetu tranſcurrat? qui ,, quod quærit, imaginatione videat, quemdam ſibi congreſſum ,, indecentem delineet, & in occulta cordis officina evidentem in ,, ſe ipſo voluptatem depingens, peccatum externis teſtibus carens, ,, ac omnibus quidem ignotum admittat; donec ille veniat, qui ,, revelabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium? ægritudo hæc frequens juvenibus per ſolitudinis aut quietis nocturnæ occaſionem phantaſias ſibi inanes, ſed & vitiorum ſimulacra fingere. In perditis quoque, & ad omne dedecus expoſitis, tenerrima eſt oculorum verecundia; ſcelera enim conſpectum ſuum reformidant: at homines ſine pudore mentis oculos ad flagitia advocant, ut teſtes eorum exactoreſque ſint: quia is qui in mentis propoſito peccat, ſimul cum cogitationum facilitate & velocitate peccatum habet abſolutum; neque ab illo verecundiâ deterretur quòd externo teſte ac judice careat:

Juvenalis Satyr. 13.

Tam facile & pronum eſt, ſuperos contemnere teſtes,
Si mortalis idem nemo ſciat.

D. Baſil. ibidem. *Ubi igitur caſus velox eſt ac periculoſus, ibi velox etiam data eſt cuſtodia.* Ait quippe per Moyſem communis animarum noſtrarum ac verus curator Deus: *Attende tibi ipſi*: hoc eſt undique te ipſum conſidera, cordis oculum vigilantem continuò ad tui ipſius cuſtodiam retine. Numquid inter medios laqueos verſaris? cur igitur non cuncta luſtrabis ut ſerveris, quemadmodum caprea ex laqueo, & avis ex inſidiis? laqueo caprea capi nequit propter viſûs acumen, unde cognomen Dorcas accepit, quòd acutè videat. Avis verò pennæ levitate, quando cauta eſt, altior aucupum inſidiis efficitur. Vide ne his animalibus ſalutis tuæ incurior Diabolo in prædam venias.

§. 32. *Attende* ergo *tibi ipſi*: non tuis, aut iis quæ circa te ſunt, ſed tibi ipſi ſoli attende; ſic proprium negotium utiliter geres. Aliud nos

nos ipſi ſumus, aliud noſtra, aliud denique quæ circa nos exiſtunt. Inter litteratos convenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli. Noſtra ſunt corpus ac ſenſus illius omnes. Circa nos ſunt pecunia, artes & reliqui vitæ apparatus. Nos verò animæ menſque ſumus, quatenus ad ipſius conditoris imaginem geniti. Suſpice itaque in te ipſo quod nec dari, nec eripi poteſt, quod proprium eſt hominis bonum. Nemo gloriari niſi de ſuo debet. Non faciunt meliorem equum aurei fræni, quid aliena in homine quærimus. Si propria virtus eſt in vite, fertilitas: in homine ſimiliter id conſiderandum, quod ipſius eſt. Non eſt carni attendendum, voluptas enim bonum pecoris eſt. Nec dicamus bene eſſe homini, ſi palato bene eſt. Cur inter homines quoque numerabimus, quorum ſummum bonum ſaporibus, ac coloribus, ac ſonis conſtat? Neglectis his vitæ pars melior curanda eſt. *Attende tibi ipſi*: hoc eſt animæ tuæ; vide ut ſervetur in rebus agendis ordo, modus, decor, & innoxia voluntas, aut benigna, intenta rationi, nec umquam ab illa recedens, amabilis ſimul, mirabiliſque. Animam ornabis, dabiſque operam ut omne quod eſt per iniquitatem contra illam admiſſum, omnis ei contaminatio inducta, omnis vitii nota deleatur. Perſcrutare te ipſum quiſnam ſis. Noſce naturam propriam, mortalem ſecundùm corpus, immortalem ſecundùm animam. Sperne carnem velociter deſituram: animam cura, rem immortalem. *Attende* itaque *tibi ipſi*, ne mortalibus ut ſempiternis incumbas: nève ſempiterna ut citò tranſitura deſpicias. Ob divitias tumes? ob progenitorum gloriam ſuperbis? *Attende tibi ipſi*, quòd mortalis es, quòd terra es, & in terram ocyùs reverteris. Propter ignobilitatem gemis? memor eſto, non fuiſſe in noſtra poteſtate, quos ſortiremur parentes. Quòd nobis tamen ad noſtrum arbitrium naſci liceat. ,, Nobiliſſimorum *Sen. de brevit.*
,, ingeniorum familiæ ſunt. Elige in quam adſciſci velis: non in no- *vita cap. 15.*
,, men tantùm adoptaberis, ſed in ipſa bona. Quæ non erunt ſor-
,, didè nec malignè cuſtodienda: majora fient, quò illa pluribus di-
,, viſeris. Hæc una eſt ratio, proſequitur Seneca, extendendæ mor-
,, talitatis, imò in immortalitatem vertendæ. Honores, monu-
,, menta, quidquid aut decretis ambitio juſſit, aut operibus exſtru-
,, xit, citò ſubruitur: nihil non longa demolitur vetuſtas, & mo-
,, vet ocyùs, quod conſecravit. Sapientiæ noceri non poteſt. Si religioni alicui aſcriptus es? *Attende tibi ipſi* & cogita optimè tibi propter vitæ inſtitutum convenire, quod de Melchiſedech ſcripſit Apo- *Ad Hebr. 7. v. 3.*
ſtolus, ut quodammodò ſis ſine patre, ſine matre, ſine genealogia. Propter Chriſtum Religioſis omnes carnales affectus ſunt contemnendi, parentes, fratres, ſorores, reliquoſque carnis illis cognatione con-

conjunctos fugiendo neſciant. Generis proſapiam cur aliquid facies? vanis animi figmentis delectaberis, cum ad vera & ſolida bona aſpires? Propria eſt ægritudo deſidioſæ ignavæque animæ, vigilanti corpore ſomnia videre. Percipe monitum æternæ veritatis: *Totum mundum* (inquit) *nihil æſtima*, *Dei vacationem omnibus exterioribus antepone. Non enim poteris mihi vacare*, *&* *in tranſitoriis pariter delectari.* Attende tibi ipſi curioſe, quare facile eſt tibi aliena curioſiùs indagare, magis quàm propria veſtigare? Adeòne juvat Athenienſium vitia imitari, qui *ad nihil aliud vacabant*, *niſi aut dicere*, *aut audire aliquid novi.* Hinc Plutarchus refert eos plus in Comœdias novitatis officinas, quàm in bella inſumere ſolitos: *Res ſerias in ludicrum impendentes*, *hoc eſt*, *magnarum claſſium* *&* *exercituum commeatum* *&* *ſumptus in theatrum prodigentes.* Argutè de his quoque apud eumdem dixit: *Athenienſes virtutem habere in labris non in factis.* Certè qui multum garriunt parum faciunt: animus eorum totus eſt in linguâ, non in manu. Inſuper verborum, temporis, lucri, utinam non & animæ! jacturam faciunt. Dæmonis plerumque aſtu fit, ut multi audientes ſpiritualia obdormiſcant, audientes fabulas expergiſcantur & diligenter attendant. Non expedit omnia videre, omnia audire. Qui illud quod in ſecreto actum eſt, conatur eruere, ſe ipſum inquietat. Ægyptius bajulus geſtans quiddam velis opertum, cuidam ſciſcitanti quid portaret? Sapienter reſpondit: *Ideo obvelatum eſt ne tu ſcires: tu verò cur curioſè inveſtigas quod occultatum eſt.* Non ſolùm curioſitas novi quippiam videndi, vel audiendi hominibus innata eſt: ſed etiam ubi vera nova non ſuppetunt, nova finguntur, nugæ & fabulæ narrantur, eæque ſæpè infames, quibus fama proximi ludibrio & injuriæ exponitur. Hujuſmodi deberent notari cenſurâ Xenonis, qui adoleſcentem curioſiùs quiddam ſciſcitantem adduxit ad ſpeculum, utque ſe contemplaretur admonuit. Mox rogavit, an videretur tali vultui convenire tales quæſtiones proponere? ad ſpeculum ſui ipſius adducendi ſunt ut videant an tam pernicioſa nova, iſta mendacia conficta ſtatum deceant Eccleſiaſticum, profeſſionem Chriſtianam? Quid in mundo agatur ſcire avemus, & propriam immunditiem non curamus. Attende igitur quiſquis es, tibi ipſi, deſine curioſiùs morbum inveſtigare alienum: ſed animæ tuæ oculum ad tui ipſius inveſtigationem converte: In propriam vitam omni diligentiâ inquire: *Proderit morbum ſuum noſſe*, *&* *vires ejus antequam ſpatientur*, *opprimere.*

Apud Thom. à Kempis lib. 3. c. 53.

Act. 17. v. 21.

Tract. de gloria Athen.

Idem in Lacon.

Laërt. in vita ejus lib. 7. c. 1.

Sen. lib. 3. de ira cap. 10.

§. 33. Ægrotantibus medici mandare ſolent, ut ſibi ipſis attendant; nec quidquam eorum, quæ ad procurandam ſanitatem pertinent

tinent negligant. Similiter animarum noſtrarum medicus variis peccatorum morbis oppreſſos, modico hoc ſubſidio levat. Attende igitur tibi ipſi ut morbum ægritudinemque mentis cognoſcas. *Initium eſt ſalutis, notitia peccati. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult.* Sen. Ep. 28.
Intellige quid inter morbos animi interſit & affectus: invenies, quòd morbi ſint inveterata vitia & dura, quæ adeò nonnumquam animum implicant, ut perpetua eſſe mala incipiant; quòd affectus ſint, motus animi ſubiti & concitati: qui frequentes neglectique, fecere morbum. Ad hæc juvat morborum prænuntia ſigna cognoſcere. Quemadmodum tempeſtatis ac pluviæ ante ipſas notæ veniunt, ita futuri languoris in corporibus ſigna præcurrunt: ,, Quædam Idem Ep.74.
,, enim ſegniria nervis ineſt, & ſine labore ullo laſſitudo & oſcitatio
,, & horror membra percurrens; ſic & infirmus animus, multò an-
,, tequam opprimatur malis, quatitur. Magnâ & aſſiduâ intentione ſtudii te ipſum diſcute. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Tribunal erige, in te ipſum judicium exerce: tibi ipſi præſide. *Quantum potes, te ipſum coargue. Inquire in te: accuſatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, noviſſimè deprecatoris.* Idem Ep. 28. Quidam perperam de remedio cogitant inter vitia diſtricti; non adduco illos, qui vitiis gloriantur, qui mala ſua virtutum loco numerant: ſed eos, qui honeſta colunt, quantum vacat aut libet. Qui extra multa & magna vitia eſſe nituntur, ſed non extra omnia. Qui effugiunt quidem avaritiam; ſed iram cohibere nil curant; qui jam non ſollicitantur libidine, ſed etiamnum ambitionem fovent. Externum Dei cultum promovent, juſtitiam negligunt. Non multùm diſſonant iſti à Cuthæis ſive Samaritanis, de quibus ita ſacer Textus. *Fuerunt igitur iſtæ gentes timentes quidem Dominum, ſed nihilominùs & idolis ſuis ſervientes.* 4. Reg. 17. v. 40. Erant omninò verſipelles Deum ſuum proprium commodum ſtatuentes: hinc inſtar veſpertilionis Æſopici, qui cum avibus volebat eſſe avis propter alas quas habet, cum muribus, mus; corpore etenim eſt mus: quando Judæis omnia ſuccedebant proſperè, volebant eſſe Judæi, cùm ſiniſtrè, eos averſabantur. Samaritas memorat Joſephus jactaſſe ſe eſſe Judæos, cùm Lib. 11. Antiq. cap. 8. & lib. 12. c. 7. viderent Alexandrum Magnum Judæis amicum; ubi verò Antiochum Epiphanem eis infenſum & infeſtum conſpicerent, negaſſe ſe eſſe Judæos, eoſque averſatos eſſe. Sed quis integram ſanitatem quærit, & extra periculum malitiæ conſiſtere, niſi qui totam eam tentat excutere? animi quidem remedia nobis propoſita ſunt: quomodo autem admoveantur, aut quando, noſtri operis eſt, quærere. Morbis & temporibus aptanda ſunt. ,, Attende tibi ipſi, ut D. Baſil. ubi ſupra.
,, pro admiſſi proportione auxilium ex tali cura ſuſcipias. Magnum

,, eſt ac durum peccatum ? multa ribi opus eſt confeſſione, amaris ,, lachrymis, continuâ vigiliâ, irremiſſo jejunio. Leve eſt & tole- ,, rabile peccatum. Adæquetur illi & pœnitentia. Peccata, quantum-

Sen. Ep. 85. vis exigua ſint, in majus excedunt. *Numquam pernicioſa ſervant modum. Quamvis levia initia morborum, ſerpunt: & ægra corpora, minima interdum mergit acceſſio.* Non ita quis in hac fragili vitâ maxima animi mala & affectus poteſt deponere, ut ſit illi ſecuritatis ſuæ certa poſſeſſio. Poteſt enim in eadem relabi. Attendat idcirco diligenter ſibi ipſi, hoc enim verbum, veluti quidam bonus conſiliarius, vitiorum memoriam continuò ſuggeret. Arripuit ſalutare illud præceptum Joannes Auſtriacus quem ſcribit Strada ,, munditiem animæ, cu-

Lib. 10 ſub ſinem. ,, jus amorem à puero indiderat educatrix Ulloa, uſque adeò coluiſ- ,, ſe per omnem ætatem, ut nullam paulò graviorem noxam Dei- ,, que offenſam apud ſe ferre diutiùs poſſet, atque ideo bis ſingulis ,, menſibus (quod illi perpetuum fuit) conſcientiæ labes ſollicitè ,, confeſſus excuteret. Natura meritò de nobis conqueri poteſt, &

Sen. Ep. 22. dicere: *Quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, cæteriſque peſtibus. Quales intraſtis, exite.* Cui omnia ſub cenſura acta ſunt, tam ſecurus moritur, quàm naſcitur. Non ſic arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus, quàm bona conſcientia. Illa facit, ut numquam deſit lætitia; ſed ut domi nobis naſcatur, id eſt, intra nos ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem dumtaxat habent ac perfuſoriam voluptatem. Res pretioſa & ſevera eſt verum gaudium: ſo-

Sen. Ep. 23. lidum debet eſſe, & quod plus pateat introrſus. Ita *levium metallorum fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſiduè pleniùs reſponſura fodienti.* In hujus gaudii poſſeſſione qui vult eſſe, ſingulos actus ſuos (quantum fieri poteſt exactiſſimè) ad examen revocet: ſe ſpectet, intima ſua rimetur; ut de ſe ipſo & de ſui optimâ parte gaudeat. Rurſus in hoc inſigne prodit exem-

Strada ubi ſupra. plum Joannes Auſtriacus, qui numquam expeditionem ſuſcepit, aut ſigna cum hoſte contulit, quin ante præliarem diem, accuratiſſimâ confeſſione, Dei clementiam propitiaverit. Omnibus tandem convenit, *Attende tibi ipſi*: tibi conſule. Sobrius præſentium cuſtos, futurorum providus eſto. Habet namque domus Dei (quæ Eccleſia Dei viventis eſt.) ,, Venatores, Viatores, Architectos, Ædi- ,, ficatores, Agricolas, Paſtores, Athletas, Milites. Omnibus his ,, coaptatur ac quadrat hoc breve verbum, cuilibet & agendi dili- ,, gentiam, & propoſiti ſtudium inculcans. Venator es emiſſus à ,, Domino dicente: ecce ego mitto multos venatores, & venabun-

,, tur

,, tur eos ſupra omnem montem. Attende itaque diligenter, ne
,, tibi fera elabatur, ut verbo veritatis eos qui vitio tenentur com-
,, prehendas & ſervatori adducas. Viator es, ſimilis ei qui precaba-
,, tur dicens, greſſus meos dirige. Attende tibi ipſi, ne extra ſe-
,, mitam, nec à dextra neu ab læva deflectas: viâ regiâ ingredere.
,, Architectus es? fidei fundamentum firmum ac tutum (quod eſt
,, Jeſus Chriſtus) jacias. Ædificator es? vide quomodo ædifices, non *D. Baſil. ubi ſupra.*
,, ligna, non fœnum, non ſtipulam; ſed aurum, argentum, la-
,, pides pretioſos. Paſtor? attende, ne te quæ ſunt officii tui Paſto-
,, ralis prætereant. Hæc autem quæ ſunt? errantem à via veritatis
,, converte, contritum liga, ægrum ſana. Agricola? infructuo-
,, ſam ficum circumfode, ac quæ ſunt ad fructus generationem ac
,, fœcunditatem, circumda. Miles? ſimul cum Evangelio labores
,, ſubi, bonam exerce militiam contra nequitiæ ſpiritus, contra
,, affectus carnis. Apprehende omnem Dei armaturam. Ne te aliis
,, vitæ negotiis, ut hujus exercitus duci placeas, implices. Athle-
,, ta es? attende tibi ipſi, ne legem aliquam, quæ ad certandum
,, pertineat, prætereas. Imitare Paulum & curſu, & pugilatu, &
,, palæſtrâ certantem: & ipſe ut bonus pugil oculos animæ continuò
,, vigilantes habe. Aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota,
aliquid inclinatio corporis, gladiatorem intuentem monet. Nemo enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Hujus verò certaminis præmium non corona nec palma eſt, nec tubicen prædicationi nominis noſtri ſilentium faciens: ſed perpetua felicitas, & pax in æternum parta, ſi ſemel in iſto certamine à nobis integrè Dæmon debellatus eſt. Non malè conjectamus hujus præcepti vim rectiſſimè percepiſſe Philippum III. Hiſpaniarum Regem: quandoquidem inter graviter ab eo moriente dicta in primis illud recenſetur; quòd felicem ſeſe arbitratus fuerit, ſi viginti tribus annis, quibus regnavit, in eremo vixiſſet. Monuit Confeſſarium ſuum, ut in concione publicè diceret, fateri ſe hâc ſupremâ horâ, omnia in hoc mundo vana eſſe, & regnum quod in vita ſuave eſt, amarum admodùm in morte eſſe. Principi filio, hodie Philippo IV. Regi: *Cogita*, inquit, *te moriturum*, *&* *ita vive*, *ut te regnaſſe non pœniteat.* Sic vivendum eſſe cum hominibus judicat Seneca, tamquam Deus videat: ſic loquendum cum Deo, tamquam homines audiant. Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices. Ad hanc circumſpectionem hortatur quemque in Hymno ſuo Eccleſia ita canens.

Nicolaus Vernulaus in Ephemeride Auſtriaca 31. Martii.

Epiſt. 10.

Fer. 5. ad Laudes.

Speculator adſtat deſuper
Qui nos diebus omnibus,
Actuſque noſtros proſpicit
A luce prima in veſperum.

Deus nobis ſemper ante oculos habendus eſt, ut ſic tamquam illo ſpectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. *Magna* ſanè *pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat.* Illum habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui ſic Deum vereri poteſt, ut ad memoriam quoque ejus ſe componat atque ordinet: effugit quidem oculos, ſed cogitatione viſendus eſt. Satis autem illum coluit, quiſquis imitatus eſt. Imitatorem Dei pecunia non faciet: Deus nullius eget. Prætexta non faciet: Deus Spiritus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio ſui, & in populos nominis dimiſſa notitia. Deus incomprehenſibilis eſt. Multi de illo malè exiſtimant in hoc mundo, & impunè. Non turba ſervorum lecticam per itinera urbana ac peregrina portantium: Deus ille maximus potentiſſimuſque ipſe vehit omnia; ipſe auriga, ipſe currus quo hæc mundi machina vehitur, ac ſuſtentatur: nec forma quidem aut vires aliquem beatum facere poſſunt: nihil horum non patitur vetuſtatem. Per interna ſolummodo ac vera bona, animus rectus, bonus, magnus, ſummum bonum occupare valet: huic licet mors immatura mediam præcidat ætatem, perceptus longiſſimæ vitæ fructus eſt. Unus enim dies hominis juſti plus patet, quàm impii longiſſima ætas. „ Quemadmodum novem menſibus nos „ tenet maternus uterus, & præparat non ſibi; ſed illi loco in quem „ videmur emitti, jam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantiâ patet in ſenectutem, in „ alium naturæ ſumimur partum. Vita ſiquidem quæ hic agitur Senecæ eſt quædam veluti maturitas prægnantium; mors verò partus ſive nativitas in aliam vitam. *Ætas* autem *ſenectutis* eſt *vita immaculata*, ita ut dies unus benè tranſactus poſſit fieri æterni natalis.

Sen. Epiſt. 11. — Idem Ep. 102. — Sap. 4.

ANACE-

ANACEPHALÆOSIS
TOTIUS LIBRI.

VErùm ne hic nos malè habeat inertia ſui impatiens. Nam quemadmodum lana quoſdam colores ſemel ducit, quoſdam niſi ſæpius macerata & recocta non perbibit » ſic alias diſciplinas ingenia cùm accepêre, protinùs præſtant; Ars noſtra oblivionis niſi altè deſcendit, & diù ſedit, neque animum ſolùm coloravit, ſed & infecit; nihil ex his, quæ promiſerat, confert. Numquam eſt intermittenda ubi praxis ejus, non dico quotidiè, ſed ſingulis horis eſt neceſſaria. *Eadem eſt præceptorum conditio, quæ ſeminum. Multum efficiunt, etſi anguſta ſunt: tantùm idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat. Multa invicem & ipſa generabit, & plus reddet, quàm acceperit.* Hanc idcircò praxim non attinget qui latitat, & ſic in domo eſt, tamquam in ſepulchro, qui in vitiorum ſomno torpet; qui negligit agrum ſuum colere, ſed in eo zizania patitur creſcere; qui limoſum ſtagnum animam facit, in qua fœtidæ cogitationum ranæ coaxant; qui in ſinu ſuo horum ſerpentum multitudinem fovet; qui unam cogitationem ex alia educit; qui diaboli effigiem & characterem retinet. Ille verò qui diligenter rerum momenta ponderat, qui prudenter expendit nullius eſſe pretii quod libido proſequitur: qui novit voluptatis aculeum; ſuperbiam nihil eſſe præter ventum; humana hæc ſcenæ referre imaginem; qui fortunam conſiderat ut bullam ſplendentem ſed evanidam; beneficia laqueos & maleficiis proxima; ſceptrum bonum fragile, honoris titulos; nomina ſine re: *Quid eſt Eques Romanus* (quærit Seneca) *aut libertinus, aut ſervus? nomina ex ambitione, aut injuriâ nata.* Qui intelligit nihil eſſe ſub ſole novum ſed omnia recurrere, divitias ſpinis recte comparari; gulam corpori & animo plurimùm obeſſe; qualiacumque in hoc mundo gaudia variâ & multiplici triſtitiâ commiſceri: qui horrorem conſcientiæ perpendit, quodque fiat peccanti, & ſibi ipſi ſupplicium; quod optimum remedium injuriarum ſit oblivio; quod facili negotio ratio, tamquam mica ſalis in ferveſcentem ollam injecta, concitatam iracundiâ mentem facit deferveſcere: haud dubium quin cogitationum ſpeculum comminuet, ne poſſint denuò objecta præterita animo repræſentari. Quin ſecum revolvens, quantum oblivioni tradita, ſi reſuſcitentur, adferant mali; etiam veſtigia illorum prorſus delere conabitur, ne quid relinquat in via diabolo,

Sen. Ep. 38.

Epiſt. 31.

bolo, per quod deprehendi queat. Auſcultabit ſummâ cum animi voluptate D. Ambroſium admonentem: „ Si quis (inquit) incola „ eſſe cœperit civitatis ſupernæ, incola videlicet converſatione, & „ moribus: non diſcedat ab ea, non exeat, non reflectat veſtigium, „ non revertatur retro.: retrò luxuria, retrò impuritas eſt. Denique „ aſcendens ad montem Lot retrò reliquit Sodomitana flagitia; „ quæ autem aſpexit retrò, non potuit ad ſuperiora evadere. Conabitur gratiæ Dei inniti ne titubet, ne exorbitet, ſed viam regiam tenendo non deflectat neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: in agendo quippe non ſufficit prudens rectumque judicium; ſed illud debet eſſe moraliter & practicè certum. Audi Eccleſiaſticum: *Eſto firmus in via Domini & in veritate ſenſus tui, & ſcientia; & proſequatur te verbum pacis & juſtitiæ.* Mala pax eſt, quæ juſta non eſt. Veræ enim & ſolidæ pacis parens eſt juſtitia, à qua nullatenùs quiſpiam dimoveatur. Ita ſuadet D. Hieronymus; „ Sodomam „ reliquiſti ad montana feſtinans, poſt tergum ne reſpicias: ne aratri „ ſtivam, ne fimbriam Salvatoris, ne cincinnos ejus noctis rore „ madefactos, quos ſemel tenere cœpiſti, aliquando dimittas: ne „ de tecto virtutis, priſtina quæſiturus veſtimenta, deſcendas: ne de „ agro revertaris domum; ne campeſtria cum Lot, & amœna hor- „ torum diligas, quæ non irrigantur de cælo ut terra ſancta; „ ſed de turbido flumine Jordanis, poſtquàm dulces aquas maris „ mortui commixtione mutavit. Hic effectus & fructus ex Arte Oblivionis capietur; gaudii nempe æqualitas, quod niſi ex virtutum conſcientia non naſcitur; quis enim verè poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans? Hæc pax conſcientiæ eſt vitæ æternæ prænuntia, occulto numine mentis infuſa, ineffabili atque incredibili dulcedine tacitum pectus perfundens. Tanta eſt enim alacritas animi, quanta fuerit conſideratio rei; eſt enim menſura lætitiæ ſecundùm magnitudinem nuntii. His imbuta præceptis qualibet anima fidelis Judithæ aſſimulata, poterit cæſi ſtygii Holofernis univerſa vaſa bellica, atque ipſum Conopæum in Jeruſalem (quæ viſio pacis interpretatur) offerre in præteritarum curarum & malorum anathema Oblivionis.

Lib. 3. Ep. 9. ad Irenæum.

Cap. 5. v. 12.

Ad Vicinium Ep. 28.

EPILO-

EPILOGVS
AD
LECTOREM.

TEmpus eſt, candide & benevole Lector, ut aliquando manum de tabula tollam. Hæc interim præliminaria ad majora propediem (largiente Domino) æqui boniq́ue conſulas velim. Laboris noſtri primitias habes. „ Primitiæ utique, ex mente D. Ambroſii, ejuſdem ſunt generis atque naturæ cujus „ & reliqui fructus: quorum pro lætiore proventu primitiva Deo „ munera deferuntur; ſacrum munus pro omnibus, & quaſi „ reparatæ quædam liba naturæ. Nihil ſimiliter cunctatus ſum in his Deo deferendis, ut alias ſtudiorum meorum lucubrationes benigno ſuo dignetur fœcundare influxu. Fateor me in Catonis reprehenſionem incidere, quòd culpam deprecari, quàm culpâ vacare malim: ut ille quondam Albinus, qui homo latinus cùm res Romanas oratione græca ſcriptitaſſet, veniâ ſe dignum eſſe cenſebat, ſi quid in Hiſtoriis ſuis aut parum compoſitè, aut minùs eleganter ſcriptum eſſet; ob hoc à Catone deriſus. Non enim me latet, quàm ſit arduum tali ſcribendi generi inſiſtere, in quo primo ſtatim occurſu adverſus receptam ſæculi conſuetudinem attuliſſe plurima videbor; quaſi uni mihi licitum eſſet aliorum mores ſugillare: cùm nihil minùs ferendum eſſe cuncti paſſim arbitrantur, quàm rationem vitæ ab altero repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere. Rectè innuit S. Hieronymus: *Accuſamus ſæpe quod facimus, & contra nos ipſos diſerti in noſtra vitia invehimur, muti de eloquentibus judicantes.* Benè dicta quidem non improbanda, benè facta autem longè præferenda. Ideoq́ue ſaniores de fide cujuſque magis oculis, quàm auribus credunt. *Grandis enim condemnatio componenti quidem ſermonem ſuum: vitam verò ſuam atque operam negligenti.* Ea utique eſt fatalis ingeniorum ſcabies, ut omnes reprehendere ac diſputare malint, quàm vivere. Auguſtus Cæſar cùm eſſet luxuriæ ſerviens, fuit tamen ejuſdem vitii ſeveriſſimus ultor. Quid enim? *Homines in ulciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt.* Si vehementiùs tonuerit æſtate, quàm fulſerit, id ex judicio Plinii ventos denuntiat: nonnè ſimiliter, ubi quis vehementer in aliorum vitia inclamat,

Lib. de fide reſurrect.

Epiſt. 4. ad Ruſticum.

D. Chryſoſt. in lib. de compunct. cord.

Aur. Vict. Hiſtor. in Auguſt.

clamat, ipſe vitæ non ſat probæ, indicium eſt animi magis ambitionis vento tumeſcentis, quàm ſolidè pii? „ Judicet ille de alterius er„ rore, monet S. Legifer noſter, qui non habet in ſe quod condem„ net: Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit pu„ nienda; ne cùm de alio judicat, in ſe ipſum ſententiam ferat. Qui benè dicit & facit, omni exceptione major eſt. *Oportet* igitur *conſtantiam commonendi, propriæ converſationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant.* Quomodò enim curat aliena corrigere, qui à vitiis mundus non eſt? Quomodò purè maculam in membro conſiderat oculus, quem pulvis gravat? Quomodò ſuperpoſitas ſordes tegere poteſt manus, quæ lutum tenet? An neſcimus quòd David, quia vir ſanguinum, templum Deo ædificare prohibetur? „ Niſi tu (inquit S. Ambroſius) prius inferiora tua vacua fe„ ceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te „ igitur pacem incipe, ut cùm fueris ipſe pacificus, pacem aliis feras.

S. Auguſt. ſuper illud beat. immacul.

Tertull. lib. de patientia c. 1.

Lib. 5. in Luc. c. 6.

Numquid illâ de re conſultius fuiſſet opportunum ſilentium, quàm importunum & temerarium eloquium? Quàm tot judiciorum incerto eventu periculum facere? Quænam iſta fiducia? Nimia dicam an incauta? Numquid maturè prius penſanda erant ſingula, & ad rationis obruſſam examinanda, ut bis ad limam venirent, quàm ſemel ad calamum? *Tutius veritas auditur, quàm prædicatur, quoniam cùm auditur, humilitas cuſtoditur; cùm autem prædicatur, vix non ſubrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia, in qua pedes inquinantur.* Suadetur ſilentium, modò ſit opportunum; aliàs ab Eccleſiaſtico reprehenditur, ubi dicit, *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus quæ utilitas in utriſque?* Quàm ſalubriter D. Gregorius hanc ſententiam explanat! „ Si medicinalis, inquit, artis minimè gnari „ ſecandum vulnus cernerent, & tamen ſecare recuſarent, profectò „ peccatum fraternæ mortis ex ſolo torpore committerent. Quantâ „ ergo culpâ involvantur aſpiciant, qui, dum cognoſcunt vulnera „ mentium, curare ea negligunt ſectione verborum. Quare benè ſuggeritur. *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus.* Ut nimirum cùm opportunum conſiderat, poſtpoſitâ cenſurâ ſilentii, loquendo quæ congruunt, in uſum ſe publicæ utilitatis impendat: Deus enim exactam rationem talenti exiget benè & cum lucro expenſi, damnabitque eum, qui talentum defodit, vel in ſudario ligavit: *Pecuniam verò in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub otio lenti torporis abſcondere.* In hoc gaudebat Seneca aliquid diſcere, ut doceret. „ Nec me ulla res „ inquiebat, delectabit, licet eximia ſit & ſalutaris, quam mihi uni „ ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam in„ cluſam

S. Aug. tract. 59. in Joan.

Cap. 20. v. 32.

3. p. Paſtor. admon. 26.

Eccli. 20. v. 7.

S. Greg. 1. p. Paſtor. cap. 9.

Epiſt. 6.

,, cluſam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni,ſine ſocio, ,, jucunda poſſeſſio eſt. Ut alios ad imitationem ſui alliciat hoc epiphonemate utitur Eccleſiaſticus: *Videte quoniam non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem.* Quid ſi tantumdem dicerem an multùm à ſcopo aberrarem, quandoquidem experimento conſtare poſſit, artem quam trado & Apologiam eſſe veritatis adverſus perverſos mores ac dogmata, & quamdam ad perfectionem vitæ manuductionem? *Cap. 24. v. 47.*

Abſit tamen ut, (Virginum Veſtalium more,quæ annis inter officia diviſis, diſcebant facere ſacra, & cùm didiciſſent, docebant) optimis me quibuſque imbutum credam ad eadem aliis proponenda: neque magnanimam illam vocem,& viro omnibus numeris abſoluto dignam emittere quandoque audebo, nullum videlicet verbum mihi, quod non ſalvâ conſcientiâ procederet, excuſſum eſſe. Apage cum talibus: mendis undequaque ſcateo; & tamen alios docere non intermitto, ſimulque ab aliis doceri volo tamdiu (cum Platone loquor) donec me ſapientiorem fieri non pœnitebit. Neque enim ſtudiis perfundi ſatis eſt, ſed planè his tingendus eſt animus. Omnibus annis ſtudere honeſtum eſt, omni ætate in ſapientiæ ſcholâ progredi, non item omnibus inſtitui, hoc eſt incipere & in rudimentis eſſe. *Turpis* namque *& ridicula res eſt, elementarius ſenex. Juveni parandum, ſeni utendum eſt.* Obtrudant licet, num Saül inter Prophetas, corvus inter olores? quamvis pauci apud gentiles ſuos æſtimentur, ut dixit prima veritas; *Nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua.* Degeneret omnis qualiſcumque æſtimatio in contemptum: quid curæ eſt, cùm nihil in gratiam famæ propriæ in medium proferam, veluti ſi id ſpectarem ut præclaris operibus à mortalitate nomen vindicarem. An non cum Tacito mihi allegare datum, *noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda poſteris ferre poteſt, nec omnia apud priores meliora?* Aut cum Franciſco Petrarcha, (quod propiùs ad rem) *Multa ſcribo non tam ut ſæculo meo proſim, cujus jam deſperata miſeria eſt, quàm ut me ipſum conceptis exonerem, & animum ſcriptis ſoler?* Ut nunc ſunt mores vix quidquam accommodatius dici potuit. Lacedæmonius Athenis rediens rogatus, quid de opulentiſſima urbe ſibi videretur? reſpondit: *Athenis omnia honeſta.* Quod ſpecie tenus in laudem vergebat, re verâ autem maximum erat vituperium & ironicum reſponſum. Quæ enim poteſt major reperiri ubilibet confuſio, quàm dum omnia vitia putantur honeſta? illud hoc tempore experimur. Propterea eò magis ſcribam, quò magis quidam legere recuſant. Perſeverabo & dicam etiam invitis profutura. Fortaſſis remedia antè volunt, quàm vitia deſinere? hinc aliquando

Sen. Epiſt. 37.

Luc. 4. v. 24.

Lib. 11. Annal.

quædam ad illos non blanda vox veniet: & quia verum ſinguli audire non volunt, publicè audiant.

Videbórne igitur reprehenſione dignus, ſi tanto malo quovis modo occurrere paro? neminem judico, ad particularia nequaquam deſcendo; vulgato nomine ſatyram non ſcribo: neque verebor dicere me in hoc tractatu regulam obſervaſſe, quam S. Hieronymus in ſimili Ruſtico præſcribit. Meam emendationem in primis & aliorum utilitatem ſpecto. Quòd ſi in vitia nemo poſſit invehere, eorumque maculas & damna detegere, dic ſodes quomodo de fuga vitiorum ac recta morum diſciplina libri conſcribuntur? nullus umquam Sanctorum Doctorum hoc improbavit. Horum veſtigiis inſiſto. Illos venerari debeo ac ſuſpicere, quòd illorum beneficio me vitiis exuere poſſim. Nam quemadmodum à medico rem inæſtimabilem emimus, vitam ac valetudinem bonam: ſic ab his præceptoribus virtutem, & animi cultum. Quapropter attendas velim non quis ſcripſerit, ſed quid ſcriptum ſit: quamvis utrumque non immeritò exigo. Mea non ſunt, quæ edo; illorum ſunt, qui teſtimoniis ſuis ſcripta confirmant. Tam Sacroſanctam auctoritatem oppugna ſi placet. Ad illorum dicta & regulam me ipſum priùs examinare, deinde aliis ſalutaria monita imprimere ſatago: quia non debet aſſueſcere animus delectare ſe potiùs, quàm ſanare, & doctrinam moralem oblectamentum facere, cùm remedium ſit. Scio quòd aliqui egregiam adeò ſint ſortiti indolem, ut in ea, quæ tradi ſolent, perveniant ſine longo magiſterio, & honeſta complectantur cùm primùm audiunt. Unde *nobilis Equus umbrâ quoque virgæ regitur, ignavus ne calcari quidem concitari poteſt.* Attamen non leviter, quæ ſcribimus, delibanda conſulo; „ alimenta enim „ quæ accepimus quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida inna- „ tant ſtomacho, onera ſunt: at cùm ex eo quod erant, mutata ſunt, „ tunc demum in vires & ſanguinem tranſeunt. Idem in his, qui- „ bus aluntur ingenia, præſtandum. Concoquamus illa; alioquin in „ memoriam ibunt, non in ingenium. Plus inculcandum de illis quæ continuò ad praxim ſunt reducenda, quæ omninò noſtra fieri debent. Utinam in his, quod volui, fecerim! ſed & ſic mihi debes, quia volui. Quare

Q. Curt. lib. 7.

Sen. Ep. 84.

—— Si quid noviſti rectiùs iſtis
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

Ad majorem Dei Deiparæque, & S. P. Auguſtini gloriam.

FINIS.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPUS Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum cui titulus, *Idea Politica veri Chriſtiani, ſive Ars Oblivionis Iſagogica ad artem Memoriæ, Authore R. P.* ALEXANDRO LUZON DE MILLARES, *Canonico Regulari Viridis Vallis*, citra FRANCISCI FOPPENS, Typographi Bruxellenſis voluntatem, ullo modo in Belgio intra novem annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat: qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & pro ſingulis exemplaribus peregrinis huc illatis, triginta florenorum penſione multabitur: uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die 2. Octobris M. DC. LXIII.

Signat.

LOYENS.

APPROBATIO ECCLESIASTICA.

IDea Politica veri Chriſtiani, ſive Ars Oblivionis Iſagogica ad artem Memoriæ, Authore R. Patre Alexandro Luzon de Millares, Canonico Regulari Viridis Vallis, *felici ingenio concepta, & polito ſtylo exarata, nihil continens quod Fidei, aut bonis moribus adverſetur, legentium oculis objici, adeoque prælo mandari meretur, ut omnium hominum, ac præſertim eorum, qui Chriſtiano nomine cenſentur, animis altè impreſſa, eorum quæ retrò ſunt, ac veterem hominem concernunt, obliviſcentes, capaces reddantur ad ea, quæ priora ſunt ſeſe extendere, memineríntque novum hominem induere, ut eâ ratione veri Chriſtiani, hoc eſt Chriſti Ieſu vera effigies in ipſis formetur. Datum Bruxellæ* 6. *Octobris* 1664.

I. CERON, Paſtor B. Mariæ de Capella, Archipresbyter Bruxellenſis, Librorum Cenſor.

Lector benevole quæ per incuriam Typis irrepſerunt errata ſic emenda.

Pag.	*Lin.*	*Pro*	*Lege.*	*Pag.*	*Lin.*	*Pro*	*Lege.*
3	15	ſupergreſſum	ſupergreſſam	408	17	teune	tenue
12	29	certiſſimè	citiſſimè	409	11	credit	cedit
32	37	par	per	417	9	norborum	morborum
33	5	minus	nimis	439	32	minutiſſimam	muniſſiſſimam
39	*citatio*	Luc. 1 cap. 3.	Liv 1. chap. 3.	456	3	filigine	fuligine
51	25	petit	petiit	457	9	quantum	quantam
52	18	attentus, obtutus	attentus obtutus	457	25	in debita	indebita
52	38	cæpit	cepit	474	7	ſufficiant	ſufficiunt
56	4.	expeliere	expellens	478	19	monumentum	munimentum
67	27	perſuaſionem	per ſuaſionem.	481	4	in felicibus	infelicibus
72	22	nulla	ulla	482	32	acies	arces
102	7	æthicam	Ethicam	483	18	architectorem	architectonem
109	3	commendare	commodare	485	7	integritatis	integritate
117	22	muſica	muſca	502	4	extremum	externum
119	33	coco	coquo	504	23	inter eſt	intereſt
122	24	aliquid	aliquod	504	23	in eſt	ineſt
126	2	veluti	vel uti	521	10	illi	illis
139	3	ſoleat	ſoleant	523	6	triaca	theriaca
143	38	cæpimus	cepimus	538	26	in certo	incerto
144	8	cæperunt	ceperunt	541	15	vitia	vita
147	26	cæpiſſent	cepiſſent	542	10	œconomicus	œconomus
152	4	pateat introrſus	pateat, non introrſus	555	7	nobis	nobis proponit
152	22	faſtidiæ	faſtidia	557	12	lenigavit	lævigavit
165	30	virtuoſus haberi	virtuoſum haberi	563	30	fulcebant	fulciebant
169	36	magum	magnum	563	36	prata	parata
176	23	caſtro	caſtrum	570	9	pluviâ	plumâ
196	2	Glianus	Ælianus	570	39	lævis	levis
197	25	perſtrictam	per ſtrictam	571	19	vero	verè
239	11	cæpiſſe	cepiſſe	574	2	mutabunt	nutabunt
243	16	Hieronymianum	Hieronymiano	578	24	Græciæ	græcæ
252	36	replicari	replicati	579	19	ſedent	ſodent
254	5	quibus	quibus angebatur,	588	15	Inter mortuis	Intermortuis
262	35	ſemitectâ	ſemitecta	596	7	ſive	ſine
263	13	in debitis	indebitis	613	10	ſentiro	ſentire
269	10	regni caput	regni corpur	625	39	opus	opes
293	17	occiſo	occiſi	629	30	elegantiſſimo	elegantiſſimi
306	25	Carmotenſis	Carnotenſis	635	9	habent	habet.
312	35	omnia	munia	648	15	ſit	ſcit
326	34	nihilo nimis	nihilominus	659	2	non & nos	nonne & nos
383	11	illas	illos	670	27	mentis infuſa	menti infuſa
398	13	Regi	Regni				

A01 1467339

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G32.